UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE

CLAUS

SPICILEGIUM

3

BX1757
C5
v.3
1768

008418

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080016015

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. D.

# JOSEPHI IGNATII CLAUS

*SS. Th. Licent. Canonici Auguſt. &c.*

# SPICILEGIUM UNIVERSALE SACRO-PROFANUM.

## PARS TERTIA

CONTINENS

*LIBRUM VIII. IX. & X.*

DE SACRAMENTIS, DE REBUS SACRIS, ET PROFANIS.

*Cum Indice Concionatorio, & Rerum ac Verborum.*

VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.
MDCCLXVIII.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez
VALVERDE Y TELLEZ
45062
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX 1757
C5
V.3
1768

FONDO ... VALVERDE Y TELLEZ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



# LIBER OCTAVUS DE SACRAMENTIS.

SACRAMENTA IN GENERE.
BAPTISMUS.
CONFIRMATIO.
EUCHARISTIA EXTRA USUM.
*Sacra Communio.*
*Sacer Sanguis Chriſti.*
*Sacrificium Miſſæ.*
*SS. Viaticum.*

POENITENTIA. POENITENS.
*Confeſſio.*
*Confeſſio generalis.*
*Contritio. Lacrymæ.*
*Propoſitum. Satisfactio.*
EXTREMA UNCTIO.
ORDO.
MATRIMONIUM.

## SACRAMENTA.

### 1. *Sunt Medicinæ, quæ fluxerunt e latere Chriſti.*

Joan. 9. VAde & lavare in Natatoria Siloe: Siloe idem eſt ac Miſſus; Sacramenta enim ſunt fontes profluentes ex latere Miſſi, ſeu Chriſti, quibus animæ a lepra peccatorum ſicut Naaman, lavantur, & mundantur. S. punct. 37. fol. 722.

*Nunquid reſina non eſt in Galaad?* Cardinalis Hugo ait: Reſina ſunt Sacramenta, quæ profluxerunt a therebintho, id eſt Chriſto. B. Serm. 70. num. 6.

S. Auguſtinus ait: Dormit Adam, ut fiat Eva, moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia, & Sacramenta. C. Gen. fol. 74. col. 2.

Sponſa laudatura ſponſum comparat illum vineis Engaddi, quia illæ vites, ſi ſcindantur, balſamum ſtillant: ita Chriſtus vulneratus Sacramentorum medicinam ſtillavit. A. 1. lect. 2. n. 17.

Sicut aquæductus influens in civitatem ad unum aliquem locum communem pervenit, unde per anguſtiores fiſtulas in varias ædes, hortos, aliaque loca diſtribuitur: ita cum virtus paſſionis Chriſti fons & origo ſit ſalutis humanæ, per varios Sacramentorum canales ad alios, atque alios effectus diſtribuitur. Ludovic. Granat. Tom. 1. fol. 1054. col. 2.

### 2. *Quid ſint Sacramenta.*

Sunt ſeptem vaſa, in quibus JESU Chriſti ſanguis collectus continetur. Sunt ſeptem ſcrinia, in quibus pretioſiſſimi gratiarum & virtutum theſauri reconditi manent. Sunt ſeptem fontes Salvatoris, ex quibus haurimus in gaudio aquarum vivarum abundantiam. Lud. de Pont. de Perfect. Chr. tr. 2, fol. 171.

Sunt ſeptem Eccleſiæ Planetæ: ſicut enim ſeptem Planetæ virtute & influxu ſuo totum hoc univerſum regunt: ita etiam per ſeptem Sacramenta in animabus noſtris omnia virtutum & gratiarum genera producuntur. Lud. Granat. Catech. Min. c. 6. fol. 85.

Sunt veluti corporis Eccleſiaſtici nervi a Chriſto tanquam capite prodeuntes, per quos ſpiritualis ſenſus & motus in omnia ejus membra derivantur. Quo fit, ut ſpiritualibus his nervis ſublatis in ſpiritualem paralyſin hoc eſt inſenſibilitatem omnia membra incidant, quod illis accidit, qui vix unquam ad ſancta hæc myſteria accedunt. Lud. Gran. 1. fol. 1054.

Sunt ſeptem lucernæ in tabernaculo Dei diſpellentes tenebras peccatorum: ſunt ſeptem rivi, in quos dividitur magnum flumen gratiæ in Paradiſo cœleſti, quod circuit Ægyptum hujus mundi: ſunt ſeptemplex lavacrum Naamani: ſunt ſeptem ſigilla libri vitæ &c. Fornerus in Pſal. 50. conc. 37. num. 9. 12. & ſeq.

Quid ſit Sacramentum, quodammodo patet ex etymologia nominis: ſicut enim *teſtamentum* eſt, quod ultimam voluntatem teſtatur: *condimentum*, quod cibos condit: *Medicamentum*, quod medetur: *adjumentum*, quod adjuvat, &c. ita *Sacramentum*, quod ſacrat.



008418

BX 1757
C5
V.3
1768

FONDO ... VALVERDE Y TELLEZ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



# LIBER OCTAVUS
## DE
# SACRAMENTIS.

SACRAMENTA IN GENERE.
BAPTISMUS.
CONFIRMATIO.
EUCHARISTIA EXTRA USUM.
*Sacra Communio.*
*Sacer Sanguis Chriſti.*
*Sacrificium Miſſæ.*
*SS. Viaticum.*
POENITENTIA. POENITENS.
*Confeſſio.*
*Confeſſio generalis.*
*Contritio. Lacrymæ.*
*Propoſitum. Satisfactio.*
EXTREMA UNCTIO.
ORDO.
MATRIMONIUM.

# SACRAMENTA.

### 1. *Sunt Medicinæ, quæ fluxerunt e latere Chriſti.*

Joan. 9. Vade & lavare in Natatoria Siloe: Siloe idem eſt ac Miſſus; Sacramenta enim ſunt fontes profluentes ex latere Miſſi, ſeu Chriſti, quibus animæ a lepra peccatorum ſicut Naaman, lavantur, & mundantur. S. punct. 37. fol. 722.

*Nunquid reſina non eſt in Galaad?* Cardinalis Hugo ait: Reſina ſunt Sacramenta, quæ profluxerunt a therebintho, id eſt Chriſto. B. Serm. 70. num. 6.

S. Auguſtinus ait: Dormit Adam, ut fiat Eva, moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia, & Sacramenta. C. Gen. fol. 74. col. 2.

Sponſa laudatura ſponſum comparat illum vineis Engaddi, quia illæ vites, ſi ſcindantur, balſamum ſtillant: ita Chriſtus vulneratus Sacramentorum medicinam ſtillavit. A. 1. lect. 2. n. 17.

Sicut aquæductus influens in civitatem ad unum aliquem locum communem pervenit, unde per anguſtiores fiſtulas in varias ædes, hortos, aliaque loca diſtribuitur: ita cum virtus paſſionis Chriſti fons & origo ſit ſalutis humanæ, per varios Sacramentorum canales ad alios, atque alios effectus diſtribuitur. Ludovic. Granat. Tom. 1. fol. 1054. col. 2.

### 2. *Quid ſint Sacramenta.*

Sunt ſeptem vaſa, in quibus JESU Chriſti ſanguis collectus continetur. Sunt ſeptem ſcrinia, in quibus pretioſiſſimi gratiarum & virtutum theſauri reconditi manent. Sunt ſeptem fontes Salvatoris, ex quibus haurimus in gaudio aquarum vivarum abundantiam. Lud. de Pont. de Perfect. Chr. tr. 2, fol. 171.

Sunt ſeptem Eccleſiæ Planetæ: ſicut enim ſeptem Planetæ virtute & influxu ſuo totum hoc univerſum regunt: ita etiam per ſeptem Sacramenta in animabus noſtris omnia virtutum & gratiarum genera producuntur. Lud. Granat. Catech. Min. c. 6. fol. 85.

Sunt veluti corporis Eccleſiaſtici nervi a Chriſto tanquam capite prodeuntes, per quos ſpiritualis ſenſus & motus in omnia ejus membra derivantur. Quo fit, ut ſpiritualibus his nervis ſublatis in ſpiritualem paralyſin hoc eſt inſenſibilitatem omnia membra incidant, quod illis accidit, qui vix unquam ad ſancta hæc myſteria accedunt. Lud. Gran. 1. fol. 1054.

Sunt ſeptem lucernæ in tabernaculo Dei diſpellentes tenebras peccatorum: ſunt ſeptem rivi, in quos dividitur magnum flumen gratiæ in Paradiſo cæleſti, quod circuit Ægyptum hujus mundi: ſunt ſeptemplex lavacrum Naamani: ſunt ſeptem ſigilla libri vitæ &c. Fornerus in Pſal. 50. conc. 37. num. 9. 12. & ſeq.

Quid ſit Sacramentum, quodammodo patet ex etymologia nominis: ſicut enim *teſtamentum* eſt, quod ultimam voluntatem teſtatur: *condimentum*, quod cibos condit: *Medicamentum*, quod medetur: *adjumentum*, quod adjuvat, &c. ita *Sacramentum*, quod ſacrat.



008418

*3. Inſtituta ſunt a Chriſto Domino.*

*S. Ambr. l. 4. de Sacramentis.*

*Auctor Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus JESUS. De cælo iſta Sacramenta venerunt*, ait S. Ambroſius. Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ & Apoſtolis poteſtatem dedit inſtituendi dies Feſtos, ritus, & cæremonias; Sacramentorum autem inſtitutionem ſibi reſervavit, quia ſunt theſaurus myſtici ſui regni, & quia ſuam potentiam, ſapientiam, providentiam, miſericordiam & alia attributa ad inſtitutionem Sacramentorum adhibere debuit. Et adhuc per viliſſima elementa facit creaturas novas, per aliquot guttulas aquæ infundit gratiam & ſupernaturales habitus. Le Jeune p. 6. Serm. 20. litt. A. & ſeq.

Et certe expediit, ut Chriſtus inſtitueret Sacramenta; ſi enim Divina Providentia corporibus curandis tam multas herbarum vires eſſe voluit; conſequens eſt, ſpiritualia medicamenta animarum morbis curandis, qui graviores ſunt, procurari non minus debuiſſe. Ludov. Granat. T. 1. fol. 1054. col. 2.

*Jo. 11.*

Chriſtus inſtituit Sacramenta, *ut Filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum*. Conſequenter Sacramenta ſunt ſigna, quibus fideles per omnia mundi regna diſperſi dignoſcuntur. *In nullum nomen Religionis ..... coagulari homines poſſunt, niſi aliquo Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*, ait S. Auguſtinus. Le Jeune p. 7. Serm. 20. Litt. E.

*S. Aug. Tom. 7. l. 19. contra Fauſt. c. 11.*

Inſtituit Sacramenta, ut ſint ſigna diſtinctiva populi fidelis ab infidele; ſicut milites per ſigna bellica diſcernuntur, & loca ſacra a profanis; ita nec Sancti in ſuam communionem admittent, qui carent ſignis Sacramentorum. Fornerus in Pſal. 50. conc. 37. n. 8.

Ad mentem S. Thomæ Chriſtus in triplicem finem inſtituit Sacramenta: 1. Ut ſint ſigna rememorativa Paſſionis præteritæ. 2. Ut ſint ſigna demonſtrativa præſentis gratiæ. 3. Ut ſint ſigna prognoſtica futuræ vitæ. Ardias p. 3. inſtr. 1. nu. 8. Marchant. tr. 1. de Sacr. lect. 1.

*4. Cur a Chriſto inſtituta.*

1. Quia connaturale eſt homini, per ſenſibilia, & corporalia ad ſpiritualia intelligenda deduci; animus enim noſter in hoc corpore velut carcere incluſus ſenſuum miniſterio opus habet, nec poteſt ſine hoc adminiculo ad Divina capeſſenda aſſurgere. 2. Ut eſſent voluntatis Divinæ erga nos teſtimonia, & quaſi ſigilla. Licet enim Dei promiſſiones ſint infallibiles, ſolet tamen eas in rebus magni momenti exterioribus ſignis confirmare, ſic promiſſionem Noemo factam de non reiterando diluvio per iridem, fœdus cum Abrahamo initum per circumciſionem, poteſtatem Moyſi datam per prodigioſam virgam confirmavit. 3. Ut eſſent notæ & ſymbola ſanctæ Religionis, & profeſſionis Chriſtianæ, quibus Eccleſiæ filii ſeſe mutuo agnoſcant, & ab infidelibus diſtinguantur. 4. Ut eſſent medicamenta & ſalutis remedia; quia ad animarum ſanitatem vel conſervandam vel recuperandam, virtutem ſuam habent ex paſſione, & vulneribus Chriſti, eum in modum, quo Samaritanus curam habuit viatoris vulnerati. 5. Ut ſint remedia ad retundendam hominis ſuperbiam, qui dum peccando rebus corporalibus ſe ſubjicit, in pœnam humiliare ſe cogitur, & ſenſibilibus elementis ad capiendum remedium ſe ſubjicere. Admiranda hæc eſt Dei ſapientia, dicente Apoſtolo: *Quia in ſapientia Dei non cognovit mundus Deum, placuit per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Marchant. Tr. 1. de Sacram. lect. 1. Prop. 2.

*1. Cor. 1.*

*5. Sunt ſigna collativa gratiæ ſanctificantis.*

Signa inſtituta ab homine nec habent proportionem ad rem ſignificatam, nec operantur effectum ſignificatum, ſed ſunt ſigna ad placitum v. g. pulſus campanæ ad rem Divinam, hædera vini vendibilis &c. ſed ſigna inſtituta a Chriſto ſunt operativa gratiæ, &c. Le Jeune p. 6. Ser. 20. Lit. F.

Chriſtus ipſe eſt figura aliqua Sacramentorum: *Acceſſit Verbum Divinum ad humanitatem, & factus eſt Chriſtus: accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Le Jeune ibid.

*S. Thom. 3. p. q. 60. a. 6. in C.*

Sicut Pater ille, ut filium prodigum veſtiret, juſſit famulos afferre ſtolam primam; ita Chriſtus Sacerdotibus dat poteſtatem veſtiendi & ornandi animas &c. Lud. de Pont. de perf. Chr. fol. 84.

Debuerunt autem hæc ſigna extrinſecus eſſe ſenſibilia, quia homo corpore & anima conſtat, & etiam in Veteri Teſtamento Deus gratias ſuas per ſigna ſenſibilia, uti per iridem, per ſiccum vellus, per ſanguinem agni, aliaque populo demonſtravit. Fornerus in Pſal. 50. conc. 37. n. 74.





Triplicis generis ſunt ſigna 1. *Naturalia*, ut fumus ignis. 2. *Ex inſtitutione hominum*, uti hædera vini venalis. 3. *Ex inſtitutione Chriſti*, uti ſunt Sacramenta, quæ operantur effectum gratiæ ex meritis & paſſione Chriſti, & inſuper ſunt baſes ac columnæ, quibus ſuperſtruitur, & in unum corpus compaginatur Eccleſia. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, &c.* Marchant. tr. 1. de Sacram. lect. 1.

*Prov. 9.*

Hæretici dicunt, Sacramenta nihil operari, ſed tantum eſſe ſigna, quæ fidem excitant; præterquam enim, quod quælibet imago, aut verbum exhortatorium fidem excitare poſſint, quia ſint Sacramenta, id certo falſum eſt de Sacramento Baptiſmi, de quo Scriptura dicit: Quod ſit *lavacrum aquæ in verbo vitæ*, quod mundet, quod regeneret. Inſuper explodit illos S. Gregorius Nyſſenus, illoſque comparat filio prodigo, qui cum panibus abundaret in domo paterna, abiit in regionem longinquam, & ſiliquas pro pane elegit. Marchant. tr. de Sacram. lect. 3. prop. 3.

*6 Sunt adjumenta efficaciſſima ad ſalutem.*

Sacramenta per donum gratiæ faciunt animam Dei filiam, ſponſam, templum Spiritus Sancti, & heredem cæleſtis gloriæ. Gratia hæc animam Deo ſimilem reddit per participationem Divinæ naturæ, eum in modum, quo ferrum ignitum ſimile igni, ſpeculum illuminatum a ſole ſimile eſt ſoli, filia ruſtici per veſtem regalem ſimilis eſt filiæ regis. Marchant. Tr. de Sacram. Lect. 3. prop. 1.

Licet excellentia gratiæ Sacramentalis comprehendi non poſſit, cognoſci tamen poteſt ex effectibus: nam 1. tantam pulchritudinem confert animæ, ut Deus non poſſit non illam amare, quia videt ſuam pulchritudinem tanquam in ſpeculo reſplendentem. 2. Impertit fortitudinem animæ, velut armatura hominem fortificans: eſt ſcutum, protegens, & coronans: quilibet gradus gratiæ, ait S. Thomas, ſufficit ad vincendas tentationes, quia ſemper adjunctum habet ſpeciale auxilium Dei. 3. Reddit omnia opera meritoria, & digna vitæ æternæ, licet ſint mere naturalia, uti bibere, dormire, ambulare; cum enim procedunt a gratia, ſortiuntur proportionem ad gloriam. 4. Efficit hominem Dei filium, & heredem, quod ſummum bonum eſt: *Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſint in cælis.* Marchant. tr. de Sacram. Lect. 3. prop. 1.

Hæc gratia Sacramentalis eſt potens contra diabolum: S. Gregorius dæmones ex delubro expellit, & tribus verbis iterum reducit, admirante ſacrificulo, qui intuitu hujus poteſtatis converſus eſt. Idem Lect. 2. prop. 3. in fin.

*7. Non perdunt ſuam virtutem ex improbitate miniſtri.*

*S. Aug. tract. 6. in Joann.*

S. Auguſtinus ait de Baptiſmo: Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat: Judas baptizet, hic eſt qui baptizat. Actiones Sacramentales a Chriſto tanquam cauſa principali, & Miniſtro tanquam cauſa inſtrumentali proveniunt, ita, ut non tam miniſter, quam per hunc ipſe Dei filius dicat: Ego te abſolvo, ungo, baptizo &c. Le Jeune p. 2. Serm. 13. Litt. D.

*S. Greg. Nazian. orat. de Bapt.*

Sicut duo annuli ſigillares unus aureus & alter ferreus æque bene in ceram imprimunt imaginem & inſignia, ait S. Greg. Naz. Ita Sacerdos ferreus id eſt malus, tam bene baptizat & abſolvit, quam aureus id eſt bonus. Lud. de Ponte de Perf. Chr. tr. 2. fol. 173.

S. Franciſcus Sacerdotis manus, quem hæretici tanquam ſceleratum concubinarium accuſabant, pie oſculatus eſt, dicens; quod hæ manus, etſi malæ eſſent, inquinare non poſſent efficaciam Sacramentorum. E. *Sacerdos* n. 1.

Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales noſtræ ſanctificationis, cauſa autem efficiens eſt Deus, qui movet hoc inſtrumentum ſicut manus gladium. Vis aliam ſimilitudinem? In candelabro templi erant ſeptem lucernæ, & in ſummitate candelabri lampas, ſeu infuſorium olei. Sacramenta ſunt ſeptem lucernæ, quibus dantur ſeptem gratiæ, ſeu dona Sancti Spiritus, lampas autem cum oleo, quo nutriuntur lucernæ, eſt Chriſtus Dominus cum infinitis ſuis meritis. Unde patet, omnem efficaciam Sacramentorum derivari a Miniſtro principali Chriſto, non ſecundario, id eſt, homine. Marchant. Tract. de Sacram. Lect. 3. prop. 3.

*Zach. 4.*

Eundem in ſenſum Sacramenta dicuntur vaſa plena ſanguine Chriſti. Ibidem.

S. Apoſtolus Paulus ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Sed neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Sicut ergo plantæ non obeſt plantantis aut rigantis impro-

bitas, & ſicut ſemini non nocet, quod immunda manu ſeminetur, dummodo terra ſit diſpoſita, & ros cæli, ac ſolis radii accedant; ita improbitas miniſtri non nocet Sacramento, quia gratia Dei a Chriſto per ejus miniſterium in corde ſeritur. A meliori ergo miniſtro non confertur major gratia, quam ab improbo, ſi ſit æqualis ſuſcipientis diſpoſitio, &c. Marchant. tract. de Sacram. Lect. 7. prop. 1.

### 8. *Conferuntur miraculoſe.*

S. Pachomius prima nocte poſt ſuſceptum in anno vigeſimo Baptiſmum, in ſomniis vidit rorem cæleſtem ſuper dexteram manum ſuam deſluentem, qui in mel convertebatur, audivitque vocem: Pachomi aperi oculos cordis tui, quia roſeus hic fluor, & mellita pluvia ſignum eſt gratiæ, qua per Baptiſmum cor tuum, tanquam rore cæleſti eſt perfuſum. Marchant. tr. de Sacram. Lect. 3. prop. 3.

S. Maria Ogniacenſis, dum infantem e Baptiſmo levat, vidit viſibiliter Spiritum Sanctum in animam pueri deſcendere, & Angelorum multitudine circumdari: Item jam antea vidit per exorciſmos dæmonem in fugam agi. Ibid.

Cum S. Martinus Sacramenta miniſtrabat, globus igneus, & pellucidus caput ejus ambiit, in ſignum gratiæ, & lucis interioris quam in ſe habebat, & aliis per Sacramenta communicabat. Ibidem.

In Ordinatione S. Remigii radius novi luminis deſcendit ſuper caput ejus, ac ſi ipſe ſol de cælo ſuper ipſum deſcendiſſet. Senſit inſuper Sanctus capiti ſuo liquorem cælitus ſuperinfundi, ad ſignificandam gratiam interiorem, quam in anima receperat. Ibidem.

S. Joannes Epiſcopus cum baptizaretur, audita eſt ſuaviſſima Angelorum muſica. Supra verticem S. Modeſti, & S. Caroli Borromæi in Baptiſmo viſus eſt fulgor cæleſtis, in modum radii ſolaris nitidiſſimi. Idem Lect. 7. prop. 1.

### 9. *Per actionem externam ſymbolizant effectum internum.*

Chriſtus inſtituit Sacramenta viſibilibus ſignis, quæ non tantum gratiam conferunt, ſed etiam operationem gratiæ in anima ſignificant: v. g. materiam Baptiſmi elegit aquam, non vinum aut oleum, quia ſicut aqua extrinſecus corpus lavat, ita gratia Baptiſmi animam mundat. Materiam Confirmationis elegit oleum, quia ſicut oleum confortat corpus: ita hoc Sacramentum roborat animam. Materiam Euchariſtiæ elegit panem, quia ſicut panis ſtomachum bene valentem, ita Euchariſtia animam juſtam confortat. Le Jeune p. 3. Serm. 14. Litt. L.

Sacramenta omnia conſtant materia & forma: v. g. Aqua, oleo, pane, ſeu ablutione, unctione, ſumptione, & hæc materia eſt valde adhuc indifferens ad ſignificandum. Cum autem accedunt verba Sacramentalia, per modum formæ determinant materiam ad ſignificationem rei, quæ geritur, & complent Sacramentum, v. g. Aqua eſt indifferens ad refrigerandum, & lavandum, cum autem accedit forma Baptiſmi, jam clareſcit, illam ad emundationem, ſeu lotionem ſpiritualem applicari. *Accedit verbum ad elementum*, ait S. Auguſtinus, *& fit Sacramentum*. (S. Aug. tr. 80. in Joann.) Sed quæris: cur Dominus Deus rebus corporeis tantam virtutem voluit alligare? Reſpondeo cauſam eſſe:

1. Sicut Deus Verbum Divinum carni humanæ per Incarnationem alligare voluit, ita ut in ipſo omnis gratia, & ſalus noſtra contineatur: Ita Sacramenta ſalutis inſtrumenta voluit Verbo Divino conformari, dum rei ſenſibili verbum intelligibile, communicativum gratiæ & ſalutis voluit uniri.

2. Cum homo conſtet anima & corpore, conveniens fuit illi proportionari Sacramentorum remedia, quæ per rem ſenſibilem corpus tangunt, & per verbum animam ſanctificant per gratiam, & Divinitatis participationem.

3. Per verbum facta ſunt omnia: *Dixit Dominus, fiat lux, & facta eſt lux*: Ergo conveniens eſt, ut & per Verbum reparentur omnia, ut per Verbum myſticum ſimus nova creatura, prout dicit S. Petrus de Baptiſmo: *Renati eſtis non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei*. (1. Petr. 1.) Marchant. Tr. de Sacram. Lect. 2. Prop. 1.

### 10. *Infirmantur per abuſum ſuſcipientium.*

Chriſtus inter ſeptem candelabra apparuit emungens, & mundans lumina. Per ſeptem candelabra poſſunt intelligi ſeptem Sacramenta. O quantum indigent emungi & mundari! Baptiſmus mucum contrahit, quia gratia illius cito perditur. Euchariſtia mucum contrahit, quia indigne, aut languida cum præparatione devoratur. Pœnitentia mucum



cum contrahit, quia nulla ſequitur emendatio. Extrema unctio mucum contrahit, quia horretur tanquam Sacramentum mortiferum. Matrimonium mucum contrahit, quia ex peſſimis finibus initur. E Chriſti ore proceſſit gladius utraque parte acutus, hunc timeant iſti profanatores Sacramentorum.

Metuendum eſt, ne his, & ſimilibus, qui Sacramenta ex conſuetudine magis, quam ex devotione frequentant, in ipſo mortis articulo parum proſint.

Joab licet confugerit ad altare, tamen (4. Reg. 2.) interfectus eſt, quia alias nunquam ſolitus eſt ad altare confugere: ita iis qui ſolum in articulo mortis Sacramenta petunt, & in vita parum iis utuntur, parum aut nihil proderunt. Leo a S. Laur. Quadr. fol. 213.

Idem fere dicendum de iis, qui impudente lingua Sacramenta inhonorant, quod ſpecies eſt blaſphemiæ. Cum ex ingrato, inopinatoque caſu bilis illis commovetur, in mille Sacramenta erumpunt. An putant hi temerarii, ſanctiſſimos ritus, quos toties blaſphemarunt, illis multum profuturos, niſi auſtera pœnitentia delictum expient? Viderint ipſi!

### 11. *Sunt ad ſalutem neceſſaria.*

Quamdiu homo in Paradiſo juſtitiam originalem conſervabat, non indigebat medicis, & medicinis, dicente Chriſto: (Matth. 5.) *Non eſt opus bene habentibus Medicus, ſed male habentibus*. Poſt lapſum autem Adami, ingruentibus periculoſiſſimis animarum morbis congrua etiam remedia inſtitui & parari oportebat. Fornerus in Pſal. Miſerere conc. 37. n. 1.

Cum in humano corpore humores corrumpuntur, aut ſanguis tabeſit, medicinis opus eſt: Parem in modum ſi in myſtico Chriſti corpore membra infirmentur, opus eſt Sacramentis. Forn. in Pſalm. 50. con. 37. n. 2. & ſeq.

Ad conſervandam vitam corporalem triplicis generis dantur pharmaca: Præſervativa, Curativa, & Confortativa. Talia remedia ad conſervandam vitam animæ ſunt Sacramenta: *Præſervativa* præcipue ſunt Confirmatio & Extrema unctio, quorum illud contra tentationes in materia fidei, iſtud contra ſuggeſtiones diaboli in ultima lucta præmunit. *Curativa* ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, quorum primum a peſtifera lue peccati originalis, alterum a letali ægritudine peccati actualis animam ſanat. *Confortativa* ſunt quidem omnia indiſcriminatim per gratiam, præcipue vero Sacramentum Euchariſtiæ, quod robur cæleſte tribuit, ne homo in priſtina peccata relabatur, & ut in virtute ſemper creſcat, & ad ſalutem proficiat. Porro ſicut ad conſervandam vitam corporalem inſuper dari debent Medici & periti, qui docent, quomodo vita pro conſervanda valetudine prudenter coordinanda ſit: ita Ordinis & Matrimonii Sacramentum inſtitutum eſt, ut Sacerdotes per præcepta Dei, & conjuges per bonam educationem liberorum animas dirigant, inſtruantque, quomodo pie vivere, & contra morbos ſpirituales ſanctiſſima hæc remedia ad ſalutem æternam uſurpare debeant. Sibi ipſi culpam ſui interitus imputet, qui non vult adhibere remedia tam ſalutariter inſtituta.

### 12. *Exigunt noſtram cooperationem.*

Cauſæ univerſales non producunt effectus particulares, niſi adhibitis particularibus cauſis; ſic cælum non generat animal aut triticum, niſi animalis aut cujuſcunque grani ſemine adjuncto; cum ergo noſtræ ſalutis cauſa univerſalis ſit paſſio Chriſti mediantibus Sacramentis nobis applicata, neceſſe eſt, ut noſtra diſpoſitione Religioſe cooperemur. Fornerus in Pſalm. 50. conc. 37. num. 6.

*Cur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* (Jer. m. 8.) An Medicus non eſt in Galaad? an deſunt Sacerdotes? an medicinæ? Nihil ſimile, ſed morbi animarum non curantur ex defectu applicationis aut diſpoſitionis. Leo a S. Laur. in Quadrag. fol. 169. n. 15.

Paralyticus quæſitus, vis ſanus fieri, ut ſanitatem conſequeretur, debuit tollere grabatum ſuum: ita & nobis Sacramenta non proderunt niſi tollamus occaſiones, pravas conſuetudines, & gratiæ Dei cooperemur. Leo a S. Laur. Quadr. fol. 161.

Eliſeus prodigioſe multiplicavit oleum viduæ, juſſitque illi afferre plurima vaſa, quæ implevit, ut ſolveret ſua debita & de reliquo viveret. (4. Reg. 4.) Ita neceſſe eſt ut afferamus vaſa id eſt corda vacua; oleum enim gratiæ non deficiet, ſi non deficiant vaſa. Lud. de Pont. de perf. Chr. tr. 2. fol. 172.

Probatica Piſcina erat contra omnes infirmitates ſaluberrima, & tamen ibi inveniebatur homo habens triginta & octo annos in infirmitate ſua, quia non applicavit ſibi aquam ſalubrem. Leo a S. Laur. Quadrag. fol. 170.

Act. 8. Eunuchus Reginæ Candacis viſa aqua dixit : *Quid prohibet baptizari* . Dic mi Chriſtiane quid prohibet te ſumere Sacramenta ? an Deus ? an Diabolus ? an Angelus ? Nihil niſi tua nolentis malitia. Leo a S. Laur. fol. 172.

### Baptismus.

#### 13. *Induit nos veſte Chriſti, & gratiæ.*

Soph. 3. V*iſitabo ſuper omnes , qui induti ſunt veſte peregrina.* Sanctus Hieronymus ait : Propria veſtis eſt, quam quiſque induit in Baptiſmo : Chriſti virtutes, & geſta imitetur. S. punct. 134. fol. 422. in fine.

Sanctus Matthaus generationem Chriſti enarrat deſcendendo , Sanctus Lucas vero aſcendendo , donec perveniat uſque ad Deum. Cur ? quia Sanctus Lucas loquitur de Chriſto poſt Baptiſmum , qui elevat ad gratiam , & Deum . M. conc. 34. aſſ. 2. n. 2. 3.

Famian. Strada de Bell. Belg. l. 10. ann. 1578. Philippus II. Hiſpaniarum Rex Joannem Auſtriacum , qui apud Aloyſium Guiſcadam Venatorem humiliter fuit educatus, ut fratrem recipit , & ut Principem aula inſtruit . Sic Chriſtus Dominus Chriſtianum per Baptiſmi Sacramentum recipit in filium.

Baptizati accipiebant veſtem candidam in Baptiſmo , tum ut memores eſſent candorem animæ in hoc Sacramento acceptum, ſervandum eſſe uſque ad extremum vitæ ſpiritum , tum ut lætitiam ſpiritualem , & ſpem reſurrectionis beatæ ipſo habitu oſtenderent , tum ut libertatem per Chriſtum adeptam indicarent , ſic ſervis quando manumittebantur , dabatur veſtis alba . C. 1. Pet. 2. v. 16.

Fideles ab ipſo Baptiſmo calceabentur calceis albis 1. ut ſignificetur eos libertate Chriſtiana donari ; ſervi enim incedebant nudipedes. 2. Ut ſignum eſſent , eos in poſſeſſionem filiorum Dei immitti . 3. Ut memores eſſent mortis Chriſti ; calcei enim fiunt de excoriatis animalibus. 4. Ut cauti eſſent ad cuſtodienda veſtigia a vulnere peccati , &c. C. 1. Petr. 2. v. 16. Et Ezech. 16. v. 10.

#### 14. *Deputat ad Dei ſervitium.*

*Maledictus , qui ſuſcitaverit Jericho* : Quis ergo eſt , qui dirutam urbem Jericho reſuſcitat ? Sanctus Eucherius ait : *Cum quis ad agenda ſcelera , quæ ei Dominus JESUS in die baptiſmatis donaverat , redit , quaſque ipſe anathematizaverat diaboli pompas luxurioſe vivendo repetit ; ruinas Jericho reſuſcitat* . B. Serm. 41. §. 1.

Sicut miles pro Domino , cui juravit ; ita Baptizatus pro Deo , contra dæmonem , mundum , carnem pugnare tenetur : *Veniſti ad aquam Baptiſmi* , ait Origines , *iſtud eſt certaminis , & pugnæ ſpiritualis initium : hinc tibi adverſus Zabulum naſcitur pugnæ principium* . C. Eccli. 2. v. 1. Origen. Hom. 9. in l. Jud.

Sicut Eccleſia per Epiſcopum conſecratur Deo ; ita Chriſtianus in Baptiſmo ad Dei ſervitium deputatur . Margaritæ in conchis ſale a piſcatoribus obruuntur , & tunc ſponte e concha excidunt . VV. art. Diſcurr. font. 48. n. 12. Ita in Baptiſmo infans ſale paſcitur , ut diſcat ſe ab omnibus rebus temporalibus , etiam a parentibus , & patria avellere.

Olim in Baptiſmo fidem Chriſtianam profeſſuri oculos & manum dexteram ad cælum erigentes , jurejurando coram teſtibus ſe ad Dei ſervitium obſtringebant , jusjurandum annulo ſubſignatum in tabulas referebatur , & manu Baptizati ſubſcribebatur. C. 1. Petr. 3. v. 21.

Baptiſmi gratia a Sanctis Patribus vocatur *teſſera militis Chriſtiani* : ſicut ergo miles pro Rege Domino ſuo tenetur pugnare uſque ad ſanguinem ; ita Chriſtianus tenetur pugnare pro Deo , contra mundum , carnem , dæmonem . C. 1. Petr. 2. v. 21.

#### 15. *Gratia , quam confert , a paucis retinetur.*

*Proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt* . Ecce ! ex ſexcentis hominum millibus tantum duo venerunt in terram promiſſam : hæc in figura : Quomodo ? Theodoretus explicat : Mare imitabatur lavacrum , nubes gratiam ſpiritus , Moyſes Sacerdotem , Virga crucem , Iſrael ſignificabat eos , qui baptizabantur : Quid vero duo illi ? paucitatem innocentum &c. S. punct. 142. fol. 448.

Dicitur de fonte aliquo , quod noctu caleat , mane tepeſcat , meridie congeletur : ita erat calor in prima chriſtianitate , tum ſenſim tepor irrepſit , denique fit frigus. M. conc. 34. aſſ. 2. n. 4.

Pueri , quam acceperunt in Baptiſmo gratiam , eheu quam cito & facile perdunt . Accidit illis , quod corvis , qui albi naſcuntur , & dein magis , magiſque nigreſcunt . Ratio hujus rei eſt : quia tenera ætas eſt inſtar veris : ſol tunc tantum eas habet vires , ut vapores e terra attrahat , non vero tantas , ut eos conſumat : ſic



ſic in adoleſcentulis ratio tantum cognitionis quidem habet , ut mali cupiditatem accendere poſſit : ſed tantum non habet , ut excitatum ignem poſſit compeſcere : tenuis illa notitia ſufficit ad peccatum concupiſcendum , non ſufficit ad illius horrorem excitandum . P. p. 1. diſc. 5. n. 10.

Radbodus Friſonum Princeps a S. VVolframmo baptizandus , quærebat a Sancto Epiſcopo , ubi nunc eſſent ſui progenitores , qui ſine baptiſmo deceſſerunt ; reſpondente Sancto , eſſe illos in inferno , pedem retraxit a baptiſterio , inquiens malle ſe cum gentis ſuæ heroibus habitare in inferno , quam cum Chriſticolis in cælo . Sic paulo poſt infelix obiit , &c. O quam multi gratiam Dei in baptiſmo impetrant , ſed poſtea , cum ad annos diſcretionis venerint , eam perdunt ; quia cum peccatoribus viam , non Chriſti , ſed mundi voluptuoſe ingrediuntur , &c.

#### 16. *Sanctificat per Chriſti gratiam.*

Fruſtra clamas Judæe : *Sanguis ejus ſuper nos* . Non tibi impenditur hic ſanguis , aut etiam tibi impenditur , ſi hunc clamorem recte intenderis : ſit ſuper te ſanguis ejus , & conſepelire ei *per Baptiſmum in mortem* . Ita Arnoldus. S. punct. 34. fol. 756.

Surius 25. Aug. Geneſius hiſtrio , dum ceremonias Baptiſmi in publico theatro ludificat , veritate agnita baptizatur & videt in libro , in quo omnes ſuæ noxæ conſcriptæ erant , omnes extingui . A. 1. lect. 2. n. 19.

Conſtantinus Imp. cum lepram per ſanguinem infantum , conſilio Medicorum ſanare voluit , a S. Silveſtro Baptizatus a lepra corporis & animæ mundatus eſt . Leucht. 31. Decemb.

Sanguis Martyrum pro Chriſto effuſus ſupplet defectum baptiſmi , uti patet in S. Emerentiana & aliis . Leucht. 23. Jan. In S. Ethero ſponſo S. Urſulæ. Leucht. 21. Octob.

Aqua Baptiſmatis ſanctificatur per Spiritum Sanctum , uti S. Hieronymus ex verbis illis gloſſando deducit : *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* . Et hæ aquæ ſanctificatæ ſanctificant baptizatum per Chriſti gratiam . C. Gen. 1. verſ. 2.

Chriſtus ipſe per Joannem baptizari voluit , quia peccata totius mundi in ſe ſuſceerit , & ut ſanctificaret baptiſmum Joannis : unde Nazianzenus : *Aſcendit JESUS de aqua , ſecum quodammodo demerſum educens , & elevans mundum* . C. in Matth. 3. v. 13. Nazian. in orat in Sanct. Lumin.

S. Maria Ogniacenſis vidit infantulum in Baptiſmo , mirabili candore coruſcare , dæmonem fugere , & Spiritum Sanctum in animam baptizati deſcendere . *Jacob de Vitr.*

#### 17. *Mirabiliter miniſtratur.*

In quadam Eccleſia nocte Reſurrectionis Dominicæ ſolebat fons baptiſmalis ſeipſum , ſine adminiculo humanæ manus , aqua implere . Cum autem anno Domini 417. circa diem Paſchatis error in Eccleſia irrepſit , fons non 25. Martii , qua Paſcha erronee celebrabatur , ſed 22. Aprilis , quo celebrari debebat , ſeipſum implevit . In Luſitania Feſto Cœnæ Domini in Eccleſia conveniunt Epiſcopus & populus orantes : dein recedentibus omnibus & Epiſcopo Eccleſiam annulo ſigillari obſignante ſolet de nocte fons baptiſmalis ſeipſum aqua replere , neque minuitur aqua quantumcunque illius aſportetur in domos , verum ex uſu baptizandorum minuitur . Quidam hæreticus incredulus rem hanc ut fabuloſam ludificat , & mox in phrenſin incidit , alius ſigillum una cum Epiſcopo januæ Eccleſiæ imprimit , ſed in alteram diem non ſupervivit . D. 4. 85.

In Lycia lapis eſt baptiſmalis , qui in Feſto Epiphaniæ & duobus ſequentibus diebus annuatim uberrimam aquam ſudat , finito baptiſmate , aqua iterum diſparet . Prope montem Enoandrum alius eſt , qui tempore medio inter Paſcha & Pentecoſten aqua repletur , quæ dein iterum diſparet . Sanchez part. 7. c. 4. fol. 973. Marchant. de Bapt. lect. 2.

Abiſſini neminem ante diem quadrageſimum baptizant : ſiquis ad hunc diem non pertigerit , ſine baptiſmo mori finitur . VV. Art. diſc. font. 40. ex. 6.

Moſcovitæ infantem baptizandum ter in aquam totum immergunt ; aqua vero baptiſmatis ſingillatim cuilibet infanti conſecratur . VV. art. diſc. font. 40. ex. 7.

S. Angeli Carmelitæ parentes Chriſtum in Sacra Hoſtia corporaliter vident , & a Judaiſmo converſi ad Baptiſmum feſtinant . Leucht. 5. Maji .

S. Columba hoc nomen ſortitur , quia in ejus baptiſmo columba ſuper ejus caput apparuit . Leucht. 20. Maji .

S. Fridericus infantem præmatura morte abreptum ad vitam revocat , & baptizat . Leucht. 7. Martii .

S. Remigius ubi Regem Clodoveum baptizabat , columba de cælo ſacrum oleum attulit . Leucht. 1. Octob.

S. Si-

S. Sigebertus cum a S. Amando Epiſcopo baptizaretur, ad benedictionem Epiſcopalem alta voce reſpondit : *Amen*. Leucht. 1. Febr.

Cum Proceſſus & Martinianus milites cuſtodirent S. Petrum in carcere Mamertino, videntes ejus cæleſtem vitam & doctrinam, ad Chriſtum converſi ſunt. At cum aqua deeſſet, Petrus ſigno crucis fontem e rupe excitavit, qui hodiedum poſt annos mille ſeptingentos adhuc fluit, nec unquam exareſcit. Illud mirum, quantumcunque aquæ hauritur, fons non deficit, & ſi nihil hauriatur, fons non abundat. Hac aqua baptizati milites Divina gratia adeo roborati ſunt, ut maxillis ſaxo confractis, equuleo, & candentibus laminis cruciati, non aliud, quam illud ingeminarent : *Sit Nomen Domini benedictum*. Marchant. de Sacr. Baptiſ. lect. 1. prop. 1.

Sicut aquæ Marath dulces factæ ſunt immiſſo ligno; ſic aqua Baptiſmalis efficax redditur per lignum Crucis. Marchant. ibidem, & lect. 2.

18. *Emundat a peccato*.

Judæi odorem ſpargunt fœtulentum, cum autem baptizantur, animadverſum eſt, odorem illum extingui. *Perſuaſum eſt Agarenis fore, ut ſui liberi tanquam canes male oleant, niſi Baptiſmum Chriſtianum aſſequantur*. Multo magis anima tenus Baptiſmus emundat animam, &c. D. 3. 2.

Judæus quidam ſabulo in agone baptizatur, & ſubito convaleſcit. D. 4. 77.

Poſt pugnam Melitenſium cum piratis Turcicis, inventus eſt in navigio ſuperato Turca ſauciatus, qui medicorum curæ commendatus illico fuit. Media nocte clamare Turca & baptiſmum petere cœpit. Quæſitus, quo ſuaſore hanc mentem concepiſſet ? repoſuit ; ſibi apparuiſſe pulcherrimam Virginem, dicentem : ſi vis ſalvus eſſe, fiere Chriſtianus! dein baptizatus eſt, & quod mirabile, poſt baptiſmum ex fœdo, atroque homine mirum candorem induit. J. 66.

Olim lepra balneo ex ſanguine infantum confecto ſanabatur, quod & Medici Conſtantino Imp. ſuaſerunt : ſed certius eſt, quod ſanguis Chriſti in Baptiſmo lepram tam originalis, quam actualis peccati ſanet, prout expertus eſt idem Conſtantinus. Marchant. tr. de Bapt. Lect. 5. prop. 1.

Nec tantum remittit peccatum, ſed & gratiam, & virtutum pulchritudinem animæ confert : Caſſanus Rex Tartarorum devaſtans Armeniam, ubi inaudiit Regi Armenorum filiam eſſe venuſtiſſimam, illam in uxorem petiit, & obtinuit. Primo partu Regina prolem enixa eſt omnino deformem, voluitque Rex uxorem adulterii ſuſpectam una cum prole interficere. Verum rogavit illa, ut ſibi liceret prolem baptizare : obtinuit, quod rogavit, & ecce ! proles baptizata miram induit pulchritudinem, inſtar terreſtris Angeli. Quo viſo Rex ad ſacram fidem converſus eſt. Bozius de ſign. Eccl. T. 1. l. 11. c. 16.

19. *Hæreticorum ſæpe invalidus, & ſuperſtitioſus*.

Deuterius Arianus Epiſcopus, aliquem nomine Barbas baptizaturus aiebat : *Baptizetur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*. Et ecce ! aqua baptiſmalis in ejus manu diſparuit. Similiter Judæus quidam lucri gratia ſæpius ſe baptizari ſinens, cum a Paulo Novatianorum Epiſcopo baptizari vellet, ſubito aqua omnis evanuit. D. 4. 85. Marchant. de Bapt. Lect. 3.

In Angliæ, & Sueciæ plurimis locis ita conferunt Baptiſmum, ut præco in cathedra ſtans pronunciet formam, & æditus infra ſtans affundat aquam. Præterea docent, Baptiſmum non eſſe ſignum ſanctificativum, ſed tantum excitativum fidei, ita ut etiam infantes rationis uſu donentur ad eliciendam fidem actualem.

Dæmon eſt æmulator operum Chriſti ; ideo ut aquas etiam baptiſmales ſuſpectas redderet, aquis immiſcuit miras ſuperſtitiones. Fuerunt olim aquæ immolatitiæ idolis conſecratæ, quas Chriſtiani abhorruerunt : unde cum Valentiniani, templum fortunæ ingreſſi, veſtem ſacrificulus aqua ſuperſtitioſa conſpergeret, ille partem veſtis, eo humore tactam, enſe reſcidit. Sic Satanas aquis colophoniacis & Sacerdotes, & alios reddebant lymphaticos, & gentiles ſacris initiatos reſpergebant quibuſdam aquis Iſidis & Mythræ. Hæc omnia machinabatur Satan, ut aquas baptiſmales Chriſtianis contemptibiles efficeret. Marchant. tr. de Bapt. lect. 1. prop. 2.

Mulier Catholica prolem recens natam Catholico ritu baptizari juſſit, ſed abſtitit Pater Calvinianus, qui & prolem Matre dormiente ad miniſtrum Calviniſtam detulit : ſed ecce ! proles inveniebatur mortua. Igitur Parens prolem retulit domum, & penes Matrem adhuc dormientem collocavit. Poſtliminio Ma-

trem



trem evigilantem interrogans, quomodo viveret proles, vivam invenit. Idem lect. 3. prop. 3.

20. *Exigit aſſiſtentes Patrinos*.

Homines ſancti frequenter munus Patrinorum in Baptiſmo obierunt. Sic S. Adalbertus Friſonum Apoſtolus, amici ac hoſpitis ſui Eggonis filium e fonte Baptiſmali levat. *Leucht.* 25. *Jun.* S. Amandus Clotſendem. *Leucht.* 12. *Maji*. S. Rigobertus Carolum Martellum Regis Pipini filium. *Leucht.* 4. *Jan.* S. Gertrudis Virgo Sanctam Virginem Gudulam. *Leucht.* 8. *Jan.* S. Livinum Sanctus Auguſtinus Angliæ Apoſtolus. *Leucht.* 12. *Nov.*

Quæres, quodnam ſit munus, & obligatio Patrini ? Reſpondeo, 1. Debet pro infante Baptizanti reſpondere, fidem profiteri, mundo renuntiare, ita, ut infans per Patrinum loqui, & ſponſionem facere cenſeatur. 2. Tenetur ſe obſtringere ad inſtitutionem infantis, & fide jubere, quod ille præcepta Dei ſervaturus, & in ſancta fide perſeveraturus ſit. 3. Debet, ſi ita lubet, infanti nomen imponere, non nomen gentilium, ſed Sanctorum cum Chriſto regnantium, quorum virtutes infans cum tempore æmulari addiſcat : Sic S. Franciſcus de Paula æmulatus eſt virtutes S. Franciſci Seraphici, cui in partu oblatus eſt : S. Nicolaus Tolentinas æmulatus eſt jejunium S. Nicolai Myrenſis, ejuſque ſanctitatem. Surius 10. Septemb.

Ex hoc ſequitur, quod hæretici non poſſint eligi in Patrinos, tum quia non poſſunt eſſe fidejuſſores pro ſalvifica fide, tum quia non poſſunt infanti imponere Nomen alicujus Sancti quia nullum habent ; hinc ordinarie ſuis imponunt potius nomina Judæorum, quam Chriſtianorum. In Britannia inferiori, Diæceſi Leonenſi anno 1621. cum puellulæ baptizandæ hæreticus Patrinus vellet nomen dare, miraculoſe infans exclamavit : *Maria eſt nomen meum*. Qua voce Patrinus ille Divinitus repudiari judicatus eſt. Marchant. tr. de Bapt. lect. 6. de cæremoniis Bapt. &c. Vide etiam C. Dan. 1. v. 7.

21. *Confertur cum cæremoniis*.

Cæremoniæ hæ in Eccleſia ſunt antiquiſſimæ : 1. Ante Baptiſmum fiunt inſufflationes ; quia Deus Adamo ſpiraculum vitæ, & Chriſtus Apoſtolis Spiritum Sanctum per inſufflationem dedit : expellitur virtus diaboli, &c. Dein infans ſignatur cruce, ut in militem Chriſti inauguretur eo ſigno, quo in die judicii agnoſcetur fuiſſe Chriſtianus. Item ut crucem cum Chriſto tolerare diſcat, &c. Sal adhibetur, ut contra peccatorum putredinem præſervetur, & ut guſtum rerum ſpiritualium, contra mundi delicias capiat, &c. Saliva aures, nareſque inunguntur, exemplo Chriſti circa ſurdum & mutum, ut diſcat Divinas inſpirationes, & promiſſiones prompte audire, & ſequi. Adduntur unctiones olei, ut baptizandus ad luctam tanquam Chriſti athleta inauguretur.

2. Poſt Baptiſmum inungitur Chriſmate, ut ſignificetur baptizatum factum eſſe membrum Chriſti, ſeu Chriſtianum, quod S. Rex Ludovicus adeo æſtimavit, ut dicere ſoleret, ſe Poſſiaci, ubi baptizatus eſt, majorem accepiſſe gratiam ; quam Rhemis ubi in Regem inunctus eſt Galliarum, &c. Induitur veſte candida, qua monetur, ut puritatem animæ nulla peccatorum macula conſpurcare, & libertatem Chriſti, quam veſtis candida ſignificat, nunquam ſub ſervitutem diaboli redigi patiatur, ſuaque vocatione dignus ambulet, hinc etiam diabolo & pompis ejus abrenuntiare jubetur, ut ſciat, hanc eſſe profeſſionem Chriſtiani, quam uſque ad mortem ſervare, & nulla infidelitate violare debet, &c. Denique traditur ipſi cereus ardens, ut per lumen cerei ſignificetur fides, per rectitudinem cerei ſpes, per ardorem caritas. Traditur autem in manum, ut indicetur, has virtutes non tantum in corde haberi, ſed opere exerceri debere. Marchant. tr. de Bapt. cærem. Lect. 6. prop. 3.

CONFIRMATIO.

22. *Eſt vere Sacramentum*.

SAnctus Fabianus Pontifex & Martyr, qui ſtatim poſt Apoſtolorum tempora vixit, nempe anno 239. ait : *Dominus JESUS, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit pedes eorum, Chryſma conficere docuit*. S. Dionyſius Pauli diſcipulus ait : *Baptizatum indutum alba veſte ad Pontificem ducunt : ille Divino ac deifico prorſus unguento, Virum ſignat*. S. Melchiades Papa : *In baptiſmate homo ad militiam recipitur, & confirmatione confirmatur ad pugnam, &c.* Lucian. T. 1. conc. 42. n. 2.

Fab. ep. 1 a 1. &omn. Sanct. Ep.

S. Dion. Eccleſ. Hier. c. 2.

S. Melch. P. & M. de conſ. D. 5.

Tunc

*Act. 8.* *Tunc imponebant manus ſuper illos*, conferendo illis Sacramentum confirmationis; quia per hanc manus impoſitionem accipiebant Spiritum Sanctum, qui eſt effectus Sacramenti. C. in Act. Apoſt. c. 8. v. 17.

Dices: Apoſtoli non utebantur Chriſmate; nihil enim de hoc legitur in Scriptura, ſed tantum de impoſitione manus. Reſpondeo certum eſt, quod Apoſtoli in hoc Sacramento uſi ſint Chriſmate, 1. Quia in aliis Sacramentis poteſtatem non habuerunt, illa ſine ordinata materia adminiſtrandi: ergo nec Sacramentum Confirmationis. Nullus etiam ex antiquis Patribus dicit, Apoſtolos diverſo modo, nunc cum, nunc ſine Chriſmate adminiſtraſſe. 2. Sub nomine impoſitionis manuum comprehenditur etiam unctio; in Hebræo enim manus imponere ſignificat etiam inungere. 3. Patres, quando dicunt, ſolos Epiſcopos dare Spiritum Sanctum per unctionem Chryſmatis, id probant ex loco Act. 8. ubi ſoli Apoſtoli manus imponebant: ergo aperte ſignificant in illa manus impoſitione fuiſſe comprehenſam Chriſmatis unctionem. Certe familiare eſt Scripturæ res multas conjungi ſolitas per compendium perſtringere, una tantum expreſſa: ſic dicit Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, Eunuchum crediſſe Filium Dei &c. C. Act. 8. verſ. 17. Marchant. de Conf. Lect. 1.

### 23. *Ejus antiquiſſimus uſus.*

Tempore S. Ambroſii circa annum 410. vixit S. Maurilius Epiſcopus Andegavenſis. Is cum quondam in procinctu erat SS. Miſſæ Sacrificium litandi, conveniebatur a femina, quæ ægrotantem ſecum afferebat puerum, rogitans Sanctum Præſulem ut illi Sacramentum Confirmationis conferre dignaretur. Sanctus Vir nolens differre Sacrificium perrexit ad altare, & interim puer mortuus eſt. Indoluit S. Maurilius ſuæ negligentiæ, ultroque in ejus pœnam cedens Epiſcopatu in Angliam tranſiit, non rediturus, niſi mirabili Dei diſpoſitione a ſuis inventus, impenſiſque precibus rogatus eorum votis ceſſiſſet. Leucht. 13. Septemb.

S. Joannes Evangeliſta cum Epheſi moraretur in juvenem incidit optime moratum, & magnis naturæ dotibus ornatum. Hunc Epiſcopo educandum, inſtruendumque commendavit. Epiſcopus recepit juvenem in ſua, imbutumque ſacris legibus, ſancto Chriſmate communivit. Sed negligentius obſervatus, juvenis, latronibus ſe aggregavit; qua ratione deinde a S. Joanne quæſitus, inventuſque ad pœnitentiam reductus ſit, fuſe narratur in Vita S. Apoſtoli. Leucht. 27. Dec.

S. Bonifacius Friſiæ Apoſtolus, poſtquam multos ſacro fonte lavit, diem ipſis ſacræ Confirmationis indixit. Sed ingrati Friſones eo die & loco, ubi S. Spiritum accipere poterant, & debebant, Sanctum Bonifacium cum ſociis crudeli martyrio interfecerunt. Leucht. 5. Junii.

Cum Apoſtoli audirent, quod Samaria recepiſſet Verbum Dei, miſerunt Petrum & Joannem, ut eis manus imponerent, & darent Spiritum Sanctum. *Act. 8.*

### 24. *Cur infligatur alapa?*

Cardinalis Toletus ait: 1. Ut recordetur ſuſcepti Sacramenti; diu enim recordamur injuriarum, & diutius quam beneficiorum. 2. Ut confirmatus ſtatim induatur Chriſti veſtibus, quæ ſunt alapæ, & injuriæ. 3. Ut ejus fortitudo probetur, experimentum ſit, an pro Chriſto ſuſtineat pati, &c. S. punct. 8. f. 567.

Sanctus Chryſologus ait: *Putaſne poteſt iſte vulneribus invenire victoriam, qui nec ictu palmæ acquirere vult coronam? poteſt iſte morte inquirere gloriam, cui pro honore Divino gravis videtur injuria?* S. punct. 13. fol. 587.

Sciat Chriſtianus ſe in Confirmationis Sacramento militem Chriſti conſtitui, cujus pugna, & victoria non in inferendis, ſed tolerandis verberibus conſiſtit: ſic Apoſtoli *Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine JESU contumeliam pati.* *Act.* Porro pugnandum eſt contra hoſtes inviſibiles, ſicut Chriſtus in cruce debellavit aereas poteſtates, ſic SS. Martyres contra tyrannos pugnarunt, non feriendo, ſed patiendo, & glorianter percutienti alteram maxillam præbendo.

Alapa infligitur, ut ſignificetur Chriſtiano, Spiritum Sanctum, ejuſque cæleſtia chariſmata & virtutes non acquiri per popiſmos, & lanea blandimenta, ſed per verbera, & perſecutiones.

### 25. *Eſt remedium contra infirmitates corporis & animæ.*

Julianus Apoſtata quondam Diis ſuis offerens varias incantationes fecit, quæ tamen nullum effectum habebant, quia præſens aderat juvenis Chriſtianus; hinc magus



magus proclamabat: *Lotus procul abſit, & unctus*, id eſt baptizatus, & confirmatus. D. 4. 26.

Quidam cæcus cuſtodiendis pecudibus perfecte præfuit, ita ut etiam vaccarum colorem diſcerneret. Cum autem confirmatus fuit, hæc ars, quam ope dæmonis poſſidebat, ab eo receſſit. E. Verb. *Confirmatio*. n. 1.

Duo cæci per ſacram Confirmationem lumen oculorum recipiunt. Quidam lunaticus per S. Malachiam Epiſcopum ſacro Chriſmate ab ea infirmitate liberatur. E. Verbo *Confirmatio* n. 2. 3. & 4.

Sicut balſamum fœtores depellit, ſpurciſque odoribus adverſatur; ita hoc Sacramentum per inunctionem olei & balſami, infernales fœtores, & dæmonis artes fugat; hinc teſtatur Lactantius, per præſentiam Chriſtiani confirmati dæmones ſæpius in fugam actos, atque impeditos fuiſſe, ne in idolis & ſacrificiis reſponſa darent, atque ea de cauſa multos e Chriſtianis martyrio confectos fuiſſe. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 2.

Exemplum hujus rei habemus in Juliano Apoſtata: cum Diis ſacrificare vellet in delubro, ſacrificuli nullum oraculum impetrare ex idolis, aruſpices nullum ſignum e viſceribus animalium eruere poterant. Exclamat ergo aruſpex & ipſe Imperator: ſiquis adeſt, qui Chriſtum colit, lotus & unctus, prodeat, & ſe prodat! Et ecce! unus ex armigeris Auguſti prodiens, & arma humi projiciens: Ego, ajebat, Ego Chriſtum Deum colo, cujus baptiſmo lotus, & Chriſmate unctus ſum, ideo Dii veſtri obmuteſcunt! Obſtupuit tota multitudo, & ipſe Imperator fuga ſe abripuit. Idem ib.

### 26. *Mutare debet hominis mores.*

Aliqui in Confirmatione aſſumunt aliud nomen: Sic S. Hermenegildus aſſumpſit nomen Joannis, & Juſtus Calvinus ad fidem converſus, & a Clemente VIII. Romæ confirmatus vocari deinceps voluit Juſtus Baronius, in honorem ſui patrini Cardinalis Baronii: cur autem mutantur nomina? ut confirmati admoneantur mutationis morum. D. 4. 99.

S. Epiſcopus Pharao cæcum per ſanctam Confirmationem illuminat, &c. Sanchez part. 7. c. 4. fol. 973. Ita Sacramentum Confirmationis cæcitatem animi diſpellere, & ad agnoſcendas veritates æternas illuminare debet.

Cum de Spiritu Sancto in Scripturis dicatur, quod *non habitet in corpore ſubdito peccatis*, hoc ingens debet eſſe motivum homini Chriſtiano confirmato, ut a peccatis abſtineat, ne Divinum Hoſpitem ex anima ſua expellat. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 1.

Non ſine myſterio Chriſtus Dominus materiam hujus Sacramenti voluit eſſe oleum, balſamo mixtum, nam 1. ſicut oleum nutrit & confirmat; ita hoc Sacramentum animum corroborat. 2. Sicut oleum ignem alit; ita hoc Sacramentum, lumen fidei, & ardorem caritatis nutrire, & augere debet. 3. Sicut oleum ferrum & lignum a rubigine, tineis, & carie præſervat; ita hoc Sacramentum a vitiis animam præmunire debet. 4. Sicut oleo ungebantur luctatores ante pugnam; ita hoc Sacramentum roborare nos debet contra dæmones & fidei hoſtes. Denique ſicut balſamum præſtantiſſimum odorem effundit: ita Chriſtianus odorem boni exempli ſpargere debet, quo exemplo fere tot infideles converſi ſunt, quam verbo Dei. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 2.

### 27. *Eſt Sacramentum utiliſſimum.*

S. Maurilius Epiſcopus differt infanti miniſtrare Confirmationem, & infans moritur. Maurilius tanta ſuæ negligentiæ pœnitudine corripitur, ut etiam Epiſcopatu ceſſerit, ad eundem non niſi miraculo reductus. R. 1. cent. 2. part. mir. 9.

Roborat contra tentationes fidei: *Ideo nos unxit, quia luctatores contra diabolum effecit.* Ait S. Auguſtinus. B. Ser. 44. n. 12. *S. Aug. tract. 33. in Joann.*

S. Melchiades Pontifex ait: In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. *Melch. Pap. in Ep. ad Hiſp. Ep.*

Sicut infans natus multis infirmitatibus obnoxius eſt, ita ut indigeat opera & auxilio Matris: ita baptizatus ex ſe infirmus eſt propter pœnalitates ex peccato originali reſiduas, conſequenter indiget confortamento, quod eſt Sacramentum Confirmationis. Lucian. T. 1. conc. 41. n. 1.

Auget etiam merita, & gloriam in cælis: Romani Imperatores præ omnibus aliis regibus habere præcedentiam indubitatum eſt: nihilominus Rex Franciæ Carolo V. Romanorum Regi electo litem movit de digniore loco, ex eo ſolum principio, per Antonium de Prato Regis Galliæ Cancellarium approbato, quod Carolus V. eo quod nondum unctus eſſet Regi Franciæ Uncto primas cedere

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Téllez

dere teneatur. VV. art. diſc. font. 71. ex. 1. Quidquid ſit de hac controverſia, puto quod unctus per Sacramentum Confirmationis tam in gratia, quam in gloria non uncto ceteris paribus præcedat.

*28. Roborat Chriſtianum in fide.*

Ante Feſtum Pentecoſtale, & præſertim in Paſſione Domini Apoſtoli erant infirmiſſimi, poſtea facti ſunt invicti & intrepidi. S. Gregorius ait: *Quales ante adventum Spiritus Sancti fuerint, ſcimus, & poſt adventum illius cujus fortitudinis facti ſint, conſpicimus*. Lucian. T. 1. conc. 42. n. 5. (S. Greg. Hom. 30. Evang.)

*Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcunque in numerum receperit militum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum*, ait S. Melchiades Pontif. Lucian. T. 1. conc. 42. n. 7.

Neque in Baptiſmo Samaritarum, neque in Baptiſmo Eunuchi legitur, viſibiliter datum eſſe Spiritum Sanctum, ſed id reſervatum eſt Sacramento Confirmationis, utpote in quo confertur robur, & plenitudo Spiritus Sancti ad libere profitendam, & prædicandam fidem Chriſti. C. in Act. Apoſt. c. 8. v. 16.

In hoc Sacramento datur donum caritatis, & fortitudinis, quo fortiter dimicemus contra adverſarias poteſtates in militia Chriſti. Hoc dono Apoſtoli ſibi orbem ſubjecerunt, & qui antea trepidi inter parietes latitabant, poſtea non ſolum in Judæa & Samaria, ſed in toto orbe Chriſti crucifixi fidem, uſque ad gladios, rogos, & ſartagines prædicarunt. Iiſdem armis per Sacramentum Confirmationis inſtructi Martyres pro fide decertarunt. S. Cyprianus Martyrum coronas Sacramento Chriſmatis attribuit. (S. Cypr. Ser. de lapſis.) Dum econtra illi, qui Sacramentum hoc neglexerunt, maxime in hæreſin, & apoſtaſiam inciderunt; quia negligentes Deum, a Deo neglecti ſunt. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 4. Daveroult. de Conf. num. 12.

*29. Deputat ad ſervitium Dei.*

Sicut olim Dominus Deus ex oleo, (Exod. 30.) myrrha, & cinnamomo unguentum confici præcepit, quo tabernaculum, vaſa, & ſupellex univerſa ad cultum Dei conſecrabatur: ita per oleum ſacræ confirmationis homo corpore, & anima ad ſervitium Dei deputatur. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 2.

Dices: Etiam gratia Baptiſmalis deputat hominem ad ſervitium Dei. Reſpondeo, magna eſt differentia inter utramque gratiam. Nam 1. Gratia Baptiſmi facit hominem tyronem fidei, ſed gratia Confirmationis facit Militem Chriſti. 2. In Baptiſmo datur Spiritus Sanctus ad veniam, in Confirmatione ad pugnam, ibi mundamur ab iniquitate, hic munimur virtutibus. 3. Gratia Baptiſmi facit Chriſtianos, ſed gratia Confirmationis facit Apoſtolos: Apoſtoli acceperunt ſapientiam, eloquentiam, caritatem, fortitudinem, & miraculorum donum, ita ut Chriſti fidem uſque ad mortes cruentas profeſſi ſint. Gratia confirmationis facit Martyres: certe robur Martyrum merito adſcribitur huic Sacramento. Habetur ab experientia, multos in hæreſin, & apoſtaſiam incidiſſe ob neglectum hoc Sacramentum; non enim fruſtra invocatur a Pontifice Spiritus Sancti ſeptiformis gratia, quam dum aliqui negligunt, etiam a Deo ita negliguntur, ut facile in errorem inducantur. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 4.

Propterea hoc Sacramentum imprimit characterem, ut ſicut milites ex ſigno militari dignoſcuntur, quod v. g. imperatori aut Regi Galliarum militent; ita dæmon ex hoc charactere ſtatim agnoſcat, hunc Chriſtianum ad militandum pro Chriſto, & Dei gloriam hoc Sacramento inauctoratum eſſe.

## EUCHARISTIA.

*30. Dat vitam ſpiritualem, & æternam.*

*Cibavit illum pane vitæ, & intellectus:* (Eccli. 15.) Chriſtus, Patris ſapientia, ſeipſo, quaſi pane vivo & Divino nos realiter paſcit, itaque nos vivificat, ut nos faciat reſurgere ad vitam immortalem, juxta illud: *Panis Dei eſt, qui de cælo deſcendit* (Jo. 6.) *& dat vitam mundo*. C. Eccli. 15. verſ. 3.

Euchariſtia vitam etiam communem dat omnibus fidelibus, hinc dicitur *Communio*, ſeu *Communis unio*. 1. Quia cibus eſt, cui aſſident communiter omnes fideles. 2. Quia eſt cibus in individuo cuique communis, id eſt Corpus Chriſti, quod non fit in aliis cibis. 3. Quia unum corpus facit omnes, qui de uno pane participant. 4. Quia omnibus fidelibus quaſi unam Divinam morum conjunctionem ſancit; hinc Euchariſtia eſt *omnium Sacramentorum conſummatio & perfectio*. C. Act. 2. v. 42. (S. Dionyſ. Eccl. Hier. c. 3.)

Eucha-



Euchariſtia comparatur favo ex triplici ratione. 1. Quia ſicut favus continet mel, ita Corpus Chriſti continet animam ac Divinitatem. 2. Sicut favus fit ab apibus, quæ virgines ſunt; ita Corpus Chriſti ex puriſſimo Immaculatæ Virginis Sanguine, cooperante Spiritu Sancto factum eſt. 3. Sicut favus ſemel dulce & ori & ſtomacho; ita *Euchariſtia* miram inſtillat animæ conſolationem, & delectationem ſpiritualem. S. Cant. 5. v. 1.

Manna habet analogiam cum corpore Chriſti: 1. Quia ſapor & dulcedo utrinque æqualis. 2. Quia non ſapit niſi relictis ollis Ægypti, id eſt voluptate carnali. 3. Infidelibus & avaris vertitur in vermen. 4. Poſt Manna pugnarunt Hebræi cum Amalec: ita poſt Euchariſtiam pugnandum contra tentationes &c. Manna ſunt conſolationes ſpirituales, & gaudia Beatorum. C. in Exod. 16. v. 35.

*31. Mutatur miraculoſe in varias ſpecies.*

S. VVittekindus Saxoniæ Dux tempore Paſchali Sacræ Chriſtianorum Communioni adfuit. Vidit in Sacra Hoſtia, quæ a Sacerdote diſtribuebatur, pulcherrimum ac cæleſti luce radiantem puerulum, qui nonnunquam lætus in os ingrediebatur, nonnunquam triſtis & reluctans. Eo viſo ejuravit idololatriam. N. 7. *Jan.* Cranzius l. 2. Saxon. c. 23.

B. Paula a S. Tereſia S. Hoſtiam in forma flammæ, undique ſcintillas ejaculantem vidit, ſimulque audivit vocem: Ignem veni mittere in terram, &c. *Marchiſ. 9. Jan.*

Judæus quidam ex curioſitate S. Baſilium ſacrificantem viſurus, in manibus Sancti Epiſcopi videt glorioſe radiantem puerulum: eoque portento converſus ipſe cum tota famila Baptiſmum ſuſcepit. Daveroult. de Sacr. Euchar. tit. 8. num. 4.

Judæus Pragæ in Bohemia ficte Baptiſmum ſuſcipiens, Sacram Hoſtiam in Communione acceptam ſecum in Hungariam detulit, eamque cuidam Judæo donavit. Hic convocatis ſociis, experientiam facturus, an revera Chriſtianorum Deus hic lateret, Hoſtiam cultris vulneravit Et continuo effluxit ſanguis. Fulmen etiam in ædes illapſum ſcelus prodidit, Judæi capitali ſupplicio confecti ſunt. Flores exempl. c. 5. tit. 3. Ex. 11.

Audi plura! Pariſiis Sacra Hoſtia mutatur in elegantiſſimum infantulum, ad cujus aſpectum fere totum regnum confluxit. B. Serm. 5. n. 43.

In Hiſpania ante irruptionem Maurorum volebant Chriſtiani belliduces Sacram Communionem ſumere, ſed quoniam ab hoſtibus jamjam imminentibus impediebantur, interim Sacræ Hoſtiæ in corporali aſſervantur; dum poſt relatam a Chriſtianis victoriam iterum expromuntur, videntur interim copioſo ſanguine ſtillaſſe. D. 10. 41. E. *Euchariſtia* num. 27.

Mulier non credens ſuos panes, quos ipſa coxerat, in Chriſti Corpus mutatos eſſe, orante S. Gregorio videt illos in carnem figuratos. Arianus hæreticus e Sacra Hoſtia, quam puer Catholicus ſecum domum aſportaverat, videt tres pulcherrimas ſpicas excreſcere. Sacerdos dubitans de præſentia Chriſti videt, dum Hoſtiam frangit, copioſum ſanguinem ex ea fluere, &c. Sanchez 7. part. c. 4. fol. 970. ſeq.

Quidam indigne communicans vomitu coactus ejicere SS. Hoſtiam, ejicit elegantiſſimum puerulum. Quidam fures ciborium ablatum cum SS. Hoſtiis in paludem projiciunt, & ſubito locus cæleſti fulgore tamdiu coruſcavit, donec Hoſtiæ ab Epiſcopo collectæ ſunt. In Hiſpania in urbe Dorcora ſex SS. Hoſtiæ, quæ ob irruptionem Maurorum a belliducibus ſumi per tempus non poterant, a Sacerdote occultantur, & poſtea ſanguineis guttis reſperſæ inveniuntur. Mulier ad aucupandum amorem mariti SS. Euchariſtiam ſecum domum fert, & ſuper carbones aſſare vult, ſed SS. Hoſtia in carnem converſa eſt. Mulier illam abjecit ſub fimetum, ſed tandem poſt ſeptem annos rem aperuit Sacerdoti, qui SS. Hoſtiam eruit. Eſt hodiedum incorrupta, &c. Marchant. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 6. in fine.

Mulier panem, quem ipſa pinſerat, vocari Corpus Chriſti audiens, dubitat, & dein SS. Hoſtiam in altari in digitum mutari videt. E. *Euchariſtia* n. 12.

*32. Quanta reverentia colenda ſit.*

Sara, quia inadvertenter ridet in præſentia Angelorum, corripitur: Quid tibi fiet, dum præſente Deo rides? S. punct. 18. fol. 65.

Jacob in Meſopotamiam itinerans timore corripitur, quia in illo loco dormiit, ubi ſuo tempore ædificandum tabernaculum præcognovit. S. punct. 18. fol. 66.

Angeli apud ſepulcrum tanquam apud cælum manent, ait Chryſoſtomus, ut oſtenderet Deum ibi fuiſſe. S. punct. 152. fol. 479.

Joſue

dere teneatur. VV. art. diſc. ſont. 71. ex. 1. Quidquid ſit de hac controverſia, puto quod unctus per Sacramentum Confirmationis tam in gratia, quam in gloria non uncto ceteris paribus præcedat.

28. *Roborat Chriſtianum in fide.*

Ante Feſtum Pentecoſtale, & præſertim in Paſſione Domini Apoſtoli erant infirmiſſimi, poſtea facti ſunt invicti & intrepidi. S. Gregorius ait: *Quales ante adventum Spiritus Sancti fuerint, ſcimus, & poſt adventum illius cujus fortitudinis facti ſint, conſpicimus.* Lucian. T. 1. conc. 42. n. 5.

S. Greg. Hom. 30. Evang.

*Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcunque in numerum receperit militum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum*, ait S. Melchiades Pontif. Lucian. T. 1. conc. 42. n. 7.

Neque in Baptiſmo Samaritarum, neque in Baptiſmo Eunuchi legitur, viſibiliter datum eſſe Spiritum Sanctum, ſed id reſervatum eſt Sacramento Confirmationis, utpote in quo confertur robur, & plenitudo Spiritus Sancti ad libere profitendam, & prædicandam fidem Chriſti. C. in Act. Apoſt. c. 8. v. 16.

In hoc Sacramento datur donum caritatis, & fortitudinis, quo fortiter dimicemus contra adverſarias poteſtates in militia Chriſti. Hoc dono Apoſtoli ſibi orbem ſubjecerunt, & qui antea trepidi inter parietes latitabant, poſtea non ſolum in Judæa & Samaria, ſed in toto orbe Chriſti crucifixi fidem, uſque ad gladios, rogos, & ſartagines prædicarunt. Iiſdem armis per Sacramentum Confirmationis inſtructi Martyres pro fide decertarunt. S. Cyprianus Martyrum coronas Sacramento Chriſmatis attribuit. Dum econtra illi, qui Sacramentum hoc neglexerunt, maxime in hæreſin, & apoſtaſiam inciderunt; quia negligentes Deum, a Deo neglecti ſunt. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 4. Daveroult. de Conf. num. 12.

S. Cypr. S. r. de lapſis.

29. *Deputat ad ſervitium Dei.*

Sicut olim Dominus Deus ex oleo, myrrha, & cinnamomo unguentum confici præcepit, quo tabernaculum, vaſa, & ſupellex univerſa ad cultum Dei conſecrabatur: ita per oleum ſacræ confirmationis homo corpore, & anima ad ſervitium Dei deputatur. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 2.

Exod. 30.

Dices: Etiam gratia Baptiſmalis deputat hominem ad ſervitium Dei. Reſpondeo, magna eſt differentia inter utramque gratiam. Nam 1. Gratia Baptiſmi facit hominem tyronem fidei, ſed gratia Confirmationis facit Militem Chriſti. 2. In Baptiſmo datur Spiritus Sanctus ad veniam, in Confirmatione ad pugnam, ibi mundamur ab iniquitate, hic munimur virtutibus. 3. Gratia Baptiſmi facit Chriſtianos, ſed gratia Confirmationis facit Apoſtolos: Apoſtoli acceperunt ſapientiam, eloquentiam, caritatem, fortitudinem, & miraculorum donum, ita ut Chriſti fidem uſque ad mortes cruentas profeſſi ſint. Gratia confirmationis facit Martyres: certe robur Martyrum merito adſcribitur huic Sacramento. Habetur ab experientia, multos in hæreſin, & apoſtaſiam incidiſſe ob neglectum hoc Sacramentum; non enim fruſtra invocatur a Pontifice Spiritus Sancti ſeptiformis gratia, quam dum aliqui negligunt, etiam a Deo ita negliguntur, ut facile in errorem inducantur. Marchant. de Sacram. Conf. Lect. 4.

Propterea hoc Sacramentum imprimit characterem, ut ſicut milites ex ſigno militari dignoſcuntur, quod v. g. Imperatori aut Regi Galliarum militent; ita dæmon ex hoc charactere ſtatim agnoſcat, hunc Chriſtianum ad militandum pro Chriſto, & Dei gloriam hoc Sacramento inauctoratum eſſe.

## EUCHARISTIA.

30. *Dat vitam ſpiritualem, & æternam.*

*Cibavit illum pane vitæ, & intellectus:* Eccli. 15. Chriſtus, Patris ſapientia, ſeipſo, quaſi pane vivo & Divino nos realiter paſcit, itaque nos vivificat, ut nos faciat reſurgere ad vitam immortalem, juxta illud: *Panis Dei eſt, qui de cælo deſcendit* Jo. 6. *& dat vitam mundo*. C. Eccli. 15. verſ. 3.

Euchariſtia vitam etiam communem dat omnibus fidelibus, hinc dicitur *Communio*, ſeu *Communis unio*. 1. Quia cibus eſt, cui aſſident communiter omnes fideles. 2. Quia eſt cibus in individuo cuique communis, id eſt Corpus Chriſti, quod non fit in aliis cibis. 3. Quia unum corpus facit omnes, qui de uno pane participant. 4. Quia omnibus fidelibus quaſi unam Divinam morum conjunctionem ſancit; hinc Euchariſtia eſt *omnium Sacramentorum conſummatio &* S. Dionyſ. Eccl. Hier. c. 3. *perfectio*. C. Act. 2. v. 42.

Eucha-



Euchariſtia comparatur favo ex triplici ratione. 1. Quia ſicut favus continet mel, ita Corpus Chriſti continet animam ac Divinitatem. 2. Sicut favus fit ab apibus, quæ virgines ſunt; ita Corpus Chriſti ex puriſſimo Immaculatæ Virginis Sanguine, cooperante Spiritu Sancto factum eſt. 3. Sicut favus ſemel dulce & ori & ſtomacho; ita Euchariſtia miram inſtillat animæ conſolationem, & delectationem ſpiritualem. S. Cant. 5. v. 1.

Manna habet analogiam cum corpore Chriſti: 1. Quia ſapor & dulcedo utrinque æqualis. 2. Quia non ſapit niſi relictis ollis Ægypti, id eſt voluptate carnali. 3. Infidelibus & avaris vertitur in vermen. 4. Poſt Manna pugnarunt Hebræi cum Amalec: ita poſt Euchariſtiam pugnandum contra tentationes &c. Manna ſunt conſolationes ſpirituales, & gaudia Beatorum. C. in Exod. 16. v. 35.

31. *Mutatur miraculoſe in varias ſpecies.*

S. VVittekindus Saxoniæ Dux tempore Paſchali Sacræ Chriſtianorum Communioni adfuit. Vidit in Sacra Hoſtia, quæ a Sacerdote diſtribuebatur, pulcherrimum ac cæleſti luce radiantem puerulum, qui nonnunquam lætus in os ingrediebatur, nonnunquam triſtis & reluctans. Eo viſo ejuravit idololatriam. N. 7. *Jan.* Cranzius l. 2. Saxon. c. 23.

B. Paula a S. Tereſia S. Hoſtiam in forma flammæ, undique ſcintillas ejaculantem vidit, ſimulque audivit vocem: Ignem veni mittere in terram, &c. *Marchſ. 9. Jan.*

Judæus quidam ex curioſitate S. Baſilium ſacrificantem viſurus, in manibus Sancti Epiſcopi videt glorioſe radiantem puerulum: eoque portento converſus ipſe cum tota familia Baptiſmum ſuſcepit. Daveroult. de Sacr. Euchar. tit. 8. num. 4.

Judæus Pragæ in Bohemia ficte Baptiſmum ſuſcipiens, Sacram Hoſtiam in Communione acceptam ſecum in Hungariam detulit, eamque cuidam Judæo donavit. Hic convocatis ſociis, experientiam facturus, an revera Chriſtianorum Deus hic lateret, Hoſtiam cultris vulneravit Et continuo effluxit ſanguis. Fulmen etiam in ædes illapſum ſcelus prodidit, Judæi capitali ſupplicio confecti ſunt. Flores exempl. c. 5. tit. 3. Ex. 11.

Audi plura! Pariſiis Sacra Hoſtia mutatur in elegantiſſimum infantulum, ad cujus aſpectum fere totum regnum confluxit. B. Serm. 5. n. 43.

In Hiſpania ante irruptionem Maurorum volebant Chriſtiani belliduces Sacram Communionem ſumere, ſed quoniam ab hoſtibus jamjam imminentibus impediebantur, interim Sacræ Hoſtiæ in corporali aſſervantur; dum poſt relatam a Chriſtianis victoriam iterum expromuntur, videntur interim copioſo ſanguine ſtillaſſe. D. 10. 41. E. *Euchariſtia* num. 27.

Mulier non credens ſuos panes, quos ipſa coxerat, in Chriſti Corpus mutatos eſſe, orante S. Gregorio videt illos in carnem figuratos. Arianus hæreticus e Sacra Hoſtia, quam puer Catholicus ſecum domum aſportaverat, videt tres pulcherrimas ſpicas excreſcere. Sacerdos dubitans de præſentia Chriſti videt, dum Hoſtiam frangit, copioſum ſanguinem ex ea fluere, &c. Sanchez 7. part. c. 4. fol. 970. ſeq.

Quidam indigne communicans vomitu coactus ejicere SS. Hoſtiam, ejicit elegantiſſimum puerulum. Quidam fures ciborium ablatum cum SS. Hoſtiis in paludem projiciunt, & ſubito locus cæleſti fulgore tamdiu coruſcavit, donec Hoſtiæ ab Epiſcopo collectæ ſunt. In Hiſpania in urbe Dorcora ſex SS. Hoſtiæ, quæ ob irruptionem Maurorum a belliducibus ſumi per tempus non poterant, a Sacerdote occultantur, & poſtea ſanguineis guttis reſperſæ inveniuntur. Mulier ad aucupandum amorem mariti SS. Euchariſtiam ſecum domum fert, & ſuper carbones aſſare vult, ſed SS. Hoſtia in carnem converſa eſt. Mulier illam abjecit ſub fimetum, ſed tandem poſt ſeptem annos rem aperuit Sacerdoti, qui SS. Hoſtiam eruit. Eſt hodiedum incorrupta, &c. Marchant. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 6. in fine.

Mulier panem, quem ipſa pinſerat, vocari Corpus Chriſti audiens, dubitat, & dein SS. Hoſtiam in altari in digitum mutari videt. E. *Euchariſtia* n. 12.

32. *Quanta reverentia colenda ſit.*

Sara, quia inadvertenter ridet in præſentia Angelorum, corripitur: Quid tibi fiet, dum præſente Deo rides? S. punct. 18. fol. 65.

Jacob in Meſopotamiam itinerans timore corripitur, quia in illo loco dormiit, ubi ſuo tempore ædificandum tabernaculum præcognovit. S. punct. 18. fol. 66.

Angeli apud ſepulcrum tanquam apud cælum manent, ait Chryſoſtomus, ut oſtenderet Deum ibi fuiſſe. S. punct. 152. fol. 479.

Joſue

Joſue præcepit populo: *Sequimini! ſitque inter vos & Arcam ſpatium cubitorum duorum millium*. Cur tantum ſpatium? Reſpondeo, ob reverentiam Arcæ. Si ergo uſque adeo colebatur figura, quanta ſubmiſſione oportet venerari figuratum? S. punct. 152. fol. 480.

S. Chryſoſtomus inter Sacrificium videt ſanctos Angelos laneis pedibus circuire. Sancto Baſilio Angeli ad aram miniſtrant. Idem legitur de S. Samſone Epiſcopo. Sanchez part. 7. c. 4. fol. 969. ſeq.

P. Franciſcus a Puero JESU nullum præteribat templum, quin ingreſſus Deum Euchariſticum genuflexus, prolixo tempore, ſi per negotia liceret, adoraret. Quæſitus cauſam, repoſuit: quam incivilis & effrons eſſet famulus, ſi thronum Regis ac Domini ſui præteriret, & non debitum illi obſequium præſtaret?

S. Ludovicus Galliarum Rex in Syria captivus, cum a Sultano libertatem peteret, pretioſiſſima auri argentique pignora in fidem obtulit. Verum non acquieſcens Sultanus ab illo petiit, ut Sacram Euchariſtiam Hoſtiam ſibi pignori relinqueret. Quare? quia vidit quod S. Ludovicus hanc quotidie multis horis ardentiſſima devotione adoraret, ideo judicavit hunc eſſe theſaurum Ludovico præ ceteris æſtimabilem. Maſtrill. To. 2. Ser. 64.

### 33. *Eſt prodigium amoris maximum.*

Thronus Salomonis in medio habebat carbonem ignitum, ubi per hunc thronum Sancti Patres intelligunt Euchariſtiam, quæ ad ſui amorem nos allicit, illuminat, & inflammat. S. punct. 151. fol. 475.

Regina illa Mauſolum Virum ita amavit, ut cineres ejus in potu biberet: hoc idem dedit nobis ſumendum Chriſtus. S. punct. 151. fol. 477.

Eſt Euchariſtia quaſi columna terminalis Divini amoris, *Non plus ultra*. S. punct. 151. fol. 478.

Euchariſtia eſt compendium mirabilium Dei, nam 1. Tranſſubſtantiatio eſt quaſi nova creatio, quia in altari creatur ipſe creator mundi. 2. Quia eſt Manna ſupernaturale & Divinum. 3. Quia eſt renovatio Incarnationis, in altari enim, quaſi de novo incarnatur. 4. Eſt viva repræſentatio crucifixionis & mortis Chriſti: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. 5. In Euchariſtia Deus omnia vetera miracula renovat: olim aquam in vinum, ſed hic vinum in ſuum ſanguinem mutat. Facit ut corpus ſuum conſiſtat in puncto, ut accidentia maneant ſine ſubjecto. 6. Eſt objectum, circa quod exercemus omnes virtutes, Fidem, Religionem, Spem, & alias. 7. Eſt ignis amoris Divini accendens in cordibus noſtris caritatem. S. Auguſtinus ait: *Factus es Deus homo, ut homo fieret Deus*. C. in Zach. 9. v. 17.

### 34. *Opem fert contra mala corporis & animæ.*

Hæmorrhoiſſa tantum in fimbria veſtis Chriſti auxilium invenit: ubi Chryſologus: O quam docuit Mulier, quantum ſit Corpus Chriſti, quæ in Chriſti fimbria tantum eſſe monſtravit. S. punct. 29. fol. 126. & ſeq.

Mulier in deſperationem acta, cum jam funem gutturi aptare vellet, audit ſignum pro elevatione Corporis Chriſti in Miſſa dari: genuflectit pro more ſolito, & orat: Domine JESU Chriſte miſerere mei! & ecce! ſtatim trabs, cui funis erat annexa, fracta eſt & dæmones auditi ſunt: Virtus Corporis Chriſti te liberavit a damnatione. E. *Euchariſtia* num. 30.

Tempore Friderici Imp. cum Saraceni urbem Aſſiſium obſidebant, S. Clara Venerabile Sacramentum manu tenens, & Dei auxilium implorans ad ipſa urbis mœnia perrexit, & ibi vocem audiit: Ego vos non deſeram! Eo momento hoſtes conſternati in fugam abibant, & qui mœnia conſcenderant, præcipitati & excæcati perierunt. *Surius*.

S. Liberalis & S. Severus ea die, qua ſacram Synaxin recipiebant, nullo alio cibo reficiebantur, & ſic primus ſæpe per totam ſeptimanam ſine edulio perſeverabat. *Petr. de Natal.*

Quidam in naufragii periculo Sacram Hoſtiam linteolo involutam e collo appendit, ſeque in aquas librat. Sicque mirum in modum in littus enatat, prout narrat S. Ambroſius. Navis tempeſtate ad naufragium colliſa in littus evaſit, in reverentiam S. Hoſtiæ, quam Maximianus Monachus, poſtea Epiſcopus Siracuſanus, ſecum habebat. S. Gregorius.

Per SS. Euchariſtiam cæci illuminati, claudi erecti, muti loquela donati ſunt, &c. Daveroult. de SS. Euch. Tit. 10. n. 8. 9. & ſeq.





### 35. *Valet contra dæmonum præſtigias.*

Hæreticus ſpondet fratri ex Ordine Prædicatorum, quod ſi ſuæ Sectæ accederet, illi Chriſtum & Sanctiſſimam ejus Matrem oſtendere velit. Frater ſimulat ſe aſſentiri, & ſecum clam Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumit. Ducitur ab hæretico in ſpecum montis, ibi palatium & in eo aureæ ſedes, in quibus Chriſtus & B. V. nec non ſancti cælites in immenſo ſplendore videbantur reſidere. Obſtupuit frater, accedit, SS. Euchariſtiam extrahit, B. Virgini tradit inquiens, en ſi Mater Dei es, Filius tuus, & totum conciliabulum mox diſparuit. E. *Euchariſtia* n. 4.

Albigenſes Hæretici pro confirmatione ſuæ Sectæ faciebant prodigia, ita ut ſupra aquas ambularent. Sacerdos hanc deceptionem deteſtatus SS. Euchariſtia benedixit aquas, & hæretici ſubmerſi ſunt. E. *Euchariſtia* n. 6.

Hæreticus ad rogum condemnatus ridebat flammas, eaſque uno oris flatu, aut nutu manus extinguebat. Epiſcopus SS. Euchariſtiam afferri, & rogum reaccendi jubet: tunc hæreticus opem dæmonis denuo cæpit, ſed reſponſum retulit: Nunc opem tibi ferre non amplius poſſum, quia potentiori cedere cogor! Cæſar. de Comm. n. 24.

Impudens femina hoſpitem ſuum ad impurum amorem magicis artibus inflammatura, ad has etiam ſacram Hoſtiam uſurpare voluit. Verum dum illam in regula inter prunas reponit ſacra Hoſtia formam carnis induere, & ſanguinare cępit. Territa mulier Sacramentum ſubtus terram defodit, ubi poſt ſeptem annos erutum magnis miraculis claruit. Daveroult. de SS. Euch. tit. 9. num. 7.

Catholica Mulier compulſa a Viro infideli hæreticam concionem accedit: Et ecce! quia ea die ſacra Communione refecta fuit, Præco Calviniſta in cathedra obmutuit. Vir autem Maritus ſalvificam fidem amplexus eſt. Daveroult, de SS. Euch. Tit. 10. n. 5. & ſeq.

Guido de Lachia Epiſcopus Brixinenſis, ſycophanta & hypocrita, inſtar Sancti tumulabatur. Comperto autem poſtea, quod revera fuerit hæreticus, oſſa ejus exhumata publice rogo injecta ſunt. Comparuerunt autem dæmones, & oſſa flammis erepta in aera efferebant cum jubilo, ita ut populus innocentiam Guidonis deprædicare, & vix non judices lapidare præſumeret. Verum Epiſcopus SS. Euchariſtiam afferri præcepit, qua dæmones ex aere ululantes dejecit, & oſſa impii ſimulatoris concremare perrexit. Delrio apud Daveroult. de SS. Euch. tit. 10. num. 16.

### 36. *Non creditur ab infidelibus ob irreverentiam fidelium.*

Solimanus Turcarum Imperator Hungariam vaſtans in quadam Eccleſia panem Euchariſticum manu tollebat, ajens: O cæci Chriſtiani, qui hanc micam colitis, quam ego nihil, niſi panem eſſe deprehendo. Si modo hic barbarus ex orco rediret, & videret irreverentiam Chriſtianorum, multo minus crederet, &c. Vide Titulum: *Irreverentia in templis*.

Nobilis in India audivit ex S. Xaverio concionantes tres Religiones in orbe invaluiſſe, Judaicam, Machometanam, & Chriſtianam, atque hanc eſſe ſecuram ad ſalutem. Decrevit ergo omnium trium Religionum cæremonias intueri, & profectus eſt in Palæſtinam, ubi vidit Judæos in Synagoga: dein in Turciam, ubi vidit Machometanos in ſuis Moſchæis: denique in Europam, ubi vidit Chriſtianos in ſuis Templis. Reverſus in Indias, & quæſitus, quid jam cenſeret de diverſis Religionibus, repoſuit: Judæorum Religio eſt mimica ſuperſtitio: Turcarum Religio eſt porcorum colluvies: Chriſtianorum Religio eſt audax ſtultitia; quia cum ſe Incarnati Dei corpus comedere credunt, in omnes tamen voluptates, & vitia proruunt. Sic impii Chriſtiani maculam aſpergunt fidei. March. Candel. Myſt. tr. 4. Lect. 3. propoſ. unic.

Impius quidam Sacerdos ſacram Hoſtiam Judæis vendidit, qui illam injuriis affectam pugionibus confoderunt. Deteſtabile facinus! ſed quid mirum, quod Judæi ſacram Hoſtiam perſecuti ſint, cui Sacerdos novus Judas factus eſt? Daveroult. de SS. Euch. tit. 12. n. 1. Sicut devota Adoratio SS. Euchariſtiæ multos Infideles ad fidem convertit; ita vilipenſio, & irreverentia hujus SS. Sacramenti multos in infidelitate confirmavit, aut etiam Fideles pervertit, & depravavit, &c.

### *In ea Chriſtus veriſſime præſens.*

Quamquam circa hoc myſterium locus nullus ſit humanæ intelligentiæ, tamen multi vacillant, cum ſibi imaginari nequeunt, qua ratione Chriſtus Dominus in plurimis Hoſtiis ſit præſens ſimul

& ſemel: Fides hoc teneat: ceterum ſcimus, etiam Sanctos nonnunquam in duobus locis ſimul fuiſſe: S. Ambroſius Mediolani rebus Divinis intereſt, & ſimul funeri S. Martini Turonis. S. Severus ſub officio Divino obdormit, expergeſactus dicit ſe Mutinæ fuiſſe, & ibi funus Epiſcopi Geminiani ſepulchro commendaſſe, quod revera ita compertum fuit. S. Antonius ſimul Verbum Dei prædicat, ſimul in choro canit. S. Xaverius orta tempeſtate maris ſimul in navi prætoria, ſimul in ſcapha cernitur, &c. D. 6. 34.

Quædam mulier, cum in alveari nullum mel inveniret, ſuaſu alterius feminæ ſacram Hoſtiam in Communione ſumptam in alveari collocat. Et ecce! apes extruxerunt e cera templum, in eo altare, atque in eo ſacram Hoſtiam collocarunt. Id mulier Epiſcopo indicavit, qui cum omni Clero ſacram Hoſtiam veneratus eſt. Sanch. par. 7. c. 4. fol. 980.

*Bredemb. l. 1. collat. ſacr. c. 55. an. 1384.* Oſvaldus Mulſerus Nobilis Tyrolenſis hæſitans circa hunc articulum voluit majori Hoſtia in Paſchate communicari: ſed ecce! ſaxum altaris inſtar ceræ, ubi ſe tenebat, liquefactum eſt, & ipſe genuum tenus in terra demergi cœpit. Extant hodie adhuc veſtigia. March. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 4. propoſ. unic. Vide Daveroult. de SS. Euch. tit. 9.

Per decem & plura ſæcula in Eccleſia hic articulus fidei de vera & reali præſentia Chriſti in Euchariſtia inconcuſſus ſtetit: Berengarius primus fuit, qui hanc veritatem in dubium vocavit, ſed a S. Fulberto (hic ille Sanctus eſt, qui a Beatiſſima Virgine lactis guttula a viſcerum doloribus fuit repente ſanatus) ita fuit confutatus, ut terque quaterque ante mortem ſuam hæreſin revocarit. N. 10. April.

### 36. *Adoratur etiam a brutis.*

Ovicula S. Coletæ, quam continuo ſequebatur, in choro ſub Elevatione ſacræ Hoſtiæ ſolebat in genua procumbere. R. 1. cent. par. 2. mir. 17.

Nota eſt Hiſtoria de aſino S. Antonii, qui ad confortationem Hæretici Bovilli genua coram Sanctiſſimo demiſſe curvavit. March. Cand. Myſt. lect. 3. tr. 4. prop. unic. ad finem.

Homo pauper habebat alvearia magna, & in iis advertit, quod apes de die ſeſſes, atque etiam de nocte concinerent: Monuit Epiſcopum, & hic fracto alveari invenit SS. Sacramentum in altari cereo, inſtar eboris facto, a circumſtantibus apibus adorari. Tranſtulit Sanctiſſimum in Eccleſiam, cumque rumor in populo crebreſceret, duo fures, rei novitate perterriti faſſi ſunt, quod in vicina Eccleſia ſacram pyxidem furati SS. Hoſtiam in illud alveare projecerint. E. *Euchariſtia* num. 3.

Mulier apibus deficientibus infortunata, ſuaſu aliarum Ss. Euchariſtiam, in Communione ſumptam, in alveare concludit: verum apes illi ædiculam & altare pulcherrime conſtruxerunt. E. *Euchariſtia* n. 5. Daveroult. de Ss. Euchar. tit. 13. n. 2.

Nocturni fures ex Eccleſia Sacrum Ciborium cum Ss. Hoſtiis abſtulerunt: cum autem viderunt Ciborium eſſe de viliori materia, quam de auro vel argento, illud in proximum agrum abjecerunt. Poſtera die, ubi ruricola ad arandum venit, boves genuflexi non poterant nec verberibus de loco dimoveri, donec Ss. Ciborium cum Hoſtiis a Sacerdote publica ſupplicatione in Eccleſiam fuit repoſitum. Daveroult. de Ss. Euch. tit. 13. n. 1. & ſeq.

### 37. *Inhonorata vindicatur.*

Ss. Hoſtia dum a Judæis Presburgi cultris confoditur, domus fulmine incenditur. Gubernator urbis comperta incendii cauſa Judæos extremo ſupplicio ſub carnifice mulctavit. March. Candel. Myſt. tr. 4. Lect. 4. Quinto mirabili.

Metuant ſibi tepidi Chriſtiani, qui in templis irreverentes ſunt, vix genu curvant, oculos in omnes angulos conjiciunt, & aliorum devotionem turbant. Præſertim mulieres in vanitatibus ſuis ſibi complacent, veſtes ſuas oſtendunt, & alienas explorant, rident, garriunt. Non mirentur ſi infortunio repente in pœnam obruantur. March. Candel. Myſt. tr: 4. lect. 6. prop. 1.

In Anglia quidam ſartor impugnabat *Thom. Waldens. l. contr. Wicklef.* Ss. Euchariſtiæ veritatem: convenerunt ergo Epiſcopi illius errorem examinaturi: convictus eſt ſartor, & juſſus coram S. Hoſtia genua curvare: repoſuit ſe malle curvare coram aranea: & ecce! ſubito de ſublimi fornice templi horrida aranea deſcendit, & in os ſartoris penetravit. Agnovit populus pœnam blaſphemiæ. March. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 6. prop. 1.

S. Hildegardis jam anno 1180. prophetavit, Germaniam hæreſi puniendam eſſe ob indignam tractationem Ss. Euchariſtiæ. March. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 9. prop. 1.

Ne-



Nefandum flagitium fuit Urbani Formenſis & Felicis Idicrenſis Donatiſtarum, qui juſſerunt Ss. Euchariſtiam canibus projici. Sed ſtatim adfuit Divinum Judicium; nam canes illorum rabie accenſi ſtatim illos dilaniarunt. March. Cand. Myſt. tr. 4. lect. 10.

Berengarius fuit primus ex hæreſiarchis, qui præſentiam Chriſti in Euchariſtia negavit, de hoc ſcribit Vincentius *Vincent. Belluac. ſpec. hiſt. l. 25. c. 30. Gerſ. ſer. de Pænit.* Bellnacenſis, & Gerſon, quod vivus fuerit traditus in poteſtatem diaboli. Unde cum S. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis ægrotaret, & Berengarius eum inviſeret, Venerabilis Præſul altum inclamavit, toto corpore intremuit, rogavitque, ut impius e domo ejiceretur; quia immanis dæmon ad latus ejus aſſiſteret. Hic Berengarius dein auſteram pœnitentiam egit ob ſeductas animas.

Anno 1218. in Friſia Dei vindicta *Cæſar. l. 7. Dial. c. 3.* contra injuratorem Ss. Euchariſtiæ manifeſte apparuit. Quidam Friſo gulæ, & ebrietati deditus quoties ebrius e taberna domum rediit, furioſe conjugem verberibus excepit. Hæc ut tyrannidem evaderet, ſimulavit morbum, fecitque ſibi Ss. Sacramentum afferri: attulit illud Sacerdos ebrio marito adventante, & hauſtum cereviſiæ Sacerdoti offerente: iſte reponebat, jam tempus bibendi non eſſe in Chriſti præſentia. Iratus ebrius vas cereviſiæ ſacræ Pyxidi impingit, ita, ut ſacræ Particulæ omnes in terram caderent. Matronæ vicinæ, quæ conſolationis gratia convenerant, ſupra ſingulas Hoſtias viderunt ſtellas radiantes, quas Sacerdos collegit, & impium accuſavit apud Epiſcopum. Iſte ab Epiſcopo excommunicatus, & Romam ire coactus fuit, ubi pro pœnitentia juſſus eſt tribus annis in Palæſtina contra Saracenos pugnare, & prope Damiatam pugnans occiſus eſt. Nec tamen Deus hac pœnitentia contentus fuit, ſed totam regionem horribili diluvio punit. Cum nemo tanti mali cauſam ſciret, Beatiſſima Virgo apparuit perſonæ ſanctæ dixitque: propter injuriam Filii mei in Sacramento ſubmerſa eſt Friſia, & amplius plagabitur, ſi condigna pœnitentia non fuerit ſubſecuta. Dein aiebat Beatiſſima. Tolle oculos verſus mare: fecit illa & contemplata eſt ſacram Pyxidem ab impio percuſſam in ſummitate fluctuum natantem ſicut ducem exercitus: ſubjunxitque Maria: Ecce Corpus Filii mei, qui mare commovet ad vindicandam injuriam ſibi illatam. O Boni ſuperi! ſi toties Deus ſic vindicaret, quoties indigne in Euchariſtia tractatur, quot regiones ſubmergerentur; &c. Vide Daveroult. de Ss. Euch. tit. 12. n. 10.

Impudens puella, quæ paulo ante idolorum ſacrificio interat, dein a matre in Catholicam Eccleſiam perducta, ſacram Communionem ſacrilege ſumere præſumpſit, ſtatim a dæmone occupata, ſacram Hoſtiam cum ſanguine, inter horrendos ululatus iterum exſpuit, manifeſto indicio, nolle Deum habitare in corde impuro. S. Cyprianus.

Femina ſacram Hoſtiam domi in ſcrinio incluſerat, cumque illam denuo viſere, & manibus uſurpare vellet, aperto ſcrinio ignis erupit, impiamque terrore fere exanimavit. Daveroul. Ss. Euchar. tit. 14. n. 4. &c.

## Sacra Communio.

### 38. *Miniſtratur prodigioſe a ſanctis cælitibus, & Angelis.*

SAnctæ Catharinæ Senenſi Chriſtus ipſe: S. Staniſlao Koſtkæ S. Barbara, S. Marco, & Onuphrio Sancti Angeli Euchariſtiam porrigunt. C. Lev. 21. v. 23.

S. Dionyſio in carcere Chriſtus ipſe, S. Bonaventuræ, dum quaſi indignus ex humilitate a celebratione abſtinet, Angelus particulam Hoſtiæ conſecratæ dedit: idem contigit ſanctæ Matronæ, cui nomen Bertranda. Ss. Fauſtino, & Jovitæ columba panem affert, ut conſecrare, & militem neo converſum communicare potuerint. C. Gen. fol. 780. in fine & ſeq. Vide Sanch. par. 7. c. 4. fol. 969. ſeq. C. Exod. 29. v. 37. in fine.

S. Ambroſio deſideranti ſacram Communionem Deus mittit Epiſcopum Honoratum. S. Onophrio ſingulis ſeptimanis Angelus affert ſacram Communionem, &c. Sanch. par. 7. c. 4. fol. 974.

Cum S. Catharina Senenſis communicare vellet, & non adeſſet ſacra Hoſtia, Angelus ei particulam de ſacra Hoſtia Sacerdotis ſacrificantis attulit. Sanchez. ibid. fol. 976.

Sancto-Chryſ. morituricnti Ss. Apoſtoli Petrus & Joannes Ss. Communionem afferunt. March. Cand. Myſt. tr. 4. lect. 8.

Chriſtus ipſe S. Stephanæ ſacrum legit, & ſub eo illi Ss. Euchariſtiam porrigit. *Ephem.* Dom. 2. Jan.

S. Gerlacus Moriens a S. Servatio cœlitus miſſo Ss. Sacramentum accipit. *Nadaſi* 5. *Jan.*

Z. 2 S. Ive-

S. Ivetæ Ord. Ciſtercienſis apparens S. Joannes Apoſtolus, & coram illa ſacrificans illi S. Communionem porrexit. Alias ab ipſo Chriſto refecta fuit. Quam gratiam etiam B. Veronica de Binaſco experta fuit. Marcheſ. 13. Jan.

Ss. Fauſtinus & Jovita in carcere ab Angelis Ss. Euchariſtia refecti, pro Chriſto capite truncati ſunt. *Leucht. 15. Febr.* Vide C. in N. c. 4. in fine.

### 39. *Sæpe frequentata eſt ſignum prædeſtinationis.*

Cur arbor, quam vidit Joannes fuit *ſignum vitæ*, econtra ficus Evangelica a Chriſto maledicitur? Paulinus ait: quia ficus tantum bis fructificat in anno, illa arbor autem duodecies: felix, qui communionem menſtruam uſurpat, &c. B. ſerm. 48. n. 33.

*Buccinate in Neomenia tuba*: ſicut enim luna ſingulis menſibus ſe reparat, ita ſtultus, ſeu peccator ſicut luna mutans ſe, ſingulis menſibus ſe reparare, & inſignem diem ſolemnitatis inſtituere per Sacramentorum frequentationem deberet. B. ſerm. 62. n. 20. & ſeq.

Panes propoſitionis duodecim erant, & unus ſuper alterum ponebatur, ut conſervetur calor: ecce! duodecim panes Euchariſtici per annum, ideſt communio menſtrua conſervat calorem caritatis. B. ſerm. 62. n. 23.

Sancti & Sanctæ ardentiſſimum habent deſiderium frequentis Communionis, uti S. Catharina Senenſis, Genuenſis, Maria Ogniacenſis & alii. March. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 8. in fine.

In Hiſtoriis mira narrantur de inaudita inedia quorumdam hominum: tempore S. Auguſtini quidam per 40. dies nullo refectus alimento famem ſuſtinuit. Puella quædam undecim annis, alia decem annis, alia octodecim annis jejuna, & omnis cibi expers permanſit. W. Art. diſc. font. 26. Ex. 2. Verum tam diuturna carentia cibi Euchariſtici & ſpiritualis evidenter poſt ſe traheret mortem ſpiritualem.

Studioſus Conſodali ſuo, prout promiſerat, poſt mortem apparens nuntiat, ſe ſalvatum eſſe, & defacto cæli beatitudine frui. Quærebat iſte: in quo ergo vel maxime placuiſti Deo? repoſuit ſpiritus, in ſacra Communione ſæpius frequentata. Daverοult. de Ss. Euch. tit. 11. n. 8.

### 40. *Imbuit hominem cæleſti ſapientia.*

Scimus eos, qui diu famem patiuntur, oculorum caligine laborare, quæ oritur ex defectu ſpirituum, qui per cibum refocillantur, & viſus aciem intendunt. Pane Divino paſti illuminantur, ut poſſint agnoſcere bonum & malum: ſentient ſibi oculos aperiri, & ſpirituum vim acui, ut perſpicacius videant, quænam illa ſint, quæ ſe in via ſalutis impediunt, & quænam illa ſint, quæ promoveant pedes in ſemita juſtitiæ: aſpiciamus eos fideles, qui frequenter & devote fruuntur cibo Divino, videbimus illos toto cælo diverſos ab iis, qui raro aut frigide ſacram ſynaxim accipiunt: quæ cauſa eſt? Quia longe acutius vident & ſcelerum turpitudinem, & virtutis pulchritudinem; hinc ſunt modeſti, juſti, caſti, temperantes, timorati, minus peccant, rarius cadunt, & velocius reſurgunt. Hæc omnia debent ſcientiæ Divinæ, quam hauriunt ex frequenti communione. Atque in hunc ſenſum ait S. Chryſ. de Ss. Euchariſtia: *Hic eſt fons lucis, diffundens radios caritatis.* *S. Chryſ. in c. 6. Joann.*

Diabolus primos parentes mendaciter decepit illa promiſſione: *quocumque die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* *Gen. 2.* Quod autem diabolus falſo promiſit, hoc Chriſtus in Ss. Sacramento ſupplevit, dans nobis intellectum & lucem animi. Ita Rupertus: *Illuſionem nequiſſimi ſerpentis, qui dixit, comedite, eritis ſicut Dii, Chriſtus per SS. Sacramentum in verum effectum convertit.* *Rupert. Abbas in has verba.*

S. Catharina Senenſis in graviſſimis difficultatibus Theologicis conſulitur. S. Didacus frater laicus Deum, & res Divinas illuminatiſſima mente agnoſcit, atque de rebus cæleſtibus perſpicacius doctiſſimo Theologo diſcurrit. S. Franciſcus Seraphicus, a Viris doctiſſimis conſilio adhibetur, eaque reſponſa dat, quæ a verſatiſſimo Theologo exſpectari vix poſſent. Unde tanta ſcientia in hominibus illiteratis? ex converſatione cum Deo, & præcipue ex ſacra Communione, quæ eſt fons cæleſtis ſapientiæ. C. in Gen. Prooem. de Encom. Script. n. 42.

### 41. *Compeſcit inordinatas paſſiones.*

Jonas in ventre ceti orans adeo manſueſcere fecit marinam belluam, ut recta ad littus Ninive adnataret. An non putabimus, quod Chriſtus in corde communicantis infrunitas paſſionum belluas ſit cicuraturus?



Criſtus Dominus comparatur unicorni: quare? an ideo ſicut monoceros capi non poteſt, niſi ſinu Virginis; ita Chriſtus amore Virgineæ Matris captus eſt? Eſt aliqua ratio! ſed comparatur ideo, quia ſicut monoceros, dum cornu ſuo aquas tangit, ex eo ſerpentes, bufones, & omne venenoſum expellit; ita Chriſtus in Euchariſtia dum animam tangit, tentationes, & inordinatas paſſiones compeſcit. C. 2. Petr. 1. v. 17.

Chriſtus Dominus ſolo tactu ſanat leproſum, paralyticum, & ſocrum Petri febricitantem: *Videtis*, ait S. Petrus Chryſ. *S. Petr. Chryſol. ſerm. 18.* *quomodo dimittit febris, quem tenuerit Chriſtus? ibi non ſtat infirmitas, ubi auctor ſalutis aſſiſtit.* C. in Matth. 8. ver. 15. Idem ſperandum de Chriſto in Euchariſtia.

In Hiſtoriis legitur, Sanctorum reliquiis nocturnas lemurum, & ſpectrorum infeſtationes fuiſſe depulſas, totamque domum ad tranquillitatem reductam. Et non credemus, ſanctiſſimas præ omnibus Sanctis reliquias, nempe Divinum Corpus eamdem habere virtutem? Proh dolor! in anima tua inſtar ſpectrorum tumultuantur vitioſæ paſſiones. Paſſio iræ, paſſio vindictæ, paſſio invidiæ, paſſio luxuriæ; quo remedio opus eſt? age, cum magna devotione Ss. Chriſti Corpus in animam recipe, ſedabitur tumultus, redibit tranquillitas? *Facta eſt tranquillitas magna in mari.* *Matth. 8.*

### 42. *Exigit magnam præparationem.*

Iſraelitæ jubebantur agnum paſchalem comedere cum *lactucis agreſtibus*, quæ ſunt ex natura ſua amaræ, ut indicaretur ante communionem præmitti debere amaritiem pœnitentiæ. C. in Exod. 12. v. 8. ſeq.

S. Greg. ait: qui vult phaſe Chriſtianum comedere, accingat renes, ideſt, voluptates edomet, carnem a luxuria reſtringat, calceos habeat in pedibus, id eſt, Sanctorum vitam & exempla conſpiciat. Teneat baculum in manu, ideſt, paſtoralem curam gerat eorum, qui ſibi commiſſi ſunt, comedat feſtinanter, id eſt, ad ſolemnitatem patriæ cæleſtis anhelet. C. Exod. 12. v. 11. fol. 414. *S. Greg. hom. 22. in Ev.*

Qui in ſanguine agni vult celebrare paſcha & ad terram promiſſam pergere, debet vivere in azymis, ideſt, totam vitam ſine peccatis tranſigere. C. Exod. 12. v. 17.

S. Roſa ad menſam angelicam accedens facie præferebat cordis incendium; hæc enim adeo coruſcabat, ut ſacerdotibus terrorem incuteret. In vita c. 15. N. 30. Aug.

Chriſtus ante cœnam lavit Diſcipulorum pedes: cur non æque lavit, antequam eos duxit in montem Tabor, in hortum oliveti, aut ad templum ad orationem? ut oſtenderet, quanta munditiès, & puritas requiratur ad S. Communionem. O quam mundæ *debent eſſe manus illæ, quam purum os, quam ſanctum Corpus, quam immaculatum cor Sacerdotis, ad quem ingreditur auctor puritatis!* *Gisther, Cor JESU conſ. 25. n. 1.* *Th. Kemp. l. 4. c. 11.*

Antiquitus communicantes prius lavabant manus, quia ſacram Hoſtiam, manibus, & Viri quidem nudis, mulieres autem cum puro linteo, quod Dominicale vocabatur, accipiebant. C. 1. Tim. 2. v. 8.

Audi majora: Candelabrum aureum cum ſeptem lucernis (dona Sancti Spiritus) ſtabat juxta panes propoſitionis, *ut luceat ex adverſo*: ut innuatur, qua luminis gratia pollere debeat, qui panem Euchariſticum ſumit. Sicut igitur Babylonicus ille prædo primo hoc candelabrum abſtulit; ita dæmon lumen gratiæ auferre ſtudet: cur ille tam indevote accedit? quia candelabrum perdidit, &c. S. pun. 103. f. 305.

Moyſi propter leviſſimam deordinationem, mandatum eſt: *ne appropinques huc.* S. pun. 153. fol. 479.

Mulieres, quæ introducebantur ad regem, de domo regis accipiebant, quidquid ad ornatum pertinebat: ita a Deo efflagitare debemus condignam præparationem. S. pun. 152. fol. 487.

Mulieres illæ coram Aſſuero comparituræ per totum annum præparabantur oleo myrtino, & aromatibus: myrtus ad ſtatum pœnitentium, aroma ad juſtos pertinet. S. punct. 152. fol. 478.

Melchiſedech quatuor reges vincit, & dein panem & vinum offert: ubi Anſelmus: cave frater, ne hunc Divinum cibum accipias, niſi poſtquam de quatuor regibus victoriam reportaveris, qui ſunt quatuor præcipuæ paſſiones hominis. S. punct. 152. fol. 482.

Jacob ædificaturus altare convocat omnem familiam: tu convoca omnes ſenſus internos, & externos. S. punct. 152. fol. 484.

Ante tabernaculum ſtabat labrum æneum, quo prius lavari debebant ingredientes: tu lava lacrymis animam, antequam accedas ad tabernaculum Eu-

chariſticum. S. punct. 152. fol. 486. C. Exod. 30. v. 18.

Multi, proh dolor! ſine veſte nuptiali, cum vivacibus paſſionibus, cum iracundia accedunt: agnum comedunt, & leones ſunt; multi Divinam hanc arcam juxta Dagon collocant, &c. S. pun. 152. fol. 478. & ſeq.

Hebræi juſſi ſunt Agnum tollere quatuor diebus ante immolationem, ut agni aſpectu, & voce monerentur ſe præparare ad ſacrificium. C. Exod. 12. v. 5.

43. *Eſt vita bonis, & mors malis.*

Diverſa ſors erat pincernæ, & piſtoris: primus ſomniat botrum, qui floruit, alter corvos, qui panem auferunt, primo Joſephus libertatem, alteri ſuſpendium prædicit. Utraque res tam vinum, quam panis ſunt figura Euchariſtiæ: cur ergo tam diverſos effectus prænotant? Reſp. Delictum illorum hoc erat, quod Rex in potu muſcam, in pane lapillum repererit: muſca in potu aperte jacebat, lapillus occulte, ut ſignificetur, ſi peccatum aperiatur, ſacram communionem eſſe vitam, ſi tegatur, eſſe mortem. B. ſerm. 25. n. 22.

In urbe Sandaret in Hiſpania ſacra Hoſtia peregrinantibus oſtenditur, quæ aliquibus ut amabilis puer, aliis ut ſeverus Judex, cuilibet autem in tali figura apparet, ut ejus conſcientia meretur: *ſic nos tu viſitas, ſicut te colimus.*

S. David Euchariſtiam in ſpiritu prævidens comparavit illam ſoli: *In ſole po-*
Pſal. 18. *ſuit tabernaculum ſuum.* Quare hoc? Quia ſol eodem momento, quo nobis oritur, antipodibus occidit; ita Euchariſtia bonis eſt ortus, malis eſt occaſus, & in una diſtributione communionis fit, ut aliqui illuminentur, alii obtenebrentur.

Sanctus quidam Epiſcopus Euchariſtiam diſtribuens vidit quorumdam communicantium vultus nigricare, aliorum rubere, aliorum albeſcere; qua differentia agnoſcebat eorum diſpoſitionem, aut ſtatum peccati. C. Verbo, *Communio.* n. 4.

44. *Extinguit vitia in communicante.*

Quando Chriſtus in infantia ingreſſus eſt Ægyptum, omnia idola Ægypti, quocumque ibat, proſtrata ſunt. Multo magis idola tua, mi Chriſtiane, ideſt, vitia deberent deſtrui, cum Chriſtus toties animam tuam ingreditur, Idolum tuum ſuperbia eſt: & quomodo non re-
Iſai. 9. pente cadit *a facie Domini*, cum vides Deum ſub ſacra hoſtia adeo humiliatum, ut non jam amplius habeat formam ſervi, ſed cibi? Idolum tuum eſt impatientia, & quomodo hæc non concidit, cum vides manſuetudinem invictam, qua Dominus in illa hoſtia quotidie tolerat injurias hæreticorum, Hebræorum, & malorum Chriſtianorum, imo & multorum Sacerdotum? Idolum tuum eſt inclinatio ſemper tuam faciendi voluntatem: quomodo iſta non cadit, cum vides obedientiam, quam Dominus quolibet mane exercet, dum ad ſolam vocem ſuorum Miniſtrorum etiam indignorum ſub ſacris ſpeciebus apparet, &c. Si infans Chriſtus tantum contra idola reportavit triumphum, quanto magis nunc reportare debet adultus? ſi reportavit fugitivus, quanto magis nunc regnans, &c. Segn. Manna 16. Maji. n. 3.

Dum Catechumeni poſt Baptiſmum ad SS. Communionem admittebantur Hieroſolymis, uti teſtatur S. Cyrillus, plena muſica cantabatur: *Guſtate, & videte, quam ſuavis eſt Dominus.* Quaſi diceretur: O vos, cujus palatum a primis parentibus per pomum inobedientiæ corruptum eſt, guſtate jam ſuavitatem Angelici panis. qui extinguit omnem guſtum delectationis mundanæ: illi, qui vere fruuntur hac ſuavitate, perdunt omnem appetitum carnis, ſenſuum & voluptatum, quia tota eorum ſenſatio abſorpta eſt in ſuavitate cæleſti reſpectu hujus ſuavitatis, ait S. Paſchaſius, omnis voluptas mundana: *Eſt quaſi rancidum, rodenſque* S. Paſch.
*palatum acute mordacitatis acetum.* l. de Corp. Chriſt. c. 5.

45. *Præmunire debet contra peccata.*

S. Joannes Pontifex Maximus ad Juſtinum Imperatorem itinerans equo utebatur, quo alias Romani Nobilis uxor vehi conſueverat. Rediens Papa ex itinere reſtituit equum, ſed iſte nec ſuam Dominam, nec quemquam hominum amplius aſſumebat, adeoque Pontifici donatus fuit. Mi communicans, tuum cor infeſſum fuit a Deo tuo, age non patere deinceps amplius ullum in eo vitium, &c. Sanch. 6. part. c. 3. fol. 685.

Puer Judæus accedit ad ſacram communionem, quod videns pater puerum in ignem projicit: ſed ille illæſus manet, dicens: ſe conſervatum fuiſſe a Virgine illa, quæ pulcherrimum infantulum in brachiis tenet. Sanch. 7. par. c. 4. fol. 969.

Femina Paraquarienſis impuro ſollicitatori reſiſtit dicens, ſe nolle impudici-

tiam



tiam admittere ea die, qua ſacram Communionem ſumpſiſſet: & revera mortem potius ſtrangulata oppetiit, quam in nefas conſenſit. R. cent. 3. p. 2. mir. 6.

In urbe Dorcora in Hiſpania ſex hoſtiæ, quas ob ſubitaneam Maurorum irruptionem belliduces ſumere non amplius poterant, poſtea ſanguinis guttulas ſudarunt. Deliberatum eſt, ubi aſſervari deberent, & impoſitæ ſunt miti mulæ, quæ eas recta portavit ad templum hoſpitalis Dorcoræ, & ibi flexis genubus SS. ſarcinam deponens ſtatim expiravit; ut nimirum minus nobile onus deinceps aſſumere non amplius valeret. Ita cor tuum poſt SS. Communionem non amplius debet aſſumere peccatum. March. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 6. in fine.

Quarta audacia, fiduciaque milites in ſua lorica ænea confidunt, qua ſagittas hoſtiles tuti excipiunt. Sacra communio lorica eſt, quæ cor communicantis tentationibus impenetrabile faciunt.

46. *Suas delicias non dat guſtandas, niſi bene præparatis.*

Sponſæ tunc primum dulces fuerunt fructus, poſtquam ſub umbra ſedit: iſtud ſedere eſt quieſcere a vitiis, & tunc ſentitur fructus corporis, & ſanguinis Dominici, ait Richardus. M. conc. 34. aſſ. 3. n. 2.

Moyſes in montem vocatus ſeptem diebus non admittitur ad alloquium Dei: ubi Beda rationem dat: quia per opera, quæ a Deo acceperat, magis ac magis illuſtrari meruit, &c. ſi tanta præparatio neceſſaria eſt ad locutionem cum Angelo, qui ibi loco Dei loquebatur, quid ad ipſum Deum? S. punct. 152. fol. 480.

Hæmorrhoiſſa ad contactum fimbriæ ſanatur, & nos miſeri, ait Chryſologus, de noſtris vulneribus non curamur? S. pun. 152. fol. 482. ſeq.

Poſtquam Elias cælum clauſit, ut non plueret, fugit, & in torrente Carith delituit, ubi corvi illi panem, & torrem aquam præbuerunt. Poſtliminio præcepit illi Deus, ut iret in Sarepta Sidoniorum; *præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Cur autem Prophetam mittit in Sarepta, an non potuit cum per corvos porro paſcere? Nimirum paravit Eliæ panem miraculoſum de farina, quam una cum oleo prodigioſe auxit. Ecce, quamdiu panem humanum habuit, (panis enim ille, juxta Abulenſem erat de menſa Regis Achab) & aquam terream bibit, non eſt paſtus pane miraculoſo. Indicatur hac figura, quod, qui pane cæleſti refici vult, omnes terrenas voluptates, & aquas carnalium ciſternarum fugere, iiſque valedicere debeat. Abſint corvi, abſint pravæ paſſiones; & in hunc ſenſum ait S. S. Chryſ.
Chryſoſt. *Nullus Judas aſſiſtat, nullus* hom. 85.
*avarus, inhumanus accedat nemo, nemo* in Matt.
*crudelis & immiſericors, nemo immundus; nam tales menſa non ſuſcipit.*

47. *Parit magnam rationem olim dandam.*

Sepulcrum, dum Chriſtum reddidit, contremuit, & nos non contremiſcamus, dum Chriſtum ſumimus, quia reddere rationem debemus? S. pun. 152. fol. 479.

Beatiſſima Virgo Maria in ſermone Angeli turbata eſt, quia ſenſit in ſe ſupremum ſuſcipi Judicem, ait Chryſoſt. S. punct. 152. fol. 479.

Homo peregre proficiſcens ſeveriſſimam rationem exegit a famulis, quibus ſua talenta concredidit, inquirens, quod lucrum cum illis feciſſent. Parem in modum Divinus Judex rationem expoſcet a Chriſtianis, quale virtutis, & ſanctitatis lucrum ex communione SS. Corporis & Sanguinis ſui retuliſſent. Homo ille laudavit famulos, qui cum talentis alterum tantum lucrati ſunt: ita Divinus judex recenſebit merita Sanctorum, qui ex una communione ferventer & devote peracta ingentem fidem, ſpem, caritatem, pœnitentiam, victoriam ſui ipſius, verbo, magnam vitæ ſanctitatem reportarunt, atque ſic exprobabit multis deſidiam, quod ex communione ſæpius frequentata nec hilo meliores facti ſint. Homo ille Evangelicus inertem famulum, qui talentum in terram ſine lucro defodit, juſſit ejici in tenebras exteriores: Eheu? quid fiet tepidis communicantibus, &c.

Ficulnea a Chriſto maledicta fuit, quia fructum non habuit: ſed nunquid pro tunc non fuit tempus fructuum? Eſto ita? ſed ficulnea potius cum Chriſto, quam cum tempore conſpirare, & ita contra naturam fruges proferre. Eundem in morem communicans non habebit excuſationem cum ſua natura, ſed contra naturam, ideſt, contra vitia inſtar naturæ inolita, debuiſſet fructus virtutum proferre, &c.

48. *Accendit cor communicantis Divino amore.*

De Ægyptiis ſcribit Galatinus, quod antehac inter ceteros Deos adorarint

Agnum flammis circumdatum: longe veracius, ſanctiuſque Chriſtiani in Ss. Euchariſtia adorant Agnum Divinum, qui flammis Divini amoris circumdatus ſimiles flammas in corde communicantium excitat; impoſſibile enim eſt digno hoc myſterio frui, & non inflammari. S. Xaverius inter ſacrificium aliquot ulnis e terra elevatur; ſicut enim ſurſum tendit, ita illum ignis Divinus verſus ſphæram Divinitatis elevavit. De S. Franciſco Seraphico ſcribit S. Bonav. quod erga Diviniſſimum Corpus Domini fervore omnium medullarum flagrarit. Idem dici poteſt de S. Tereſia, Philippo Nerio & aliis. Hinc ſcribit S. Ignatius Mart.
S. Ign. Mart. *Videbatur panis Divinus penitus immutatus; non jam panis, ſed veluti cæleſtis carbo gratiæ radios ſpargebat.*

De carbunculo ſcribunt Naturaliſtæ, quod tantum calorem internum contineat, ut ceram cui imprimitur, liquefaciat. Ss. Sacramentum eſt talis carbunculus amoris, cor, quod cereum invenit, liquefacit Divinæ caritatis ardore.

Captiva puella Turcica, uti narrat P. Rho, Deo conſervante erat innocentiſſima, cumque Chriſtiano more veſtita in templo videret Chriſtianos maxima devotione communicare, ipſa quoque ex innocenti ignorantia acceſsit, & ſacram Hoſtiam accepit. Mirum dictu; tanto intus ardore ſuccenſa eſt, ut altiſsima voce undis Baptiſmi ablui deſiderarit, velut incendium reſtinctura: accepto Baptiſmo ferventiſsima Chriſtiana permanſit.

Cur ergo nos tam parum accendimur? Reſpondeo, ſi carbo ignitus in glaciem incidit, impoſsibile eſt, ut illam accendat: Ita Ss. Euchariſtia ſæpe invenit cor glaciatum. Præterea tam tepide accedimus, ut ſacra Communio ipſo uſu & aſſuetudine nobis vileſcere, & minus æſtimari videatur, Arca dum primo in caſtra venit, timetur, ſed denique juxta Dagon collocatur: ita nos primo ferventes ſucceſſive hanc arcam ad plateas, ad colloquia, ad choreas ducimus & juxta Dagon collocamus. Angeli etſi ſemper, tamen reverenter ſtant coram Deo. S. pun. 152. f. 484.

Multi præſertim ex nobilibus erubeſcunt, ſæpius accedere ad Ss. Euchariſtiam, agunt cum Chriſto ſicut Nicodemus, qui tantum noctu venit ad Divinum Magiſtrum, &c. D. 12. 46.

### 49. *Convertit mire peccatores.*

Deus in Veteri Teſtamento ad converſionem peccatorum violentis remediis uſus eſt, niſi agebant pœnitentiam, illos omnino deſtruxit uti patet in diluvio, in Sodoma & Gomorrha, in Iſraelitis in deſerto, aliiſque. Non ita in Teſtamento novo procedit: graviſsimi peccatores ſæpe converſi ſunt per frequentem S. Communionis uſum. Patriarcha Iſaac, poſtquam comedit cibos a Rebecca ſubmiſſos, benedixit Jacobo, dum antea voluit benedicere Eſau. Gen. 27. Sic mutatur voluntas peccatoris per ſacram Synaxin, cujus figura erat ille cibus, teſte S. Hippolyto Martyre, qui ſupra illa verba: Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini, ait: S. Hyppol. Mart. ad Gloſſam.
*Hæc eſt abundantia, quam colligit de Sacramento Corporis, & Sanguinis ſui.* O quot peccatores poſt S. Communionem longe alii fuerunt.

Sancti tres Reges promittunt Herodi, ſe inventis Chriſti cunis in aulam ejus rediturus: ſed poſtea mutata mente per aliam viam reverſi ſunt; quare? quis mutavit eorum animum? Præſepe Dominicum in Bethlehem: audi S. Gregorium: S. Greg. hom. 8. in Evang.
*Bethlehem Domus panis interpretatur, ipſe namque eſt, qui ait, Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.*

Cum miles inceſtuoſus in articulo mortis concubinam nollet dimittere, receſsit ab eo ſacerdos cum Dominico Corpore. Recedens incidit in S. Bernardum, a quo animatus una cum illo rediit ad ægrotum: hunc S. Bernardus allocutus, nunquid, mi Bone, ajebat, doles, quod dolere non poſsis de peccatis tuis? affirmante illo, juſsit illi S. Bernardus Ss. Domini Corpus porrigi. Et ecce, hoc ſumpto ardentiſsimam contritionam concipiens cum nauſea rejecit concubinam. F. Verbo, *attritio*.

Omnia Sacramenta inſtituta ſunt ad ſanctificationem per Dei gratiam, Baptiſmus confert habitus fidei, ſpei, caritatis. Confirmatio roborat, ad profitendam, & defendendam fidem. Pœnitentia ingenerat odium peccati, & ſui ipſius per mortificationem. Extrema unctio dat vires contra ultimas tentationes & inſidias dæmonum. Ordo excitat ad lucrandas Deo animas. Matrimonium confortat ad tolerandas mundi tribulationes. Verum hæc ſimul omnia operatur Euchariſtia; hinc S. Dionyſius ait, quod Euchariſtia ſit *omnium Sacramentorum conſummatio, & perfectio*. S. Dion. Hier. Eccleſ. c. 3. Paucis, hoc Sacramentum eſt, quod e peccatoribus ſanctos facere poteſt. C. Act. 2. v. 42.





### 50. *Facilem reddit obſervationem mandatorum.*

Eſt mirabile, quod omnes hæretici, qui ſunt extra veram Eccleſiam, uno ore dicant Præcepta Dei eſſe obſervatu impoſſibilia: ſola Eccleſia Catholica docet contrarium, atque dicit, & poſſe & debere obſervari. Quæ cauſa hujus rei? Quia ibi, ubi eſt verum Sacramentum Euchariſtiæ, præcepta ſunt facilia; quippe hoc Sacramentum ſuaviſſime confortat fideles ad obſervantiam mandatorum. Alibi autem ubi non eſt hoc adminiculum, id eſt, ubi non eſt Sacramentum, non Sacerdotes, non ſacrificium, præcepta ſunt inobſervabilia.

Duobus Prophetis Iſaiæ & Jeremiæ Deus præcepta dedit, ſed illi diverſo modo præcepta exceperunt. Jeremiæ mandavit, ut populo Iſrael veritatem diceret etiam ſeriam & duram: & ecce! tardavit, excuſavit, difficultatem obtendit:
Jer. 6. *Neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Iſaiam vero Deus interrogavit: *Quem mittam, & quis ibit nobis*, & ſtatim prompte Iſaias: *Ecce ego, mitte me!* unde quæſo in duobus Prophetis tanta diverſitas in obedientia mandatorum? Nimirum, quia Deus os Iſaiæ per Angelum purgavit carbone ignito, non vero Jeremiæ.
Theodor. in c. 6. Iſa. Theodoretus ait, per carbonem hunc, quem Angelus forcipe tulit de altari, *ſignificari participationem corporis, & ſanguinis Domini.*

Qui Deum diligit, facile obſervat ejus mandata; quia amor omnia levia facit. Euchariſtia autem eſt Sacramentum amoris, accendens corda dilectione Dei. Hinc illi, qui grandem difficultatem experiuntur in obſervatione mandatorum, credere poſſunt, ſe fructum hujus Sacramenti nunquam integre percepiſſe.

Propheta Elias fugiens perſecutionem Jezabelis in via ſe projecit ſubtus juniperum, feſſus, laſſus, defatigatus, & ita puſillanimis, ut mori deſideraret. Verum apparuit de cælo Angelus, qui panem & vinum ei attulit, & ecce! hoc confortamento adeo refocillatus eſt Elias, ut ambulaverit in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei. O quam multi peccatores in via iniquitatis laſſati ſunt fere ad deſperationem uſque! verum cum devote cæleſti Angelorum pane reficiuntur, fortitudinem recipiunt, & ambulant in ſemita mandatorum, uſque ad montem Dei, id eſt, uſque ad perfectionem, & ſalutem, &c.

Sicut Iſraelitæ quadraginta annis itinerantes per Manna e cælis deplium ingentia bona receperunt; ita Chriſtiani per Ss. Euchariſtiam, cujus Manna fuit ſymbolum, præſertim ſpirituales conſolationes, quæ percipiuntur in victoria tentationum & concupiſcentiarum, conſequenter obſervantiam legis. C. Exod. 16. v. 35.

### 51. *A quibus digne ſumatur?*

Quinque heroes Davidis penetrarunt uſque in *Bethlehem*, id eſt, *domus panis*. Primus *Semma* qui exercitum percuſſit Philiſtæorum, & per hunc intelliguntur ſobrii. 2. erat *Bananias*, qui Ægyptium haſtam tenentem occidit videlicet ſpiritum ſuperbiæ, ut ſignificetur, quod cum humilitate accedere debeamus. 3. *Aſael*, velociſſimus ad curſum, nempe frequenter accedens citiſſimus ad curſum in via Dei eſſe debet &c. S. punct. 152. fol. 481. in fine.

Arca circumducta eſt, & ubique fecit ſtrages magnas: in templo proſtravit, & confregit Dagon, demolita eſt Azotios, & per ſingulas civitates repetiit interfectiones magnas. Sic Communicans proſternere debet vitium principale, quod ipſi dominatur, dein extirpare vitia confinia & paſſiones. Denique Arcam ſeu Chriſtum in ſacra hoſtia debet circumducere per potentias animæ: in intellectu debet interficere ignorantiam: in memoria terreſtres phantaſias: in voluntate proprium velle & nolle. &c.

Jacob ædificaturus altare, convocat totam familiam: ſic communicans convocet ſenſus internos, & externos: Dicat: vos oculi, qui hactenus ad illecebroſos obtutus evolaſtis! Vos aures, quæ ad mundi nugas & fabulas arrectæ fuiſtis! Tu lingua, quæ Dei providentiam & proximi famam allatraſti! Tu guſtus, qui deliciis & cupediis inhiaſti! Jam ad obſequium Divini Hoſpitis ſolum cæleſtia deſiderantes parati ſtate! S. punct. 152.

Communicans debet ad exemplum Chriſti 1. Surgere a cœna. 2. Præcingere ſe linteo. 3. Lavare pedes. 4. Deponere veſtimenta &c. S. punct. 152. ubi omnia moraliter exponuntur.

### 52. *Elevet hominis animum ad cæleſtia.*

Victimis olim pedes lavabantur, ut non humi poſthac incederent, ait Philo, ſed quaſi per æthera ferantur: ita amans

Deum anima revera in cælum a terris emicat. S. punct. 152. fol. 486.

*Ubi corpus, ibi & aquilæ*: qui corpus Chriſti ſumunt, ſtatim aquilæ fiant neceſſe eſt, & ad cæleſtia ſurſum evolent. M. conc. 34. aſſ. 3. n. 3.

Chriſtus poſt cœnam in montem olivarum aſcendit, & bene ait Cardinalis Hugo, poſt Dominicam cœnam enim aſcendere oportet. M. conc. 34. aſ. 3. n. 7.

Iſraelitæ, quia poſt acquiſitum cœlitus manna denuo affectant carnes, puniuntur terribili internecione. Ita puniri meretur a Deo, qui poſt ſacram communionem terrena affectat. B. ſerm. 70. n. 23.

Cibi delicatiores generant ſubtiliores ſpiritus, quid ni cibus cæleſtis & angelicus ſpiritus angelicos? punct. 152. f. 487.

Diſcipuli agnoſcunt Chriſtum in fractione panis: ſanctus Eucherius ait: nunquam ſic agnoſcitur JESUS, niſi in fractione panis Angelici. M. conc. 7. aſ. 2. n. 3.

Sancti etiam rudes ac illiterati pollent mirabili Divinorum ſcientia? unde niſi ex colloquio Dei Euchariſtici? &c. Vide Titulum *Sancti*.

SS. Euchariſtia comparatur igni: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur*? Sic Sacra Hoſtia ſancto Euthymio viſa eſt inſtar carbonis ardentis. Quare? quia ignis cælum pro centro ſuo habet, & ſurſum tendit. Ita cor communicantis accendi, & ſurſum tendere debet ad cæleſtia. Præterea ignis conſumit, & deſtruit omnia, quæ terrea ſunt. Ita ſacra Communio terrena omnia deſpicere, & pro nihilo habere docet, &c.

O quam multi peccatores vitam vivunt mere carnalem, & terrenam, Deus autem in Euchariſtia dat ipſis vitam ſpiritualem, ut cæleſtia præ terrenis æſtimare, & appetere diſcant. Eliſeus excitaturus puerum ſuper eum incubuit, ejus membra calefecit: & puer revixit ac ſepties oſcitavit. Ubi S. Baſilius Seleucienſis: *Putridum erat corpus, egebat præpotente Medico, qui eum excitare poſſet: Chriſtus Dominus invenit corpus mortuum: Quid egit? ſeipſum totum impoſuit toti corpori*. In SS. Communione toto corde ſuo cor communicantis ſanctificat, illique ſeptem dona Spiritus ſancti infundit.

4. Reg. 4.

S. Baſil. Seleuc. orat. 10.

## 53. *Conſervat vitam etiam temporalem*.

Hiſtor. Lauſ. hiſt. 61.

Tempore S. Hieronymi erat Sanctus quidam nomine Ezo, qui toto trimeſtri non edebat, contentus communione Sacramenti. Anachoreta, Nomine Joannes, in rupe victitans, & orationi intentus toto triennio nihil cibi guſtavit præter Euchariſtiam, quam illi ſacerdos ſingulis Dominicis adminiſtrabat. S. Maria de Ognies quinquaginta diebus ante mortem nil guſtavit, quam SS. Corpus Domini. In Diœceſi Leodienſi puella ſine cibo & potu vixit ultra triginta annos, cui cum data fuiſſet hoſtia non conſecrata, nullo modo potuit illam glutire, ſacratam vero illico glutiit. Mirabilis ille Simeon, qui quadraginta annis in columna ſtetit, ad imitationem Chriſti per quadraginta dies nihil eduli, admiſit: poſtea venit ad eum Sacerdos, nomine Baſſus, invenit eum jacentem in terra præ laſſitudine, porrexit ei SS. Euchariſtiam, & ſtatim confortatus ſurrexit. Fornerus de Paſſ. Dom. conc. 38. n. 4. fol. 264.

Maruſ. l. 4. c. 1. In Chron. Nauclet. Gen. 24.

Theodor. in Theop. hiſt. 26.

Fratrum quidam pientiſſimus acutiſſimis capitis doloribus vexatus, cum aliquando ad SS. Synaxin devote accederet, ſentit quaſi fruſtum plumbi ſibi a fronte avelli, & dein in perpetuum a dolore capitis fuit liberatus. E. Verb. *Communio* n. 6.

Si tactus Chriſti ſanavit omnis generis morbos, ait S. Chryſoſtomus, quanto magis, qui totum Chriſtum tangunt, imo manducant in Euchariſtia? Gorgonia ſoror S. Gregorii Nazianzeni per ſacram Communionem ab incurabili morbo fuit ſanata. C. in Matth. c. 14. v. 35.

## 54. *Indigne ſumpta ingens ſcelus*.

Poſt bucellam diabolus intravit in Judam: cur? Sanctus Leo ait: Corpore tantum cum cœnantibus recumbebat, mente autem Sacerdotum invidiam teſtium falſitatem cogitabat. &c. M. conc. 1. aſſ. 1. n. 5. Marchant. Cand. Myſt. tr. 4. lect. 9. prop. 1.

Nadab, & Abiu igne puniti ſunt, quia ad ſacrificium attulerunt ignem alienum: Mendoza ait: *Altare thymiamatis repræſentabat Euchariſtiæ Sacramentum*: Sicut ergo ante holocauſtum oblationes comburi debebant, ita peccata: alias væ tali Nadab, & Abiu. B. Serm. 55. n. 22. ſeq.

Sanctus Anſelmus, quod in menſe Aprili & Majo dentur frequentiores morbi & ſubitaneæ mortes, cauſam refundit in indignas Communiones: *Multi homines poſt Paſcha variis infirmitatibus corripiuntur, quia Corpus Redemptoris indigne ſuſceperunt*. B. Serm. 70. n. 21.

S. Anſ. in Lucam 22.

Cor-



Cordubæ in Hiſpania Nobilis ficte ſe conciliat cum inimico, & ſumens SS. Communionem moritur. Noctu duo juvenes veniunt ad Monaſterium, petunt Sacerdotem, eum ducunt ad Eccleſiam, jubent illum ſumere ſacram Pyxidem, dein tumulum Nobilis aperiunt, exſpuit ille SS. Hoſtiam quam ore tenebat, in ſacram pyxidem, & dein corpus illius cum grandi tumultu demerſum eſt in infernum. March. Cand. Myſt. tr. 4. lect. 10.

Quærunt SS. Patres, cur Deus Adamum non ſtatim repentina morte poſt comeſtum pomum vetitum una cum uxore puniverit, cum tamen Iſraelitas, qui poſt acceptum Manna carnes petierunt, horrenda ſtrage occiderit. Cauſam dant, quia pomum illud non erat typus SS. Euchariſtiæ, bene tamen Manna adeoque Adamus Euchariſtiæ nullam irrogavit injuriam, bene tamen Iſraelitæ; ideo puniti ſunt. Unde recte S. Iſidorus, Populus, inquit, faſtidiens cæleſtem Panem carnes Ægyptiacas deſideravit, ideo multa illorum millia occiduntur: Adamus non deliquit in Euchariſtiam, ideo repentina morte punitus non eſt.

S. Iſidor. in c. 11. Num.

## 55. *Non ſumatur ab homine libidinoſo*.

Deus ab Altari excluſit columbas, non vero pullos columbarum: cur? *quia libidinoſa avis eſt*, ait Bernardus, ideo vult pullos innocentes. B. ſerm. 51. n. 18.

David antequam panes propoſitionis accipit, ſevere interrogatur, an mundus ſit, & an mundi ſint pueri? B. ſerm. 25. n. 42.

S. Hieronymus ait: Dic mihi quiſquis es, qualiter iis labiis Filium Dei oſcularis, quibus oſculatus es labia meretricis. S. punct. 152. fol. 484.

Juvenis impurus deglutire non poteſt S. Hoſtiam, ſed illam exſpuit: poſtquam autem peccatum confeſſus eſt, ſine difficultate eam ſumpſit. March. Cand. Myſt. tr. 4. lect. 10.

Conſideremus, quanta puritate ex omni parte fuerit tractatum Corpus Chriſti, dum adhuc in hac mortali vita erat. Uterus Virginis, in quo conceptum jacuit, vocatus eſt a Spiritu Sancto *acervus tritici vallatus liliis*: veſtes Chriſti in monte Thabor erant ſicut nix: Angeli, qui ei ſerviebant non aliter comparuere, quam in veſtibus albis: a Joſepho Arimathæo involutum eſt in mundiſſima ſindone, & poſitum in monumento novo: aſcendens in cælum a lucidiſſima nube exceptum eſt. Si tunc tanta puritas requirebatur, dum corpus adhuc mortale erat, quanta nunc requiretur, dum glorioſum & immortale eſt? ſi Manna, ſymbolum Euchariſtiæ, non tetigit terram niſi prius candidiſſima pruina inſtratam, & cæleſti rore contectam, quæ puritas in corde noſtro requiritur pro SS. hoc Sacramento?

Cant. 7.

*Mittit cryſtallum ſuum ſicut buccellas*: Quæſo quæ ſimilitudo eſt inter cryſtallum, & buccellas panis? Non alia quam iſta: ſicut cryſtallus eſt puriſſima, in qua amabiliſſime ludit lux; ita cor debet eſſe purum & lucidum, quod Chriſtum, ſeu buccellam Divini Panis accipit.

Cur Deus elegit agnum ad ſacrificium Hebræorum? cur non vitulum? Reſpondeo. Quia agnus eſt animal caſtum. C. Exod. 12. v. 3.

## 56. *Non ſumatur a vindicativo*.

Sacerdos ſacrificans ſemper viſus eſt a pientiſſimo homine, quomodo a Chriſto Domino oſculum pacis acciperet. Una vice Chriſtus hoc obſequii genus illi exhibere omiſit; quia ſacerdos porcellum ſui vicini, a quo hortus ejus devaſtabatur, occidit. E. Verb. *Communio* n. 7.

Sacerdos præpoſitus cujuſdam Monaſterii cum Monialibus diſſidebat: cumque ſacrificans quamdam obſeſſam communicare vellet, dæmon publice illi exprobravit ſcelus, quod cum eo rancore auſus ſit ad altare accedere. E Verb. *Communio* n. 8.

Chriſtus Dominus poſt cœnam in hortum exivit: cur non inimicos ſuos in domo cœnæ exſpectavit? Coſterus quidem ait: quia noluit eſſe ingratus ſuo hoſpiti, tantum incommodum & tumultum militum admittendo in ejus domo: ſed dici etiam poteſt, inconveniens fuiſſe, ut in cænaculo, ubi paulo ante Agnus Divinus Apoſtolis communicantibus diſtribuebatur, paulo poſt milites & lictores bellicoſe tumultuarent. Sic in animo communicantis abſint bella & rancores. &c.

Franc. Coſter. de Paſſ. Domini Med. 1.

Notum eſt illud, quod homo vindicativus per integrum annum non potuerit videre ſacram Hoſtiam in manu Sacerdotis, conſequenter nec ſumere: poſtquam autem cum inimico reconciliatus eſt, omnino miſerante Deo, & videre SS. Euchariſtiam, & communicare potuit. E. Verbo *Euchariſtia* n. 23.

Maxime neceſſaria præparatio ad ſacram, Communionem eſt caritas tam Dei quam proximi: cum ergo Dominus

Deus

Deus Chriſtiano præcipit : cum offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adverſus te, vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc reverſus offeras munus tuum : ſi hæc, inquam, præcipit Deus Chriſtiano offerenti munus ad altare, quanto magis id exiget Deus a Chriſtiano referenti munus ab altari, & quidem munus excellentiſſimum, quo majus Deus ipſe dare non poteſt ! Si ſancto Gualberto interfectori fratris ſui veniam danti, e cruce benigno vultu annuit, qua facie intuebitur e ſacra Hoſtia Chriſtianum vindictam ſpirantem?

*57. Non ſumatur ab homine peccatore.*

Sacerdos poſt commiſſum peccatum grave in nocte Nativitatis Domini acceſſit ad altare ſacrificaturus: verum ecce! poſt conſecrationem adveniens nivea columba illi e calice Ss. Sanguinem ebibit, & Ss. Hoſtiam abripuit. Poſtquam autem ille pœnitentiam egit, columba & Ss. Sanguinem & Ss. Hoſtiam illi reſtituit. E. Verb. *Communio* n. 9.

Ægrotus peccatum in confeſſione celans non potuit deglutire ſacram Hoſtiam : confitens autem peccatum, non minus hanc, quam antea cibos ac medicinas potuit deglutire. E. Verb. *Confeſſio* n. 31.

Dum S. Cyrus Epiſc. populum ad fidem converſum communicat, etiam Judæus accedere auſus eſt. Sed ubi ſacram Hoſtiam ore recepit horrendum ululare cæpit, donec Hoſtia ab Epiſcopo fuit ex ore recepta. *N.* 12. *Sept.*

O quantam nauſeam & averſionem puriſſimo Dei Filio cauſabunt feminæ eousque impudentes, ut etiam veſtitu, ornatuque inverecundo ad ſanctiſſimum epulum accedere auſint ! Petrus antequam per mare curreret ad Chriſtum, præcinxit ſe, quod pudoris eſt, ait Theophilactus. Seraphini velabant pedes, id eſt, partes illas, ait Gaſpar Sanchez, quæ in humana ſpecie non poterant honeſte videri. An non Chriſtiana Angelicum pudorem in hoc Sacramento imitetur? S. punct. 152. fol. 480.

Arca Domini in Veteri Lege maxima reverentia voluit tractari: nemini licuit illam attingere, aut tranſportare: Philiſtæi dum illam bello captam in ſuis provinciis detinent, morbis, ſtragibus, innumeriſque malis puniuntur : Ex Betſamitis, qui curioſo illam oculo ſcrutabantur, quinquaginta millia morte ſublata ſunt. Oza labentem contingere auſus a Domino percuſſus interiit. Quid ergo erat Arca, quid complectebatur? fuit figura Ss. Euchariſtiæ, in ea aſſervabantur Tabulæ Moyſis & Manna: Si ergo Deus adeo zelatus eſt honorem figuræ, quomodo puniet indigne tractantes figuratum, ſeu Corpus Divini Filii ſui? *Si talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate?* ait S. Thomas de Villanova. *S. Thom. Villan. conc. 3. de Sacr.*

*58. Aggravat peccatum relapſus.*

Deus Iſraelitis dedit Manna: ſed dum iterum murmurant, & affectant carnes, *percuſſit eos plaga magna nimis*. Cur non etiam primo punivit murmurantes? Sanctus Cyrillus reſpondet, quia tunc necdum acceperant Manna : prima murmuratio fragilitas erat, ſecunda contemptus beneficii Divini. &c. Ita pariter gravius eſt peccatum cæteris paribus poſt communionem, quam antea. B. ſerm. 60. n. 25. Serm. 70. n. 23.

Deus conqueritur contra nonnullos: ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, ſed tu homo unanimis, & notus meus, qui mecum dulces capiebas cibos! Ecce! injuria, quæ ab amico venit paulo ante ad menſam adhibito, pro enormi, & graviore habetur, quam quæ venit ab inimico. Judas ſæpe ſugillabat opera Chriſti, & infidus erat in adminiſtrando Apoſtolici collegii peculio, & tamen a Deo non fuit derelictus. Verum cum poſt cænam Dominicam, ſumptumque Chriſti corpus, Divinum Magiſtrum vendidit, in reprobum ſenſum datus, fune ſe ſuſpendit, & periit.

Infortunia, morbi, & repentinæ mortes nunquam magis crebreſcunt, quam circa tempus Paſchale: Quare? multi putabunt, hos eſſe effectus, & reliquias ex hyemali intemperie reſiduas, ſed Durandus aliam rationem aſſignat, inquiens : *Durand. in Ratio. l. 6. c. 102.* *Pro eo, quod, cum in quadrageſima continenter vixiſſent, & in Paſcha Corpus Domini recepiſſent, poſtmodum ludis, comeſſationibus, & luxuriæ fræna laxabant.* Adhuc apertius S. Anſelmus loquitur : *S. Anſel. in 1. Cor. 11.* *Multi homines poſt Paſcha variis infirmitatibus corripiuntur, quia Corpus Redemptoris indigne receperunt.* B. ſerm. 70. n. 21. 22.

*59. Præſervat a peccatis, & tentationibus.*

Panes propoſitionis duodecim erant, & unus ponebatur ſuper alterum, ut calor conſervaretur: ita Euchariſtia conſervat calorem caritatis. B. ſer. 62. n. 23.



Dum Manna pluit Iſraeli, *non erat in tribubus eorum infirmus* : ita infirmitas animæ locum non habet, ubi cæleſte hoc Manna frequentatur. B. ſerm. 70. n. 8. ad finem.

*Tunc ſaliet ſicut cervus claudus*, id eſt peccator, qui antea vix repere poterat in ſemita mandatorum, & via cæli exultabit, ſi muniatur hoc pabulo confortante. M. conc. 34. aſſ. 3. n. 6.

Elias bis ſumpſit panem, & dum prima vice laſſus ac fatigatus obdormivit, altera vice potuit ambulare uſque ad verticem montis. B. ſerm. 80. n. 7.

Corvus Eliæ ferebat panem, & carnem : an non comedit carnem volucris carnivora? non: nam panem ore, & carnem pedibus gerebat, & ſic comedere non poterat. Tu quiſquis es carnis pruritum non ſenties, ſi ore feras panem Euchariſticum. B. ſerm. 80. n. 16.

S. Bernardus ait : ſiquis veſtrum non tam ſæpe modo non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ &c. gratias agat corpori, & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. S. punct. 152. fol. 482.

Iſraelitæ poſt Agnum Paſchalem jubebantur *ſeptem diebus* comedere azyma. Quare? ut ſignificetur, quod nihil de fermento Ægyptiacæ vitæ retinere, ſed toto corde virtutis iter ingredi debeant. C. Exod. 12. v. 15. Qui poſtea fermentum comederit, *peribit anima illa*, id eſt, morte puniebatur. Ibid.

*60. Hominem firmat in fide.*

Diſcipuli euntes in Emmaus vacillant in fide, ſed agnoſcunt Dominum in fractione panis, ait Sanctus Eucherius. M. conc. 7. aſſ. 2. n. 3.

*In omnibus ſumentes ſcutum fidei*: quale ſcutum hoc eſt? fides pingitur cum Ss. Sacramento in manu, ait Areſius : ſcutum fidei ergo eſt ſanctiſſimum Myſterium. B. ſerm. 80. n. 15.

Sacerdos multis dubiis & ſcrupulis circa hoc Sacramentum agitatus rem committit Beatiſſimæ Virgini. Dum aliquando ſacrum legit, ad *Pater noſter* diſparuit illi Ss. Hoſtia. Dum circumſpicit videt Mariam ſibi dicentem: Ecce, quem conſecraſti, quem manibus tractaſti, quem elevaſti. En igitur tibi trado Filium meum, accipe, & conſumma Miſſæ Sacrificium. Accipit Sacerdos puerum, in corporali reclinat, & cum ad fractionem Hoſtiæ pertigit, non amplius in forma pueri, ſed in forma panis apparuit. March. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 2. propoſ. 3. n. 3.

Chriſtus Dominus Apoſtolos in ultima cœna Ss. Corpore & Sanguine ſuo refecit; quia fides eorum per humilitatem paſſionis erat vehementer oppugnanda.

S. Edmundus de Ss. Trinitate, & altiſſimis fidei myſteriis, inſtar doctiſſimi Theologi illuminatiſſima eruditione diſputabat. Mirabantur omnes novum Thomam aut Auguſtinum. Verum compertum eſt, quod pridie candidiſſima columba illi ſacram Hoſtiam de cælo attulerit, a qua ſine dubio cæleſtem hanc ſcientiam hauſit. *Surius.*

*61. Munit ad mortem.*

Chriſtus antequam ad paſſionem ivit, ſeipſum quaſi communivit ad mortem per inſtitutionem Sacroſanctæ Euchariſtiæ. M. conc. 1. aſſ. 2. n. 8.

Sancto Abrulfo ſeptuaginta Monachi peſte abrepti ſunt, inter quos erat Auſbertus: cum ergo Abbas domum rediit, interrogavit, an Ausbertus ſacra Communione ad mortem fuiſſet munitus? reſponſum fuit: Non! tunc defunctum a mortuis excitavit, & ſacro Viatico refectum iterum dimiſit. Sanchez part. 7. c. 4. fol. 976.

Ramirus Rex Hiſpaniæ a Saracenis cæſus in montes fugit, ibi apparuit illi S. Jacobus, promiſitque victoriam, ea lege, ut milites omnes ſe ſacra Communione munirent. Factum, ut præceptum! & ecce! Hiſpani innumerabilem ſtragem barbarorum fecerunt, qua Sicilia tota ab eorum jugo liberata eſt. Sic, mi Chriſtiane roborare Ss. Euchariſtia, & vinces totum inferni exercitum. Lob. Bib. V. Communio §. 3. n. 11.

Iſraelitæ agnum Paſchalem cum baculis in manibus comedebant, tanquam itinerantes: cum igitur iter ad æternitatem inſtat, Ss. Euchariſtia in modum Viatici ſumenda eſt, quia ſpecialem tribuit aſſiſtentiam Angelorum, & glorioſam reſurrectionem corporum. C. Exod. c. 12. v. 47. in fine.

Hinc omnes Sancti, etiam in eremis habitantes ſolicite curarunt, ut in morte Ss. Viatico munirentur. S. Magdalena poſt triginta annorum ſolitudinem vocat S. Maximum Epiſcopum, ut ſibi Ss. Corpus Chriſti afferret. S. Honoratus Epiſcopus Vercellenſis ab Angelo admonetur,

netur, ut ſine mora S. Ambroſio morituriенti ſuccurreret. Sanctæ Mariæ Ægyptiæ mirabiliter ſubmittitur Zoſimas Sacerdos, qui illam ante mortem SS. Euchariſtia refecit. &c. Daveroult. de Sacr. c. 5. tit. 15.

Sacrificium Miſſæ.

*62. Quanta munditie debeat celebrari.*

*Pſal. 33.* Q*Uis poterit habitare cum igne?* ubi Lyranus: id eſt digne miniſtrare in altari holocauſtorum, ubi erat ignis perpetuus. S. punct. 153. fol. 479.

*Levit. 15.* *Laventque veſtimenta ſua*, ubi Ambroſius: Diſce Sacerdos, ut mundum corpus celebrandis adhibeas Sacramentis. S. punct. 152. fol. 486.

Sacrificaturi in Veteri Teſtamento prohibebantur accedere ad uxorem, quanto magis in lege gratiæ ſacrificaturi ab omni immunditie liberi eſſe debent? David accepturus panes propoſitionis interrogatur ſi mundi ſunt pueri? &c. S. Ib. fol. 486.

Abbas Mutues cum ſocio ſuo inviti ſunt ordinari ab Epiſcopo, ideo nullus per omnem vitam ſacrificavit: dicere ſolebat Abbas: ſacrificent, qui ſine culpa ſunt, ego non ſum. &c. E. *Ordo* n. 3.

Omnia veſtimenta ſacerdotalia admonent Sacerdotem, ut induat juſtitiam & puritatem. N. 6. April.

Chriſtus Dominus pro Nativitate elegit Matrem puriſſimam ſine macula, & poſt mortem elegit ſepulcrum, in quo nemo poſitus erat. Sic cor debet eſſe Sacerdotis illibatum, in quo nullum fœtens cadaver, id eſt, nullum peccatum receptum fuit. Hinc Sancti tergiverſati ſunt, & contremuerunt ordinandi in Sacerdotes. Sancto Franciſco Seraphico Angelus oſtendit phialam cryſtallinam lucidiſſimam, puriſſimam, dicens: En Franciſce, ſic coram Deo conſtituta eſſe debet anima Sacerdotis. *Sacerdos*, ait S. Laurentius Juſtinianus, *quoniam Angelorum vice fungitur, Angelicam potius, quam humanam debet habere converſationem.* (*S. Laur. Juſt. ſer. de Corp. Chriſti.*)

*63. Celebrare in peccato ingens ſcelus.*

Tempore Tiberii accuſatus eſt Vir, quod vas immundum tetigerit manu illa, in qua annulum cum Imperatoris imagine ferebat. B. ſerm. 27. n. 19. (*Seneca l. 3. de Benef. c. 26.*)

Sanctus Hieronymus ait: Dic mihi, quiſquis es, qualiter iis labiis oſcularis filium Dei, quibus oſculatus es labia meretricis? S. punct. 152. fol. 484.

Deus graviſſime invehitur per Prophetam in Sacerdotes, eo *quod offertis ſuper altare panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te &c.* S. punct. 152. fol. 481.

Sacerdoti indigne celebranti labia & nares computreſcunt: alteri manus in altari uſque ad cubitos comburuntur. E. *Miſſa* n. 5.

Alius non panem, ſed infantulum manducare viſus eſt, qui vero manibus & pedibus reluctans nolebat os Sacerdotis ingredi. Poſtquam autem Sacerdos pœnituit, infantulus lubens intrabat. E. *Miſſa* n. 8. Vide Marchant. de Ss. Sacram. Lect. 9.

S. Theodorus Epiſc. calicem pro ſacrificio emptum ſtatim abjecit. Mirantibus Clericis præcepit, ut ſecum orarent. Orarunt, & ecce! calix nigricantem formam induit. Cum reſtitutus fuit artifici, faſſus is eſt, quod argentum calicis ab impudenti femina acceperit. Si hoc de argento, quid de corde ſacrificantis? N. 22. April.

Sponſus poſtquam comedit mel & favum invitavit amicos: *Comedite amici*: *Cant. 5.* amicitia autem eſt Dei gratia: ſicut ergo Communicantes, ita & Sacerdotes procurare debent ſtatum gratiæ, antequam ſacrificent: diſcutiant conſcientiam, manus, pedes, aliaque an nihil criminis illis inhæreat; qui enim vult aſcendere in montem Domini, neceſſe *Pſal. 13.* eſt ut ſit innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam. Marchant. de Ss. Sacram. tr. 4. lect. 9.

*64. Celebrare diſtracte & negligenter Deo odibile.*

Chriſtus Dominus Judæ proditori æternum væ comminatus eſt: Quare? non ſolum ob crimen proditionis, ſed etiam ob alia ſcelera: dum enim ſedebat ad cœnam, ajebat Chriſtus: *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*, ubi advertit Ayllonius: *Ecce manus, tantum: Non animus, non pia affectio, non conſideratio &c.* Væ igitur celebranti, qui tantum corpore reus in altari eſt. &c. B. ſerm. 27. n. 20. (*Ayllon. elucub. in Luc. 22. n. 310.*)

Sacerdos cum hoſpites ad convivium invitaſſet, piſces illis parari juſſit, & ipſe interim celebravit: ſed diſtractiſſime; quia ſemper metuebat, ne piſcibus plus aut minus ſalis adhiberetur. Subito ergo adfuit dæmon in cacabo piſces cum ſale afferens, & dicens: ecce! adeſt cibus, de quo angeris, inſperge ſal! &c. hæc autem dicens, mire Sacerdoti inſultabat. E. *Miſſa* n. 9.



Magna itidem irreverentia eſt celebrare Sacrificium ſine debita gratiarum actione, id quod iterum adverti poteſt in Juda proditore, dicente ſacro textu: *Cum accepiſſet buccellam, exivit continuo*, ubi ſubjungit Chryſt. *Niſi ille exiiſſet, proditor factus non fuiſſet: Judam imitantur, qui ante ultimam gratiarum actionem diſcedunt.* B. ſerm. 27. n. 21. (*S. Chryſ. Hom. de Bapt. Chriſti.*)

Quamquam venialia peccata antecedentia ſumptionem, & celebrationem Ss. Euchariſtiæ non impediant, impediunt tamen illius effectum venialia concomitantia, uti tepiditas, diſtractiones voluntariæ, & negligentia præparationis, ac devotionis. Figura hujus obligationis habetur in comedentibus Agnum Paſchalem, nam 1. comedere illum debebant cum azymis, ideſt cum puritate conſcientiæ. 2. Cum lactucis agreſtibus, ideſt, cum contritione animi, & recordatione amariſſimæ Paſſionis. 3. Nil crudum, aut non coctum adhibere poterant, ideſt, nil perfunctorie agendum, ſed cum magna conſideratione, & deſiderio. 4. Comedebant ſtantes, & feſtinantes, ideſt, cum ſpirituali aviditate. 5. Renes accincti, ideſt, cum caſtitate, & mortificatione, &c. March. de Ss. Sacram. tr. 5. lect. 11. prop. 2.

*65. Celebrari debet cum magno fervore.*

S. Maura Virgo Trecenſis diligentiſſime indumenta ſacerdotalia curare ſolebat. Hæc devotio adeo placuit Deo, ut cuidam Albæ ſacerdotali propriis manibus a Virgine confectæ, & Epiſcopo Prudentio donatæ hanc virtutem impertierit, ut non ſolum Epiſcopo, ſed etiam aliis ſacerdotibus, hac alba ad Miſſam utentibus donum pietatis infuderit, ut protinus (præter alia ſolatia ſpiritualia) in pias lacrymas fuerint effuſi. *Marchese* 12. *Aug.* Utinam hæc Alba adhuc extaret in rerum natura, aut omnia veſtimenta ſacerdotalia haberent hunc effectum, ut multi Sacerdotes admonerentur ſuæ obligationis, qui ſacram actionem luride deproperant, aut ea peracta ſtatim ad fabulas aut negotia dilabuntur. Venerabilis Avila talem Sacerdotem ſtatim poſt ſacra e templo dilapſum moneri juſſit, Chriſtum eſſe honeſtum Virum, adeoque alloquio digniſſimum, &c.

S. Chryſoſt. ait: *Per id tempus locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt.* Sicut ergo Sacerdos Angelorum choris immixtus eſt; ita Angelorum caritate ardere debet. (*S. Chryſ. l. 6. de Sacer.*)

*66. Prærequirit, & movet ad pœnitentiam.*

In Veteri Teſtamento lotiones pedum erant in uſu ante convivia. Salvator vinum in nuptiis non dedit, niſi prius aqua afferretur. Paſcha comedit, ubi amphora aquæ in domum inferebatur. Ex Chriſti latere aqua cum ſanguine fluxit, ut, qui aqua ſe laviſſent, ait Tertullianus, etiam ſanguinem biberent. S. pun. 152. Labrum æneum olim ſtabat ante ingreſſum templi, ut Sacerdotes introeuntes tabernaculum prius lavarentur. S. punct. 152. fol. 486.

Cur Petrus ſtatim egreſſus *Flevit amare?* Reſpondeo, quia a ſervo fuit interrogatus, nonne vidi te in horto? En! mentio horti, ubi Chriſtus ſanguinem ſudavit, commovit animum Petri ad pœnitentiam. M. conc. 10. §. 1. n. 9.

S. Chryſoſt. ait: hic ſanguis effuſus univerſum abluit orbem terrarum: hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, &c. S. pun. 4. fol. 547.

Sanguis Chriſti medicina eſt contra omnia ſcelera: ait Aug. fuſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamentum phrenetici. Et Bern. Filius Dei Altiſſimi jubetur occidi ut vulneribus meis pretioſo ſanguinis ſui balſamo mederetur, &c. S. pun. 37. fol. 772. (*S. Aug. in Lcont. 5. hæreſ. S. Bern. Ser. 3. de Nat.*)

Chriſtus Dominus ſemel aqua lavit pedes Apoſtolorum, nunc quotidie nos lavat ſuo ſanguine. M. conc. 10. aſſ. 1. n. 6. & ſeq.

Dives Epulo fruſtra clamavit aquam: clamaſſet hunc ſanguinem, & forſan veniam conſecutus fuiſſet, quia hic ſanguis extinguit gehennam. M. conc. 41. aſſ. 4. n. 18.

Populus Iſrael Deum vidit, poſtquam a Moyſe conſperſus fuit ſanguine: ita nos Deum non videbimus niſi conſperſi Sanguine Chriſti, M. conc. 10. aſſ. 1. n. 3.

Sanguis Abelis clamavit vindictam de terra contra ſuum interfectorem: ſed longe potentius clamat Sanguis Chriſti ad noſtram propitiationem. M. conc. 10. aſſ. 1. n. 5.

Sicut ſanguis cervi ſaucii viam monſtrat inſequentibus: ita Sanguis Chriſti ſemitam cæli oſtendit, &c. M. conc. 10. aſſ. 1. n. 7. 8.

### 67. *Ab indigno Sacerdote celebratum non perdit valorem.*

Intuere pretioſum illum e marmore & metallo confectum fontem: aqua ex faucibus Draconum & ſerpentum exilit. Quis vellet bibere hanc aquam? Et tamen ſaluberrime bibitur: Quare? quia originem ſuam non habet in ventribus aut facibus draconum, ſed ex limpidiſſima ſcaturigine, quæ per occultos meatus & canales procul huc advehitur. Parem in modum Sacrificium non perdit valorem; quia non ab hoc malo Sacerdote, ſed aliunde, nempe a Chriſto originem habet.

S. Franciſcus Sacerdotis mali manus ad confuſionem hæreticorum pie oſculabatur, inquiens, per peccaminoſum ejus vitam non derogari virtuti Sacramenti. E. *Sacerdos* 1.

Cum Scribæ & Phariſæi videntes miracula Chriſti, ſoliciti eſſent de Synagoga & ſua ſecta, repoſuit Caiphas: Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Ubi ſacer textus ſubnectit: *Hoc a ſemetipſo non* Joan. 11. *dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quia Jeſus moriturus erat pro gente.* Sed nunquid Caiphas erat ſceleratus, & ſi non auctor, certe particeps atrociſſimi criminis Deicidii? Ita omnino eſt! ſed non obſtante ſua impietate, quia fuit Pontifex, fundere debuit oraculum Divinum. Parem in modum, etſi Sacerdos ſit ſceleratus, actionem tamen Divinam, non ſuo, ſed Dei nomine peragit.

Nummus Aureus cum effigie Cæſaris non perdit valorem, etiamſi immundo marſupio includatur: Edictum regium honorabile eſt, etiamſi immundis manibus tractetur, aut fœtenti ore promulgetur. Ita Sacrificium non maculatur ex vitiis mali Sacerdotis &c.

### 68. *Eſt myſtica renovatio Paſſionis Domini.*

Summus amoris exceſſus eſt pro altero mori, juxta illud: Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam det. Sed hæc caritas habet eam imperfectionem, ut qui una vice moritur, non poſſit pro illo iterum mori. Chriſtus ita nos amavit, ut ſemel in cruce pro nobis mortuus fuerit, ſed cum videret, ſe non amplius mori poſſe, Superi! quid excogitavit! invenit modum in Sacramento iterum moriendi, & repetendi mortem, non perdendo vitam. Videtur ſponſa alluſiſſe ad hoc prodigium amoris: *Fortis ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio.* Amor Cant. 8. ergo eſt ſicut mors, & ſi ex amore fiat æmulatio eſt ſicut infernus. Quæ ergo differentia inter mortem & infernum? Mors tollit vitam, infernus continuat mortem. Chriſtus in cruce habuit amorem, ideo poſuit vitam, in SS. Sacramento habet æmulationem, quia quaſi continuat ſuam mortem; in cruce mortuus eſt ſemel, in Sacramento moritur quotidie.

Chriſtus paſſus eſt in cruce ſemel, ſed hoc non contentus iterum moritur in Sacramento. Cur? audiamus figuram ſcripturiſticam: ſcimus quod mors Chriſti fuerit figurata in Abel, & in Iſaac: quare autem hoc? Non ut teſtificaretur innocentiam victimæ, ſed ut mutaret manum impii Miniſtri, ſcelerato Caino ſubſtituendo pium Abrahamum: In Abele operabatur invidia, in Abrahamo amor, ſacrificium Abelis fuit cruentum, Abrahami incruentum. Sic proportionaliter loquendum eſt de morte Chriſti in cruce, & morte Chriſti in ſacrificio; cogitatio hæc eſt pulcherrima S. Gregorii Nyſſeni: Voluit Chriſtus in Sacramento purificare paſſionem ſuam, ſubſtituendo pro iniquis Miniſtris ſanctiores, nimirum ſe, ſacerdotes, & communicantes, qui quoties hoc myſterio fruuntur, mortem Domini renovant, ſed modo prorſus ſanctiore.

### 69. *Eſt Deo gratiſſimum.*

Sacerdos Romæ ex apoplexia memoriam omnem, & loquelam perdidit. Cum autem ad altare admitteretur totum ſacrificium ordinatiſſime ac diſtinctiſſime legit, ea etiam quæ memoriter recitanda ſunt, recitavit, cum tamen extra altare nec verbulum pronunciare potuerit. Similiter alius ex ſenio cæcus, cum ad altare accedebat, characteres Miſſalis perfecte omnes, & extra hunc nihil videbat. J. 80.

Et quidni gratum ſit Deo, cum ſit theſaurus, & pretium infiniti valoris. Noſtra debita erga Deum ſunt infinita, ſacrificio autem omnia poſſumus expungere: tenemur Deum honorare modo infinito propter ejus Majeſtatem, propter offenſas illi illatas, propter beneficia ab eo accepta, & accipienda, atque his omnibus debitis ſatisfit per Sacrificium Miſſæ. P. Hom. Chr. p. 1. diſc. 12. n. 2.

Si



Si Beatiſſima Virgo in cœlis, cum omnibus Angelis, & Electis Dei coram throno Ss. Trinitatis ſe proſternerent, atque Deo honoris, laudis, humilitatis, omniumque virtutum obſequia offerrent, necdum Deo cauſarent tantam complacentiam, quantam illi cauſat in terris vel minimus Sacerdos offerens ſacrificium.

Dices: Sacrificium Miſſæ eſt Memoriale cruenti ſacrificii in cruce: ſicut ergo Rex delectari non poteſt memoria latrocinii filii ſui, ita nec Deus! Reſpondeo, eſt magna diſparitas: Dei Filius libere ex amore obedientiæ erga Patrem, & Miſericordia erga humanum genus ſubiit mortem crucis. 2. Per hanc mortem factus eſt Dominus cœli & terræ, Judex vivorum & mortuorum. 3. Reſurrexit glorioſus, & debellavit tyrannidem infernalis Luciferi. 4. Innumerabiles actus adorationis, amoris & gratitudinis per omnem æternitatem ſibi conciliavit, quorum nihil verificatur cum filio Regis, &c.

### 70. *Eſt ſacrificium Euchariſticum.*

Deus utut graviter quotidie offenſus, infinita nobis largitur beneficia, hinc etiam exigit a nobis infinitam gratitudi- Tob. 12. nem: Verum ubi inveniemus ærarium tam locuples? *Quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus?* certe ex nobis nihil haberemus, niſi Deus Ss. hoc Sacrificium inſtituiſſet, &c. P. p. 1. diſc. 12. n. 10.

Quin imo videtur, per ſacrificium, quia illud quotidie, & millies litatur, Deo plus reddi, quam ille nobis dederit, tantum unica vice dando nobis ſuum Filium. Et ſic adimplemus legem gratitudinis ultra doni accepti menſuram. P. p. 1. diſc. 12. n. 12.

Optima beneficiorum cuſtos, ait S. S. Chryſ. Hom. 26. in Matt. Chryſoſtomus, eſt ipſa memoria beneficiorum; hinc illa ſalutaria myſteria, quæ in Eccleſia celebrantur, Euchariſtia, ſeu gratiarum actio nuncupantur.

Dominus Deus innumerabilia peccata homini contulit: illum ab æterno dilexit, in tempore ex nihilo creavit, per plurimos annos conſervavit, valetudinem integram dedit, ad ſanctam ſalvificam fidem vocavit, ſua morte & ſanguine redemit, poſt peccatum pœnitentiæ gratiam indulſit, ſuo corpore & ſanguine pavit. Aliaque plurima beneficia illi contulit, ita, ut ſi vel unico momento a conſervatione illius ceſſaſſet, ille in ſuum nihilum relapſus fuiſſet. Jam interrogat S. David, *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* ſi Domino Deo totum me corpore & anima tenus conſecrem, quaſi nihilum erit coram oculis immenſæ Majeſtatis. Igitur Chriſtus Dominus Miſſæ Sacrificium Euchariſticum inſtituit, ut haberemus infinitum donum, quod pro infinitis beneficiis illi in gratiarum actionem rependeremus, &c.

### 71. *Eſt ſacrificium Latreuticum.*

Si cuilibet dignitati debetur proportionatus honor, certe Divinæ dignitati debetur infinitus. *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.* Sed quid Pſ. 150. poſſumus Deo condignum tribuere? totus mundus quaſi nihil eſt ad ejus comparationem, qui eſt rerum omnium conditor. Nihil eſt dignum Deo, niſi ipſe Deus: Deus ipſe de ſuo throno deſcendat, ut fiat victima in altari, ſicque donum reſpondeat Excellentiæ Majeſtatis, &c. P. p. 1. diſc. 12. n. 3.

Devota anima optabat, ut Deum mille linguis laudare, mille cordibus amare, & illi omnes creaturas ſubdere poſſit: Deus reſpondit, hoc omne & infinities plura fieri per unum ſacrificium. Deo majus honoris tributum penditur per unum ſacrificium, quam per obſequia omnium Beatorum &c. P. p. 1. diſc. 12. n. 4.

Certum eſt, quod Divina Majeſtas per excellentiſſimos virtutum actus, fidei, ſpei, caritatis, Religionis, alioſque adorari debeat: hi autem actus, habituſque virtutum per Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium impetrantur, & excitantur: hinc ait Rupertus Abbas: per hoc ſacrificium *caritas Chriſti concaleſcit, perſtat* Rup. Ab. de Div. Off. l. 2. c. 10. *ſuper fundamentum ſuum ædificium fidei.* Et S. Bonaventura: *Tolle hoc Sacramentum de Eccleſia, & quid erit in mundo,* S. Bonav. de Præp. ad Miſſ. c. 2. *niſi error, & infidelitas, populus Chriſtianus erit quaſi grex pecorum diſperſus, & idololatriæ deditus, ſicut patet in cæteris infidelibus.*

### 72. *Eſt ſacrificium propitiatorium.*

Deum graviter offendimus, & adhuc quotidie ad iram provocamus. Hæc eſt tanta injuria, pro qua ſatisfacere non poteſt totus orbis: Deus ſolus poteſt placare iram Dei; hinc eſt, quod antiqui Patriarchæ tam ardenter deſiderarint adventum Meſſiæ. Sic ira Numinis primo placata fuit per ſacrificium cruentum crucis, & quotidie placatur per ſacri-

ſrificium incruentum Altaris. Jam dudum mundus periiſſet, niſi eſſet hoc Sacrificium. P. 1. par. diſc. 12. n. 5.

Olim Deus erat plane auſterus; ob adulterium viginti millia Benjamitarum occidi gladio voluit: ob ſuperbam levitatem Davidis miſit peſtem funeſtiſſimam. Ob unum obtutum curioſum in Arcam Betſamitarum quinquaginta millia occidit, &c. Quæ cauſa eſt, quod nunc Deus ſit mitiſſimus, & patienter diſſimulet peccata? Sacrificium Miſſæ in cauſa eſt, quod quotidie, & ſemper offertur. P. p. 1. diſc. 12. n. 6.

Quia in Veteri teſtamento hoc ſacrificium deerat, ideo illi cum omnibus ſuis ritibus non poterant placare Deum. Nunc autem non eſt alia ratio efficacior propitiandi Deum, quam hoc ſacrificium. In Græcia peſtis ſedatur per ignes accenſos, quibus aer purgabatur; nunc cum publice calamitates graſſantur, ſignum eſt aerem peccatis eſſe infectum: huic malo non eſt potentius remedium, quam ſi ignis ille Divinus in Altari accendatur. P. p. 1. diſc. 12. n. 7.

Sicut ſacrificium cruentum Chriſti, ita & incruentum impetrat remiſſionem peccatorum iis, pro quibus offertur, in quantum illis impetrat gratiam contritionis, ait S. Thomas. *S. Tho. in 4. diſt. 12. q. 1. ad 4.*

Scimus, quam graviter & auſtere Deus in Veteri Teſtamento peccatum punierit. Mundum univerſali cataclyſmo ſubmerſit: Ob Davidis populum numerantis ambitionem, ſeptuaginta hominum millia peſte extinxit: Betſamitæ ob inſpectam curioſe arcam quinquaginta millium ſtrage puniuntur. Cur nunc Dominus Deus adeo manſueſcit, ut peccata diſſimulet? Ratio eſt, quia propitiatur ſacrificio, &c.

### 73. *Eſt ſacrificium ſatisfactorium.*

Divina Juſtitia poteſt quemlibet peccatorem illis verbis compellare: *Redde, quod debes*: redde honorem, quem peccatis tuis mihi abſtuliſti. Quomodo autem honor iſte reddendus eſt? vitæ omnium hominum non ſatis ſunt ad expungendum unicum peccatum, multo minus vitæ animalium. Huic autem injuriæ plene ſatisfacit Victima Divina Chriſtus in ſacrificio, &c. P. p. 1. diſc. 12. n. 8.

Quidam miles in pugna vulneratus, & captivatus vinculis ligari non potuit: venditus in ſervitutem, iterum vinculis, ultro diſſilientibus ligari non valuit; quia ejus cognatus ſacerdos frequenter pro eo ſacrificium faciebat. E. *Euchariſtia* n. 11. Quanto magis ſacrificium diſrumpet vincula animarum purgantium.

Concilium Tridentinum ait: Sacrificium Miſſæ, & ſacrificium crucis unum idemque eſt, & unus idemque offerens per miniſterium Sacerdotum, qui in cruce ſe Divino Patri obtulit. Sicut ergo per ſacrificium crucis Chriſtus ſatisfecit pro peccatis totius mundi, ita per ſacrificium Miſſæ hodiedum pro peccatis noſtris ſatisfacit. *Nihil hoc ſacrificio acceptabilius Deo Patri pro reconciliandis peccatoribus*, ait S. Laurentius Juſtinianus. *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2.* *S. Laure. Juſtin. de inſt. Prælat. c. 20.*

Monachus, Nomine Juſtus, quia contra votum paupertatis aliquid pecuniæ reſervavit, in morte a fratribus deſeritur, & ſepultura ſacra privatur, cum his verbis: Pecunia tua ſit tecum in perditionem! S. Gregorius miſertus Juſti (fuit enim illius diſcipulus) mandat Priori Monaſterii, ut triginta diebus pro defuncto ſacrificaret: trigeſima die apparuit anima, & pro ſua liberatione gratias egit.

Sacerdoti cuidam thermis ſalutaribus utenti ignotus famulus peramanter ſerviebat. Sacerdos illum denique mercede remunerari voluit, ſed audit, ſe non hominem, ſed animam eſſe ad expianda peccata huc relegatam, rogare ſe, ut piaculare ſacrificium pro ſe offerret. Fecit id Sacerdos, & ſpiritus non amplius comparuit. Vide Daveroultium cap. 5. titul. 19.

### 74. *Eſt ſacrificium Impetratorium.*

Virtus Religionis nos obligat, ut Deum omnium bonorum, quæ accipimus, & ſperamus, fontem eſſe profiteamur; id etiam exigit ipſe Deus: *Invoca me, & honorificabis me*. Quis autem eſſet dignus a Deo aliquid impetrare, quem quotidie offendimus? Nemo eſſet dignus, niſi haberemus Ss. Sacrificium. P. p. 1. diſ. 12. n. 13. *Pſal. 9.*

Cum ipſe Dei Filius in Ara litatus preces ſuas nobiſcum conjungat, eaſque Divino Patri offerat, judicate quam potens ſit hæc oratio, & interceſſio. P. p. 1. diſ. 12. n. 14.

Si ipſa Beatiſs. Deiparens de cœlo delapſa Filium ſuum pro nobis ſupplex interpellaret, quantum ſpei in illius precibus collocare poſſemus? & ecce! non Deipara ſed ipſe Dei Filius advocatus noſter eſt; quid poterit Divinus Pater ejus innocen-



nocentiæ negare? Alphonſus Albuquercius in periculo naufragii innocentem puerulum verſus cælum orans ſuſtulit, & mare ſedatum fuit: quid fiet ſi ſacerdos JESUM Dei Filium elevat, &c. P. p. 1. diſ. 12. n. 15.

Munera humanis judicibus ſunt prohibita; quia excæcant, & juſtitiam infringunt. At in Divinis noſtra eſt obligatio, ut Deum ſummis, quibus poſſumus, muneribus honoremus. Cum igitur munus Ss. Sacrificii ſit infiniti pretii, utique juſtitia Dei viciſſim obſtringetur, ut noſtri miſereatur: ſi Deus hauſtum frigidæ non ſinit impræmiatum, quomodo non omnia dabit pro ſanguine Filii ſui, &c. P. p. 1. diſ. 12. n. 16.

Solet, qui beneficium ab altero impetrare deſiderat, illius voluntatem muneribus præparare. Sic Patris æterni voluntas oblatione Chriſti diſponitur, ut nihil poſſit negare. Abraham obtulit filium, non actu ſed voluntate, & Deus continere ſe non poterat, quin diceret: *Benedicens benedicam tibi!* quid ergo negabit offerenti Chriſtum, Filium ſuum? *Oſor. tom. 4. de Sacr. Miſſæ.*

### 75. *Prodeſt in tentationibus & neceſſitatibus animæ.*

Noſtra tepiditas in cauſa eſt, quod ſalutares effectus ſacrificii non ſentiamus: ſi cum ea, quæ par eſt devotione, illud audiremus, poſſemus totum infernum debellare. Nobilis depauperatus inſolentiſſimis deſperationis tentationibus exagitabatur: a Confeſſario conſilium recipit, ut nullo die ſacrum intermitteret: aliquando ſero veniens audit ab obviante ruſtico ſacrum finitum jam eſſe: lamentatur ille: & illi offert fructum Sacrificii pro ſuo pallio: faciunt hoc pactum: & ecce! ruſticus iiſdem tentationibus obrutus ſe in arbore ſuſpendit. Agnovit Nobilis vim ſacrificii. P. p. 1. diſc. 12. n. 17.

Sacrum devote audiens conſequitur augmentum gratiæ, remiſſionem pœnæ temporalis, beneficium quod rogat, exercet actus virtutum, comparet in præſentia Chriſti: hæc omnia, ait Toletus, ſunt ingens bonum; hinc homines ſancti nullo die intermiſerunt auditionem ſacri. C. Exod. 29. v. 39. f. 564.

Nobilis quidam deſperationis tentationibus turbatus conſilium a confeſſario accipit, ut quotidie ſacrum audiret. Paruit ille, & efficaciſſimum hoc remedium expertus eſt. Aliquando ſerius ad templum veniens audiit ſacrum jam eſſe finitum, nec ſupereſſe aliud: rogavit ergo ruſticum, ut ſibi meritum, quod ex auditione Miſſæ collegiſſet, ſibi condonaret, id ſi feceris, ajebat, en hoc tibi pallium dono dabo! contentus ruſticus Nobili cedit meritum, & pallium accipit: verum miſer una cum pallio triſtitiam deſperationis induit, & paulo poſt laqueo ſe ſuſpendit. *Pædagog. Chr. p. 2. c. 9. §. 2.*

### 76. *Quomodo utiliter audiendum.*

Sub Sacrificio ſpirare debemus reverentiam tam externam quam internam. Externam, ita ut caveantur omnis riſus, garritio, & immodeſtia; quia Angeli contremiſcunt. P. 1. diſ. 12. n. 21. Internam autem, quæ tanta eſt, quanti Deum æſtimamus. Siquis cruento crucis ſacrificio præſens adfuiſſet, quanta reverentia tantum opus ſpectaſſet: Non minori Religionis ſenſu aſſiſtendum eſt Altari, in quo *opus noſtræ Redemptionis exercetur*. Eſt autem hoc opus tam Divinum, ut ſi Chriſtus pro eo quod mortuus eſt, maluiſſet Miſſæ Sacrificio ſatisfacere, illud ſuffecturum fuiſſet ad ſatisfaciendum pro peccatis totius mundi &c. P. p. 1. diſ. 12. n. 22.

Dein cogitet quilibet, ſe non tantum aſſiſtere ſacrificanti, ſed etiam ſimul ſacrificare: ſacerdos legatus eſt totius populi, & populus præſens hanc legationem una cum illo proſequitur: hinc dicit *orate fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat, &c.* P. p. 1. diſc. 12. n. 23.

Propterea quivis, dum templum ingreditur, putet ſibi a Divina Juſtitia dici: *Redde quod debes*. Dein in genua procidens dicat: Ita mi Deus reddam tibi! debeo tibi honorem, debeo tibi ſatisfactionem, debeo tibi gratiarum actionem, debeo tibi beneficiorum novam petitionem: & ecce! hæc omnia tibi praſto in ſacrificio, &c. P. p. 1. diſc. 12. n. 24.

S. Mechtildi promiſit Dominus, quod homini tot ſanctos in mortis articulo in auxilium ſubmittere velit, quot ſacrificia in vita devote audivit. *Lib. 5. c. 19. & 9. Sept.*

Quotidie audire ſacrum, maxima utilitas 1. Quia audiens conſequitur gratiæ augmentum. 2. Pœnæ remiſſionem. 3. Quod petit impetrat. 4. Actus virtutum exercet. 5. Comparet in præſentia Chriſti. Ideo S. Anſelmus, cum ob ſenium ſacrificare non amplius poſſet, quotidie Miſſam audivit. Et S. Thomas ſummis in ſtudiis quotidie unam Miſſam legebat, & alteram audiebat. C. Exod. 29. v. 37.

*77. Reverenter audire prodeſt etiam in temporalibus.*

Ex duobus ſutoribus unus, qui quotidie ſacrum audiebat, ditatur, alter qui neglecto ſacro inceſſanter laborabat, depauperatur. Interrogans ergo vicinum, cur illi omnia proſpere procederent, monitus eſt, ut quotidie ſacro intereſſet, & ſic Divinam benedictionem expertus eſt. E. *Eccleſia* n. 5.

Ephebus innocens accuſatus ab aulico de impuro amore erga Reginam, ad mortem a Rege & quidem ad mortem combuſtionis damnatus eſt. Igitur inſtigante aulico præceptum eſt furnariis aut laterariis, ut illum qui cras mane venturus, & an juſſa Regis impleta ſint, in ignem projicerent. Miſſus Ephebus, cum in via campanæ ſignum ad ſacrum dari audiret, divertit ad ſacellum, audit Miſſam. Interim aulicus curioſus, an combuſtus jam eſſet, accedit furnarios, interrogans, an juſſa Regis jam executioni data ſint, ſine miſericordia in fornacem projicitur, Rege agnoſcente innocentiam Ephebi. E. *Invidia* n. 10.

Duo Juvenes die feſto exibant ad aucupium, quorum unus Miſſam audierat, alter non: exorta terribili tempeſtate, audita eſt vox: Percute! percute! Et ſtatim ille, qui Miſſam non audierat, fulmine tactus interiit: Repetita dein voce: Percute! percute! alter terribiliter tremefactus eſt: ſed repoſuit alia vox: non poſſum, quia hodie audiit: Verbum caro factum eſt. E. *Miſſa* n. 16.

Paſchilis Vives in Hiſpania Capitaneus tempore prælii contra Regem Cordubæ Maurum, cum audiret Miſſam in templo S. Martini, viſus eſt in prælio pugnare, & vexilliferum occidere, eſſeque cauſa victoriæ, cum tamen pugnæ non interfuiſſet, Angelo ſub ejus forma pugnante. C. Exod. 29. v. 37. E. Miſſa n. 16.

Chriſtus Dominus inſtituit Sacrificium, ut corpore & anima nos divites efficeret, dicente Paulo: *In omnibus divites facti eſtis*. P. Hom. Chr. p. 1. diſc. 12. n. 2. Auditione ſacri adeo non inutiliter perditur tempus, ut Deus certe benedictione ſua defectum ſuppleat.

Cuidam Metallico in ærifodinis laboranti rupes decidua infra montem viam præcluſit: uxor maritum mortuum putans ſingulis diebus lunæ ſacrificium fieri curat, candelam Beatiſſimæ Virgini offert, & panem pauperibus diſtribuit. Et ecce! ſingulis diebus lunæ venit ad conſepultum pulcherrimus juvenis, qui ei candelam & panem tulit: unica vice emanſit, qua nimirum uxor hoc pietatis officium omiſit. Tandem poſt integrum annum a ſuis conſodalibus fuit liberatus. R. cent. 2. par. 1. mir. 17. E. Miſſa n. 7.

*78. Audire ſine reverentia peccaminoſum.*

S. Chryſoſtomus ait: centum & ſexaginta octo horas habente hebdomada dimidiam horam ſibi ſegregavit Deus, & hanc in ridicula inſumis? ſtat Sacerdos Dei orationem offerens cunctorum, tu autem rides, &c. S. p. 18. f. 65. 2.

Tres Legati Japonenſes, Neo-converſi Chriſtiani, cum Belmontii in Hiſpania tranſirent, omnis populus in templum confluxit, ubi tres Principes ſanctum Miſſæ Sacrificium audituri erant. Cum monerentur tempus eſſe ad ſacrum, repoſuerunt, nolle ſe publice Miſſam audire; cauſam quæſiti ſubintulerunt, inconveniens eſſe, ut ſub tam tremendo ſacrificio populus oculos paſceret, & ſe ad ſalutationes, & humanitatis officia provocaret, &c. R. cent. 3. p. 2. mir. 8.

Diabolus omni opera ſtudet extirpare ſacrificium, cum autem hoc efficere uſque ad extremum judicii diem non poſſit, id facit, quod fit in bello: cum hoſti majores machinæ & tormenta eripi non poſſunt, ſcutella fomentaria clavo obſtruitur, ut ſic inutiles reddantur: ſic dæmon facit; Chriſtianos ad irreverentiam permovet, ut ſic ſacrificium inefficax reddat, &c. P. Hom. Chr. p. 1. diſc. 12. n. 1.

Proh quanta eſt hodie indevotio, quanta immodeſtia inter ſacrificium, garritur, jocatur, alii impediuntur. Viri ſunt impudentes, feminæ evanidæ, &c. eheu! ſi alio tempore peccamus, ſperare poſſumus veniam in ſacrificio impetrandam: ſed ſi ſub ipſo ſacrificio delinquimus, ubi veniam obtinebimus? P. p. 1. diſc. 12. num. 25.

Antiquis ſacrificiis tam ſacerdotes, quam populus ſumma cum Religione aderat, & ante illud Præco alta voce ſilentium præcipiebat. Quanto magis hæc reverentia & ſilentium requiritur ad Ss. Miſſæ ſacrificium? Puerulo ſacrificanti Alexandro lumen tenens, a candela manus aduritur, & ille immobilis perſiſtit, ne turbet ſacrificium; quid agendum Chriſtianis? Ranæ ad mandatum ſacerdotis tacent, & Chriſtiani non taceant? C. Levit. 1. v. 17.





Sacerdos devotus ſub ſacrificio Miſſæ vidit retro altare dæmonem in corio ſcribentem & cum corium ſcripturam non caperet, illud dentibus more ſutorum extendentem. Adjuravit Sacerdos dæmonem, ut fateretur, quid ſcripſiſſet. Repoſuit dæmon, ſe ſcripſiſſe omnia peccata, garritiones, ſcandala, & irreverentias ſub ſacro commiſſas, quæ Deo cederent maximæ ignominiæ, ſibique & toti orco lætitiæ. Tunc Sacerdos omnem illam ſcripturam populo prælegit, cumque ille pœnitentiam ageret, ecce! tota ſcriptura in corio evanuit. *E. tit. Eccleſ. Ex.* 5.

*79. Miniſtratur ab Angelis.*

Gregorio I. Pontifici, S. Proculo Epiſcopo, S. Oſvvaldo, Fratri Joanni de Parma Generali Franciſcanorum, S. Chryſoſtomo, aliiſque Angeli ſervierunt ad aram. C. Num. 4. v. 49.

Baron. T. 3. an. 467. S. Chryſoſtomus, quoties ad ſacrificandum ibat, ſemper templum ſanctis Angelis plenum conſpexit, qui ſtupenda cum reverentia & timore altari aſſiſtebant. March. Candel. Myſt. tr. 4. lect. 6. prop. 1. E. *Miſſa* n. 10.

S. Euthymius, S. Baſilius, S. Gudvvalus, S. Plegulus & alii vident ſibi ſacrificantibus adſtare Angelos. Abbati Leontio Angelus ſtans ad cornu altaris dixit: Ex quo ſanctificatum eſt altare iſtud, ego jugiter illi adſtare juſſus ſum. C. Lev. 9. in fine.

Cum Gregor. I. Pontifex die Paſchæ celebraret, ad illa verba: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* alta voce reſpondit Angelus: *Et cum Spiritu tuo*. In cujus rei memoriam Pontifici ea die celebranti ad illa verba nihil reſpondetur. C. Num. 4. v. 49.

Chriſtus Dominus ipſe dedit ſacram Cōmunionem S. Dionyſio Areopagitæ. In vita SS. Fauſtini & Jovitæ legitur, quod cum baptizaſſent ſecundum militem, & ei etiam ſacram Communionem porrigere vellent, nec haberent panem, columba panem de cœlis attulerit. C. Num. 4. v. 49.

Cum S. Bavo in agone S. Euchariſtiæ Sacramentum ardenter deſideraret, & nuntius ad vocandum Sacerdotem miſſus a via aberraret, Angelus illum in viam reduxit, ne moriens per temporis moram deſiderio ſuo fruſtraretur.

*80. Eſt vere Sacrificium.*

Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: atqui talis non fuit in cruce, quia in cruce cruentum Sacrificium obtulit, Melchiſedech autem nunquam cruentum, ſed tantum panem & vinum: ergo talis fuit in ultima cœna. C. Gen. c. 14. v. 18.

Sacrificium, quod quotidie immolabat Hebræi, erat agnus mane, & agnus veſpere: Agnus hic debebat eſſe ſimilis agno Paſchali, anniculus, immaculatus. Agnus hic ſymbolum erat Chriſti, qui tanquam Agnus Divinus, qui tollit peccata mundi, quotidie immolatur, & immolabitur uſque veſpere, id eſt, uſque ad finem mundi. *Agnus eligitur*, ait S. Auguſtinus, *ut ſimplicitas, & innocentia deſignetur, maſculus quæritur, ut virtus comprobetur, Immaculatus, ut ſine crimine*. C. Exod. 29. v. 38.

Abrahami immolare volentis filium vere fuit Sacrificium, etiamſi non fuerit cruentum: ſic auguſtiſſimi Miſſæ Sacrificii incruenta victima Chriſtus eſt, qui Divino Patri offertur, ita ut gratius & honorificentius illi nihil offerri poſſit. In memoriam Divinæ Paſſionis Sacerdos Chriſti, & ara crucis vicem gerit, ille ipſe Deus immolatur, qui in Calvario monte e cruce pependit. Vide ſupra: *Eſt myſtica renovatio Paſſionis Domini*.

Propheta Malachias vaticinatus eſt: *a ſolis ortu uſque ad occaſum offertur, & ſacrificatur nomini meo oblatio munda*. Malach. 1. v. 11. Per quam oblationem Concil. Tridentinum, & SS. Patres intelligunt Sacrificium Miſſæ. Dicitur oblatio munda tum in ſe, tum in effectu: *ſi enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, quanto magis ſanguis Chriſti*. Marchant. tr. 4. lect. 13.

## Ss. Viaticum.

*81. Chriſtiani ad ægros portatum devote comitentur.*

Mirabile eſt, quod de cane in urbe Uliſſiponenſi narratur. Canis iſte ſolebat diligentiſſime comitari Ss. Euchariſtiam cum ad ægros portabatur: quamprimum campanæ ſignum dabatur, ille e domo in templum properabat, ſi ædium fores erant clauſæ omnibus domeſticis erat moleſtus, donec aperiebatur: in comitatu irreverentes, jacentes, ſtantes, equitantes tamdiu latratu terrebat, donec debitam illi reverentiam Domino Euchariſtico exhibebant, &c. D. 2. 19.

Rudolphus Habſpurgicus comitatur Ss. Euchariſtiam ad ægrum deportatam,

& ideo meretur ad Imperii culmen evehi. Ferdinandus II. tota ſeptimana Theophoriæ comes it Ss. Euchariſtiæ non curans tumorem manus, quem ex geſtatione continua cerei contraxerat. Cum ad ægrotum deportabatur, ſolebat e rheda deſcendere & pedes ſequi uſque in domum ægrotantis non obſtante pluvio cælo, ſordida via, & aliis incommodis. D. 3.39.

Rex Hungarorum Joannes Hunniades tanta devotione ferebatur in Ss. Sacramentum, ut ſemper pedes in templum iverit. Cum letali ægritudine correptus admoneretur, ut Ss. Viaticum pro itinere æternitatis ſibi afferri curaret, repoſuit, æquum eſſe, ut ſervus Dominum, non Dominus ſervum conveniret. Sic laſſum ſe, ægrumque in Eccleſiam portari voluit, ibique Ss Sacramento refectus inter manus Sacerdotum exſpiravit. *Æneas Silv.*

### 82. *Ardenter deſiderandum.*

Puella quædam Americana ægrotans petit ſacrum Viaticum, ſed quoniam ſacerdos eam haud ſatis inſtructam invenit ad hoc Ss. Myſterium, communionem differre voluit uſque ad meliorem informationem. Puella refugium ſumit ad Beatiſſimam Virginem, & ecce! hæc illi apparet, eamque inſtruit: cum igitur a ſacerdote mirabiliter erudita reperitur, facile impetrat hanc gratiam. R. cent. 3. mir. 26.

Ægrotanti Legato Moſcovitico Londini Rex Carolus aulicum miſit, ut eum ſalutaret & ſolaretur, ſimulque nunciari juſſit, ſi non convaleſceret, ſeipſum ad eum inviſurum. Admiratus legatus repoſuit, ſi in ſinu Abrahæ eſſem, Regi occurrerem, & tantam humanitatem deprecarer. T. nu. 394. Quanta ergo gratia, cum Rex cæli & terræ venit ad ægrotantem?

S. Aichardus in Grimeſienſi cœnobio nongentorum Monachorum Abbas, rogat Deum, ut tantum onus ſibi alleviaret. Et ecce! ad veſperum illi apparet Angelus, nuntiatque intra triduum, dimidiam partem Monachorum morituram. S. Abbas convocat illos in locum Capituli, illos Ss. Viatico munit, & revera hora tertia una, hora ſexta altera, hora nona tertia pars exſpiravit. N. 15. *Sept.*

### 83. *Supra plateas portatum devote adoretur.*

Friburgi anno 1346. haud procul ab urbe convenerat petulans juventus, quæ in eſum, potum, choreas, & omnem inſolentiam effundebatur. Durante hoc luſu veniebat ſacerdos, cum Ss. Viatico, quod ad ægrotum portabat, præcedente æditruo cum campanula. Moniti ſunt igitur juvenes & puellæ, ut choreas abrumperent: & ecce! petulans una repoſuit, quod patris ſui porci multas ejuſmodi campanulas e collo gererent. Cum ergo perrexerunt choreas ducere, ſubito cælum obnubilatum tam copioſos imbres effudit, ut tota illa vallis terribili inundatione ſubmerſa ſit, omneſque homines & pecora interierint. Quin imo ne quidem eorum cadavera reperta ſunt, exceptis aliquot infantibus, qui in cunis ex arboribus pendebant. Spondan. in Annal. Eccl. num. 13.

Ipſa etiam bruta adorarunt Ss. Euchariſtiam. Cum fures ſacrum Vas Oſtenſorium, quod Monſtrantiam vocamus, furto ex Eccleſia auferrent, illudque vilioris, quam putarunt, materiæ comperirent, in agrum illud abjecerunt. Cumque agricola agrum illum araret, venientes boves ad eum locum in genua procidui Ss. Sacramentum adorarunt, nec poterant fuſtibus abigi, donec Epiſcopus illud, cum numeroſo Chriſtianorum comitatu, in templum referret. Petulans Vetula Ss. Hoſtiam communione acceptam, ſpe lucri in apiarium incluſit, & ecce! apes ex cera pulcherrimum illi altare ædificarunt. Ovicula S. Franciſci in templo ſub elevatione ſemper in genua procidens, ſubmiſſo capite adorabat Ss. Hoſtiam. Cum eques itinerans Ss. Euchariſtiæ, quæ ad ægrotum portabatur, nullum honorem deferret, equus in genua procidit. *Vide Daveroult: de Sacram. c. 5. tit. 13.*

### 84. *Miniſtratur mirabiliter.*

B. Odoricus vidit B. V. comitantibus ſanctis Virginibus ire ad pauperem Virginem, inviſendam in ultimo agone, quæ & ipſi, nempe B. Odorico præcepit, ut huic Virgini Ss. Viaticum afferret. *N. 14. Jan.*

S. Tarciſius fuſtibus, & lapidibus occiſus Martyr, cum Ss. Sacramentum ad ægrum, ultimo Viatico muniendum deferebat, illud in ejus manibus, ne contaminaretur, diſparuit. *N. 15. Aug.*

S. Raymund. itinerans in extremum morbum incidit: rogabat Deum, ut ſe ſine Sacramentis mori non pateretur. Et ecce! dum ſacerdos tardat, Angelorum miniſterio Ss. Viaticum recepit. *N. 31. Aug.*

Cum



Cum S. Magdalena, triginta annis ab omni hominum conſortio remota extremam attigit diem, quidam Eremi incola vidit Angelos in ſolitudinem adventantes, qui illius animam in cœlum transferrent. Sed & Eremi incola viſus eſt a S. Magdalena, quæ eum rogabat, ut ſanctum Maximinum Epiſcopum cum Venerabili Sacramento advocaret: factum, ut rogatum: Magdalena Ss. Viatico ab Epiſcopo munita, & hoc pie refecta confeſtim ab Angelis in cœlum tranſlata eſt. *Petrus de Natal.*

Idem contigit S. Mariæ Ægyptiæ, quæ poſt quadraginta annorum ſolitudinem rogans Deum, ut ſe ſine Ss. Viatico mori non permitteret, a Sacerdote Zoſima cœlitus ſubmiſſo, refecta eſt. *Niceph.*

## Poenitentia ut Sacramentum.

### 85. *Valde efficax ad remittenda peccata.*

Per tranſitum maris rubri præfiguratus fuit Baptiſmus, in quo omnes fideles terram promiſſam Eccleſiæ ingreſſuri ab originalis peccati macula purgantur in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Per tranſitum autem Jordanis Duce Joſue, præfiguratur Sacramentum pœnitentiæ. 1. Sicut Hebræi poſt tranſitum Jordanis celebrarunt Paſcha; ſic poſt pœnitentiam ſumitur Euchariſtia, in qua Chriſtus tanquam Agnus Paſchalis manducatur. 2. Per Jordanem Hebræi ingreſſi ſunt terram promiſſam, per pœnitentiam ingreditur pœnitens vitam ſanctam, & cœleſtem. 3. Jordanes a Deo actus intimuit, & converſus eſt retrorſum: ita pœnitens vitam commutat, qui antea ambiebat terrena, nunc aſpirat ad cœleſtia. 4. In Jordane Naaman lepram abluit: ita peccator per pœnitentiam peccati lepram expurgat. 5. Denique & maxime, ſicut in Baptiſmo, ita & in pœnitentia peccati maculæ in nomine Ss. Trinitatis abluuntur. Audiamus Bernardum: *Quid flumine* *S. Ber. Ser. ad milit. c. 9.* *iſto* (Jordane) *eminentius, quod ipſa Trinitas ſibi quadam evidenti præſentia dedicavit? Pater auditus, viſus Spiritus Sanctus, Filius eſt baptizatus.* C. Joſue 4. v. 25. ad finem. Vide Tit. Pœnitentia ut Virtus.

*Judic. 10.* Populus Iſrael coram Deo faſſus eſt peccata ſua grandia, & ad pœnam promeritam ſe obtulit, abjiciens idola ſua omnia: Quid Deus? Doluit ſuper miſeriis eorum, ait ſacer textus.

Vix pœnitens David, erupit in gemebundum illud: *Peccavi Domino!* Mox Propheta ſubintulit: Dominus tranſtulit peccatum tuum.

### 86. *Fieri non poteſt ſine gratia Dei.*

Concilium Tridentinum declarat: *Juſtificationis exordium in adultis, a Dei* *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5.* *per JESUM Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, & adjuvantem gratiam ad convertendum . . . cooperando diſponantur.*

Gratia hæc partim eſt præveniens, partim adjuvans: *Præveniens* eſt, ſeu excitans, de qua Pſalmiſta ait: *Miſericordia ejus præveniet me.* *Pſal. 58.* Gratia *adjuvans*, de qua Apoſtolus: *Deus operatur in nobis velle & perficere:* *Philipp. 2.* Item Tridentinum: *Deus jubendo monet facere, quod* *Trident. ſeſſ. 6.* *poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, quod poſſis.*

Porro gratia Dei dividitur in ſufficientem, & efficacem: *Sufficiens eſt*, qua Deus ita movet, ut homo poſſit operari ſi vellet, non autem operatur, non quia ipſi deeſt gratia, ſed quia ipſe deeſt gratiæ. *Efficax* eſt, quæ ita movet, ut revera homo convertatur: de hac S. Joann. Apoſtolus: *Joan. 6.* *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Et S. Auguſtinus: *1. Aug. Ep. 10.* Deus novit ſic docere, ut non tantum ſuadeat, ſed & perſuadeat.

Jam hæc gratia neceſſaria eſt ad pœnitendum, dicente Apoſtolo: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Sicut ovis errans, ex ſe non redit, niſi quæratur a Paſtore: & ſicut volucres, quæ Apodes dicuntur, quia pedibus carent, ſi in terram ſe dimittant, ad volatum ſurgere non poſſunt, niſi vento eleventur; Ita peccator ad pœnitendum ſurgere non poteſt, niſi gratia Spiritus Sancti præveniatur, &c. Marchant. Cand. Myſt. tr. 5. lect. 1. prop. 1.

### 87. *Reſuſcitat merita mortificata.*

Notandum, alia eſſe opera *mortua*, alia *mortificata*. Mortua ſunt, quæ fiunt in ſtatu peccati mortalis, & hæc quia per gratiam nunquam vixerunt, nunquam reviviſcunt; Deus enim prius ad perſonam operantem reſpicit, quam ad operationem: *Reſpexit Deus ad Abel, &* *Gen. 4.*



ad

& ideo meretur ad Imperii culmen evehi. Ferdinandus II. tota ſeptimana Theophoriæ comes it Ss. Euchariſtiæ non curans tumorem manus, quem ex geſtatione continua cerei contraxerat. Cum ad ægrotum deportabatur, ſolebat e rheda deſcendere & pedes ſequi uſque in domum ægrotantis non obſtante pluvio cælo, ſordida via, & aliis incommodis. D. 3.39.

Rex Hungarorum Joannes Hunniades tanta devotione ferebatur in Ss. Sacramentum, ut ſemper pedes in templum iverit. Cum letali ægritudine correptus admoneretur, ut Ss. Viaticum pro itinere æternitatis ſibi afferri curaret, repoſuit, æquum eſſe, ut ſervus Dominum, non Dominus ſervum conveniret. Sic laſſum ſe, ægrumque in Eccleſiam portari voluit, ibique Ss Sacramento refectus inter manus Sacerdotum exſpiravit. *Æneas Silv.*

## 82. *Ardenter deſiderandum.*

Puella quædam Americana ægrotans petit ſacrum Viaticum, ſed quoniam ſacerdos eam haud ſatis inſtructam invenit ad hoc Ss. Myſterium, communionem differre voluit uſque ad meliorem informationem. Puella refugium ſumit ad Beatiſſimam Virginem, & ecce! hæc illi apparet, eamque inſtruit: cum igitur a ſacerdote mirabiliter erudita reperitur, facile impetrat hanc gratiam. R. cent. 3. mir. 26.

Ægrotanti Legato Moſcovitico Londini Rex Carolus aulicum miſit, ut eum ſalutaret & ſolaretur, ſimulque nunciari juſſit, ſi non convaleſceret, ſeipſum ad eum viſiturum. Admiratus legatus repoſuit, ſi in ſinu Abrahæ eſſem, Regi occurrerem, & tantam humanitatem deprecarer. T. nu. 394. Quanta ergo gratia, cum Rex cæli & terræ venit ad ægrotantem?

S. Aichardus in Grimeſienſi cœnobio nongentorum Monachorum Abbas, rogat Deum, ut tantum onus ſibi alleviaret. Et ecce! ad veſperum illi apparet Angelus, nuntiatque intra triduum, dimidiam partem Monachorum morituram. S. Abbas convocat illos in locum Capituli, illos Ss. Viatico munit, & revera hora tertia una, hora ſexta altera, hora nona tertia pars exſpiravit. N. 15. *Sept.*

## 83. *Supra plateas portatum devote adoretur.*

Friburgi anno 1346. haud procul ab urbe convenerat petulans juventus, quæ in eſum, potum, choreas, & omnem inſolentiam effundebatur. Durante hoc luſu veniebat ſacerdos, cum Ss. Viatico, quod ad ægrotum portabat, præcedente æditu cum campanula. Moniti ſunt igitur juvenes & puellæ, ut choreas abrumperent: & ecce! petulans una repoſuit, quod patris ſui porci mulcas ejuſmodi campanulas e collo gererent. Cum ergo perrexerunt choreas ducere, ſubito cælum obnubilatum tam copioſos imbres effudit, ut tota illa vallis terribili inundatione ſubmerſa ſit, omneſque homines & pecora interierint. Quin imo ne quidem eorum cadavera reperta ſunt, exceptis aliquot infantibus, qui in cunis ex arboribus pendebant. Spondan. in Annal. Eccl. num. 13.

Ipſa etiam bruta adorarunt Ss. Euchariſtiam. Cum fures ſacrum Vas Oſtenſorium, quod Monſtrantiam vocamus, furto ex Eccleſia auferrent, illudque vilioris, quam putarunt, materiæ comperirent, in agrum illud abjecerunt. Cumque agricola agrum illum araret, venientes boves ad eum locum in genua procidui Ss. Sacramentum adorarunt, nec poterant fuſtibus abigi, donec Epiſcopus illud, cum numeroſo Chriſtianorum comitatu, in templum referret. Petulans Vetula Ss. Hoſtiam communione acceptam, ſpe lucri in apiarium incluſit, & ecce! apes ex cera pulcherrimum illi altare ædificarunt. Ovicula S. Franciſci in templo ſub elevatione ſemper in genua procidens, ſubmiſſo capite adorabat Ss. Hoſtiam. Cum eques itinerans Ss. Euchariſtiæ, quæ ad ægrotum portabatur, nullum honorem deferret, equus in genua procidit. *Vide Daveroult: de Sacam. c. 5. tit.* 13.

## 84. *Miniſtratur mirabiliter.*

B. Odoricus vidit B. V. comitantibus ſanctis Virginibus ire ad pauperem Virginem, inviſendam in ultimo agone, quæ & ipſi, nempe B. Odorico præcepit, ut huic Virgini Ss. Viaticum afferret. *N.* 14. *Jan.*

S. Tarciſius fuſtibus, & lapidibus occiſus Martyr, cum Ss. Sacramentum ad ægrum, ultimo Viatico muniendum deferebat, illud in ejus manibus, ne contaminaretur, diſparuit. *N.* 15. *Aug.*

S. Raymund. itinerans in extremum morbum incidit: rogabat Deum, ut ſe ſine Sacramentis mori non pateretur. Et ecce! dum ſacerdos tardat, Angelorum miniſterio Ss. Viaticum recepit. *N.* 31. *Aug.*





Cum S. Magdalena, triginta annis ab omni hominum conſortio remota extremam attigit diem, quidam Eremi incola vidit Angelos in ſolitudinem adventantes, qui illius animam in cœlum transferrent. Sed & Eremi incola viſus eſt a S. Magdalena, quæ eum rogabat, ut ſanctum Maximinum Epiſcopum cum Venerabili Sacramento advocaret: factum, ut rogatum: Magdalena Ss. Viatico ab Epiſcopo munita, & hoc pie refecta confeſtim ab Angelis in cœlum tranſlata eſt. *Petrus de Natal.*

Idem contigit S. Mariæ Ægyptiæ, quæ poſt quadraginta annorum ſolitudinem rogans Deum, ut ſe ſine Ss. Viatico mori non permitteret, a Sacerdote Zoſima cœlitus ſubmiſſo, refecta eſt. *Niceph.*

## POENITENTIA UT SACRAMENTUM.

## 85. *Valde efficax ad remittenda peccata.*

Per tranſitum maris rubri præfiguratus fuit Baptiſmus, in quo omnes fideles terram promiſſam Eccleſiæ ingreſſuri ab originalis peccati macula purgantur in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Per tranſitum autem Jordanis Duce Joſue, præfiguratur Sacramentum pœnitentiæ. 1. Sicut Hebræi poſt tranſitum Jordanis celebrarunt Paſcha; ſic poſt pœnitentiam ſumitur Euchariſtia, in qua Chriſtus tanquam Agnus Paſchalis manducatur. 2. Per Jordanem Hebræi ingreſſi ſunt terram promiſſam, per pœnitentiam ingreditur pœnitens vitam ſanctam, & cœleſtem. 3. Jordanes a Deo actus intimuit, & converſus eſt retrorſum: ita pœnitens vitam commutat, qui antea ambiebat terrena, nunc aſpirat ad cœleſtia. 4. In Jordane Naaman lepram abluit: ita peccator per pœnitentiam peccati lepram expurgat. 5. Denique & maxime, ſicut in Baptiſmo, ita & in pœnitentia peccati maculæ in nomine Ss. Trinitatis abluuntur. Audiamus Bernardum: *Quid flumine* (S. Ber. Ser. ad milit. c. 9.) *iſto* (Jordane) *eminentius, quod ipſa Trinitas ſibi quadam evidenti præſentia dedicavit? Pater auditus, viſus Spiritus Sanctus, Filius eſt baptizatus.* C. Joſue 4. v. 25. ad finem. Vide Tit. Pœnitentia ut Virtus.

(Judic. 10.) Populus Iſrael coram Deo faſſus eſt peccata ſua grandia, & ad pœnam promeritam ſe obtulit, abjiciens idola ſua omnia: Quid Deus? Doluit ſuper miſeriis eorum, ait ſacer textus.

Vix pœnitens David, erupit in gemebundum illud: *Peccavi Domino!* Mox Propheta ſubintulit: Dominus tranſtulit peccatum tuum.

## 86. *Fieri non poteſt ſine gratia Dei.*

Concilium Tridentinum declarat: *Juſtificationis exordium in adultis, a Dei* (Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5.) *per JESUM Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, & adjuvantem gratiam ad convertendum . . . cooperando diſponantur.*

Gratia hæc partim eſt præveniens, partim adjuvans: *Præveniens* eſt, ſeu excitans, de qua Pſalmiſta ait: *Miſericordia* (Pſal. 58.) *ejus præveniet me.* Gratia *adjuvans*, de qua Apoſtolus: *Deus operatur in no-* (Philipp. 2.) *bis velle & perficere:* Item Tridentinum: *Deus jubendo monet facere, quod* (Trident. ſeſſ. 6.) *poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, quod poſſis.*

Porro gratia Dei dividitur in ſufficientem, & efficacem: *Sufficiens eſt*, qua Deus ita movet, ut homo poſſit operari ſi vellet, non autem operatur, non quia ipſi deeſt gratia, ſed quia ipſe deeſt gratiæ. *Efficax* eſt, quæ ita movet, ut revera homo convertatur: de hac S. Joann. A- (Joan. 6.) poſtolus: *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Et S. Auguſtinus: (1. Aug. Ep. 10.) Deus novit ſic docere, ut non tantum ſuadeat, ſed & perſuadeat.

Jam hæc gratia neceſſaria eſt ad pœnitendum, dicente Apoſtolo: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Sicut ovis errans, ex ſe non redit, niſi quæratur a Paſtore: & ſicut volucres, quæ Apodes dicuntur, quia pedibus carent, ſi in terram ſe dimittant, ad volatum ſurgere non poſſunt, niſi vento eleventur; Ita peccator ad pœnitendum ſurgere non poteſt, niſi gratia Spiritus Sancti præveniatur, &c. Marchant. Cand. Myſt. tr. 5. lect. 1. prop. 1.

## 87. *Reſuſcitat merita mortificata.*

Notandum, alia eſſe opera *mortua*, alia *mortificata*. Mortua ſunt, quæ fiunt in ſtatu peccati mortalis, & hæc quia per gratiam nonquam vixerunt, nunquam reviviſcunt; Deus enim prius ad perſonam operantem reſpicit, quam ad operationem: *Reſpexit Deus ad Abel, &* (Gen. 4.)

*ad munera ejus*. Opera mortificata ſunt, quæ in ſtatu gratiæ facta, per peccatum extincta ſunt, & hæc per pœnitentiam reſuſcitantur, & reſtituuntur pœnitenti, ſic Deus per Joelem Prophetam promittit: *Convertimini ad me in toto corde ve-* Joel. 12. *ſtro,... & reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, ærugo, & eruca*, ex quo textu S. Hieronymus, & alii Sancti Patres, reſtitutionem bonorum operum poſt pœnitentiam deſumunt; eſſet enim gravis afflictio juſtis, ſi meritorum theſauros compluribus annis collectos per unicum peccatum, ſine omni ſpe recuperationis perderent. Parem in modum ait Hebr. 6. Apoſtolus: *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis*. Ex quo ſacri Interpretes reviviſcentiam meritorum per pœnitentiam colligunt.

Confirmatur exemplo filii prodigi, quam Pater a ſiliquis reducem, ſtola prima, & anulo honoravit: quid hoc eſt aliud, quam peccatorem e domo paterna profugum, & revertentem in priſtinam amicitiam recipi! Marchant. tr. 5. Prop. 3.

Verum, quod bene notandum, de hac Dei miſericordia præſumendum non eſt: Monachus in Peruſiano Monaſterio Prælaturas affectans, dæmoni ſe mancipavit eo pacto, ut tribus ante mortem diebus ſe moriturum præmoneret. Spopondit dæmon, ſed Monachus adveniente die, inſolenti ſopore oppreſſus, excitari ad res ſacras non poterat. Alius dicens ſe ſperare in quinque verbis: Deus propitius eſto mihi peccatori, in itinere ab hirco in inguine ictus, amiſſo rationis uſu periit. Dein Deus per veniam etſi tollat peccatum, non ſimul tollit inclinationes peccati, & etiamſi donet gratiam ſanctificantem, non ſimul tribuit gratias accidentales ad victoriam tentationum neceſſarias. *Marchant. ibid.*

2. Par. 33. Manaſſes Rex vinctus in Babylonem ductus egit pœnitentiam magnam valde. Et ecce! adeo Deum placavit, ut reductus fuerit in Jeruſalem regnum ſuum! reddita ſunt illi ſceptrum & corona.

### 88. *Eſt neceſſaria poſt relapſum.*

Quid ſupereſt naufrago, niſi tabula confractæ navis, qua in littus enatet? Quid ſupereſt ægroto ad ſalutem, niſi pharmacum a Medico præſcriptum? Quid vulnerato, niſi emplaſtrum a chirurgo præparatum? Quid prolapſo in lacunam, niſi lavacrum, quo ſordes abluat? Sic pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula, eſt pharmacum animæ, eſt emplaſtrum poſt vulnus peccati, & lavacrum, quo ſordes infernales abſterguntur &c.

Sicut nondum regeneratis Sacramentum Baptiſmi neceſſarium eſt, ita relapſis Sacramentum pœnitentiæ, ait Con- Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. cilium Tridentinum, cujus verba ſunt: *Eſt lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus*, ea tamen differentia, quod in Baptiſmo conferatur gratia regenerans, per quam efficimur membra Chriſti, per pœnitentiam gratia ſanans, per quam membra Chriſti ſauciata reſtaurantur. *Marchant. tract. 5. prop. 2.*

Figura pœnitentiæ fuit vas æneum ante portam templi, quo ingredientes ſe lavabant: Item piſcina probatica, qua cæci, claudi, & omnis generis infirmi ſanabantur. *Ibid.*

Quandiu Mara, quæ interpretatur a- Num. 12. maritudo, ſeu Maria manſit extra caſtra, non ulterius proceſſit, ſed ſubſiſtit Iſrael; quia non eſt bonum per vitæ hujus peregrinationem progredi ſine amaritudine pœnitentiæ. Nemo auſit, ajebat S. Auguſtinus, ſine pœnitentia mori, etiamſi nullius peccati ſibi conſcius ſit. Job, utut innocens, timens Deum, & recedens a malo, tamen dixit: Ego ago pœnitentiam in cinere, & cilicio.

### 89. *Placat iram Dei.*

Holofernes cum terribili exercitu obſi- Judith. 4. dere voluit Bethuliam: Sacerdotes induerunt ſe ciliciis, & ex toto corde totus populus orabat ad Dominum. Quid factum? Dominus exaudivit eos, & mirabili diſpoſitione urbem liberavit.

Ninivitæ crediderunt prædicationi Jo- Jonæ 3. næ, jejunantes, & induentes ſe ſacco: & ecce! Deus avertit ab eis malum, quod minatus fuerat.

Dum fratres Joſeph propter furtum ſcyphi ſe humiliant, amiciſſime habentur; ita peccator contritus & humiliatus a Deo in amicum recipitur. B. ſer. 46. nu. 3.

Imaginare tibi aerem grandinoſa tempeſtate tumultuantem: cœlum nigris nubibus obſcuratur, fulgura frequenter micant, tonitrua terram concutiunt, fruges conteruntur, incendia domuum conſurgunt, tremunt homines & pecudes: cum ſubito ab oriente conſur-



gens ventus, nubes retundit, cælum aperit, ſolem reducit, omnemque tempeſtatis luctum mitigat. Sic fit proportionaliter per pœnitentiam! furor Divini cordis pacificatur, Deus peccatorem benigno oculo reſpicere incipit, peccata condonat, in amicum illum recipit, merita deperdita reſtituit, & cui igneam ſedem in inferno paraverat, jam thronum in cæleſti gloria erigit. Quantum hoc miſericordiæ prodigium! Audiamus Ludovicum Bloſium: *Deus, cum ſit fons immenſæ miſericordiæ, non poteſt non ignoſcere ei, qui ipſum humiliter, & confidenter invocat, etiamſi peccata totius mundi millies commiſiſſet &c.*

## Pœnitens.

### 90. *Serio & ardenter pœniteat.*

JUdas confeſſus eſt, & tamen laqueo ſe ſuſpendit: Quare? quia Sacerdotibus & Phariſæis confeſſus eſt, quia erant æque ſcelerati, & complices ejuſdem proditionis. Si confeſſus fuiſset Apoſtolis, ei remiſsa fuiſsent peccata. M. conc. 19. aſs. 1. n. 11. Quis credat pœnitentem ſerio agere, qui de induſtria confeſsarium indoctum, aut complicem, ejuſdem peccati reum quærit?

Quis credat pœnitentem ſerio agere, qui poſt pœnitentiam ſine ulla morum mutatione, tam languide & negligenter poſtea, quam antea vivit? Qui poſt peccatum commiſsum pœnitentiam ad plures ſeptimanas & menſes, imo tamdiu differt, donec jugum diaboli ipſi intolerabile fiat? Qui poſt confeſſionem adeo non æſtimat recuperatam gratiam, ut mox in priſtinum peccatum relapſus amicitiæ Dei iterum renunciet? Qui furtum unius floreni plus, quam jacturam Dei deplorat? Qui ad vincendas tentationes nullam ſibi vim infert? qui occaſiones & pericula peccati audacter velut antea frequentat?

Fruges terræ, uti poma hortorum, aſparagi, lactucæ, aliaque, quæ hyemali tempore per artem, id eſt, per vitiorum calorem, aliaque fomenta educantur, non eundem colorem, ſaporemque habent, quem fruges, floreſque æſtivo tempore nati, & inſuper mox putreſcunt: Ita pœnitentia frigide peracta, & quaſi coacta non durat, ſed ſtatim deficit &c.

David & Saul uterque monitus a Propheta pœnituit: ſed non uterque ſerio; David veniam obtinuit, Saul rejectus eſt &c.

### 91. *Poſt converſionem experitur graviores tentationes.*

Hebræi quando venerunt in Maſphat, quod interpretatur locus Judicii ſeu pœnitentiæ, Philiſtæos habuerunt adverſarios. S. p. 34. fol. 149.

Pharao luto, & lateribus moleſtavit Iſraelitas, quia proxime ex Ægypto exituri erant: ita dæmon moleſtat exituros e peccatis. Quamprimum populus bibit e petra, debuit pugnare cum Amalec: ita quamprimum aliquis percepit Sacramenta, e Petra id eſt Chriſto, hoſtem habet infenſiorem. S. p. 34. f. 149.

Rabidi canes non allatrant ſedentem, aut ſtantem, ſed currentem, & fugientem: ita canis infernalis, cum videt te redeuntem ad Deum per pœnitentiam, & fugientem peccaminoſa pericula, ac conſortia, latratum, id eſt tentationes ſuas duplicat.

Ipſe etiam mundus, cum videt vitæ tuæ emendationem, mutationemque, tibi inſultabit, ſubſannabitque: Ita Magdalena, ubi peccatrix eſse deſiit, & pedes Chriſti pœnitentiæ lacrymis lavat, a Simone Phariſæo audaciæ, a ſorore otii, a Juda proditore prodigalitatis accuſata eſt.

Pharao Iſraelitas ex Ægypto diſceſsuros luto & lapidibus occupat; ita dæmon quos a peccati ſervitute diſcedere videt, ſordibus tentationum magis, quam antea moleſtat, ait S. Bernardus. S. p. 24. fol. 149.

Hinc monitum illud Divini Spiritus: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara cor tuum ad tentationes*; ſicut enim hoſtis munitam urbem ſibi ereptam recuperare ſtudet; ita orcinus hoſtis recuperandæ animæ, ſibi ereptæ, machinas omnes admovet.

### 92. *Poſt peccata commiſſa tanto alacrius reſurgat.*

Si prudenter gubernare te poſſis poſt peccata commiſsa, non ſolum nihil tibi afferent damni, ſed majori lucro tibi ſervient. *Ego autem humiliatus ſum nimis*. Pſ. 89. Gere te ſicut ille, qui turpiter ceſſit prælio. Et iſta humiliatio, non ſolum te eximet pœnis promeritis, ſed evehet ad thronum inter Sanctos. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius &c.* Segn. Manna 12. Maij 2.

Nunquam permittas te ab inimico ita circumveniri ut putes, nullam tibi ſupe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſupereſſe ſpem altius emergendi: Dominus te brachiis ſuis ſuſtinet, gratia roborat: & pœnitens fuit Petrus, pœnitens Paulus, & jam inter magnates regnant, imo magnatum maximi ſunt &c. Segn. Manna 12. Maji 4.

Rebecca, quam Iſaac ſponſam ſibi adlegit, fuit figura pœnitentis animæ, nam 1. Virgo fuit: ita Chriſtus vult, ut pœnitens anima ab omni amore carnali ſit aliena. 2. A famulo Iſaaci fuit in labore inventa: ita Chriſtus vult, ut anima pœnitens ſit laborioſa, & cooperetur ad ſuam converſionem. 3. Rebecca omnibus relictis ſequitur ſervum Abrahæ: ita Chriſtus vult, ut anima pœnitens priſtinis familiaritatibus renuntiet. 4. Rebecca appropinquans Iſaaco deſcendit a camelo; ita anima debet relinquere, quidquid brutale & tortuoſum eſt. 5. Rebecca manſit cum Iſaaco, non reverſa eſt ad domum patris: ita anima debet perſeverare cum Chriſto uſque in finem. C. Gen. 24. v. 67.

Num. 14. Cum populus Iſrael inaudiit, Dominum Deum ob murmurationes ſibi eſſe iratum, doluit valde, ſtatuitque firmo propoſito, de mane plus faciendi, quam Dominus ipſis præceperat. Qui vere pœnitet, non contentus eſt eo, quod mediocriter doleat, ſed ſuperabundanter per opera ſupererogatoria ſtudet Deo ſatisfacere &c.

*93. Mirabiliter vocatur a Deo.*

Deus mirabilibus modis vocat, & commovet peccatorem ad pœnitentiam: nam 1. interdum immittit terrorem inſolitum conſcientiæ. 2. Interdum abſtractum a terreno tumultu excitat internis vocibus. 3. Beneficiis ſuaviter allicit. 4. Aliorum exemplis trahit. 5. Judicio Divino & flammis æternis ad lacrymas movet. 6. Quandoque morbos, & flagella immittit. 7. Quandoque per Confeſſarios & Concionatores monet, & hortatur, ut a peccati periculis ad viam vitæ tranſeamus.

Sic Paulum, dum ſpirans minarum Damaſcum ad cædes diſcipulorum pergeret, fulmine ab equo excuſſum docuit clamare: Domine, quid me vis facere.

Sic Matthæum duobus verbulis: Sequere me! a telonii uſuris ad ſui ſequelam traxit.

Sic Samaritanam ad puteum dulci alloquio ad fontem aquæ vivæ perduxit.

Vis plura? Maria Ægyptia in Syriam navigat, ut ibi tanto liberius Veneri vacare poſſit. Per curioſitatem dum Hieroſolymis templum S. Crucis vult ingredi, ter arcana vi repellitur. Territa implorat opem Beatiſſimæ Dei Matris, hujus patrocinio in templum admiſſa, tantam de peccatis contritionem concipit, ut in pœnitentia facta fuerit altera Magdalena.

Thais impudentiſſima meretrix, dum Paphnutium Abbatem ad nefas allicit, ab eo præſentiæ Dei omnia videntis memoria adeo terretur, ut illa ex peccatrice facta ſit pœnitentium exemplar?

Quid dicam de S. Pelagia? hæc in urbe Antiochia vanitatis idolum auro & gemmis ſeſe ornabat, ut laſcivientium oculos, animoſque ad ſe attraheret. Vidit eam S. Nonnus Epiſcopus, ſibique illacrymatus eſt, deplorans, quod tantam diligentiam non adhiberet in ornatu animæ ad placendum Deo, quantam illa in ornatu corporis ad placendum mundo. Paulo poſt Pelagia S. Epiſcopum e ſuggeſtu dicentem audiens, adeo animitus commovetur, ut mundum deſerens in montem Oliveti confugerit, ibique prodigium auſteræ pœnitentiæ facta ſit &c. Marchant. Candel. Myſt. tract. 5. lect. 2. prop. 1.

## Contritio.

*94. Quantæ ſit efficaciæ ad delenda peccata.*

MAgna eſt velut mare contritio tua. Sicut enim mare cadavera evomit, ita contritio peccata ex animo pellit. B. ſerm. 55. §. 5.

S. Chryſ. Hom. Caco de nat. — Ezech. 18.

S. Chryſoſtomus ait: *Peccaſti? luxiſti? peccatum ſolviſti.* S. p. 10. f. 576. Idque omne conformiter ad promiſſionem Dei per Prophetam: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus operibus, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit juſtitiam, & judicium, vita vivet, & non morietur &c.*

Cant. 8.

*Fortis eſt, ut mors dilectio.* In quo conveniunt mors, & dilectio? Reſpondeo: ſicut mors finem facit peccato, ita & dilectio. M. conc. 2. aſſ. 3. n. 4.

Monachus quidam ſororem ſuam, in urbe meretricem convertit, & adeo inflammat, ut illa in inſtanti decreverit, fratrem in eremum ſequi. In via autem ex vi contritionis defecit viribus, & mortua, atque ſalvata eſt. E. Verbo *Contritio* n. 1.

Juvenis admodum ſceleratus urgente

con



conſcientia confeſſionem facere decrevit, ſed præ doloris magnitudine, ſingultiente voce loqui non potuit. Monuit Confeſſarius, ut peccata ſua ſcriberet: ſcripſit. Cum autem Confeſſarius ſcriptum legeret, obſtupuit & ob enormitatem criminum licentiam petiit, ut Abbati Monaſterii ſchedam exhibere poſſet. Annuit juvenis, verum Abbas non niſi albicantem papyrum vidit, peccatis mirabiliter deletis ob vim contritionis. E. Verbo *Contritio* n. 4.

Cuidam ob inceſtuoſum ſcelus ſeptennem pœnitentiam Confeſſarius injunxit: pœnitens graviorem petiit, & Confeſſarius tridui jejunium illi præcepit. Pœnitens amplius plorans rogavit pœnitentiam proportionatam, & Confeſſarius juſſit eum unicum Pater noſter dicere, addens, ſciret pro certo peccatum illi remiſſum eſſe. Pœnitens ejulans præ dolore ibi repente mortuus eſt, creditur, ſine ullo purgatorio ſalvatus fuiſſe. E. Verb. *Contritio* n. 14. E. *Pœnitentia* n. 6. Daveroult. tit. 26. c. 5. n. 2.

*95. Eſt neceſſaria ad veram pœnitentiam.*

Multi Chriſtiani ſunt valde rudes, nec operam dant, ut veræ contritionis eliciendæ modum ſolide addiſcant. An horum confeſſiones placebunt Deo? Nequaquam! ſicut illi qui e locis peſte infectis itinerantes, niſi litteras teſtimoniales habeant, non admittuntur in urbem, etiamſi ignorantiam prætendant: ita ejuſmodi pœnitentes ſi hinc abeant, interrogabuntur in cæli porta, ubi eſt dolor, qui ad confeſſionem requirebatur; Domine, reponet peccator, non putabam alio dolore opus eſſe, quam quem revera elicui: tamen huic excuſationi non erit locus, & peccator, hac non obſtante ignorantia, in cælum non admittetur. P. p. 3. diſc. 18. n. 3.

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.

Quæres, quænam & qualis ſit iſta contritio? Reſpondeo: *Eſt dolor animi peccata ſua deteſtantis, & ad vitam meliorem aſpirantis.* Seu, ut Conc. Trid. definit. *Eſt animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Duo igitur includit contritio: dolorem animi ſeu deteſtationem peccati commiſſi propter Deum offenſum ut ſummum Bonum. Ex quo ratio patet, cur pœnitentia Davidis coram Deo fuerit grata, non autem Saulis; quia nimirum ille doluit propter Deum offenſum, iſte vero tantum propter regnum amiſſum &c. Alterum, quod contritio includere debet, eſt propoſitum non peccandi de cætero; neceſſe eſt firmiter reſolvere, non tantum peccatum vitare, ſed & occaſiones illius, familiaritates periculoſas, aliaque quæ diſponunt ad relapſum. Hæc igitur contritio ad pœnitentiam neceſſaria eſt, non ſolum deteſtari peccatum præteritum, ſed etiam præcavere futurum &c.

Pariſiis, Juvenis ſceleratus, in ultimo morbo confeſſionem faciens, ab omnibus creditur pie ac beate mortuus. Ille tamen poſt mortem apparens damnatum ſe aſſerit, defectu contritionis ſeu propoſiti; quia nimirum affectum & voluntatem retinuerit redeundi ad antiqua ſcelera, ſi convaluiſſet. Daveroult cap. 5. tit. 26. n. 2.

Pœnitentia idem eſt ac *pœnæ tenentia*, eſt immutatio animi ſeu converſio a peccatis ad Deum, Pœnitens eſt quaſi *ſibi iraſcens*; ſed hoc omne haberi non poteſt ſine ſeria contritione. Scorpius cum hominem vulneraverit, conteri debet ac miſticus modico balſamo vulneri imponi, ſic proderit per modum emplaſtri. Ita os peccato intoxicatum conteri, ac lacrymis miſtum compungi debet, ut veniam ac gratiam obtineat &c.

S. Aug. lib. de pœnit.

*Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum:* ubi S. Aug. *ad pœnitentiam agendam non ſufficit mores immutare in melius, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfaciat per pœnitentiæ dolorem, & humilitatis gemitum, cooperantibus eleemoſynis.* Gratiſſima fuit Chriſto pœnitentia Magdalenæ, Petri, Mariæ Ægyptiæ, Pelagiæ, Arſenii continuo lacrymantis, aliorumque. C. Lev. 4. v. 1.

*96. Procedere debet ex amore Dei.*

Deus ex ſe infinite bonus, & propter perfectiones ſuas infinite amabilis eſt, etiam ſine noſtro commodo & emolumento. Verum etiam amabiliſſimus eſt, quia bonus erga nos. Cum igitur cogitat peccator, ſe a Deo beneficium creationis, redemptionis, conſervationis, aliaque particularia plurima accepiſſe, laxum eſſet, ſi non in lacrymas & gemitus difflueret, quod Dominum tam bonum offenderit. Angelus improperavit populo peccanti beneficia Dei, & ecce! elevaverunt omnes vocem ſuam, & fleverunt. Jud. 2.

Multi confidunt in ſua pœnitentia, quæ tamen inutilis eſt; quia ex motivis mere naturalibus procedit. Sic Rex Saul

non

no propter Deum, ſed propter regni, & honoris amiſſionem lugebat, dicens ad Samuelem: *Peccavi, ſed nunc honora me* 1. Reg. 15. *coram ſenioribus*. Antiochus promittit ſatisfactionem & reſtitutionem eorum, quæ in templo rapuerat, & tamen dicitur: *Orabat ſceleſtus Dominum, a quo mi-* 2. Mach. 9. *ſericordiam non erat conſecuturus*. Quare? quia non ob Dei offenſam, ſed propter ſanitatis amiſſionem, & periculum vitæ triſtabatur. Sic multi ſunt gementes & dolentes non propter Deum, ſed propter damna temporalia ex peccato orta, quibus exprobrari poſset illud Auguſtini: *Plangis corpus, a quo receſſit anima, non plangis animam, a qua receſſit Deus.*

ALERE FLAMMAM VERITATIS

## Lacrymæ.

### 97. *Placant iram Dei.*

*Conſumam eos quaſi leo*. Leo zelotypus eſt, laniat leænam, ſi hanc advertat infidam: ſi vero leæna ſe lavet in flumine, ſecura eſt: ita pariter, ait Geminianus, ſi anima in flumine lacrymoſæ pœnitentiæ lavetur, ab ipſo Chriſto peccatum diſſimulatur. B. ſer. 7. n. 12. ſeq.

*Lacrymæ ſordida lavant, decorant fœda, ſuſcitant mortua*, ait Petrus Cellen- S. Aug. ſerm. 15. ad frat. in Eremo. ſis. Lacrymæ a S. Auguſtino vocantur Vicariæ paſsionis Chriſti &c. S. p. 10. f. 575.

Sicut ſanguis agni poſtibus aſperſus ſecurum reddidit ab Angelo vaſtatore: ita lacrymæ &c. M. conc. 10. aſs. 2. n. 3. & ſeq.

Deus iratus a Moyſe placatur per recordationem Iſrael; quia Iſrael vocatus fuit in nocturna lucta, dum *flevit, & prævaluit*. M. conc. 37. aſs. 2. n. 2. 3. &c.

Chriſtus eſt lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, videlicet lacrymarum, ut det fructum remiſsionis. M. conc. 37. aſs. 2. n. 1.

Judith 8. Judith hortabatur: *Indulgentiam ejus fuſis lacrymis imploremus*. Magdalena ve- Luc. 7. niam meruit, cum *lacrymis cœpit rigare pedes ejus*. S. Greg. Nazianz. *Piorum la-* S. Greg. Nazianz. Or. cont. Jul. *crymæ peccati diluvium ſunt, & mundi expiamentum*. C. in ep. S. Jac. c. 5. v. 16.

Lacrymæ, quas vernali tempore vites profundunt, non tantum ubertatem uvarum promittunt, ſed inſuper ſunt ſalubris medicina oculorum, quorum opacitatem, & fluxus a bile provectos ſanant: Parem in modum lacrymæ pœnitentium uberes piorum operum fructus poſt ſe trahunt, & ab oculis irati Numinis bilem abſtergunt &c.

### 98. *Summopere placent Deo.*

Angeli quærebant Magdalenam: *quid quæris?* & Chriſtus ipſe: *quid ploras?* idque non in alium finem, niſi ut magis, magiſque ploraret. S. punct. 1. fol. 5.

*Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.* Ubi Beda: *Quod amamus libenter intuemur*. S. punct. 1. fol. 6. & punct. 10. fol. 575. & ſeq.

Chriſtus patiens in cruce ſitit, ubi S. Chryſ. ſerm. 91. Chryſologus: ſitit lacrymas peccatorum. S. punct. 10. fol. 577. *Offerat ſitienti Chriſto hanc potionem, qui Chriſtum amat.* Spongiam aceti non vult guſtare, quia guſtavit ſpongiam lacrymarum Magdalenæ. M. conc. 10. aſſ. 2. n. 5.

S. Chryſologus ait: *Mutatur ordo rerum, pluviam terræ cælum dat ſemper, nunc rigat terra cælum* &c. S. p. 1. f. 7.

Quis non commiſeratione tangatur erga Sanctos Angelos cuſtodes, qui ad tutelam clientum deputati, vitam illorum præceptis Dei contrariam, morum levitates, & peccata turpiſſima, tanta cum nauſea intueri coguntur, ut niſi Dei voluntate eſſent alligati, certe aufugerent. Quid ergo illos retinet? quid tædium illorum ſolatur? Lacrymæ pœnitentium, juxta illud Bernardi: *Lacrymæ pœniten-* S. Bern. ap. Engelgr. p. 2. Emb. 24. *tium ſunt nectar Angelorum.* Cur autem delectantur lacrymis? quia illas ſciunt placere Deo! &c.

Chriſtus Dominus poſt quadraginta dierum jejunium eſuriit, & pendens in cruce ſitivit. Vis ſitim, & famem Domini extinguere? Audi S. Chryſoſtomum: *De-* S. Chryſ. ſerm. 93. *us delinquentium gemitus eſurit, ſitit lacrymas peccatorum.*

### 99. *Extinguunt efficaciter peccata.*

S. Chryſoſtomus ait, lacrymas eſſe ſpongiam, qua delentur peccata. S. p. 131. f. 411. imo ſunt ſpongia qua peccator nomen ſuum in libro dæmonis extinguit. S. p. 10. fol. 576.

Lacrymæ comparantur martyrio; quia tam cito peccata extinguunt, quam martyrium, id quod exemplificatur in Magdalena, in Petro &c. S. p. 131. f. 411.

S. Auguſtinus ait: *Omnes aquæ non extinguunt unam ſcintillam in inferno, una lacryma totum inferni ignem extinguit.* S. p. 10. fol. 576.

*Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: ubi Bernardus: Non dixit Apoſtolus, non ploret quis: efficacior



cior enim coram Deo eſt lacryma, quam lingua: audio Petrum flentem, non audio orantem, quia lacryma flectit omnipotentem. S. punct. 10. fol. 579.

In cælo factum eſt ſilentium, quia lacrymæ perorabant: S. Bernardus ait: *O lacryma, tuum eſt regnum, tua eſt potentia: accuſantibus ſilentium imponis, de ore principis ſententiam rapis*. M. conc. 10. aſſ. 2. n. 10.

Magdalena veniam impetrat, quia lacrymæ pro illa perorant. M. conc. 37. aſſ. 2. n. 2. & ſeq.

Immanis latro tempore Mauricii Imperatoris in hoſpitali animam agens, & peccata ſerio deflens veniam peccatorum impetrat. R. cent. 2. p. 2. mir. 39.

Gravis peccator a dæmonibus catena ductus cum ad concionem veniret, contritus illacrymatus eſt ſuis peccatis: & ecce! una lacryma cadens ſupra catenam, illam abrupit. E. Verb. *Contritio* n. 11.

Climac. grad. 7. Climacus ait: *Potentior baptiſmate poſt Baptiſma eſt fons lacrymarum*. S. Maximus: *Utiliores lacrymarum preces ſunt, quam ſermonum*. Et S. Greg. Nyſſenus: Vulnerum animi tanquam ſanguis lacrymæ ſunt &c. C. in ep. S. Jac. c. 5. v. 17.

### 100. *Sunt peccatori utiles & neceſſariæ.*

S. Auguſtinus ait, neſcio qualis dulcedo eſt in lacrymis, quia egerunt dolorem: melius eſt peccatori temporanee flere, quam æternum: ibi enim nullum erit levamen, quia igneæ lacrymæ ſulcos quidem urent in genas, ſed nec minimum peccati extinguent: ploremus ergo nunc, dicebat olim ille, antequam abeamus illinc ubi lacrymæ noſtra corpora adurent. S. punct. 139. fol. 441.

Dæmon omni conatu ſtudet impedire lacrymas, utpote ſibi nocivas, eum in modum, quo olim Tryſus tyrannus ſubditis flere prohibuit. B. ſerm. 8. n. 1.

S. Auguſtinus ait: *Oratio Deum lenit, ſed lacryma cogit, illa ungit, hæc pungit*. Fletus eſt lavacrum ſcelerum, & refectio animarum. Tota aqua maris non extinguit unam prunam purgatorii, ſed lacrymæ omnes ejus flammas extinguunt. C. in Ezech. 6. v. 9.

Vere mundus hic vallis eſt lacrymarum: unus deplorat jacturam honorum temporalium, alter jacturam amici per mortem, tertius jacturam honoris aut officii, alii alia mala. Sed quid profunt hæ lacrymæ? Nihil profunt! non reparant damnum, quod deploratur! ſolæ lacrymæ illæ profunt, quæ effunduntur a pœnitentibus ad delenda peccata, juxta illud Petri Cellenſis: *Sterilis eſt omnis ef-* Petr. Celleſ. de pan. c. 12. *fuſio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum*. Ideo hortatur Chry- S. Chryſ. ſerm. de dormit. ſoſtomus: Tantum peccatum lugeamus, omnia vero alia mala infracto animo feramus.

Quod Baptiſmus operatur in lapſo, id lacrymæ operantur in relapſo: *Quoniam* S. Bern. ſer. 1. in oct. Paſch. *Baptiſmi Sacramentum iterari non licet, qui ſæpe in multis offendimus, frequenti oportet lacrymarum ablutione ſuppleri*, ait S. Bernardus.

## Confeſſio.

### 101. *Eſt facilis reſpectu pœnitentiæ veteris.*

Olim requirebatur contritio perfecta, nunc ſufficit attritio cum ſacramento: olim leproſi ſe publice debebant proclamare, nunc ſatis eſt in aures ſacerdotis ſuſurrare: olim debebant holocauſta offerri pro qualitate peccatorum, nunc ſufficit ſacrificium labiorum. S. punct. 25. fol. 104. ſeq.

Quondam in more erat confeſſio publica nunc abrogata: nunc nemini præt. unico miniſtro Chriſti nihil patet de defectibus pœnitentis, ita quidem, ut putent nonnulli Doctores, nec Angelum bonum, nec malum ex ſingulari Providentia Dei quidquam notitiæ habere de iis, quæ in confeſſionali aguntur. Cum filius prodigus rediit, confeſtim juſſit parens afferri a famulis veſtimenta, & nudum cooperire. Per veſtimenta intelligitur gratia Dei, per famulos intelliguntur Sacerdotes Dei. Sed cur non convocatur tota familia, ut filii nuditatem, & patris benignitatem intueantur? Hoc noluit parens; ſufficit famulos fuiſſe intuitos, præter hos nemini fas eſt: *Nemini notus ſit erronei filii defectus, & nuditas . . . Vos famuli ſcitis, nemo ſciat alius*, ait Did. de Celada. Didac. de Celad. in Judith. c. 8. §. 22.

Etiam in Veteri Teſtamento fuiſſe obligationem confeſſionis, probabiliter tenent quidam auctores, ex illo Numerorum c. 5. *Vir, ſive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere ... confitebuntur peccatum ſuum* &c. D. 4. 82. D. 12. 52.

Pœnitentes olim pullato habito, & tonſo vertice notabantur, erant ſeparati a cœtu fidelium, & a ſacra Communione: jubebantur ingredi monaſteria, abſtinere a matrimonio, a bello, ab officio patrini, ab extrema unctione, abuſu balneo.

neorum & aliis. Pontifex Stephanus cuidam Adolpho, qui uxorem ſuam interfecit, terribilem pœnitentiam injungit, juſſit eum in Monaſterium abire, vino abſtinere, pane & aqua vivere, vigilare & orare: & cum his omnibus dubiam adhuc facit remiſſionem &c. D. 12. 52.

102. *Debet eſſe ſeria.*

Tam Rex Saul, quam David faſſi ſunt: *Peccavi*. Et tamen tantum huic remiſſa ſunt peccata, non illi. Cur? S. Auguſtinus ait: *Diſſimile pectus erat, quod Dominus diſcernebat*. B. ſerm. 25. n. 21.

Sponſa laudatur a ſponſo: *ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*, propter verecundiam: ubi S. Bernardus annotat: *Quantum diſplicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet ei verecundia pœnitentis* &c. B. ſerm. 55. §. 4.

S. Bern. ſerm. 5. in Cant.

Chriſtus in Apoſtolorum collegium aſſumpſit duos Judas, Thaddæum, & Iſcariothem: Judas ſignificat confeſſio: ſicut ergo non omnis Judas, ita nec omnis confeſſio placet Deo, quia ſæpe ſeria non eſt. M. conc. 19. aſſ. 1. n. 3.

O quanta mala ſequuntur, ſi perfunctorie deproperentur confeſſiones! omnes enim admiſſæ negligentiæ a dæmone objiciuntur in articulo mortis. Terribile eſt, quod Cluniacus de Stephano quodam Monacho enarrat, in morte quaſi diſputans luctabatur; interdum clamabat: Ita eſt, feci hoc ſed pœnitui! Interdum, non eſt ita, mentiris! alias: Non habeo, quo me excuſem, ſed ſpero in Miſericordia Dei! ſic erat horrendum aſpectu, & auditu luctamen. Ita obiit, magnum relinquens dubium, quæ ſecuta ſit ſententia. O Bone Deus! ſi ab eo, qui vitam in pœnitentia exegit, tam ſtricta ratio exigebatur, quid nobis fiet, qui hoc ſalutis negotium tam negligenter peragimus &c.

Clim. gr. 7.

103. *An ſeria ſit, ex effectu debet deſumi.*

Thamar & Judas pepererunt duos gemellos Phares, & Zaran: Thamar ſignificat contritionem, & Judas confeſſionem: Phares ſignificat declinationem a malo, & Zaram operationem boni: ita omnis ſeria confeſſio hos duos effectus generare debet. M. conc. 19. aſſ. 1. n. 9. 10.

Illos, qui hodie confitentur, & cras ad eadem peccata redeunt, comparat S. Ambroſius tegulæ nondum coctæ, quo magis lavatur, eo magis ſordeſcit. B. ſerm. 58. n. 38. S. Auguſtinus comparat ſui lotæ, & redeunti ad volutabrum: cani redeunti ad vomitum.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum: definitur autem ſacrificium, *oblatio rei ſenſibilis per realem immutationem &c.* ergo cor contritum & humiliatum debet realiter immutari: ergo occaſiones debent vitari, voluptates contemni &c. &c.

Nunquam vidiſti, quid in Palæſtra pugilum contingat? En! duo gladiatores armata manu congrediuntur, ſtrictiſque gladiis unus alterius jugulum petit. Exhorreſcis, & in momenta ſingula cædem exſpectas! Verum non ſerio res agitur! Magiſter & diſcipulus in arte gladiatoria ſeſe exercent, paulo poſt pacem componunt, & amiciſſime confabulantur. Ita fit in multis confeſſionibus: pugnatur contra Diabolum, putaturque, hunc internecina ſtrage vincendum, ac delendum eſſe! verum paulo poſt conflatur priſtina cum inimico amicitia, frequentantur iterum occaſiones, & familiaritates periculoſæ, fiunt eadem peccata; quis credat confeſſionem fuiſſe ſeriam? Luſus fuit, & bellum mere ſcenicum &c.

104. *Remittit peccata; quantum hoc beneficium.*

S. Chryſoſtomus commendans beneficium remiſſionis peccati ait: *Niſi miſeratio ipſius ſubveniſſet, tantum illud peccatorum pondus ſine dubio in imis nos inferni pœnis, ſuppliciiſque preſſiſſet*. B. ſerm. 57. n. 25.

S. Chryſ. l. 2. de compuncti. cord.

Rex voluit rationem ponere cum ſervis, & dein debitum omne dimiſit: ad quid ratio ineunda erat, ſi volebat dimittere? S. Chryſoſt. reſpondet: *Ideo autem, antequam rationem poneret, debitum non dimiſit, quia docere voluit, a quantis debitis eum liberabat*. B. ſerm. 57. n. 26.

S. Chryſ. Ibid.

Dum miles quidam ſub arbore adulterium committit, vidit uxor in ſomnis eum gladio confodi: dum autem miles ſub eadem arbore confitetur, & confeſſarius illi propter ardentiſſimam contritionem non niſi quinquies ſalutationem Angelicam injungit, vidit uxor in ſomno illum a ſuperveniente medico vulneratum quinque floſculis ſanari. E. Verbo *adulterium* ex. 6.

Diabolus alicui arcana peccata publice improperavit. Ille abit & confitetur: dumque redit, circumſtantes dixerunt Diabolo: ecce! amicus tuus adeſt, cui peccata exprobaſti. Et obſeſſus: Ego nihil illi



illi exprobravi, nil mali ſcio de ipſo, eſt innocens. E. Verb. *Confeſſio* n. 10.

Origenes ait: *Dum accuſat ſeipſum, & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam*. B. ſer. 55. n. 16. & Ib. §. 5.

Morſus ſcorpionis venenoſus & letalis eſt: quod ſi vero ſcorpio atteratur, & oleo immergatur, prodeſt contra venenum, & vulnus ſanat. Philot. c. 19.

Sicut peccatum maximum eſt omnium malorum; ita remiſſio maximum eſt bonorum omnium; peccatum enim eſt quaſi Deicidium, imo veriſſime Chriſticidium, quia expiari illud non potuit, niſi ſanguine & morte Chriſti. Tantum econtra bonum eſt remiſſio peccati, quia fit per gratiam Dei, & ut loquitur S. Auguſtinus: Majus opus Dei eſt juſtificatio impii, quam creatio cæli, & terræ. Idem affirmat S. Thomas. Hinc ſancti pœnitentes mirum in modum exultabant de jugo peccati excuſſo, & extraordinariis auſteritatibus gratiam Dei conſervare ſtudebant, uti S. Petrus, S. Paulus, S. Magdalena, S. Maria Ægyptia &c. C. Mich. 7. v. 20. Et Act. 3. v. 26.

S. Thom. 1. 2. q. 113. A. 9.

Femina Alexandriæ confeſsionem facturа præ mera verecundia loqui non poterat, ſcripſit ergo peccata ſua in ſcheda, eaque S. Patriarchæ Joanni Eleemoſynario legenda obtulit: legit ſanctus, eique abſolutionem impertiit! & ecce! peccata in papyro omnia deleta ſunt, atque loco eorum ſcriptum erat: *Remittuntur tibi peccata tua!* Surius in vita S. Joan. Eleemoſ.

105. *Vincit, & fugat diabolum.*

S. Aſtion Martyr per confeſsionem curatus fuit a turpi cogitatione, & Diabolus ab eo ſpecie nigri pueri cum facula ardente receſsit, dicens: *Confeſſio tua, o Aſtion, magnas meas vires contrivit*. S. Macarius Theopempo confeſsionem perſuadet, & a tentatione blaſphemiæ liberat. Serapion ſolitos furari paximatium ad explendam gulam, confeſsus ab omni tentatione gulæ & furti liber fuit: dæmon enim ſpecie lampadis e ſinu ipſius egredi viſus eſt, miro fœtore cellam replens. Alius per quatuordecim annos fornicatione tentatus, quod per jejunium non obtinuit, confeſsione liberatus eſt. S. Iſidorus ait: *Confeſſio ſanat, confeſſio juſtificat, confeſſio peccatis veniam donat* &c. C. Lev. c. 6. v. 4.

Goliath in faciem cecidit, dum in fronte ictus eſt: ſic dæmon ſternitur, ſi peccata ipſi in faciem projiciantur. Matthias Faber ait: *Cadit in faciem dæmon, quia confeſſione peccatoris machinatio illius confunditur, & ſternitur*. B. ſer. 56. n. 18.

Diabolus optaret omnes peccatores fieri mutos, quia per confeſsionem illi ex ejus poteſtate eripiuntur. Paoletti Dom. 3. Quadr.

Quidam adulter marito ſuſpectus erat: cum igitur in vicinia eſſet obſeſsus, ex quo dæmon occulta peccata propalaret, duxit illuc maritus adulterum. Hic metuens prodi prius ſecedit in ſtabulum, ibique rogat famulum, ut ſe confitentem audiret (tanta erat illius confidentia in confeſsione) audiit famulus. Et tunc adulter ad obſeſſum cum marito perrexit: dæmon autem eum innocentem proclamavit, latina lingua ſubjungens: in ſtabulo juſtificatus eſt. E. Verb. *Confeſſio* n. 9.

Diabolus ipſe fatetur, nihil regno ſuo adeo nocere, quam confeſsionem. E. Verb. *Confeſſio* n. 15.

Contra omnes Satanæ inſultus munit ſacra confeſsio; ipſa omnes ejus vires enervat, fraudes detegit, dolos aperit, perplexitates diſcutit: Unde S. Hieronymus ait: Siquem ſerpens diabolus occulte momorderit, & peccati veneno infecerit, ſi occultat vulnus, Medicus ei prodeſſe non poterit; *quod enim ignorat medicina, non curat*. C. in Acta Apoſt. c. 19. v. 18.

S. Hier. in Eccli. 10.

106. *Debet eſſe integra.*

Rex Saul a Deo ejectus eſt e regno: Quare? quia juſſus omnes Amalecitas delere, Regi Agag vitæ gratiam fecit: quid prodeſt, o peccator, ſi viginti peccata deleas, interim Rex adhuc vivat? B. ſerm. 25. n. 21.

S. Cyrillus vidit dæmonem circuire confeſsionalia: quæſitus reſpondit, ſe reſtituere ablatum; nempe verecundiam, quam peccanti abſtulit, pœnitenti reſtituit, ut impediat integritatem confeſsionis. B. ſer. 56. n. 6.

*Effunde ſicut aqua cor tuum*: Cur ſicut aquam, cur non ſicut oleum, vinum &c. Reſp. Quia alii liquores non tam perfecte effunduntur ſicut aqua, ſed ſaltem odorem relinquunt: ita cor a peccatis evacuandum eſt perfecte. B. ſerm. 56. n. 7. ſerm. 57. n. 16.

Judas crepuit medius, quia non integre confeſſus eſt: tantum enim faſſus eſt, quod tradiderit ſanguinem juſtum, nihil

dixit

dixit de indigna communione, nihil de furtis, nihil de murmuratione contra Magdalenam &c. M. conc. 19. aſſ. 1. n. 6.

Chriſtus liberaturus dæmoniacum quæſivit nomen ex dæmone: ille reponit eſse legionem, id eſt 6666, ubi Card. Hugo advertit: *Vult extorquere confeſſionem multitudinis*. B. ſerm. 55. n. 16.

Exponi debent non tantum ſpecies, & numerus, ſed etiam circumſtantiæ ſpeciem mutantes: Judas male confeſſus eſt: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*, licet enim indicaverit proditionem, & homicidium, tamen ſubticuit ſimoniam. B. ſerm. 55. n. 28. ſerm. 56. n. 3.

Sicut tormentum rumpitur, ſi os illius obſtruitur: ita anima in deteriorem ſtatum venit, quam fuit antea, ſi peccata celet. B. ſerm. 65. n. 20. ſeq.

Catharina Puella Peruana impudicitias ſuas in confeſſione ſubticet, poſt mortem ut horribile ſpectrum apparet, & ad damnationem ſuam peccata fatetur, quæ noluit fateri ad ſalutem. R. cent. 3. mir. 24.

### 107. *Eſt valde grata Deo.*

Cain poſt homicidium infeliciſſimus erat, & Lamech ejuſdem criminis reus, utpote occiſor Caini veniam invenit: quæ cauſa diſparitatis? Theodoretus reſpondet, quia Cain excuſare ſe voluit, dicens: *Nunquid cuſtos ſum fratris mei.* Lamech autem faſſus eſt: *Occidi virum.* Verba Theodoreti ſunt, *Propter peccati confeſſionem contra ſe ferens ſententiam evitavit ſententiam Divinam.* B. ſer. 33. n. 1. ſer. 55. n. 2. 3. ſeq. ſer. 57. n. 4. 5. S. p. 135. fol. 426.

Petrus in ore piſcis didrachma invenit, quo tributum ſolvit: tributum quod debemus juſtitiæ Divinæ, in ore proprio invenitur per confeſſionem. M. conc. 19. aſſ. 1. n. 7.

Adamum, Cainum, Judam allocutus eſt Deus: *Ubi es? Ubi eſt frater tuus? Ad quid veniſti?* idque non alium in finem, niſi ut confeſſionem delicti provocet. B. ſerm. 56. n. 1.

Quidni grata ſit confeſſio Deo, cum Chriſto Domino reſtituat honorem peccatis ablatum? ſi filius nobiliſſimi parentis perduellionis accuſatus in furcam innocens ageretur, & alius ſe hujus criminis reum ultro accuſaret, nonne injuſte occiſum a grandi infamia liberaret? hoc agit pœnitens! Chriſtus Dei Filius *cum ſceleratis reputatus eſt*: ſed a pœnitente innocens proclamatur, qui quaſi fatetur ad pedes Confeſſarii: Ego ſum reus: ego dignus morte crucis, non Chriſtus. B. ſerm. 55. n. 6.

### 108. *Quam præſtans & utilis ſit.*

Puer ab Eliſeo ſuſcitatus oſcitavit ſepties: peccator per confeſſionem ad vitam gratiæ reſuſcitatus ſeptemplicem virtutem exercet: fidem, ſpem, caritatem, humilitatem, obedientiam, fortitudinem, juſtitiam &c. B. ſerm. 55. §. 2.

Confeſſio tranquillat conſcientiam, procurat cognitionem ſui, incendit caritatem Dei in animo &c. B. ſerm. 57. a n. 22. ſeq.

Ex illis decem, quos Chriſtus miſit ad Sacerdotes, unus tantum rediit: *Novem ubi ſunt?* reverſi ſunt ad ſua peccata. Cur autem iſte procidit in faciem? Gloſſa ait, ut cuſtodiret ſanitatem: pœnitens ante pedes Vicarii Chriſti ſæpe cadat, ut cuſtodiat ſanitatem. S. p. 117. f. 366.

Confeſſio mitigat Divinum Judicium; hinc Apoſtolus: *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur &c.* Segn. Manna 29. Jul. n. 4. 1. Cor. 11.

Confeſſio eſt ad ſalutem neceſſaria, & ideo peccatoribus valde utilis, Deo autem delectabilis. Paol. Dom. 3. Quadr.

*Qui confeſſus fuerit & reliquerit ea,* Prov. 28. (ſcelera) *miſericordiam conſequetur*, ait Sapiens. Et Tertull. *Gehennam exomologeſis extinguit* &c. C. Lev. 6. v. 4. Tertul. l. de pœnit.

Morſus ſcorpionis venenoſus & letalis eſt: quod ſi ſcorpio atteratur, & oleo immergatur, contra venenum prodeſt, & vulnus ſanat. Ita peccatum letale eſt, in confeſſione autem expoſitum ſanat. Philoth. c. 19.

Confeſsio vulnus animi ſanat, & fraudes diaboli enervat; nam quia ſpiritus eſt tenebrarum, odit lucem, & vincitur ſi proditur: ſic narrat Ruffinus, quemdam tentatione blaſphemiæ ejus revelatione, ſeu confeſsione fuiſse liberatum. C. in Acta Ap. c. 19. v. 18.

Alii aliis vitiis, uti impudicitia, gula, furto, aliiſque per confeſsionem levati ſunt. Idcirco Veteres Monachi, teſte Climaco, e cingulo geſtarunt libellum, Climac. grad. 4. in quo cogitationes per diem occurrentes ſtatim notabant, ut eas revelarent Paſtori. Sicut aer nubibus obtenebratus, iis per pluviam effuſis, ſerenatur; ita per confeſsionem, qua afflictio quaſi in ſinum alterius effunditur, exinanitur ægritudo animi. C. in Acta Ap. c. 19. v. 18.

Me-



Dom. Soto in 4. diſt. 18. q. 1. ar. 1. Memorabile eſt, quod ſcribit Dom. Soto: Norimbergenſes miſerunt Legatos ad Carolum V. Imp. rogantes, ut publico edicto reſtauraret, præciperetque confeſſionem; ſe enim expertos fuiſſe, quod poſtquam illa abrogata eſſet, ſcelera in urbe & Republica dominarentur.

### 109. *Quales qualitates habere debeat.*

Petrus juſſus eſt ire ad mare, ut ibi denarium in ore piſcis inventum tributo penderent: mare eſt Sacramentum pœnitentiæ propter quadruplicem Analogiam ait Sanctus Antonius Paduanus: 1. facit mare dolorem capitis: 2. Stomachum evertit. 3. Movet ad vomitum. 4. Adimit orexin ad cibos &c. ita pœnitentia in ſenſu morali quatuor hos effectus cauſat. B. ſerm. 55. n. 8.

Judas ſceptrum obtinuit: Judas interpretatur confeſſio, quæ ſceptrum regni cæleſtis conſequitur, debet autem habere eas qualitates, quæ per quinque litteras hujus vocis *Judas* indicantur: nempe littera *J.* denotat quod debeat eſſe integra. *V.* verecunda. *D.* doloroſa. *A.* accuſatoria. *S.* ſatisfactoria. B. ſerm. 55. n. 10. 11.

Debet eſſe frequens; hic ſenſus fuit Omnium Sanctorum ad perfectionem Chriſtianam tendentium, ſæpe & fere quotidie confiteri: id fecit. S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus: S. Catharina Senenſis, S. Coleta, S. Margarita de Cordona, S. Carolus Borromæus, S. Franciſcus Borgias, & alii. Nadali de ſigno X. Prædeſt. c. 1. n. 11. Materiam confeſſionis habuerunt Sancti, non tantum quotidianas labeculas expiando, ſed maculas veteris vitæ repetendo.

Confeſſio ita inſtituenda, ut 1. Imploretur gratia Spiritus Sancti. 2. Seponantur negotia tantiſper, & curæ ſæculares. 3. Serio examinetur conſcientia. 4. Tam ſolicite peragatur confeſſio, ac ſi hæc eſſet ultima.

### 110. *Debet eſſe accuſatoria, non excuſatoria ſui.*

David ait: *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.* Ubi Beda annotat: *Multi confitentur juſtitiam ſuam, & ſi confitentur injuſtitiam ſuam, tamen non adverſus ſe, ſed adverſus Dominum. &c.* B. ſerm. 55. §. 7.

Iterum Sanctus David fatetur: *Peccavi Domino.* Non rejicit culpam in mulierem lavantem, non in tentationem, non in pravam conſtellationem, ut multi. &c. S. punct. 25. fol. 106.

Job tam glorioſus eſt in confeſſione ſuarum infirmitatum, quam bonorum operum. S. punct. 25. fol. 106. & ſeq.

David tacuit ad delicta, non tacuit ad merita, ideo aruerunt oſſa ejus. M. conc. 19. aſſ. 1. n. 4.

Nihil uſitatius in confeſſione, quam excuſare delicta! Nullum vitium eſt ſine patrocinio, ait Seneca, & vitia, quæ amamus, malumus excuſare, quam excutere. Superbia vocatur decentia ſtatus, Avaritia vocatur providentia, luxuria vocatur jovialitas, ſic paſſim alia ſcelera habent ſuum pallium: Infirmitas hæc eſt a primis parentibus derivata, Adamus culpam in uxorem, uxor in ſerpentem rejecit.

Præcipue mulieres huic vitio deditæ ſunt: Sara, utut ab Angelo viſa ſit ridere, audacter tamen negavit: *Non riſi!* Impudens illa femina, quæ in lecto ſuffocavit infantem, alteri illum ſuppoſuit, ne illa oppreſſiſſe videretur. S. punct. 25. fol. 107.

Plerique fugiunt nomen peccati, & non peccatum. Verum ubi humilitas deeſt, plerique cum eadem ſarcina peccati ex ſacro tribunali regrediuntur, qua ingreſſi ſunt. Ex duobus, qui templum ingreſſi ſunt, videlicet Phariſæo & Publicano, ille tantum juſtificatus eſt, qui faſſus eſt: *Deus propitius eſto mihi peccatori! &c.*

### 111. *Illius difficultates generoſe debent ſuperari.*

Sanctus Bernardus ait: *Quatuor ſunt, quæ impediunt confeſſionem, pudor, timor, ſpes, deſperatio.* B. ſerm. 56. n. 5. S. Bern. lib. ſent.

*Ipſa hujuſmodi confeſſionis difficultas gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis levaretur.* B. Ib.

Tobias ingenti timore perculſus fuit intuitu piſcis, ſed ob utilitatem, & medicandi virtutem ſuperavit: ita tu animoſe apprehende hunc piſcem tibi adeo terribilem, & miras exinde utilitates experieris. B. ſerm. 56. n. 8.

An forſan metuis, ne Confeſſarius recordetur tuorum peccatorum? Vir ſceleratiſſimus navigabat in Syriam, & cauſa fuit terribilis tempeſtatis. Quod ille advertens publicam fœdiſſimorum peccatorum confeſsionem fecit, & mox mare placatum eſt. Illud autem mirabile, quod navigantes, dum ad littus appulerunt, omnium omnino obliti ſunt, quæ in con-

feſſione audierunt: ſic Deus Confeſſariis cripit memoriam. E. Verbo *Confeſſio* n. 12.

Motiva vincendi ejuſmodi difficultates ſunt, conſiderando 1. Non eſſe dedecus ſed honorem revelare peccata, ſed potius dedecus eſſe, ea celare & Deo mentiri. 2. Confeſſarium non eſſe Angelum, homines etiam Sanctos cecidiſſe. 3. Sacrilege confitentes eſſe æternæ damnationi obnoxios, conſcientiam etiam eorum ſemper manere inquietam. 4. Peccata hac modo occulta in extremo judicio manifeſtanda. 5. Confeſſarium ſtrictiſſimi ſilentii obligatione teneri. 6. Per confeſſionem recuperari merita deperdita, & amicitiam Dei, quod eſt ſummum bonum! &c.

### 112. *Debet generoſe ſuperare verecundiam.*

*Jud. 14.* Samſon leonem vicit, & redux in ore illius mel invenit; verecundia talis leo eſt: aggredere fortiter, & mel in ore ejus invenies, quia magnam dulcedinem, & conſolationem animi experieris. B. ſerm. 56. n. 16.

Conſidera quod olim peccata tua, etiam occultiſſima toti orbi patebunt: præſtat igitur nunc uni homini ſecreto prodere. Religioſus quidam negligens in raptu ad judicium citatur, ubi invenit Matrem ſuam ſibi exprobrantem: quid eſt hoc fili, ubi ſunt ſermones tui: volo ſalvare animam meam? ad ſe revocatus auſteriſſimam egit pœnitentiam identidem repetens: ſi non potui ſufferre exprobrationem Matris, quomodo ſuſtinebo Chriſti & Sanctorum adverſum me improperium. &c. S. punct. 135. fol. 425. & ſeq. B. ſerm. 56. §. 6.

Conſidera dictum Sancti Vincentii Ferrerii: ſi nunc non vis peccatum prodere
*S. Vinc. Ferr. ſer. 2. Dom. 3. poſt. Pent.* Parocho, debebis æternum confiteri in inferno: *In inferno fit confeſſio, non tamen Deo, ſed diabolo curato illius Parochiæ.* B. ſerm. 56. n. 27.

Conſidera Confeſſarium peccatorem eſſe tibi æqualem, aut forte te deteriorem: Ecce! in Sacrificio Miſſæ poſt conſecrationem omnia ſecrete legit Sacerdos, donec veniat ad illa verba: *Nobis quoque peccatoribus*, ubi elata voce pectus percutit, & quaſi ſeipſum reum agit: Quare hoc? credo Eccleſiam ita ordinaſſe, ut adſtantes ſciant ſacrificantem non Angelum eſſe, ſed peccatorem: & tu horres te profiteri talem, qualis eſt ipſe Confeſſarius.

Conſidera, quod peccata confeſſa cedant ad gloriam. Sanctus Jobglorioſus fuit non minus confitendo infirmitates ſuas, quam merita. S. punct. 25. fol. 106. punct. 107. fol. 314. pun. 135. fol. 426. ad finem.

Conſidera, quod hoc ipſum peccatum intueatur Deus, & intuitus ſit eo momento, quo patratum eſt. Aliquis talis peccator Chriſtum ſub ſchemate mendici recipiens, videt quod in occipite oculos habeat. P. p. 2. diſ. 1. n. 13. Vide Nucleum Catech. de Pœnitentia lect. 85.

### 113. *Eſt neceſſaria ad ſalutem.*

Mulier in peccatum impudicitiæ lapſa ex verecundia ſubticet illud in confeſſione. Interim monaſterium ingreſſa miram auſteritatem in ſe ipſam exercet; ſed fruſtra; nam poſt mortem apparens ſe damnatam affirmat. Ardias p. 3. de Sacram. Pœnit. inſtr. 1. n. 9.

Alia poſt mortem mariti luxurioſe vivens geminos infantes conceptos occidit, ſperans ſe per eleemoſynas ſalvatum iri. Verum poſt mortem ſuam filio Monacho pientiſſimo apparuit in tormentis, & ſe damnatam eſſe propter peccatum illud in confeſſione non detectum aſſeruit. E. Verb. *Confeſſio*. n. 23.

In Actis Apoſtolorum, poſtquam *Act. 19.*
Paulus ejecit dæmonia, quæ ejicere non poterant Judæi, dicitur, quod *Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos*, ex quibus verbis eruitur inſtitutio, & neceſſitas confeſſionis contra hæreticos; non enim intelligi hæc poſſunt de confeſſione quadam generali, ſed particulari, qua confitebantur *actus ſuos &c.* C. Act. 19. v. 18.

Chriſtus Dominus conſtituit Apoſtolos & Sacerdotes in judices fidelium: *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* *Joan. 20.*
Ergo tenentur peccatores ſe his judicibus ſubjicere, & cauſam conſcientiæ ſuæ cognoſcendam aperire; alias fruſtranea eſſet hæc poteſtas Apoſtolorum, nec poſſent illi judicare, quæ peccata remittenda, & quæ retinenda ſint. &c. Fruſtra igitur hæretici clamant, confeſſionem eſſe inventum hominum; quis enim hominum tam grave humilitatis onus imponere potuiſſet? &c.

114. Mun-



### 114. *Mundat animam ab omni fœtore peccati.*

Romæ femina cum ipſo ſuo filio peccavit, & conceptum ex eo fœtum occidit. Diabolus ſub ſpecie Advocati eam accuſavit. Interim femina confitetur, & invocato B. V. patrocinio in judicio apparet: & ecce! diabolus eam non novit, inquiens: hanc non eſſe illam ſceleratam, ſed puram, ſanctam. Et ſic illa evaſit, pro omnibus innocens habita. E. Verb. *Confeſſio*. n. 7.

Diabolus videns Chriſtianos per confeſſionem mundari, & dealbari, voluit ipſe confiteri. Sed irrito conatu, quia humiliari noluit. E. Verbo *Confeſſio* n. 13.

Vir quidam antea pius, ſenſim ad ſcelera deflexit, & in languorem corporis incidit: agnoſcens igitur peccata eſſe cauſam ſuæ infirmitatis, confeſſus eſt, & mox exſpuens animalcula in morem bufonum convaluit. E. Verb. *Confeſſio* n. 8.

Provida natura in variis orbis regionibus ſalubres thermas excitavit, in quibus lavantes ſe a variis infirmitatibus tam internis, quam externis poſſunt ſanari. O quam felicem ſe reputat, qui tali lavacro v. g. a ſcabie corporis liberatus eſt, putat ſe alterum eſſe Naaman Syrum, qui ad mandatum Prophetæ in Jordanis flumine ſe lavans mundatus eſt. Et non felicem ſe reputet peccator, qui fœtorem peccati, quo coram Deo ſimillimus eſt dæmoni, in confeſſionem abſtergere poteſt! &c.

## Confeſſio Generalis.

### 115. *Quam utilis ac neceſſaria ſit.*

*S. Chryſ. Hom. 1. in Pſal. 50.* SAnctus Chryſoſtomus de peccatis ait: *Si tu memor ſis, Deus non erit memor: ſi tu oblitus fueris, Deus memorabitur.* Quamdiu David diſſimulabat peccata, Deus illi indignabatur: quamprimum autem faſſus eſt, ſtatim audiit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum &c.* B. ſerm. 57. n. 6.

In ordinariis confeſſionibus nonnunquam negliguntur aliqua, quæ tamen peccata ſunt, & ſuo tempore in morte
*S. Bern. Serm. de Miſer.* graviter affligent, dicente Bernardo: *Heu quanta tunc in mentem venient, quæ nunc vel nulla eſſe putantes inconfeſſa, atque impurgata relinquimus, &c.* Defectum hunc ſupplet confeſſio generalis: ideo Ezechias Rex conſtituit: *Recogitabo tibi omnes annos meos.* B. ſerm. 57. n. 8.

Qui ſacrum vitæ inſtitutum ingrediuntur, qui ad SS. Ordines accedunt, qui novam ordinatamque vitam ordiri volunt, & denique qui nullam adhuc depoſuerunt, bene, & utiliter confeſſionem generalem deponunt. B. ſerm. 57 §. 4. & 5.

Adlheydis morte Amaſii, qui ſeipſum ſuſpendit, territa, impuram vitam deſeruit, & Religioſam in clauſtro ingreſſa eſt. Infeſtabatur mille modis a dæmone, & nulla fere remedia profuere ad dæmonem repellendum. Tandem ſuaſu amici generalem confeſſionem fecit, & quamvis dæmon clamore & invitatione illam impedire voluerit, tamen ſtrenue ſeipſam confudit, & ſic dæmonem abegit, nunquam amplius viſum. E. Verb. *Confeſſio* n. 11.

### 116. *An omnibus, & quibus ſuadenda?*

Climacus ait, confeſſiones ſcrupuloſorum aut etiam impurorum eſſe, ac ſi ignis vellet extingui oleo, aut canis famelicus abigi jactu panum, aut, ait Ludovicus de Ponte, ſi ſordida lacuna agitatur cum fœtore. B. ſerm. 57. §. 2. Non igitur expedit ſcrupuloſis, aut impuris recoquere præterita, quia ſicut ignis exiguo flatu reaccenditur, ita illi novum perturbationis, aut tentationis periculum incurrunt.

Suadenda confeſſio generalis, ſi triplex hic finis indubitanter ſperetur: 1. Ut defectus compenſetur, ſi forſan in antecedentibus confeſſionibus circa dolorem, aut ipſam accuſationem, aut propoſitum talis admiſſus ſit. 2. Ut confitens pleniorem, & accuratiorem conſcientiæ ſuæ notitiam acquirat. 3. Ut dum univerſa peccata ſua in uno quaſi cumulo conſpicit, in majorem dolorem, amorem, & ſatisfaciendi ſtudium erga Deum exardeſcat.

Poſt confeſſionem generalem rite peractam non facile illa repetenda, ſed tota peccatorum colluvies perpetua oblivione delenda eſt, niſi ſpecialis ratio cum conſilio confeſſarii id ſuaſerit. Aſſueſcat confitens deinceps ſemeſtribus aut annuis confeſſionibus.

### 117. *Quando & quomodo neceſſaria vel utilis?*

Sponſa aſſimilatur equitatui Pharaonis: cur non pugnæ Madianitarum, aut cædi Sennacherib? Reſp. Quia in interitu Pharaonis nec unus remanſit: ita nec unum peccatum remanere debet. B. ſerm. 57. n. 16. & ibid. §. 3.

D 2 Uti-

Utilis & neceſſaria videtur confeſsio iis generalis, qui continua animi anxietate turbantur. Vir quidam delicioſe in mundo vivere ſolitus poſt peractam confeſsionem dicere ſolebat, ſe per quinquaginta annos tanta animi voluptate, & conſcientiæ delitiis nunquam fruitum fuiſſe, quantas poſt peccatorum ſuorum exonerationem expertus fuiſſet, prout teſtatur P. Paulus Barry.

Barry in Manipul. Diſſert. mat. 2. dic.

Interrogo: an confeſsiones hactenus uſitatas integre ac ſincere coram Deo peregiſti, aut peccatum gravius ex pudore aut timore ſacrilege ſubticuiſti? Si primum: non opus eſt turbare aquam pellucidam! perge gaudere tranquillitate animi! ſi ſecundum, repetendæ ſunt confeſſiones omnes, & recapitulanda totius vitæ periodus, ſi ſalvari cupis! cum vas aureum, vel argenteum mucidum aut pulverulentum ſolummodo ſit, ſatis eſt ſi lavetur aut tergatur. Si vero confractum & pertuſum ſit, ex integro per ignem fundi, & refundi debet. &c.

### 118. *Prodeſt pro præterita, præſenti, & futura vita.*

Pro præterita vita prodeſt confeſsio generalis, ut compenſentur defectus confeſsionum præſertim in annis juvenilibus abſque ſufficienti diſcretione factarum, aut quæ peractæ ſunt ſecundum ſententias laxas, & mere probabiles.

Pro præſenti; quia conducit ad cognitionem ſui ipſius, ad compaſsionem exhibendam proximo, ad incendendam caritatem Dei.

Pro futuro; quia conducit ad tranquillam mortem. &c. B. ſerm. 57. a n. 23. ſeq.

Barry ubi ſupra.

B. Maria Veneta Nobilis puella, tam ante, quam in matrimonio vanitatibus aſſueta, cum Vir ejus bello aberat, ſtatuit mœrorem & tædium animi ſanare, & Deo plene reconciliari. Expiavit conſcientiam confeſsione generali, tanto fervore, ut domum regreſſa, uniones, catenulas, ſpecula, & omnem vanitatis ſupellectilem, contra hortamenta Matris in fruſta comminuerit, ut omnem ſibi occaſionem repetendæ vanitatis præſcinderet, & primum gradum ſanctitatis, ad quam poſtea aſcendit, ſibi conſolidaret.

## Propoſitum.

### 119. *Apud multos infirmum eſt, & cur?*

*In circuitu impii ambulant*, ait Pſalmiſta: ſicut lapis, quo gladii, ac cultri acuuntur, e lutoſa aqua ſemper emergit, & ſemper remergitur: ita peccatores ſæpe e ſordibus ſuis emergunt, proponunt emendare, reſtituere, occaſionem vitare, & poſt inaniſsima propoſita relabuntur. &c. B. ſerm. 51. §. 4.

*Sicut novacula acuta feciſti dolum*: novacula abſcindit quidem crines, ſed quia radix remanet, iterum creſcunt: ita peccata repullulant, quia radix non tollitur. &c. B. ſerm. 55. n. 24.

In exercitu Xerxis equa parturiit leporem: ita multi dum parturire creduntur neſcio quantam ſanctitatem, infirmiſſimum propoſitum parturiunt, ex quo facile judicari poteſt brevi ſecuturum relapſum. B. ſerm. 60. n. 8. Valer. Max. l. 1. c. 6.

Multa propoſita ſæpe concipiuntur ex præſumptuoſa quadam arrogantia, & hæc firma non ſunt, ideo enim Petrus cecidit, quia jactabunde dixit: *ſi omnes, non ego*. B. ſerm. 60. n. 9.

Eſt aliquis, qui in infirmitate ſanctiſſima concipit propoſita, ſed convaleſcens tam niger eſt quam antea. S. punct. 17. fol. 59. B. ſerm. 60. n. 10.

Mala conſuetudo ſæpe retrahit ad priſtina peccata: ita Auguſtinus ſecum luctabatur: putabat ſuas voluptates ſibi loqui: *Dimittiſne nos? a momento iſto non erimus tecum?* &c. B. ſerm. 49. n. 16.

Qui fugit efferum bovem pallium quidem projicit, ſed iterum aſſumit: ita multi tantum pœnitentiam agunt timore mortis, & periculo elapſo ſunt ſcelerati ut antea. B. ſerm. 60. n. 10. 11.

Multis pœnitentibus exprobrari poteſt, quod S. Baſilius Sincletico Religioſo ſæculariter viventi: & ſenatorem perdidiſti, & Monachum non feciſti. E. *Proprietarius* n. 2.

Multi pœnitentes deficiunt ſerio propoſito, propter ſemi-volens nolens cor, propter vim pravorum habituum, tentationes. &c. C. in Ep. Jac. 2. v. 13.

### 120. *An firmum ſit, ex effectu debet deſumi.*

Sæpe videmus in campis ordinari acies, concurrere milites, exonerari ſclopos &c. his finitis fit convivium, editur, bibitur: quid hoc? an hic finis ac exitus eſt belli? Ohe! bellum non erat, ſed ludicra exercitatio armorum. Ita ſæpe conſtituta ſunt noſtra propoſita, audiuntur gemitus, videntur lacrymæ, & pectoris tunſiones: ſed ſerio res non agitur, quia brevi in eadem peccata reditur. B. ſerm. 60. n. 9.





*Filiæ eorum compoſitæ circumornatæ ut ſimilitudo templi*. Sicut enim templum ornatur ad aliquam feſtivitatem, & hac elapſa ornamenta iterum aſportantur: ita multi pœnitentes pleni videntur ornatu, elapſa autem Miſſione, aut devotione quadrageſimali redeunt ad ſua ſcelera. B. ſerm. 60. n. 9.

Quis credat firmum te concepiſſe propoſitum, ſi poſtea retineas munuſcula, litteras, incentiva veteris amoris &c. Juditha omnia ſpolia Holofernis ex oculis amovit, & in templo ſuſpendit *in anathema oblivionis*, quia erant ab amante. B. ſerm. 57. n. 13.

Infernus plenus eſt bonis propoſitis, & tamen nulla ſequitur emendatio: proponere ergo & non emendare damnatorum eſt. B. ſerm. 7. n. 17. 18. ſeq. ſerm. 51. §. 4.

Quis credat firmum fuiſſe propoſitum, cum ad eadem peccata mox iterum reditur? nullus conatus, nulla ſolicitudo adhibetur ad emendanda peccata: ſaucius, qui vulnus non obligat, ſatis indicat, ſe nullum ſentire dolorem. Sic a pari. Hinc S. Paulus requirit, quod in vero pœnitente *triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operari* debeat. Vidua, quæ mox perſolutis marito juſtis nubit alteri, non cenſetur defuncti necem ſinceris lacrymis deploraſſe. &c. P. p. 1. diſc. 5. n. 16.

1. Mach. 7.

Quando Bachides & Alcimus venerunt in terram Juda, & locuti ſunt populo de pace, non crediderunt illis Judæi: Quare: Quia *venerunt cum exercitu magno*. Quis credat propoſitum eſſe ſerium cum occaſione &c.

### 121. *Debet eſſe univerſale, & ſerium.*

Rex Saul juſſus eſt omnes Amalecitas delere, nullo excepto, & quia Regi pepercit morte punitus eſt. B. ſerm. 25. n. 21. ſerm. 55. n. 23. ſeq.

Iſraelitæ ad conteſtationem, quod ſerio deteſtentur idololatriam, effuderunt aquam, in ſignum, quod, quam parum aqua effuſa poſſit recolligi, tam parum illi redituri ſint. &c. B. ſerm. 55. n. 25.

Juvenis morituriens bene confeſſus & contritus damnatur, quia propoſitum ſerium non habuit, ſed potius voluntatem, redeundi ad peccata, ſi convaleſceret. E. Verbo *Contritio* n. 6.

Clerico ſcelerato apparuit ſenex librum vitæ manu tenens, in quo Clericus, jam pœnitens nomen ſuum tam frequenter raſum invenit, ut vix ſuſtineret pergamentum. Dixit autem illi Angelus: Sæpius propoſuiſti emendationem, & tunc erat ſcriptum, & reſiliendo deletum, & niſi modo Religionem intraſſes, damnatus fuiſſes. E. *Propoſitum*.

Multi de populo Iſrael decreverunt firmiter potius mori, quam manducare de immundis. Idem conſtanter ſtatuit Eleazarus potius tormenta & mortem ſubire, quam comedere carnes porcinas, aut tantum etiam ſimulare. Horum exempla imitetur pœnitens! redibit poſt peractam pœnitentiam Diabolus, & eſcas vetitas, imo porcinas tibi offeret! Dic, malo mori, quam guſtare, aut etiam tantum ſimulare. &c. 1. Mach. 1. 2. Mach. 6.

Ut pœnitens ſerio peccatum fugiat, in promptu habere debet principia practica, quæ ſtatim tentationi opponat, v. g. ſine mora reflectendo ſe, & conſiderando Præſentiam Dei, Paſſionem Domini, Patrocinium Beatiſſimæ Virginis, mortem, judicium, infernum, & ſimilia: ſic fecit pœnitens David, inquiens: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. &c.

### 122. *Firmiſſime tenendum eſt.*

*Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, ſtultus ſicut luna mutatur*. Sol nunquam aliquid caloris aut virtutis perdit ſicut luna. Dein ſicut ſol per monſtra non terretur, per quæ ambulat, uti cancer, ſcorpius, capricornus &c. ita homini pœnitenti occurrent quidem monſtra, ideſt varia impedimenta, ſed non debet cohiberi: *Monſtrorum exagitatur timor*. &c. Segn. Manna 13. April. n. 5. Eccl. 27. Sap. 17. v. 4.

Vir quidam luxurioſiſſimus, Dei miſeratione compunctus e domo receſſit, & in ſepulcro ſe concludens cum multis lacrymis pœnitentiam egit. Apparuerunt illi dæmones & ad priſtinas voluptates eum invitarunt? repugnantem autem verberibus crudeliter percuſſerunt; ille tamen in pœnitentia perſeverabat, ita ut ab omnibus pro ſancto haberetur, & dæmones tandem clamarint: Viciſti nos! Viciſti! E. *Deſperatio* n. 1.

Miles pœnitens per totam noctem in Eccleſia orare juſſus, etſi dæmones inſidias hoſtium, incendium, & alia mala fingerent, non receſſit, quatuor coronas una nocte promeritus. E. *Pœnitentia* n. 9.

Pugnandum fortiter contra tentationes exemplo Joſephi, qui, licet quotidie moleſta ipſi fuerit Domina, tamen perſeveranter operi nefario reſtitit. Item exemplo Suſannæ, quæ duorum ſenum impudicitiæ ſe fortiter oppoſuit. Gen. 39. Dan. 13.

O quam infirma ſunt peccatorum propoſita! Homo ille fuit ludificatus & ir- Luc. 14. riſus, qui cæpit ædificare, & non potuit conſummare: ita dæmones explodent multorum, præſertim conſuetudinariorum propoſita, qui in confeſſione promittunt turres & nec producunt arundines! Parturient montes, naſcetur ridiculus mus! &c.

Satisfactio.

123. *Mutat pœnam æternam in levem.*

Siquis poſſet debitum mille aureorum uno obolo expungere, nonne lætanter id facere deberet? debitum quod contraximus per peccatum letale ingens eſt, obolo id expungimus, ſi in hoc mundo ſatisfacimus. B. ſerm. 55. n. 30.

Quid debes Domino meo, quærebat iniquus ille negotiator; centum cados olei: ſcribe quinquaginta: ſic fit per pœnitentiam injunctam in confeſſione. B. ſerm. 55. n. 27. Et Sanch. 4. pact. c. 7. f. 326.

Sceleratus Rex Achab pœnitentiam 3. Reg. 21. agens, cooperuit ſe cilicio, jejunavit, dormivit in ſacco, ambulavit demiſſo capite, aliaque fecit pro delictis ſuis. Quid effecit? aut quid a Deo obtinuit? Minorata eſt illi pœna pro peccatis infligenda. Si hoc in homine perverſo, & ſcelerato, quid non ſperet pœnitens vere contritus, & ſerio converſus?

Fides nobis deficit, quia non credimus gravitatem pœnarum in altera vita: Infirmus impatienter tolerabat dolores ſuæ ægritudinis & diſſolvi cupiebat. Apparuit illi Angelus, optionemque illi dedit, an morbum hunc biennio adhuc pro peccatis tolerare, aut illa per triduum in purgatorio expiare mallet? Elegit infirmus triduum purgatorii! verum cum vix horam ibi arderet, indignatus eſt Angelo, quod mendaciter ſe decepiſſet! promiſit mihi triduum, ajebat, & jam pluribus annis in hac flamma crucior! apparuit illi iterum Angelus, edixitque: needum effluxiſſe horam! tunc deplorans ille ſuam inſipientiam obtulit ſe Deo, & interceſſione Angeli obtinuit, quod morbum ſuum compluribus annis perferre malit. S. Antonin. p. 4. ſum. tit. 14. c. 10. §. 4. Flores exempl. tit. 50. Ex. 1.

124. *Eſt neceſſaria ad impetrandam veniam.*

Zachæo promiſit Chriſtus: *Hodie ſalus huic domui*. Quia & hodie reſtituit: ad ſalutem impetrandam neceſſe eſt ut ſtatim reſtituas, occaſionem fugias &c. alias abſolutio ſacramentalis inefficax eſt, quia ſe ſola non ſufficit &c. B. ſerm. 55. n. 31.

Chriſtus dicit: *Non omnis, qui dicit* Matth. 7. *mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum*. Quare autem non intrabit? S. Vinc. Quia, ut ait S. Vincentius Ferrerius, Ferr. ſer. non tantum bis, ſed ter debet dicere Do- 3. Dom. mine: *In corde* per contritionem, *in ore* poſt. Tri. per confeſſionem, & *in opere* per ſatisfactionem. Satisfaciendum eſt Deo & proximo: Deo per opera pœnalia, proximo per reſtitutionem, ſiquam debes. La Selv. in Adventual. conc. 14. §. 1.

Sed ais: Nunquid Chriſtus pro nobis abundanter ſatisfecit? Omnino ſatisfecit, ſed non ſine noſtra cooperatione: Nunquid Chriſtus etiam pro nobis oravit? Et tamen quotidie orare debemus: *Dimitte nobis debita noſtra*: ergo ſicut Chriſtus noſtram orationem, ita & noſtram ſatisfactionem requirit. Hinc ait Apoſtolus: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum* Coloſſ. 1. *Chriſti in carne mea*. Chriſtus Dominus loco noſtri auſteram prorſus pœnitentiam egit, & tamen dicit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*.

Si ſubditus rebellis Regi ſuo coronam auferat, an non tenetur ad ſatisfactionem ideo quia Rex eſt ditiſſimus, qui plures coronas ſibi comparare poteſt? Minime vero! Parem in modum, etiamſi Deus ex ſe non indigeat operibus hominis, peccator tamen tenetur illi ſatisfacere, cui per peccatum, ut ita dicam, rebellis coronam auferre voluit. &c.

125. *Debet eſſe proportionata delicto.*

Chriſtus ter rogavit Petrum, amas me? cur ter? Reſp. Ut trinæ negationi trina confeſſio reſponderet. M. conc. 8. aſſ. 3. n. 8.

Pœnitentiæ improportionatæ, & nimis leves, quas ſæpe confeſſarii injungunt, faciunt, ut peccatum pro levi malo reputetur. Si peccata iis pœnis plecterentur, quæ in primitiva Eccleſia erant in uſu, non is, qui nunc eſt, flagitiorum torrens Chriſtianas provincias inundaret. P. p. 3. diſ. 19. n. 13.

Quæres, quænam ſatisfactio maxime ſit proportionata delicto? Reſpondeo, quæ ex vera Dei caritate procedit, hæc enim motivum eſt ſinceræ & perfectæ contritionis. Peccator maximus, luxuriæ ſceleribus ſordidus, effuſis lacrymis peccata ſua confitebatur ſuo Epiſcopo, interrogans, quo ſupplicio Deum offenſum placare, eique ſatisfacere poſſet? Reſpondit Epiſcopus: Poſſunt deleri tua peccata, ſi paratus ſis quam tibi dictabo, ſatisfactionem præſtare. Paratus ſum, ajebat pœnitens! Age ergo, ſeptennem pœnitentiam age! Agam, ait peccator, non tantum ſeptennio, ſed per omnem vitam uſque ad ultimum halitum. Admiratus Confeſſor ſubintulit mitius: Volo, ut per tres dies in pane & aqua jejunes! Pœnitens in lacrymas effuſus rogabat durius haberi! Epiſcopus ex diſpoſitione pœnitentis ſolatio plenus, ſufficit, ajebat, ut tria Pater & Ave recites, certuſque eſto, remiſſa tibi eſſe peccata. Ita Thomas Cantipratanus.



Similiter & caritas erga proximum efficax eſt ad delenda peccata, juxta illud: Eleemoſyna extinguit peccatum, & caritas operit multitudinem peccatorum. &c.

126. *Olim exigebatur rigoroſa, nunc eſt valde tepida.*

Auditu terribile eſt, quam rigoroſa pœnitentia a Pontifice Innocentio puniti fuerint interfectores Conradi Epiſcopi Herbipolenſis: Inprimis comparere debebant coram Pontifice & populo ſaccis induti, & funem e collo gerentes, dein juſſi ſunt itinerari nudis pedibus in terram ſanctam, & ibi triennio contra Saracenos militare, interdicti ſunt omnibus comœdiis, luſibus, armis, veſte colorata, & ſecundo Matrimonio. Præterea debebant omni carne abſtinere, diebus eſurialibus ſolo pane & aqua jejunare, ter annuatim quadrageſimale jejunium obſervare, quotidie centies orationem Dominicam, genuflexiones autem quinquageſies repetere, in itinere e terra ſancta in patriam ſingulas urbes nudis pedibus, funem e collo pendentem, & virgam in manibus portantes tranſire, quærentibus quibuſque ſuum latrocinium fateri, dein Romam redire & cætera Pontificis juſſa præſtolari. &c. D. 7. 99.

S. Dunſtanus Regi Edgaro, qui cum Virgine peccaverat, ſeptenne jejunium & ædificationem cœnobii injungit. S. Ambroſius Imperatorem Theodoſium ob cædem Theſſalonicæ factam a fidelium communione excludit, aliaſque pœnas injungit. Sanchez 4. part. c. 7. fol. 358.

Quam male igitur agunt, qui pœnitentiam injunctam vel perfunctorie peragunt, vel contra confeſſarium ſua ſpe rigidiorem murmurant. Cogitent, quam graves pœnitentiæ in primitiva Eccleſia pro uno peccato mortali, quinque, ſeptem, aut plurium annorum fuerint injunctæ, intra quod tempus, teſte Bellar- Bellarm. Tom. 2. controv. l. 1. c. 21. & 22. mino, pœnitentes jejuniis, ciliciis, & orationibus mirifice ſe affligere debebant. O quantum diſtamus ab illis!

Merito igitur modernis pœnitentibus dici poteſt, quod olim ſervi hero ſuo Naaman: *Si rem gravem tibi dixiſſet Propheta, facere debuiſſes, quanto magis, quia* 4. Reg. 5. *nunc dixit: Lavare, & mundaberis?* &c.

EXTREMA UNCTIO.

127. *A quo & quando inſtituta?*

A Chriſto Domino eſt inſtituta, & a S. Jacobo Apoſt. promulgata.

Aliqui exiſtimant Chriſtum hoc Sacramentum inſtituiſſe Marci Sexto, ubi Salvator duodecim ad ſe vocatos, binos & binos cum certa poteſtate miſit, ubi ſubnectitur: *Exeuntes prædicabant pœnitentiam, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant*.

Probabilius tamen dicitur, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum poſt reſurrectionem, intra illos quadraginta dies, Joan. 20. quo tempore converſatus cum Apoſtolis, Act. 1. loquebatur de regno æterno, & de Eccleſia, quæ regnum Dei vocatur, ordinando ea, quæ poſtea obſervaturi erant Apoſtoli, præſertim circa Sacramenta, & Eccleſiæ Ordinem Hierarchicum; quia plene tunc Eccleſiam fundabat, antequam ex hoc mundo diſcederet, inter alia commiſſionem dedit Jacobo Apoſtolo pro- Jac. 5. mulgandi hoc Sacramentum, his verbis: Infirmatur quis in vobis? &c. quæ ſequuntur.

Chriſtus Dominus ipſe propriis mani- Surius bus Sanctæ Lydvvinæ triginta octo annis 14. Apr. ægrotanti, & ad extrema deductæ Sacramentum Unctionis miniſtravit, ac tandem cereum morienti in manus tradidit, donec ſpiritum exhalavit.

128. *Cur & quem in finem inſtituta?*

Chriſtianus, qui a Chriſto dicitur *Unctus* & luctator contra diabolum ter in vita inungitur: *In Baptiſmo* per chryſma in vertice, & per oleum ſacrum in ſcapulis & pectore, ut ſic initietur ad luctam contra hoſtes ſuæ animæ & ſalutis. *In Confirmatione* in fronte, ut ampliori fortitudine roboratus non vereatur publice confiteri fidem, eamque contra ho-

O quam infirma ſunt peccatorum propoſita! Homo ille fuit ludificatus & iriſus, qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare: ita dæmones explodent multorum, præſertim conſuetudinariorum propoſita, qui in confeſſione promittunt turres & nec producunt arundines! Parturient montes, naſcetur ridiculus mus! &c. Luc. 14.

Satisfactio.

123. *Mutat pœnam æternam in levem.*

Siquis poſſet debitum mille aureorum uno obolo expungere, nonne lætanter id facere deberet? debitum quod contraximus per peccatum letale ingens eſt, obolo id expungimus, ſi in hoc mundo ſatisfacimus. B. ſerm. 55. n. 30.

Quid debes Domino meo, quærebat iniquus ille negotiator; centum cados olei: ſcribe quinquaginta: ſic fit per pœnitentiam injunctam in confeſſione. B. ſerm. 55. n. 27. Et Sanch. 4. pact. c. 7. f. 326.

Sceleratus Rex Achab pœnitentiam agens, cooperuit ſe cilicio, jejunavit, dormivit in ſacco, ambulavit demiſſo capite, aliaque fecit pro delictis ſuis. Quid effecit? aut quid a Deo obtinuit? Minorata eſt illi pœna pro peccatis infligenda. Si hoc in homine perverſo, & ſcelerato, quid non ſperet pœnitens vere contritus, & ſerio converſus? 3. Reg. 21.

Fides nobis deficit, quia non credimus gravitatem pœnarum in altera vita: Infirmus impatienter tolerabat dolores ſuæ ægritudinis & diſſolvi cupiebat. Apparuit illi Angelus, optionemque illi dedit, an morbum hunc biennio adhuc pro peccatis tolerare, aut illa per triduum in purgatorio expiare mallet? Elegit infirmus triduum purgatorii! verum cum vix horam ibi arderet, indignatus eſt Angelo, quod mendaciter ſe decepiſſet! promiſit mihi triduum, ajebat, & jam pluribus annis in hac flamma crucior! apparuit illi iterum Angelus, edixitque: necdum effluxiſſe horam! tunc deplorans ille ſuam inſipientiam obtulit ſe Deo, & interceſſione Angeli obtinuit, quod morbum ſuum compluribus annis perferre malit. S. Antonin. p. 4. ſum. tit. 14. c. 10. §. 4. Flores exempl. tit. 50. Ex. 1.

124. *Eſt neceſſaria ad impetrandam veniam.*

Zachæo promiſit Chriſtus: *Hodie ſalus huic domui.* Quia & hodie reſtituit: ad ſalutem impetrandam neceſſe eſt ut ſtatim reſtituas, occaſionem fugias &c. alias abſolutio ſacramentalis inefficax eſt, quia ſe ſola non ſufficit &c. B. ſerm. 55. n. 31.

Chriſtus dicit: *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Quare autem non intrabit? Quia, ut ait S. Vincentius Ferrerius, non tantum bis, ſed ter debet dicere Domine: *In corde* per contritionem, *in ore* per confeſſionem, & *in opere* per ſatiſfactionem. Satisfaciendum eſt Deo & proximo: Deo per opera pœnalia, proximo per reſtitutionem, ſiquam debes. La Selv. in Adventual. conc. 14. §. 1. Matth. 7. S. Vinc. Ferr. ſer. 3. Dom. poſt. Tri.

Sed ais: Nunquid Chriſtus pro nobis abundanter ſatisfecit? Omnino ſatisfecit, ſed non ſine noſtra cooperatione: Nunquid Chriſtus etiam pro nobis oravit? Et tamen quotidie orare debemus: *Dimitte nobis debita noſtra:* ergo ſicut Chriſtus noſtram orationem, ita & noſtram ſatisfactionem requirit. Hinc ait Apoſtolus: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Chriſtus Dominus loco noſtri auſteram prorſus pœnitentiam egit, & tamen dicit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Coloſſ. 1.

Si ſubditus rebellis Regi ſuo coronam auferat, an non tenetur ad ſatisfactionem ideo quia Rex eſt ditiſſimus, qui plures coronas ſibi comparare poteſt? Minime vero! Parem in modum, etiamſi Deus ex ſe non indigeat operibus hominis, peccator tamen tenetur illi ſatisfacere, cui per peccatum, ut ita dicam, rebellis coronam auferre voluit. &c.

125. *Debet eſſe proportionata delicto.*

Chriſtus ter rogavit Petrum, amas me? cur ter? Reſp. Ut trinæ negationi trina confeſſio reſponderet. M. conc. 8. aſſ. 3. n. 8.

Pœnitentiæ improportionatæ, & nimis leves, quas ſæpe confeſſarii injungunt, faciunt, ut peccatum pro levi malo reputetur. Si peccata iis pœnis plecterentur, quæ in primitiva Eccleſia erant in uſu, non is, qui nunc eſt, flagitiorum torrens Chriſtianas provincias inundaret. P. p. 3. diſ. 19. n. 13.

Quæres, quænam ſatisfactio maxime ſit proportionata delicto? Reſpondeo, quæ ex vera Dei caritate procedit, hæc enim motivum eſt ſinceræ & perfectæ contritionis. Peccator maximus, luxuriæ ſceleribus ſordidus, effuſis lacrymis peccata ſua confitebatur ſuo Epiſcopo, interrogans, quo ſupplicio Deum offenſum placare, eique ſatisfacere poſſet? Reſpondit Epiſcopus: Poſſunt deleri tua peccata, ſi paratus ſis quam tibi dictabo, ſatisfactionem præſtare. Paratus ſum, ajebat pœnitens! Age ergo, ſeptennem pœnitentiam age! Agam, ait peccator, non tantum ſeptennio, ſed per omnem vitam uſque ad ultimum halitum. Admiratus Confeſſor ſubintulit mitius: Volo, ut per tres dies in pane & aqua jejunes! Pœnitens in lacrymas effuſus rogabat durius haberi! Epiſcopus ex diſpoſitione pœnitentis ſolatio plenus, ſufficit, ajebat, ut tria Pater & Ave recites, certuſque eſto, remiſſa tibi eſſe peccata. Ita Thomas Cantipratanus.



Similiter & caritas erga proximum efficax eſt ad delenda peccata, juxta illud: Eleemoſyna extinguit peccatum, & caritas operit multitudinem peccatorum. &c.

126. *Olim exigebatur rigoroſa, nunc eſt valde tepida.*

Auditu terribile eſt, quam rigoroſa pœnitentia a Pontifice Innocentio puniti fuerint interfectores Conradi Epiſcopi Herbipolenſis: Inprimis comparere debebant coram Pontifice & populo ſaccis induti, & funem e collo gerentes, dein juſſi ſunt itinerari nudis pedibus in terram ſanctam, & ibi triennio contra Saracenos militare, interdicti ſunt omnibus comœdiis, luſibus, armis, veſte colorata, & ſecundo Matrimonio. Præterea debebant omni carne abſtinere, diebus eſurialibus ſolo pane & aqua jejunare, ter annuatim quadrageſimale jejunium obſervare, quotidie centies orationem Dominicam, genuflexiones autem quinquageſies repetere, in itinere e terra ſancta in patriam ſingulas urbes nudis pedibus, funem e collo pendentem, & virgam in manibus portantes tranſire, quærentibus quibuſque ſuum latrocinium fateri, dein Romam redire & cætera Pontificis juſſa præſtolari. &c. D. 7. 99.

S. Dunſtanus Regi Edgaro, qui cum Virgine peccaverat, ſeptenne jejunium & ædificationem cœnobii injungit. S. Ambroſius Imperatorem Theodoſium ob cædem Theſſalonicæ factam a fidelium communione excludit, aliaſque pœnas injungit. Sanchez 4. part. c. 7. fol. 358.

Quam male igitur agunt, qui pœnitentiam injunctam vel perfunctorie peragunt, vel contra confeſſarium ſua ſpe rigidiorem murmurant. Cogitent, quam graves pœnitentiæ in primitiva Eccleſia pro uno peccato mortali, quinque, ſeptem, aut plurium annorum fuerint injunctæ, intra quod tempus, teſte Bellarmino, pœnitentes jejuniis, ciliciis, & orationibus mirifice ſe affligere debebant. O quantum diſtamus ab illis! Bellarm. Tom. 2. controv. l. 1. c. 21. & 22.

Merito igitur modernis pœnitentibus dici poteſt, quod olim ſervi hero ſuo Naaman: *Si rem gravem tibi dixiſſet Propheta, facere debuiſſes, quanto magis, quia nunc dixit: Lavare, & mundaberis?* &c. 4. Reg. 5.

EXTREMA UNCTIO.

127. *A quo & quando inſtituta?*

A Chriſto Domino eſt inſtituta, & a S. Jacobo Apoſt. promulgata.

Aliqui exiſtimant Chriſtum hoc Sacramentum inſtituiſſe Marci Sexto, ubi Salvator duodecim ad ſe vocatos, binos & binos cum certa poteſtate miſit, ubi ſubnectitur: *Exeuntes prædicabant pœnitentiam, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant.*

Probabilius tamen dicitur, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum poſt reſurrectionem, intra illos quadraginta dies, quo tempore converſatus cum Apoſtolis, loquebatur de regno æterno, & de Eccleſia, quæ regnum Dei vocatur, ordinando ea, quæ poſtea obſervaturi erant Apoſtoli, præſertim circa Sacramenta, & Eccleſiæ Ordinem Hierarchicum; quia plene tunc Eccleſiam fundabat, antequam ex hoc mundo diſcederet, inter alia commiſſionem dedit Jacobo Apoſtolo promulgandi hoc Sacramentum, his verbis: Infirmatur quis in vobis? &c. quæ ſequuntur. Joan. 20. Act. 1. Jac. 5.

Chriſtus Dominus ipſe propriis manibus Sanctæ Lydvvinæ triginta octo annis ægrotanti, & ad extrema deductæ Sacramentum Unctionis miniſtravit, ac tandem cereum morienti in manus tradidit, donec ſpiritum exhalavit. Surius 14. Apr.

128. *Cur & quem in finem inſtituta?*

Chriſtianus, qui a Chriſto dicitur Unctus & luctator contra diabolum ter in vita inungitur: *In Baptiſmo* per chryſma in vertice, & per oleum ſacrum in ſcapulis & pectore, ut ſic initietur ad luctam contra hoſtes ſuæ animæ & ſalutis. *In Confirmatione* in fronte, ut ampliori fortitudine roboratus non vereatur publice confiteri fidem, eamque contra hoſtes.

ſtes propugnare. *In Extrema Unctione*, ut ad ultimam, & graviſſimam luctam præparetur impendente jam corona? Triplicis hujus unctionis figura videtur præceſſiſſe in perſona David, qui etiam ter unctus fuit 1. a Samuele, ut initietur ad regnum. 2. In Hebron, ut regnaret ſupra domum Juda. 3. Et ultimato, ut imperium caperet ſupra totum regnum Iſrael. Sicut ergo Deus de Davide dixit: *Inveni David ſervum meum; oleo ſancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, nihil proficiet inimicus in eo*, ſic idem hoc dici poteſt de ſingulis Chriſtianis; hi enim ſunt ſervi ſpecialiter ad Dei ſervitium deſtinati. *Marchant. Candel. Myſt. tr. 6. lect. 1. prop. 1.*

*S. Hier. in c. 6. Marci* Sanctus Hieronymus ait: *Quando ungunt oleo ægros, infirmitatem fidei virtute corroborant*. Timendum enim merito, ne infernalis tentator in lucta extrema, fidem tanquam virtutum omnium fundamentum vel maxime oppugnet.

Neque tantum ad remiſſionem peccatorum & animæ ſalutem inſtituta eſt Extrema unctio, verum & ad reſtaurationem valetudinis corporalis; O quam multi convaluiſſent, niſi ex metu quodam imprudenti hoc Sacramentum ad extremos halitus diſtuliſſent, ſimiles infantibus, qui ſæpe amicum non ſatis cognitum reformidant.

### 129. *Magnæ utilitatis & efficaciæ.*

Dei famula S. Maria de Ognies videt apud ægrotum, qui ſacra unctione ungebatur, adſtare Chriſtum & Sanctos, qui dæmones accedere volentes in fugam agebant. Sanchez 7. part. c. 4. fol. 976.

Oleum ſignificat auxilium Dei, ſic
*Iſaia 10. v. 27.* Propheta promiſit Ezechiæ: *Computreſcet* jugum (Sennacherib) *a facie olei*, id eſt Ezechias & Judæi per opem Dei fient robuſti & alacres, qui antea in obſidione erant imbelles, & imbecilles. C. in Iſa. 10. v. 2. Hunc effectum etiam operatur ſacrum oleum in Extrema unctione.

Per oleum ſignificatur gratia & conſo-
*S. Leo Ser. 5. de Epiph.* latio Divina, unde S. Leo: *Nihil arduum humilibus... facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium*. Idem ipſum efficit ſacrum oleum Extremæ unctionis. *Ibidem*.

Oleum ſignificat caritatem & miſericordiam Chriſti, quam ipſe in ſacrificio Crucis & Euchariſtiæ nobis exhibuit: ita S. Bernardus in illud Canticorum: *Oleum effuſum nomen tuum*. C. Levit. c. 2. v. 1. Sic etiam oleum ſacramentale Chriſti caritatem, & miſericordiam nobis communicat.

Jacob fudit oleum ſuper altare, ut illud Deo conſecraret. Ita Extrema unctio animam Deo conſecrat. C. Gen. 28. v. 18.

Olei & Sanctiſſimi Nominis JESU multiplex eſt analogia. C. Cant. 1. v. 2. Sic ſacrum oleum in Sacramento Extremæ unctionis excitat in nobis memoriam Sanctiſſimi Nominis, in quo nos oportet ſalvos fieri.

### 130. *Non differenda aut negligenda.*

Miles ægrotus hortatu meticuloſæ uxoris differt extremam unctionem ad extremam vitæ horam. Dein recolligens ſe revelavit, ſe hanc negligentiam in purgatorio per ſeptennium luere debere, qui tamen, ſi maturius cum plena intelligentia hoc Sacramentum ſumpſiſſet, poſt triginta dies e pœnis fuiſſet liberandus. T. n. 156.

Simile quid narrat Nicolaus Dionyſius, de Viro quodam in extremis laborante, qui interrogatus, an ſacro oleo vellet inungi, reſtitit, quia metuebat, ne ſtatim moreretur. Sic mortuus, cum ad ſepulcrum linteis pararetur, revixit, dicens: qui unctionis Sacramentum abhorrui, centum annis in purgatorio torquebor. Si unctus fuiſſem de hac ægritudine convaluiſſem. His dictis animam denuo exhalavit. *Nucleus Catech. h. t.* *Nicol. Dionyſ. Gemma Prædic. tr. 2. p. 2.*

Medicinæ corporis non ad extremos halitus differuntur: Ergo neque differri debet Extrema unctio; quia Sacramentum efficacius operatur ad ſalutem, ſi intellectus, & voluntas plena cum ratione cooperentur.

S. Malachias Epiſcopus differebat Extremam unctionem conferre ægrotæ mulieri, idque ad inſtantiam mariti. Interim moritur ægrota; tanta cum afflictione Epiſcopi, ut in oratione, & lacrymis pernoctans, a Deo poteſtatem receperit, illam ſuſcitandi a mortuis. Inunxit reſuſcitatam, & iterum in æternitatem dimiſit. *Daveroult h. t.* Item Marchant. h. t. lect. 1. prop. 1.

### 131. *Salutares operatur effectus.*

Primus effectus Sacramenti extremæ unctionis eſt, quod confortet animam ægrotantis contra difficultates, & pericula mortis, quæ certe magna ſunt; quia diabolus omnes vires ſuas, tentationeſque contra agonizantem in aciem evocat, ſciens, quia modicum tempus habet.



Alter effectus eſt remiſſio peccatorum, dicente S. Jacobo: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Peccata autem, quæ hic remittuntur, ſunt venialia, aut reliquiæ peccatorum, quæ in confeſſione non ſatis, aut ex oblivione omnino non fuerunt expreſſa.

Tertius effectus eſt, recuperatio ſanitatis etiam corporalis, ſi id expediat animæ ſaluti. Lugduni ægrotus quidam febrium eſt ad inſaniam redactus terribiles, & deſperabundas voces eructabat. Sacerdos, qui ejus confeſſionem audierat, ſacram unctionem illi miniſtravit, & ecce! manſuetiſſimus factus non ſolum ad mentem, ſed & ad valetudinem rediit. *Ex Litt. ann. S. J. ann. 1599. Colleg. Lugdun.*

Rupertus Romanorum Rex letaliter decumbens, ægre, & vix tandem perſuaderi potuit, ut ſacram unctionem reciperet. Perſuaſus, cum ex formula Sacramenti audiret, ſacram unctionem non minus ad valetudinem corporis, quam animæ inſtitutam eſſe, indoluit ſuo errori, & mox poſt ſacram unctionem reconvaleſcens, compluribus annis Romano Imperio præfuit. *Joan. Nieder l. 5. c. 11.*

Nunquid ardentiſſimum eſt omnium Chriſtianorum deſiderium, poſſe in ultimo halitu mortis Deum perfectiſſime amare, & ſic emori in amore Dei? atqui hæc tanta felicitas obtineri poteſt per extremam unctionem; conſtans enim omnium Theologorum aſſertio eſt, quod ex attrito faciat contritum, contritio autem prout opponitur attritioni, procedit ex perfecto amore Dei; igitur quantum homo Chriſtianus amat ſuam ſalutem, tantum deſiderare debet Sacramentum unctionis, illudque magis æſtimare, quam omnes mundi theſauros, &c.

## ORDO SACER,

## ſeu Sacramentum Ordinis.

### 132. *A Chriſto inſtitutus, & cur?*

*Con. Trid. Seſſ. 23. Can. 3.* Concilium Tridentinum expreſſe contra hæreticos decernit ex doctrina Eccleſiæ, & Scripturarum auctoritate, ordinationem ſacram eſſe vere Sacramentum; quia ibi per viſibile ſignum gratia & poteſtas ſpiritualis confertur ordinato. Hine Apoſtolus monet Timotheum:
*2. Tim. 1.* *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Ergo Chriſtus Dominus auctor gratiæ & Sacramentorum inſtituit Sacrum Ordinem, certe Apoſtolos in ultima cœna in Sacerdotes ordinavit.

Ratio hujus inſtitutionis eſt, ſicut in naturalibus ordo quidam habetur, quo inferiora per ſuperiora gubernantur, ut unumquodque finem ſuum aſſequatur; ita & in ſupernaturalibus conveniens eſt, ut ordo aliquis gratiarum, graduum, & officiorum in Eccleſia ſervetur.

Sicut ſapientia Dei & gloria in pulchritudine totius univerſi, & ſubordinatione creaturarum unius ad alteram elucet: Sicut inter Angelos dantur novem chori, ubi perfectior illuminat, & dirigit inferiorem: Sicut in regno politico dantur Reges, Duces, Principes, Miniſtri, Officiales & Subditi: Sicut in exercitu dantur Dux ſupremus, Mareſchalli, centuriones, tribuni, & gregarii milites: ita & Eccleſiæ ordo exigit, ut ſuperiorum & inferiorum cohærens ſubordinatio ſpecioſa diſtinctione effulgeat. Regina Saba in aulam Salomonis delata in nulla re illius ſapientiam magis dilaudavit, quam in ordine miniſtrantium, &c. *Marchant. h. t. lect. 1. prop. 1.*

### 133. *Conciliat magnam reverentiam.*

Sacer Ordo extollit ordinatos, præſertim Sacerdotes ſupra laicam, etiam Regum dignitatem; quia ſunt Dei in terris Vicarii, mundi reformatores, morum directores, & Divinæ gloriæ milites; hinc ipſi Principes magna ſemper reverentia venerati ſunt Sacerdotes. Alexander Magnus obſidet Tyrum, commeatum pro ſuo exercitu petit a Summo Sacerdote Hieroſolymis, cumque is, addictus partibus Darii Regis, annonam petenti negaret, iratus Alexander Hieroſolymam feſtinavit, omnia ferro, & flamma devaſtaturus. Sacerdos ſacris veſtibus ornatus obviam proceſſit Alexandro, & ecce! ille venerabili aſpectu mitigatus Sacerdotem ſummo in honore habuit, illique ſacra munera pro templo obtulit.

S. Antonius Abbas, quoties in templum venit, genuflexus a Sacerdote Benedictionem rogare ſolitus eſt.

S. Franciſcus dicere ſolebat: ſi ſimul Angelum de cœlis, & Sacerdotem obvios haberet, ſe prius manum Sacerdotis, quam Angeli oſculo veneraturum.

S. Martinus a tyranno Maximo menſæ conviva adhibitus poculum prius Sacel-

cellano, quam Principi propinavit, quia illum hoc digniorem æſtimavit.

In Conc. Nicæno. Sacerdotes inter ſe diſſidebant, & unus alterum de vitiis, & erroribus apud Conſtantinum Imperatorem ſcripto denigrabat. Verum Imperator ſcripturas omnes in ignem conjecit inquiens: Non oportet illos a me judicari, qui Dei perſonam, & vices in terris gerunt. Ita Euſebius.

*134. Non invenitur apud hæreticos.*

Hæretici dicunt ſe inviſibiliter ordinatos, & miſſos eſſe a Chriſto. Verum inaniter; nam hoc prætextu indiſcriminatim uti poſſent omnes hæreſiarchæ a Chriſto nato uſque in hodiernam diem, cum tamen unus alterum refutet, damnet & abominetur. Apoſtolus Paulus docet, in Eccleſia Deum viſibiliter ordinaſſe *Epheſ. 4.* diverſos miniſtrorum gradus, *Apoſtolos, Doctores, Paſtores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii in ædificationem Corporis Chriſti.*

In Eccleſia videmus perpetuam nulla ætate interruptam ſucceſſionem Epiſcoporum, quos Deus ad regni ſui gubernationem, & ad doctrinæ ſuæ traditionem conſtituit. Hæc ſacra poteſtas quaſi concatenata eſt, a primis Chriſti diſcipulis uſque ad ultimum Sacerdotem: hic ordinatus poteſt nominare ſuum ordinantem, iſte ſecundum, ſecundus tertium, tertius quartum, & ſic aſcendendo uſque ad Apoſtolos & ipſum Chriſtum. An hæc ſucceſſionis prærogativa etiam invenitur apud hæreticos? Minime vero! illi furtive, non per oſtium, ſed aliunde intrant, pernicioſe ſacris miniſteriis ſe ingerunt, nec poſſunt probare ſuam miſſionem.

*Exod. 4.* Mirabile! ut Rex Pharao, & Iſraelitæ fidem haberent Moyſi, Deus dedit ei ſignum, ideſt, poteſtatem vertendi virgam in colubrum, & colubrum in virgam. *Joan. 1.* Joannes Baptiſta, ut miſſionis ſuæ teſtimonium perhiberet, in vita, cibo, veſte, aliiſque prodigioſus fuit. Apoſtoli etiam a Deo miſſi, *ubique prædicaverunt Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* *Marc. 16.* Et Lutherani Præcones, aliique hujus furfuris Novatores ſine ullo Dei teſtimonio volunt ſibi credi, ſe eſſe Divinitus miſſos Eccleſiæ reformatores, nullumque allegant ſignum ſuæ miſſionis, quod non æquali jure afferre & allegare poſſunt antiqui hæreſiarchæ, dudum reprobati, & exploſi. Hinc interrogati hac ſuper re, dum ſpiritum immundum, a quo vocati ſunt, fateri non volunt, ad ineptias convertuntur. Lutherus interrogatus, cur a raptu virginum, & defloratione Monialium, atque a conjugio Sacerdotum Evangelium auſpicatus ſit, reſpondit ſcurriliter: quia Evangelium incipit: *Liber generationis filii David, filii Abraham: Abraham genuit Iſaac &c.* Impudens os? Marchant. h. t.

*Luc. 10.* Apoſtoli quondam venerunt ad Chriſtum plaudentes: Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis; ſicut enim Dei Filius, ita & ejus Diſcipuli ex energumenis expellebant malignos ſpiritus. Hæc poteſtas ab Apoſtolis tranſiit ad ejus ſucceſſores, ideſt, Sacerdotes, prout ſæpius & ſine numero legitur in Vitis Sanctorum. Oſtendant autem Præcones Lutherani, aut Calviniani, oſtendant e millibus ſuorum vel unicum, qui vel unicum dæmunculum ex energumeno ejecit! Ridiculum lectu eſt, in quas anguſtias Lutherum conjecerit energumenus, quem ab orcino hoſpite liberare voluit, prout enarrat Fridericus Staphilus apud March. h. t. lect. 4.

*135. Non inordinate appetendus.*

Frater quidam e Ciſtercienſi familia Ordinem Diaconatus ex motivis inanibus appetens, poſt mortem in purgatorio graviter punitur, & apparens fratrum ſuffragia imploravit. E. *Defuncti* n. 2.

S. Benedictus Clericum a dæmonio liberavit, eique prohibuit, ne ad ſacrum Ordinem aſcenderet, alias expulſum dæmonem rediturum. Poſt multum temporis Clericus ex ambitione ſe ordinari permiſit, & ſtatim occupatus a dæmone, nec amplius liberatus eſt. E. *Ordo* 1.

S. Ammonius in eremo ſolo pane & aqua victitans, cum S. Athanaſium Romam comitaretur, ibi ab Epiſcopis ad ſacerdotium electus, tam pertinaciter electioni ſe oppoſuit, ut auriculam ſibi præſciderit, minitatus etiam, ſe, niſi acquieſcerent, etiam linguam ſibi amputaturum, uti enarrat Nicephorus.

Canonicus Pariſienſis viribus omnibus reſtitit, ne ad Epiſcopatum promoveretur. Poſt mortem apparuit amico, ſalvum ſe eſſe inquiens, cum addito: Si fuiſſem de numero Epiſcoporum, nunc eſſem de numero damnatorum. Cantipratanus.

S. Goar a Rege Sigeberto ad inſulam Trevirenſem vocatus, rogavit Deum, & impetravit, ut ſeptenni febre occuparetur.



Metuebat enim, ne tanti muneris obligationi non ſatisfaceret.

Multi Sanctiſſimi ac Doctiſſimi Viri, inter quos S. Ambroſius, S. Anſelmus & alii ad munus Epiſcopale, aut Sacerdotale compelli non poterant, niſi ſub gravi obedientiæ præcepto.

Peccata Sacerdotum graviora ſunt peccatis laicorum. S. Leo anxius de ſui muneris adminiſtratione quadraginta diebus ac noctibus apud Sepulcrum Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli veniam delictorum exorabat, ultima die vero vocem audiit, peccata omnia meritis & interceſſione Ss. Apoſtolorum ſibi remiſſa eſſe, exceptis iis, quæ in ſtatu Sacerdotali commiſiſſet, ſuper quibus graviſsima ipſi ratio danda ſupereſſet. *In prato Spirituali.*

*136. Imponit magnam obligationem.*

Olim victimis manus imponebantur, cum Deo offerrentur: Ita in ſacra Ordinatione ordinato manus imponit Epiſcopus, ut ſciat, ſe Deo ſacratum eſſe, ita, ut ſe totum Dei ſervitio impendere, & non jam ſibi, ſed Deo vivere debeat. Ex qua obligatione etiam altera fluit, quod ad ſalutem aliorum vires omnes debeat adhibere. Ideo etiam ungitur Sa- *Pſalm. 19.* cerdos, ut *innocens manibus, & mundo corde poſſit aſcendere in montem Domini, & ſtare in loco ſancto ejus.*

Sacerdotes, aliique ordinandi in primis conſurantur, ſeu in capite raduntur, quo ſignificatur, quod ab omni ſuperfluitate, & vanitate alieni eſſe debeant. Ita ut de iis, præſertim de Sacerdotibus enuntiari illud queat: *Hæc eſt generatio* *Pſal. 23.* *quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* March. h. t. lect. 2. & 3.

Sacerdotes ſint lucernæ ardentes, & lucentes, in moribus caſtæ & ſanctæ vitæ integritatem ſervent, ne quod verbo ædificant, pravæ converſationis exemplo deſtruant. Paucis! terreni Angeli ſint oportet! Hinc homines ſancti aut ſacerdotium fugiebant, aut nonniſi cum timore & tremore ſuſcipiebant. S. Franciſcus Seraphicus, utut ſanctiſsimus perſuaderi non potuit, ut ſacerdotio ſe initiari pateretur. Dumque ea de re deliberat, apparuit ei Angelus cum phiala cryſtallina lucidiſsima, dicens: Vide Franciſce, qui vult fieri Sacerdos, ita purus debet eſſe in anima, ſicut hoc vitrum ſplendens ſine omni macula. Chronica S. Franc. l. 1. p. 1. c. 41.

Diaconus aſsiſtens S. Chryſoſtomo ſacrificanti, quia curioſos oculos in ſexum alterum conjecit, viſionem impediit, qua alias S. Antiſtes ſub ſacrificio frui ſolebat. Oportet ergo Miniſtrum Altaris puriſsimum, & ab omni etiam interno peccato mundum eſſe. March. h. t. Lect. 5.

Conradus Abbas Villarienſis, dein Cardinalis & Legatus Apoſtolicus in Germania, Vir erat magnæ ſanctitatis, id quod Deus eo miraculo comprobavit, quod ejus digiti, quibus utebatur ad conſecrandum Corpus Chriſti, de nocte ita erant lucidi, ut his loco candelæ in tenebris uti poſſet ad ſtudia, & alia peragenda, prout enarrat Jacobus de Vitriaco. Ecce! ſacerdos lucere debet, & prælucere, intus gratia Dei, & foris bono exemplo. &c. Marchant. h. t. lect. 1. prop. 2.

*137. Dat magnam authoritatem.*

Sacerdotum tanta eſt excellentia dignitatis, ut illi ſubjicere, tanquam Dei Vicariis, & fidelium judicibus ſe debeant *S. Ign. Ep. 10. ad Smyrnen.* Principes terræ, ideo aſſerit S. Ignatius Martyr: *Sacerdotium eſt ſumma omnium bonorum, quæ in hominibus conſiſtunt.* Et S. Ambroſius: *Quantum plumbo aurum præſtat, tanto regibus dignitate præcellunt presbyteri.*

Olim in Eccleſia Cathedrali (quæ *Dominicum* vocabatur; hinc Verbulum *Domi.*) magna erat majeſtas in Divinis officiis, Epiſcopus Verbum Dei proponebat, Clerici ſuis diſtributis officiis vacabant, Catechumeni, Energumeni, pœnitentes, & cæteri de plebe in ſuas claſſes erant diviſi, tanto ordine ac gravitate, ut increduli forſan templum ingreſſi in faciem prociderent, faterenturque, Deum eſſe in medio eorum. Valens Imperator in Feſto Epiphaniæ cum ingenti pompa in Eccleſiam venit, videnſque ordinem, ſacraque officia, quæ plane Deum ſpirabant, admiratione & ti- *Niceph. l. 11. c. 18.* more humi concidiſſet, niſi ab uno ex primoribus fuiſſet manibus exceptus, prout enarrat Nicephorus.

Sicut in Eccleſia triumphante Angeli ſunt ordine ac poteſtate differentes: ſic in Eccleſia militante, quæ domus Dei eſt, & quaſi caſtrorum acies ordinata, ſunt Miniſtri peculiares, ad Dei cultum: & animarum ſalutem ſibi ſubordinati, Primus omnium Romanus Pontifex, dein Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Parochi, cæterique Sacerdotes, *ut una concors fieret ex diverſitate connexio,*

S. Greg. l.4.ep.52. xio, prout loquitur S. Gregorius, *& recte efficiorum gereretur adminiſtratio ſingularis*. Hic Ordo Eccleſiæ de cælo venit, ait S. Bernardus: *Ne vilem reputes formam hanc; Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem*. S. Bern. ad Eug. l. 3.

Sacerdotium in lege naturæ annexum fuit primogenituræ in illuſtribus familiis, & habebat multas prærogativas: 1. Gaudebat veſtimento aliquo ſpeciali. 2. Ad eum ſpectabat ſacrificiorum oblatio. 3. Singularis illi debebatur a Patre in fine vitæ benedictio. 4. Illius erat in publicis ſolemnitatibus benedictionem impertiri. 5. In menſa habebat portionem cæteris majorem. 6. Habebat dominium ſuper omnes fratres &c. Quæ omnia Sacerdotio novæ legis facile applicari poſſunt. Marchant. h. t. Lect. 6.

Imperator Anaſtaſius omnem impendit operam, ut Oeninandum Epiſcopum ad hæreſis ſuæ partes traheret. Cui Epiſcopus: Deſine vexare Eccleſiam, ejuſque miniſtros! Momento Divini Judicis, coram quo non ut Imperator, ſed miſer peccator ſine ullius aulici comitatu paulo poſt comparebis! Ita Zonaras.

S. Bernardus Ludovico Galliarum Regi audacter exprobrabat injuſtas vexationes, quibus Epiſcopus perſequebatur.

S. Ambroſius Theodoſium Imperatorem ob cædem Theſſalonicæ factam excommunicavit; cumque iſte templum ingredi vellet, ſub porta ſeſe oppoſuit. Territus Imperator defendere ſe volens, etiam Davidem peccaſſe, ajebat, & Ambroſius intrepide ſubintulit: Si peccaſti cum Davide, etiam pœnitentiam age cum Davide.

138. *Confert magnam poteſtatem.*

Triplex eſt poteſtas, quam Sacramentum Ordinis Sacerdoti confert. 1. *In cælo*, ut ita dicam, in ipſum Deum, quem quinque verbis cogit, ut e cæleſti throno in altare ſub ſpecies panis & vini deſcendat, quam poteſtatem Chriſtus Apoſtolis in ultima cæna, & ejus ſucceſſoribus dedit. 2. *In terra*, ſupra fideles, peccata eis remittendo aut retinendo: Et hanc poteſtatem Chriſtus Apoſtolis poſt reſurrectionem dedit verbis illis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Magna revera auctoritas data ſacerdotibus, cui ipſi Reges & Principes terræ, ſi ſalvari cupiant, ſe ſubjicere debent. March. h. t. Lect. 6.

3. *Subtus terram*, in dæmones, & tenebrarum infernalium principes, quorum vim Sacerdotes frangunt, & compeſcunt. S. Gregorius Ponti Epiſcopus, itinerans cum in via hoſpitium aſſequi non poterat, in delubro pernoctavit. Et ecce! idolum deinceps obmutuit, nec reſponſa dare amplius potuit. Adjuratus a ſacrificulo cur obmureſceret? repoſuit, quia Gregorius hic pernoctans mihi fauces & linguam ligavit. Admiratus Popa venit ad S. Gregorium, rogitans, ut ſe in ſervum reciperet magni illius Dei, qui poteſtatem ipſi dederit contra Apollinem, nunc mutum, & antea tot oraculis loquacem. Sanctus Epiſcopus ſeriam illius voluntatem agnoſcens illum baptizavit, atque in fide Catholica inſtructum ad eam virtutem evexit, ut is poſtea in dignitate Epiſcopali fuerit Gregorii ſucceſſor. Prout enarrat Euſebius.

Cum in urbe Ancona ingens incendium exoriretur, Marcellinus Epiſcopus, qui tunc podagra decubuit, contra ignem ſe portari finebat, & ecce! ad præſentiam, & mandatum Sancti Sacerdotis flammæ continuo extinctæ ſævire deſinebant, prout enarrat S. Gregorius.

Leproſus acceſſit Sacerdotem, quem in turpe peccatum prolapſum fuiſſe ſciebat, rogans, ut ſibi manum imponeret. Fecit Sacerdos, quod rogabatur, & leproſus confeſtim a lepra liberatus eſt, in teſtimonium, magnam eſſe poteſtatem Divinitus datam etiam in diſcolo Sacerdote.

S. Antonius pro divite dono ſibi allato Benedictionem ſacerdotalem impertiit homini ruſtico, qui majus congiarium ſperans murmurare cæpit. S. Sacerdos id advertens præcepit illi, ut ſua dona in unam trutinæ lanceam, penes benedictionem in ſchedula ſcriptam reponeret. Fecit id ruſticus, & ecce! ſchedula donis multum præponderabat.

139. *Dat poteſtatem etiam in dæmones.*

In urbe Poloniæ Oſtroga Nobilis puella Calviniana a malo dæmone obſidebatur, cujus indicium ſatis dedit, cum varias linguas loqueretur, & multa ſupra vires naturales perageret. Mœſtus Parens cum fruſtra apud ſuos Præcones auxilium quæreret, acceſſit Patrem S. J. rogans, ut afflictæ ſuccurreret. Repoſuit Pater, ut prius opem imploraret Acatholicorum, quandoquidem ceremonias Catholicorum tanquam ſuperſtitioſas riſui haberent. Reſpondit Parens, ſi huic *Ex Litt. ann. S. J. in Polon. a. 1617.*



obſeſſæ ſanitatem reſtituatis multo melius de veſtra Religione ſentiemus. Præcepit ergo Pater, ut Calviniani aut Lutherani præcones Evangelium ſuum puellæ imponerent. Impoſuerunt! ſed diabolus riſit eorum conatus. Produxit Pater imaginem S. Ignatii, & confeſtim malus ſpiritus ululabat, ſe miſere torqueri! Indicto igitur per tres dies jejunio, in ipſa purificationis B. V. die in templo Societatis ſub Sacrificio Miſſæ adhibiti ſunt Eccleſiæ exorciſmi, populo orante, & contritionem de peccatis identidem repetente, puella ſubito inſtar mortuæ in terram concidit, & paullo poſt, ſe a malo hoſpite liberatam eſſe alta voce exclamavit, atque mox Profeſſionem ſanctæ fidei coram altari B. V. emiſit.

Sacerdotes quidam dolo & inſtinctu hæreſiarchæ Lucii in inſulam deſertam Ægypti, ubi delubrum Serapidis colebatur, relegebantur, ut ibi vel inopia victus perirent, vel a fide deficerent. Cum littus attigerunt, obviam illis accurrit filia ſacrificuli a dæmone obſeſſa, quæ magno cum ululatu eos interrogabat quid hic operæ agerent? an me, quærebat dæmon, ex poſſeſſione ejicere vultis? Volumus, ajebant Sacerdotes. Et ecce! diabolus continuo aufugit? converſa fuit tota Inſula, deſtructum Serapidis templum, & extructa Chriſto Domino Eccleſia, prout enarrat Socrates.

Orcini ſpiritus imperia Sanctorum facere debent. S. Nicetius Epiſcopus Trevirenſis Regem Auſtraſiæ a fidelium communione removit. Cumque hic non attenta cenſura in templo compareret, neque monitus recedere vellet, Sanctus Epiſcopus præcepit puero energumeno, ut Principem manu apprehenſum vi ex Eccleſia educeret, quod & factum eſt.

140. *Defenditur a Deo contra perſecutores.*

Cum Totilas Gothorum Rex urbi Narniæ appropinquaret, S. Caſſius urbis Epiſcopus illi obviam proceſſit, quem cum Totilas toto vultu rubicundum cerneret, tamquam vini potatorem deſpexit. Et ecce! eo momento armiger regis a malo dæmone occupatus horrendum ululare cæpit, quem S. Præſul mox ſigno crucis a peſſimo hoſpite liberavit. Hoc viſo prodigio Rex mentem mutare, & ſanctum Virum maxima veneratione æſtimare cæpit, ita S. Greg.

1. Reg. c. 22. Rex Saul præcepit famulis ſuis, ut omnes Sacerdotes in urbe Nobe, quæ fugitivum David receperat, interficerent. Huic mandato nemo, niſi Doeg Idumæus paruit. Verum & Saul, & Doeg poſt prælium infeliciter cum Philiſtæis confertum, ſeipſos ad terrorem aliorum gladio occiderunt.

Regina Jezabel Prophetas occidi juſſit, & etiam Eliæ mortis inſidias ſtruxit. Sed a Rege Jehu victa, & per feneſtram projecta a canibus devorata eſt. 3. Reg. 19.

Andronicus Judææ proconſul Sacerdotem Oniam interfici juſſit. Quo crimine Judæi ad rebellionem concitati eo ipſo in loco, quo Onias obiit, crudeliter trucidarunt.

Imperator Valens inſtinctu Arianorum contra S. Baſilium ſententiam exilii ſcribere voluit. Sed ſella, cui inſidebat, confracta eſt, & cum injuſtum decretum exarare pergeret, manus illi diriguerunt, itaut præ iracundia chartam in fruſtra dilaniaret. *Niceph.* 2. Mach. 4.

S. Cyrillus tempore Conſtantini delubra & idola gentium demolitus eſt, quo facto cives Heliopolitani adeo ad iram concitati ſunt, ut Cyrillo exſecto ventre jecur e corpore eruerint, & illud rabioſis dentibus diſcerpſerint. Verum Deus adeo puniit inſanos, ut illis dentes omnes exciderint, & etiam labia computruerint.

Cum S. Chryſ. Antiochiæ Proconſulis uxore a letali infirmitate ſanavit, eoque miraculo multos infideles ad ſalvificam fidem convertit, hæretici Marcionitæ ſpargebant in vulgus, ſanctum Virum eam ſanationem ope dæmonis effeciſſe. Et ecce? impii criminatores, exorto terræ motu, omnes collapſis domibus obruti, ruina ſepulti ſunt, prout recenſet Metaphraſtes.

Imperator Anaſtaſius geminos Patriarchas, qui pro Synodo Chalcedonenſi ſtabant, ex urbe Conſtantinopolitana ejecit, & ecce; Vir Venerabilis illi in ſomno apparuit, qui de vitæ illius periodo quatuordecim annos in libro expunxit. Poſt biduum deinde Imperator fulmine tactus periit.

## MATRIMONIUM.

141. *Malo fine initum multa mala poſt ſe trahit.*

SUnt aliqui, ait S. Chryſoſtomus, qui ſolum ad pecuniam attendunt, & ad divitias. Alii, inquit Ambroſius, ſolum ad pulchritudinem, alii, ait Bona-

ven-

ventura, ſolum ad voluptatem. Hi quia a Deo ad hunc ſtatum vocati non ſunt, in matrimonio dein vivunt, ſicut malefici ad tranſtra, jurant, imprecantur, execrantur. &c. B. ſerm. 27. n. 35.

Duo aurei Cherubim, quos Deus ad tabernaculum collocari juſſit, ſeipſos reſpiciebant: illi vero, quos Salomon fecit, facies ab invicem avertebant. Ita illi conjuges, qui a Deo in hoc ſtatu collocati ſunt, ſeipſos pacifice reſpiciunt, qui vero pure ab homine, in diſſidiis vivunt. &c. B. ſerm. 27. n. 36.

Rebecca ut ad conſpectum Iſaaci pervenit, pallio ſe operuit, *ſervus autem cuncta, quæ geſſerat, narravit Iſaac.* cur Rebecca ſe operuit? Reſp. Oliva, *ut dum ſervus commemorat, quæ acciderunt, prius Iſaac in ſe diligat decorem mentis, quam vultus.* Ita Sponſi non ad venuſtatem corporis, ſed animi attendere debent. B. ſerm. 35. n. 35. *Oliv. in Gen. 24.*

Abraham præcepit ſervo ſuo Eliezer: *Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum;* quia videlicet Chananææ ſceleratæ erant: *Attende,* ait Chryſoſtomus, *quomodo veteres non quærebant ſubſtantiam multam ... ſed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem.* &c. B. ſerm. 39. n. 48. *S. Chryſ. hom. 48. in Gen.*

Si matrimonia malo fine ineantur, ordinarie ſunt diſſidioſa, & infelicia: Jephte pro victoria ſe obſtrinxit voto, quod velit immolare Deo, quiſquis primus e domo ſibi obviaverit: cur tam imprudens votum fecit? Reſpondet Hugo a S. Victore: quia ſperavit, quod uxor prima ſibi ſit obviatura, hanc libentius quam filiam immolaſſet. *Quam potuit cogitare prius occurrentem? Conjugem cogitavit.* Sic hodiedum fit inter conjuges, optant ſibi mutuo mortem. *Hugo a S. Vict. de Jepht.*

## 142. *Iniri non debet ab hominibus vitioſis.*

In Veteri lege præceptum erat: *Scortum, & vile proſtibulum non ducent uxorem.* Item Joſephus Judaicus inter alias leges Moyſis ponit iſtam: *Meretrici non ſit jus nuptiarum.* O ſi hodiedum duraret lex iſta, ſi impudicitia eſſet impedimentum Matrimonii, quæſo ubi, quando, & quoties poſſet conjugium contrahi? D. 1. 59.

In multis regionibus conjugia interdicta ſunt hominibus, qui ob inopiam proles educare non poſſunt. Murmurant contra has conſtitutiones aliqui, dicuntque, pauperes non habere niſi ſex Sacramenta, & has querimonias ordinarie exaggerant homines vitioſi, otioſi, vagabundi, mendici, & alii: verum inepte! laudabiles ſunt id genus conſtitutiones: Quæſo ſi rudis ſtudioſus, qui ob defectum doctrinæ non admittitur ad ſacros ordines, diceret ſe habere tantum ſex Sacramenta, nonne imprudenter conquereretur? quia nempe capacitatem non habet. Parem in modum etiam ad Matrimonium requiruntur ſuæ qualitates, inter quas maxime eſt, ut laudabilis educatio prolium ſperari poſſit. Dracones & baſiliſci, cum viderunt, quod aves & oves conjugio copulentur, apud Jovem ſolicitarunt, ut & ſibi congredi & ſuam familiam augmentare liceret: Negavit id Jupiter, quia augmentatio tam venenoſæ ſobolis potius cederet in damnum, quam in utilitatem humani generis. Parem in modum a conjugio excludendi ſunt, de quibus ſcitur, quod non niſi ſobolem damnoſam ſint progenituri. &c.

Accedit, quod a nemine minus corrigantur domeſticorum vitia, quam ab iis conjugibus, qui & ipſi fuere vitioſi: rident, cum famulos & famulas, filios & filias impudenter converſari vident. Mater laſcivam filiam a ſuſpecta familiaritate adeo non retrahit, ut potius ſibi complaceat in illius impudentia; quia in illa ſuammet indolem intuetur: imo ipſammet filiam laudat, inſtruitque, quomodo ſe jovialem, & blandam exhibere debeat; hunc in finem illam comptam, & ornatam ad conſortia, ad choreas, ad encænia quaquaverſum uſque in ſeram noctem emittit. Sic creſcit, & propagatur ſcelus laſciviæ! &c.

Explorentur carceres & patibula, interrogentur carnifices, quænam hominum ſors maxime in eorum manus incidant? reſpondebunt, eſſe plerumque pauperum, vagabundorum, & otioſorum hominum filios & filias, qui cum ordinarie in infrunita libertate educantur, in principiis fidei non inſtruuntur, in concione, & catecheſi non comparent, non niſi ſcurrilia & vitioſa audiunt, & vident, tandem in capitalia flagitia delabuntur. &c.

## 143. *A Dei ordinatione expectandum.*

Juvenis relictam a patre hereditatem in pauperes diſtribuit: in ea urbe erant ditiſſimi conjuges, qui unicæ filiæ quærebant maritum non divitem, ſed virtuoſum, dumque hunc juvenem in templo devote orare vident, hunc in ſponſum filiæ eligunt. Sic a Deo expectanda eſt ordinatio, non procacitate quærenda. Sanchez 4. part. c. 5. fol. 287. *Prat. ſpi. rit. c. 201.*

No-



Norent ſibi hoc illi mediatores, qui inter juvenes facile matrimonia fundant. Tobiam Angelus juſſit ducere Saram filiam Raguelis: fere Angelus ſit neceſſe eſt, qui conjugium conflat, Angelus providentia, Angelus probitate, Angelus æquitate; alias ſi male cedat negotium, mala omnia ex infelici matrimonio orta, in ejus judicium redundat.

Theodora e pluribus puellis a Theophilo Imperatore in ſponſam eligitur. Ejus virtus & pietas ex eo elucet, quod in regno orientali Iconoclaſtarum impietatem ſuſtulerit, & finitimum etiam Regem Bogor ad fidem converterit. R. 1. cent. 2. par. mir. 1.

Erenfrindus Comes Palatinus Imperatorem Ottonem ludo latrunculorum vincit, & lucri gratia ab eo ſororem ejus Machildem matrimonio petit. Hoc matrimonium conſilio Divino conflatum fuiſſe probavit eventus; quippe erat conjugium ſanctum, & ſanctorum prolium fœcundandum. R. 1. cent. 2. par. mir. 8.

Palermi Regius theſaurarius de defraudatione ærarii accuſatus innocenter ad funem condemnatur: voto ſe obſtringit, ſi periculum evaderet, ſe velle pauperculæ filiæ nubere. Interceſſione dein potentis amici liberatus a paupere filia in templum B. V. ducitur pro tanta gratia grates acturus. Huic filiæ dein nupſit, & erat ea ipſa, cui Beatiſſima Virgo ob merita parentis promiſerat, quod velit illi de opulento conjugio providere. R. cent. 2. par. 2. mir. 32.

## 144. *Infelix propter zelotypias.*

Langueta Scotiæ Regina cuidam capitaneo annulum donat olim a Rege receptum. Rex re comperta annulum a capitanei dormientis digito detrahit, & in flumen imprudenter decidere ſinit. Tum Reginam auſtere tractans repetit annulum, quem illa, cum a capitaneo amplius habere non poſſet, a S. Abbate Rentingero per piſcem recipit. R. 1. par. mirac. 16.

S. Julianus, quia in thalamo ſuo geminos ſuos parentes, quos non agnovit, reperit, ſtatim zelotypiæ furiis correptus, utrumque occidit. R. 1. cent. par. 2. mirac. 12. Ita multi re non ſatis explorata ſtatim in furias exardeſcunt.

Paulus Comes Carinthiæ a venationibus redux a Lupa ancilla, quæ Dominæ ſuæ erat infenſa, intelligit comitiſſam alienis amoribus eſſe implicatam. Hac calumnia irritatus inſtar rabioſi hominis in arcem properat, conjugem ſtatim re non ulterius explorata per feneſtram præcipitat: illa tamen mirabiliter conſervatur: Lupa autem, prout pejeraverat, in ſaxum tranſmutatur. R. 1. cent. 2. par. mir. 21.

Henricus Comes Turgavienſis innocentem conjugem Ittam e faſtigio arcis zelotypia præcipitat, a Deo mirabiliter ſervatam. R. cent. 2. par. 1. mir. 7.

Sulpitius uxorem repudiavit, quia aperto capite domum exivit. Antiſthenes adoleſcenti conſulenti, qualem uxorem ducere deberet, repoſuit: ſi formoſam duxeris, habebis communem, ſi deformem, habebis pœnam. Plato rogatus quando ducenda eſſet uxor, repoſuit: Juveni nondum, ſeni nunquam. Protagoras quæſitus, cur filiam dediſſet uxorem ſuo inimico? reſpondit: quia nihil ei dare poteram deterius. C. Num. 5. v. 24.

## 145. *Interdum valde fœcundum.*

Mira fuit propagatio nepotum Noemi; ille enim 350. annis poſt diluvium ex Japhet nepotes vidit 140202. Ex Cham 2440900. nepotum omnium numerus excrevit ad nongenta millia, & amplius. Certe Rex Ninus, quem adhuc vidit Noemus, in exercitus numeravit decies ſepties centena millia peditum, equitum ducenta millia. Zoroaſtres vero Rex Bactrianorum ei oppoſuit exercitum quadringentorum millium. Nec id mirum, tunc enim homines habebant plures uxores, & toti generationi vacabant. C. Gen. f. 131. col. 2.

Irmentrudis Comitiſſa de Altorff, quia pauperem feminam uno partu tres ſoboles enixam convitiabatur, Dei ſupplicio duodecim proles peperit; cumque undecim earum flumine ſubmergi juſſerat, vetula crudelis imperii executrix a comite marito intercepta eſt, ac omnes infantuli educati ſunt, &c. Avicenna narrat de muliere, quod viginti duas proles, alia ſeptuaginta uno partu pepererit. Notum eſt illud, Margaritam Hollandicam trecentos ſexaginta filiolos habuiſſe. D. 2. 9.

Babo Comes Abenſpergenſis Henrico Imperatori in comitiis Ratisbonæ agenti triginta duos filios adduxit, eique ad pacis & belli obſequia obtulit. D. 2. 9. & D. 9. 7.

Filii Iſrael in Ægyptum numero ſeptuaginta perſonæ ingreſſi, per ducentos decem annos tanta fœcunditate generarunt, ut ad quatuor milliones egreſſi ſint. Ajunt auctores nil eſſe novi, quod mulieres Ægyptiæ uno partu ſeptem infantes generent. Quidam Anglus naufra-

fragio in Inſulam inhabitatam una cum quatuor mulieribus ejectus, uſque ad octogeſimum ætatis annum ibi vixit, & mille, ſeptingentos, octoginta novem nepotes reliquit. D. 6. 97.

Vide Adamam Weberum in arte diſcurrendi Fonte 42. exemplo primo, ubi fuſe hanc materiam tractat.

### 146. *Infelix fit propter coactionem parentum.*

Dicitur quod Jephte filiam ſuam non immolarit, ſed in loco ſolitario concluſerit, ubi illa per omnem vitam deflevit ſuam miſeriam. O quot filiæ per omnem vitam flent, quia ad hoc matrimonium a parentibus ſunt coactæ, &c. D. 5. 86.

Quidquid contra inclinationem naturæ fit, infeliciter fit; hinc in omnibus artibus adeundis explorantur ingenia. Quanto magis id neceſſarium in matrimonio. D. 8. 46.

Parentes ſæpe propter officium, aut pinguem dotem cogunt filios, aut filias ad conjugium, ex quo dein multa mala ſequuntur. Prævident quidem quod ex filio aut filia coacta habituri ſint mille tædia, & afflictiones, verum hac ex parte agunt, ſicut Agrippina mater Neronis: dictum eſt illi ab aſtronomis, quod quidem ejus filius regnaturus, ſed & propriam matrem occiſurus eſſet. Repoſuit illa: *Occidat, modo regnet.* Sic multi parentes, &c. D. 8. 93.

Mater filiam militi Gotho nuptui dat, qui ſuper ſepulcrum Ss. Martyrum Guriæ & Anidi juramento ſe obſtringere debuit, quod filiam bene habere velit. Verum impius, qui jam antea erat uxoratus, abductam ſecum filiam mancipium facit, miſera mille malis obruebatur, tandem ope Ss. Martyrum mirabiliter in patriam fuit tranſlata. R. 1. cent. part. 2. mirac. 3.

Unde impudicitiæ, & adulteria inter conjugatos, & ſæpe mortis machinationes, niſi ex tædio inviſæ cohabitationis, in quam ex vi & coactione conſentire debebant? ſic miſeri non tantum ſibi mutuo mortem, ſed & parentibus mille mala, ipſumque denique infernum imprecantur. Sicut coacti Monachi ſæpe ad apoſtaſiam proclamant; ita coacti conjuges ad ſimilia mala audaciam ſuam extendunt, &c.

### 147. *Exigit præviam ſeriam deliberationem.*

Abraham noluit filium ſuum eligere Chananæam; quia Chananæi erant impii. Diſcant hoc exemplo Chriſtiani ad virtutem attendere, non ad divitias, aut pulchritudinem. Pulcheria fratri ſuo Theodoſio Eudoxiam pauperem, ſed bene moratam uxorem elegit. Rebecca Iſaaco, Ruth Booz, Sara Tobiæ, cum magna circumſpectione, conſulto prius Deo in uxores datæ ſunt. C. Gen. c. 24. v. 12.

Abraham juramentum exegit a famulo, ut filio ſuo Iſaac non acciperet ſponſam de filiabus Chananæorum (quia erant impii & idololatræ,) ſed pergeret in Haran ad domum Nachor fratris ſui, in qua, licet idola colebant, erat adhuc cognitio veri Dei. Sed quare hoc? quia, ut ait S. Ambr. illecebræ mulieris decipiunt etiam fortiores maritos, & a Religione avertunt. C. Gen. c. 24. v. 3.

*S. Ambr. l. 1. de Abrah. c. ult.*

Si mulier pro ſua dote maritum emit bardum, & truculentum: ſi Vir mulierem lepidam, inſanam, obſtinacem, non eſt remedio locus. S. Hier. ait, ſi bos vel aſinus emitur, datur probationi ſpatium, in matrimonio nullum, quæcumque vitia ſubſint uxori aut marito, vinculum non poteſt amplius diſrumpi. S. Baſilius ait: Mulier cum nubit, Dominum ſibi emit, & ex libera fit ancilla. Et S. Ambr. addit: ſua dote ſeipſam vendit in ſervitutem. Mancipium felicius eſt, quam conjugatis; quia finitis annis mancipatus redit ad libertatem, quam iſti nonniſi per mortem ſperare poſſunt. Hinc cum Chriſtus dixit, mulierem dimitti non poſſe, ſtatim ſubintulerunt Apoſtoli: *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*, quaſi dicerent, ſubjungit Chryſ. *Levius eſt contra concupiſcentiam præliari, quam contra malam mulierem, &c.* Hæc cum ita ſint, utique prudentem deliberationem exigit matrimonium. D. 11. 14.

S. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis filiam, quam ante Sacerdotium ex conjugio ſuſceperat, mori potius juſſit, quam nobili juveni nubere. Et revera filia ſtatim ſine omni dolore mortua eſt. R. 1. mirac. 19.

Si Viro obtingit mala uxor, aut uxori malus maritus, hæc eſt crux graviſſima. Paoletti Dom. 2. poſt. Epiph.

148. *Diſ-*



### 148. *Diſſidioſum ob incorrigibilem capitoſitatem.*

Utraque pars putat ſe eſſe ſine nævo, alteram compartem eſſe in cauſa diſſidiorum. Si ab amico ſubmoneantur, ſpernunt monita, putant ſe ſolos ſapere. Dicunt quidem: cur ergo non moneor? Mi bone! quia non ſuſtines veritatem. Rex Cotys in Thracia mordicus ſibi perſuaſit, ſe nuptias celebrare cum Minerva: finito ergo pretioſo ſympoſio mittit aulicum in interius conclave, exploratum, an Minerva jam adveniſſet? It ille & refert, nondum adveniſſe, & ſtatim a Rege jaculo confoditur. Mittitur alter & eadem nuntians ſimiliter occiditur. Mittitur tertius, & hic nunciavit, adeſſe Minervam, ſimul ſe fuga eripuit. Recte fecit: quoniam Rex voluit ſtulteſcere, ſine injuria pro ſtulto habitus fuit. Alexander Magnus putavit ſe filium eſſe Jovis Ammonii, interdum pennas in pedibus aſſumpſit, & ſibi videbatur eſſe Mercurius, interdum Leonis exuviis veſtitus inceſſit ut Hercules: vidit omnes ridere, ipſe tamen perrexit ſtulteſcere, &c. D. 11. 96.

Abbas Pigmenius ajebat: ſicut ignis non extinguitur igne, ſed aqua: ita furor non mitigatur furore, ſed manſuetudine. Sanchez 6. part. c. 8. f. 812.

Frater Martinus ex Ordine S. Dominici innocentiſſimus Vir in bruta plenum exercebat dominium. Mures illi damnoſi erant in arrodendis medicinis in pharmacopæa. Cœpit unum, dixitque illi, ut ſe una cum ſuis conſodalibus quantocyus ex hoc hypocauſto in extimum horti angulum proriperet, ibique a ſe alimenta exſpectaret. Paruerunt mures, eratque viſu jucundum, quomodo mures illi obviam in horti angulo cucurrerint, cum illis eſcas ferebat. Utinam hic ſanctus frater inter multos conjuges mures abigeret, &c. R. cent. 3. mir. 50.

*Zeilich part. 1. Franc.*

In ponte Charontono non procul Pariſiis ad ripam Sequanæ auditur Eccho, quæ ter decies humanam vocem reddit. In conjugum diſſidiis idem contingit, ubi litigioſa, & tacere impotens mulier te decies, & ſæpius oblatrat, & relatrat.

### 149. *Diſſidioſum propter ſuſurrones libenter audiri ſolitos.*

*Herod. l. 4. hiſt.*

Herodianus in ſuis moribus deſcribit Alexandrinos: dicit eſſe homines garrulos, mordaces, qui omnia aliorum facta ſugillant: putant ſe jocum facere & revera ſuis puncturis vulnera faciunt: affingunt aliis crimina, aut vera exaggerant. Imperatorem Antoninum falſe taxabant, quod ille pigmæus cum ſit, velit æmulari Alexandrum aut Herculem, & quæ ſunt ſimilia. Quibus ſarcaſmis adeo exacerbarunt Imperatorem, ut ille vindictam hoc modo ſumpſerit: convocavit extra urbem totam juventutem eo prætextu, quod velit illam ad munia bellica evehere: ubi convenit ad unum omnes trucidari juſſit. Eum in morem, quo Herodianus deſcribit Alexandrinos, conſtituti ſunt illi ſuſurrones, qui diſſidia ſeminant. Tu ſi ſapis jube illos e domo faceſſere, &c. D. 9. 89.

Inter alia vitia Tiberii Imperatoris iſtud improbatur, quod curioſa aviditate ſcire cupierit, quid de ſe ſermonis fieret: quare ita incendit loquacium ſuſurronum linguas, ut unus alteri palmam dicacitatis eripere contenderit. Parem in modum excitabis garrulitatem ſuſurronum, ſi libenter audias, &c. D. 10. 23.

Præſertim autem ſeniculi ſoceri & ſocrus multas diſſidias ſeminant, quia omnia taxant; quia ex ipſa ſenectute ſint lepidi & faſtidioſi: id de ſe fatetur Cicero: *Amariorem me facit ſenectus, ſtomachor omnia*, &c. D. 11. 17.

Theophilus Imperator erat Iconoclaſtes, Theodora ejus uxor Catholica, quæ occulte contra juſſa Imperatoris imagines venerabatur. Landerus paraſitus quondam Imperatricem in ipſo cultu imaginum deprehendit: ſine mora ad Cæſarem accurrit, eique rem defert: periiſſet Theodora niſi prudente aſtu ſciviſſet animum mariti mitigare. R. 2. part. mir. 1.

Ancilla quædam Dominæ offenſa eam apud maritum ſuſpectam facit. Domina per feneſtram præcipitatur, ac incolumis ſervatur, ancilla in ſaxum tranſmutatur. R. 1. cent. 2. part. mir. 21.

### 150. *Diſſidioſum propter inæqualem filiorum educationem.*

Habent hoc parentes, ut inæqualiter filios diligant, præſertim matres privignos & privignas crudeliter tractant, ſuis liberis omnia indulgent, alienos in omnibus carpunt, unde mille diſſidia. Caveant autem hac in re matres, ne cum forte privigni progreſſu temporis ad meliorem ætatem, fortunamque venerint, illatas ſibi injurias vindicent. Galeatius Sfortia Dux Mediolanenſis, Nicolaum Montanum præceptorem ſuum, à quo in

juventute dure fuit habitus, virgis cædi jubet, quæ res Duci per ſicarios interfecto vita conſtitit, &c. D. 7. 57.

S. Ambroſius culpat parentes, quod uni filio plus hereditatis attribuant, quam alteri: quis hanc legem invexit? natura docet, ut non fiat diſcrimen. Hæc certe diſparitas concitat odia fratrum, hinc Joſephus ab omnibus fratribus fuit odio habitus, quia plus ceteris diligebatur ab Iſrael, &c. D. 9. 98.

Simiæ ſuos catulos tam imprudenter diligunt, ut eos baſiando, amplexando, & ſtringendo demum occidant. Ita multi parentes dum partiali amore unum ex filiis plus ceteris amant, & huic & ceteris mortem afferunt, dum eos invicem ſuſpicioſos, invidos, & rixoſos reddunt.

Ariani heretici, ut Catholicos ad ſuam ſectam pertraherent, parentes filiis, filios parentibus orbabant. Id nonnullus parentum adeo ægre tulit, ut potius ad Arianorum partes deficere, quam filium longe cariſſimum deſerere decreverit. Verum uxor conſtantior magna cum eloquentia illi exprobravit, an mallet Deum, quam filium perdere? Qua exprobratione ille adeo fuit commotus, ut generoſe pro Deo tulerit exilium. O quoties hæc ipſa verba uſurpari poſſent contra partialem amorem parentum, quærique: An mallent filium plus amare, quam Deum, qui invidia fratrum, litigiis domeſticis, & turbatione pacis offenditur? &c.

*151. Diſſidioſum propter querelas uxoris extra domum.*

Clotildis Regis Hiſpaniarum Alarici uxor, cum aliquando a conjuge alapa fuiſſet percuſſa, profluentem ſanguinem ſtrophiolo exceptum fratri, Regi Galliarum miſit in teſtimonium tyrannicæ tractationis: ex qua re dein cruenta bella & cædes ſecutæ ſunt. O quam melius tacuiſſet! ita hodiedum fit: uxoratæ filiæ ſtatim ad matres, ad patres, ad amicos currunt, ſi ſiniſtre aſpiciuntur a marito, ex qua re dein ingentes inimicitiæ oriuntur.

Et quid lucri captabis ex ſupervacanea queritatione? populus ſciet, quod hactenus ignoravit, multi tuam infelicitatem ridebunt, multi gaudebunt ſe habere mali ſociam, multi culpam in te refundent, nunquid melius tacuiſſes? Julianus Imperator ab Antiochiæ civibus millenis ſarcaſmis fuit proſciſſus; aliqui enim illum *Victimarium*, *Idolianum*, *Tauricremum* vocitabant, & præſertim propter oblongæ barbæ ſorditiem ſugillabant. Julianus compoſuit Apologiam in ſui defenſionem, eamque vulgavit. Quid lucri retulit? primo maledicam plebem magis excitavit, dein in cauſa fuit, quod ignominioſa illa tractatio fuerit relata in hiſtorias, quæ alias certe oblivioni fuiſſet data. Nonne melius tacendo diſſimulaſſet? D. 10. 30.

S. Monica crudiſſimum habebat maritum, nihilominus nunquam audita eſt conqueri: dum aliæ mulieres crudelitatem ſuorum maritorum incuſabant, illa ſuum excuſabat. Sanchez 6. part. c. 8. fol. 804.

Apud Romanos ſponſa in domum ſponſi deducta in gyrum vertebatur, eam ob cauſam, ne videlicet reditum ſciret in domum paternam. VV. art. diſc. font. 34. Ex. 3. Hoc idem adhuc practicandum eſſet, ne ſponſa querelas contra maritum in ædes paternas deferre poſſet.

Viro quaſi capiti competit amor, uxori quaſi ſubditæ convenit timor, & reverentia. Indecens igitur eſt, ſi uxores inverecunde obloquantur marito, & adhuc indecentius ſi extra domum male loquantur de marito, &c. C. ad Epheſ. c. 5. v. 33.

*152. Diſſidioſum ob ſuſpectas familiaritates alterutrius.*

S. Eliſabetha Portugalliæ Regina mira pietate diſſimulabat Dionyſii mariti incontinentiam, liberos naturales illius educabat, nutrices, & inſtructores conſtituebat, donec tandem illius animum mirabili virtutis exemplo ad meliora traxit. Hæc quidem illa; verum ubi eſt illa altera uxor, quæ tuas, o marite, impudentias, ac ſuſpectas familiaritates tam generoſo ſtomacho poſſit devorare? gemit, lamentatur, imprecatur: quid mirum? tu ſuſpicionem excitas, &c. D. 11. 17.

Langueta Scotiæ Regina cuidam capitaneo, quem valde æſtimabat, annulum donat olim a rege receptum: Rex re comperta annulum capitaneo poſt venationem dormienti e digito detrahit, dumque cum conſiderat imprudenter in fluvium decidere ſinit. Tum Reginam aſpere tractans annulum ab ea repetit. Ea plena timoris, cum annulum a capitaneo habere non poſſet, mittit ad S. Abbatem Kentigernum, qui ei annulum e piſce extractum denuo procuravit, &c. R. 1. part. 16. miracul.

S. Melius Epiſcopus, & Lupita ejus cogna-



cognata apud S. Patritium fuerunt accuſati, quia ſuſpecta nimis familiaritate uterentur, dum nempe eodem cubili alternatim dormiebant: uterque probavit ſuam innocentiam miraculo, ille piſces colligendo in agro, illa prunas ardentes illæſis manibus gerendo: Nihilominus præcepit S. Patritius, ut non tantum vitio, ſed etiam omni occaſione ſuſpicionis abſtinerent. R. cent. 1. part. 2. mir. 11. Tu ais te innocentem, credo: at quamvis dubitem, an prunas ardentes gerere illæſus poſſes, ante omnia moneo, ut occaſione ſuſpicionis abſtineas, &c.

S. Abbas Torellus lupo raptum infantem eripit, eique deinceps pabulum promittit, ſi rapinis abſtineret. Lupus ergo quotidie ad cellam ſancti Viri venit, & quoniam ab eo victum habuit, rapinis abſtinuit. R. 1. cent. 2. part. mir. 19. Multi impuri lupi domi habent ſuum nutrimentum, & tamen proh pudor alienis cadaveribus inhiant.

*153. Infelix propter præcedentia peccata.*

Rex David & tota ejus domus miſeris calamitatibus fuit afflicta; Filius ex Betſabæa natus mature mortuus eſt, Ammon ab Abſalone, Abſalon a Joabo occiſus: poſt mortem Davidis Salomon capitali ſententia interfecit Adoniam filium David. Quin imo etiam poſteri fuerunt infelices, quinque filii Regis Joſaphat a fratre Joram occiſi, & dein omnes filii Joram a prædonibus exanimati ſunt excepto Ochozia, qui regnavit ſuper Iſrael: poſt mortem Ochoziæ regnum tenuit Joas, cujus fratres omnes ab Athalia occiſi ſunt, ipſe Joas poſt quadraginta annorum regimen a famulis obtruncatus, etiam ejus filius Amaſias violenta morte abreptus, & pius etiam Rex Joſias in bello occiſus eſt. Vere dixit Nathan *non recedet gladius de domo tua in ſempiternum*. Unde autem tot infortunia & cædes in familia David? Nempe, quia ante Matrimonium cum Betſabæa commiſit adulterium. Notandum eſt quam optime, ait S. Chryſoſtomus, quod illi, qui impure vivunt, infelici matrimonio puniantur, &c. D. 11. 86. *S. Chryſ. ſupra Pſal. 3.*

Quodſi miſeri laſciviæ vitio aſſueti ad conjugia deveniant, proles plerumque ſui furfuris educant. Famulorum, & liberorum ſcelera, & pudendas familiaritates diſſimulant, imo tacite gaudent, quod ſuam indolem in filiis intueantur. Mater non audet filiæ exprobrare ſuam impudentiam, quia metuit, ne audire debeat retorſionem. Ideo libentius cooperatur filiæ, eamque ad omnem vanitatem excitat, atque comptam ac ornatam inſtruit, quomodo amaſii favores lucrari poſſit. Sic tota die illam ad conſortia & choreas evagari permittit, parum curans ſi filia ſera primum nocte domum revertatur. Sic creſcunt ſcandala, ſic Divina maledictio in ædes accerſitur! &c.

Quemadmodum Adamus dæmonis mendacio deceptus ex ſe & ſuis viribus ſperavit fieri poſſe ſicut Dii: ita multi per peccata ſuam felicitatem promovere ſtudent. Ex his ſunt puellæ, quæ matrimonia per laſcivias quærunt: ſicut luna tunc maxime radiat, cum ſoli eſt maxime oppoſita; ita putant iſtæ, quod commoda ſua promoveant utilius, cum a Deo abſunt remotius: Verum decipiuntur: *Tabernaculum impiorum non ſubſiſtet*. P. p. 1. diſc. 4. num. 18. *Job. 24.*

Siquis ad ſervitium Principis admittendus, prius rebellionis crimine contra hunc Dominum ſuum delinqueret, utique indignus foret, cui Princeps ullum favorem impenderet? Qui Matrimonium contrahunt, per Sacramentum ad ſervitium Dei ſe conſecrant. Quodſi huic ſtatui pudendis ſceleribus præludant, nonne reos ſe faciunt, quos Deus millenis adverſitatibus perſequatur, & nullam illis benedictionem impertiat?

*154. Infelix propter diverſitatem geniorum.*

Argonautæ in Colchidem ad ferendum vellus aureum navigaturi, non admittunt ſecum Herculem in navigium; quia ille propter nimiam fortitudinem inæqualiter trahebat remigia non ſine periculo evertendæ navis. Parem in modum non bene conveniunt conjuges inæqualis genii: ſed debet uterque genium ſuum ad genium alterius attemperare, &c. D. 8. 64.

Judæis lege præceptum eſt, ut in eodem aratro bovem & aſinum ſimul non conjungerent: *Non arabis in bove & aſino*; quia aſinus longe imbecillior bove deberet labori ſuccumbere. Par ratio eſt in conjugibus inæqualibus quoad genium, inæqualibus quoad dotem, nobilitatem, &c. D. 9. 9.

Olim lege latum fuit, ut mancipiorum, quæ vendebantur, patria ſincere emptori indicaretur: quare? quia pro diverſitate nationum diverſi ſunt genii,

ideo emptor ſtatim judicare poterat, quibus virtutibus aut vitiis deditum erat mancipium; ſunt enim aliquæ nationes natura ſua bellicoſæ, aliæ capitoſæ, aliæ pigræ, aliæ laborioſæ, & apud priſcos erat adagium, *Tria cappa peſſima*, id eſt tres nationes, quarum nomina littera C inchoantur, Cappadoces, Ciliciſes, Candiotæ, &c. Si tanta cautela fuit in venditione mancipiorum, quanta eſſe debet in conjugio, &c. D. 9. 38.

Nehemias e captivitate redux multos abuſus, qui interea invaluere, abrogavit, *Eſdr. 1. 2. c. 13.* inter alios indignatus eſt, quod Judæi ducerent uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas: metuebat enim ne per alienigenas matres & linguæ judaicæ, & morum corruptio inveheretur. D. 10. 3.

Clotildis Regis Burgundionum filia a Clodovæo Galliarum Rege in conjugem petita, negat ſe velle gentili principi nubere, etſi maxima totius mundi Domina fieri poſſet. Hæc dein Clodovæum, totumque regnum ad fidem convertit. R. cent. 2. part. 1. mir. 19.

Frater Martinus Limæ in Monaſterio S. Dominici ſanctiſſimus Vir plenum exercebat Dominium in bruta, quæ ad ejus nutum obediebant. Inter alia cicuravit canem & felem, ut ex eadem ſcutella ſimul cibum caperent. Utinam hic frater multos conjuges cicuraret, faceretque ut ſimul viverent ſicut hic canis & felis. R. cent. 3. mir. 50.

Apud Spartanos ſponſa capite raſo ad ſponſum deducebatur. VV. art. diſc. font. 34. Ex. 3. Quo ſignificabatur, ſponſam quaſi novum caput induere, & veteres cogitationes omnes abjicere, atque ſe ſponſo conformare debere.

Fullo & carbonarius eadem domo habitare decreverunt, ſed peſſime; quod enim linteorum fullo dealbavit, id carbonarius fuligine corrupit; album enim & nigrum non conveniunt. Sic multi conjuges virtute & vitiis diſcrepant, uxor albeſcit, maritus nigreſcit, illa Deo, iſte diabolo ſervit, illa orat, iſte blaſphemat! Quid boni ſperandum? certe nihil boni, plurimum mali! &c.

### 155. *Infelix propter auſteritatem & defectum manſuetudinis.*

Multi conjuges alterius vitia per meros tumultus, lites, & improperia volunt corrigere, quæ citius correcturi eſſent per humanam lenitatem. In regno Mexicano milites Chriſtiani putabant provinciam Tuſulantranam vi armorum ad fidem convertendam eſſe, Patres Dominicani autem judicabant, id melius fieri poſſe manſuetudine: & iſti non erraunt: miſerunt mercatores cantilenis ſacris inſtructos, qui audientibus Indis cantabant, Indi curioſitate ducti cupiebant ſcire, quid myſteriorum illi cantus continerent, petierunt ſacerdotes, & ſic tota provincia converſa eſt lenitate, quæ vi armorum nunquam fuiſſet converſa. R. cent. 3. p. 2. mir. 16.

Cambri in more habebant, ut ipſo nuptiarum die ſponſus ungues ſibi præſecaret, ſponſæque præſegmina mitteret, & ſponſa viciſſim ſponſo. VV. artic. diſc. Font. 34. Ex. 3. Hoc hodiedum optandum foret, ne in vultibus rixantium conjugum ſtatim unguium veſtigia cernantur, &c.

Leo Bizantinus cum rideretur ob deformem pinguedinem, ad populum Athenienſem dixit: Quid ridetis? habeo uxorem me pinguiorem, & tamen concordes una menſula capit, diſcordes ne quidem tota domus. Sic anſam capit diſſerendi de pace, & tumultum populi ſedavit. VV. art. diſc. font. 62. ex. 1.

S. Godoleva a Viro ſtatim poſt nuptias perſecutionem paſſa, e domo ejecta, ſed juſſu Epiſcopi iterum recepta, tandem per aſſaſſinos interfecta eſt, & in ſuo lectulo repoſita ac ſi ſeipſam exanimaſſet. Sed Deus ejus innocentiam prodidit. Panes in funere pauperibus diſtribuendi in furno creverunt, terra ubi jacuit in candidum marmorem, & terra in margaritas converſa eſt. *Leucht. 6. Julii.*

Viro neceſſaria eſt patientia Socratis contra litigioſam Xantippem, &c. C. ad Ephеſ. cap. 5. verſ. 33.





# LIBER NONUS DE SACRANTIBUS, SEU MATERIIS SACRIS.

## *PARS PRIMA.*

## QUATUOR EXTREMA.


BEATITUDO. BEATI.
*Finis ultimus hominis.*
INFERNUS.
*Æternitas.*
*Dæmones.* *Damnati.*
*Pœna damni.*
*Pœna ſenſus.*
*Conſideratio inferni.*
*Purgatorium.*
*Animæ purgantes.*
JUDICIUM UNIVERSALE.
*Judicium particulare.*
*Judex Divinus.*
*Conſideratio Judicii.*
MORS.
*Memoria mortis.*
*De his, quæ ante mortem.*
*De his, quæ in morte.*
*De his, quæ poſt mortem.*
*Mors impiorum.*
*Mors juſtorum.*
*Sepultura ſacra.*

*Pars II.*
DE ALIIS MATERIIS SACRIS SEU SACRANTIBUS.
BONA OPERA.
*Intentio pia bonorum operum.*
*Opera ſupererogatoria.*
ECCLESIA.
*Templa ſeu Eccleſiæ.* *Aſylum ſacrum.*
*Aqua luſtralis.* *Campanæ.* *Loca ſacra.*
*Sacræ Confraternitates.*
*Sacræ fundationes.*
*Pœnæ, ſeu cenſuræ Eccleſiaſticæ.*
VERBUM DEI.
*S. Scriptura.* *SS. PP. & Interpretes.*
*Lectio Sacra.* *Conſilium Patris ſpirit.*
*Pia colloquia.*
MUNDUS, EJUSQUE VANITAS.
*Mundana amicitia.* *Mundani honores.*
*Mundana pompa & luxus.*
*Mundana proſperitas.* *Mund. ſapientia.*
*Mundanæ Voluptates.*


## *PARS PRIMA.*

## BEATITUDO.

### 1. *Non obtinetur ſine meritis, labore & paſſione.*

*Pſal. 23.* Q*Uis aſcendet in montem Domini?* Qui non accepit in vanum animam ſuam: in vanum eſt veſtis in ciſta, lampas extincta in templo, gladius in vagina: ſic ait Bernardus: *In vano accepit animam ſuam, dum non vivit ea vita, propter quam, ut ea viveret accepit animam ſuam.* B. Serm. 3. n. 5. *S. Bern. ad fratr. de mag. Dei.*

In expugnatione urbis Jerichuntinæ prohibitum erat militibus quidquam de ſpoliis arripere: Quare? quia mœnia virtute Divina ſine prælio conciderunt, *ubi autem pugnæ labor non contigit prædæ emolumentum non debetur*, ait Cajetanus. B. Serm. 54. n. 7. *Cajet. apud Labat. V. Gloria p. 14.*

Chriſtum ipſum oportuit pati, & ſic intrare in gloriam ſuam, nec ante Rex gloriæ ſalutatus eſt a ſuperis, quam Rex Judæorum præſcriptus eſt in crucem, &c. S. pu. 48. f. 185.

Sponſa clamabat: *Trahe me poſt te!* ſcilicet per cruces: ubi Bernar. O quam pauci ſunt, qui volunt ſequi Chriſtum, & tamen pervenire volunt ad Chriſtum. S. pun. 47. fol. 182.

Transfiguratio haberi non poteſt, niſi per laborioſum aſcenſum montis.

*Hi omnes, qui ſunt, & unde venerunt?* *Apoc. 7.* reſponſum fuit, hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione: Væ nobis ſi nos veniamus ex parva. S. punct. 47. fol. 184.

ideo emptor ſtatim judicare poterat, quibus virtutibus aut vitiis deditum erat mancipium; ſunt enim aliquæ nationes natura ſua bellicoſæ, aliæ capitoſæ, aliæ pigræ, aliæ laborioſæ, & apud priſcos erat adagium, *Tria cappa peſſima*, id eſt tres nationes, quarum nomina littera C inchoantur, Cappadoces, Cilicienſes, Candiotæ, &c. Si tanta cautela fuit in venditione mancipiorum, quanta eſſe debet in conjugio, &c. D. 9. 38.

Nehemias e captivitate redux multos abuſus, qui interea invaluere, abrogavit, inter alios indignatus eſt, quod Judæi ducerent uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas: metuebat enim ne per alienigenas matres & linguæ judaicæ, & morum corruptio inveheretur. D. 10. 3. *Eſdr. l. 2. c. 13.*

Clotildis Regis Burgundionum filia a Clodovæo Galliarum Rege in conjugem petita, negat ſe velle gentili principi nubere, etſi maxima totius mundi Domina fieri poſſet. Hæc dein Clodovæum, totumque regnum ad fidem convertit. R. cent. 2. part. 1. mir. 19.

Frater Martinus Limæ in Monaſterio S. Dominici ſanctiſſimus Vir plenum exercebat Dominium in bruta, quæ ad ejus nutum obediebant. Inter alia cicuravit canem & felem, ut ex eadem ſcutella ſimul cibum caperent. Utinam hic frater multos conjuges cicuraret, faceretque ut ſimul viverent ſicut hic canis & felis. R. cent. 3. mir. 50.

Apud Spartanos ſponſa capite raſo ad ſponſum deducebatur. VV. art. diſc. font. 34. Ex. 3. Quo ſignificabatur, ſponſam quaſi novum caput induere, & veteres cogitationes omnes abjicere, atque ſe ſponſo conformare debere.

Fullo & carbonarius eadem domo habitare decreverunt, ſed peſſime; quod enim linteorum fullo dealbavit, id carbonarius fuligine corrupit; album enim & nigrum non conveniunt. Sic multi conjuges virtute & vitiis diſcrepant, uxor albeſcit, maritus nigreſcit, illa Deo, iſte diabolo ſervit, illa orat, iſte blaſphemat! Quid boni ſperandum? certe nihil boni, plurimum mali! &c.

155. *Infelix propter auſteritatem & defectum manſuetudinis.*

Multi conjuges alterius vitia per meros tumultus, lites, & improperia volunt corrigere, quæ citius correcturi eſſent per humanam lenitatem. In regno Mexicano milites Chriſtiani putabant provinciam Tuſulantranam vi armorum ad fidem convertendam eſſe, Patres Dominicani autem judicabant, id melius fieri poſſe manſuetudine: & iſti non errarunt: miſerunt mercatores cantilenis ſacris inſtructos, qui audientibus Indis cantabant, Indi curioſitate ducti cupiebant ſcire, quid myſteriorum illi cantus continerent, petierunt ſacerdotes, & ſic tota provincia converſa eſt lenitate, quæ vi armorum nunquam fuiſſet converſa. R. cent. 3. p. 2. mir. 16.

Cambri in more habebant, ut ipſo nuptiarum die ſponſus ungues ſibi præſecaret, ſponſæque præſegmina mitteret, & ſponſa viciſſim ſponſo. VV. artic. diſc. Font. 34. Ex. 3. Hoc hodiedum optandum foret, ne in vultibus rixantium conjugum ſtatim unguium veſtigia cernantur, &c.

Leo Bizantinus cum rideretur ob deformem pinguedinem, ad populum Athenienſem dixit: Quid ridetis? habeo uxorem me pinguiorem, & tamen concordes una menſula capit, diſcordes ne quidem tota domus. Sic anſam capit differendi de pace, & tumultum populi ſedavit. VV. art. diſc. font. 62. ex. 1.

S. Godoleva a Viro ſtatim poſt nuptias perſecutionem paſſa, e domo ejecta, ſed juſſu Epiſcopi iterum recepta, tandem per aſſaſſinos interfecta eſt, & in ſuo lectulo repoſita ac ſi ſeipſam exanimaſſet. Sed Deus ejus innocentiam prodidit. Panes in funere pauperibus diſtribuendi in furno creverunt, terra ubi jacuit in candidum marmorem, & terra in margaritas converſa eſt. *Leucht. 6. Julii.*

Viro neceſſaria eſt patientia Socratis contra litigioſam Xantippem, &c. C. ad Ephes. cap. 5. verſ. 33.





# LIBER NONUS DE SACRANTIBUS; SEU MATERIIS SACRIS.

## *PARS PRIMA.*

## QUATUOR EXTREMA.

Beatitudo. Beati.
*Finis ultimus hominis.*
Infernus.
*Æternitas.*
*Dæmones.* *Damnati.*
*Pœna damni.*
*Pœna ſenſus.*
*Conſideratio inferni.*
*Purgatorium.*
*Animæ purgantes.*
Judicium universale.
*Judicium particulare.*
*Judex Divinus.*
*Conſideratio Judicii.*
Mors.
*Memoria mortis.*
*De his, quæ ante mortem.*
*De his, quæ in morte.*
*De his, quæ poſt mortem.*
*Mors impiorum.*
*Mors juſtorum.*
*Sepultura ſacra.*

*Pars II.*

DE ALIIS MATERIIS SACRIS SEU SACRANTIBUS.

Bona opera.
*Intentio pia bonorum operum.*
*Opera ſupererogatoria.*
Ecclesia.
*Templa ſeu Eccleſiæ.* *Aſylum ſacrum.*
*Aqua luſtralis.* *Campanæ.* *Loca ſacra.*
*Sacræ Confraternitates.*
*Sacræ fundationes.*
*Pœnæ, ſeu cenſuræ Eccleſiaſticæ.*
Verbum Dei.
*S. Scriptura.* *SS. PP. & Interpretes.*
*Lectio Sacra.* *Conſilium Patris ſpirit.*
*Pia colloquia.*
Mundus, ejusque vanitas.
*Mundana amicitia.* *Mundani honores.*
*Mundana pompa & luxus.*
*Mundana proſperitas.* *Mund. ſapientia.*
*Mundanæ Voluptates.*

## *PARS PRIMA.*

## BEATITUDO.

1. *Non obtinetur ſine meritis, labore & paſſione.*

*Pſal. 23.* Q*Uis aſcendet in montem Domini?* Qui non accepit in vanum animam ſuam: in vanum eſt veſtis in ciſta, lampas extincta in templo, gladius in vagina: ſic ait Bernardus: *In vano accepit animam ſuam, dum non vivit ea vita, propter quam, ut ea viveret accepit animam ſuam.* B. Serm. 3. n. 5. *S. Bern. ad frat. de mont. Dei.*

In expugnatione urbis Jerichuntinæ prohibitum erat militibus quidquam de ſpoliis arripere: Quare? quia mœnia virtute Divina ſine prælio conciderunt, *ubi autem pugna labor non contigit prædæ emolumentum non debetur*, ait Cajetanus. B. Serm. 54. n. 7. *Cajet. apud Labat. V. Gloria p. 6. 14.*

Chriſtum ipſum oportuit pati, & ſic intrare in gloriam ſuam, nec ante Rex gloriæ ſalutatus eſt a ſuperis, quam Rex Judæorum præſcriptus eſt in crucem, &c. S. pu. 48. f. 185.

Sponſa clamabat: *Trahe me poſt te!* ſcilicet per cruces: ubi Bernar. O quam pauci ſunt, qui volunt ſequi Chriſtum, & tamen pervenire volunt ad Chriſtum. S. pun. 47. fol. 182.

Transfiguratio haberi non poteſt, niſi per laborioſum aſcenſum montis.

*Hi omnes, qui ſunt, & unde venerunt?* reſponſum fuit, hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione: Væ nobis ſi nos veniamus ex parva. S. punct. 47. fol. 184. *Apoc. 7.*

*Regnum cælorum vim patitur:* ubi Auguſtinus: Non enim ſine violentia fieri poteſt, ut de abundantia, & deliciis ad famem & ſitim quis tranſeat, &c. S. punct. 108. fol. 317.

*S. Aug. in Pſ. 93.* Sanctus Auguſtinus pulchre loquitur cum Chriſto quaſi hæc verba loquente: Regnum cælorum venale habeo. Quid, inquit, Domine? regnum cælorum, quo emitur? reſpondet, paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.

S. Antonius magnam Dei benignitatem miratur; in præſenti enim vita æqualia ſunt pro rerum commutatione commercia, vita autem æterna vili pretio comparatur. S. punct. 148. fol. 459.

Iſraelitæ quantos debuerunt ſuſtinere labores pro terra promiſſa: nunc Pharaonis perſecutione, nunc aqua, nunc fame, nunc bello per quadraginta annos impediuntur. S. punct. 148. fol. 461. Item C. Mich. 2. v. 12.

Moneta qua cælum emitur ſunt meri crucigeri: ſicut autem ad monetam tria requiruntur, metallum, figura, & pondus; ita etiam ad opus meritorium cæli honeſtas, intentio, & gratia. S. punct. 36. fol. 765. Martyres cælum emunt patientia. C. Jac. 1. v. 12.

Margaritæ, pro quibus cælum emitur ſunt lacrymæ. S. punct. 10. fol. 577.

Scala Jacob eſt crux Chriſti, & virtutes, quibus in cælum aſcenditur. C. Gen. 28. v. 12.

*Num. 1.* Dum populus Iſrael numerabatur, non ſunt computati pueri, & feminæ. Et quare non? Origenes dat cauſam: Donec in- *Origen. hom. 1.* eſt nobis vel puerilis, vel lubricus ſenſus, vel feminea ſegnities, haberi apud Deum in Sancto & conſecrato numero non meremur. C. Num. 1. v. 2.

S. Perpetua Martyr vidit cæli ſcalam auream plenam cultris & aculeis, ſub qua formidabilis draco excubabat. Fecit tamen S. Satyrus Martyr adhuc puer, ut draconem non timeret Perpetua, generoſe ſcalam conſcendens, & ſocios ad ſequelam invitans. Et vero aſcendentem ſecuta eſt S. Martyr dum leonibus objecta vitam pro fide poſuit. *N. 7. Mart.*

S. Joannes de Mattha moriturus, ſua cilicia, & flagra comportari juſſit, dixitque: En fratres, hæc vobis pro teſtamento relinquo: Cælum vim patitur. *N. 17. Dec.*

Sanctus Philippus Nerius cuidam Virgini apparens ait: Per arva ſpinis obſita incedendum eſt, relinquamus flores &c. S. punct. 21. fol. 638.

Dives Epulo guttulam aquæ non conſequutur, quia non ſuo, ſed Abrahæ digito eam poſtulavit. Tu tuam operam confer, &c. M. conc. 36. aſſ. 2. num. 9. conc. 43. aſſ. 1. n. 3. 4.

Qui vult denarium debet ferre pondus, & æſtum diei; ſine laboribus enim cæleſtis gloria non obtinetur. Paoletti Dom. Septuageſ.

Juvenis Philoſophus, poſtquam tribus annis mercedem perſolvit iis, a quibus injuriis & convitiis affligebatur, dein Athenas ad ſtudium ſapientiæ miſſus, ſub ipſam urbis portam a ſenecione quodam luſui habitus, non niſi riſit, & læto animo contempſit ſarcaſmos. Quapropter a ſene dignus habitus eſt, qui civitatem ingrederetur. Sic probabitur Chriſtianus ſub porta cæli. E. Verbo Adulterium ex. 3.

### 2. *Debetur a Deo tanquam merces.*

*Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ:* ubi Bernardus: *Promiſſum ex miſericordia, ſed ex juſtitia perſolvendum.* B. ſerm. 5. nu. 43.

Beatitudo in Evangelio per quatuor res ſignificatur, nimirum ſignificatur nomine mercedis, coronæ, bravii, & hereditatis. Nomine mercedis, quia pro illa ſudandum, & multum laboris exantlandum eſt. Nomine coronæ; quia pro illa pugnandum contra mundum, carnem, dæmonem. Nomine bravii; quia pro illa prævertendi ſunt alii competitores, quod eſt proprium curſu certantium. Denique nomine hereditatis; quia neceſſe eſt ad illam obtinendam eſſe in ſtatu gratiæ, hoc eſt adoptionis Divinæ. Quamquam autem gloriæ cæleſti conveniant omnia hæc nomina, Chriſtus tamen in Evangelio præcipue voluit uſurpare nomen mercedis: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis &c.* Segn. Manna num. 2. ſeq.

Dices: Cæleſtis gloria eſt infiniti pretii: ergo non poteſt deberi exiguis & vilibus meritis hominis. Reſpondeo 1. Deus remunerans ſuam infinitam dignitatem reſpicit, non vilitatem humanam, eum in modum quo Alexander Magnus leve obſequium ſibi præſtitum auri talento compenſavit, inquiens, non attendo, quid te ſubditum recipere, ſed quid me Regem dare oporteat. 2. Merita hominis ſunt Dei gratia, & meritis Chriſti dignificata: ergo infinitum valorem continent, & ſunt proportionata infinitæ mercedi. 3. Juſtitia Dei unicum momentaneum peccatum æterno ſupplicio vindicat: ergo æquum eſt, ut & Miſericordia Dei, quæ eſt ſuper omnia



omnia opera ejus, momentaneum meritum, æterna mercede coronet, &c.

### 3. *Obliviſci facit omnes adverſitates.*

Joſephus Patriarcha Ægyptius primogenitum ſuum vocavit Manaſſen, quod interpretatur *oblivio*, cum enim factus eſt Prorex, oblitus eſt omnium adverſitatum, carceris, & perſecutionum. B. Serm. 18. num. 14. Octoginta annis regnat. Gen. 41.

Diſcipulos euntes in Emmaus, & narrantes, quæ Chriſtus paſſus eſt, interrogat Dominus: *Quæ?* ut oſtendat, ait Silveira, quod jam oblitus ſit ſuæ paſſionis propter gloriam, qua fruitur: ita reſpondebant Laurentius, Hilarion, Romualdus aliique. B. Serm. 30. n. 39.

Sanctus Petrus de Alcantara apparet Sanctæ Thereſiæ, dicens: O felix pœnitentia, quæ mihi tam magnam meruit gloriam. B. Serm. 18. n. 14.

*Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis:* ubi Auguſtinus: ſæviat mundus, increpet linguis, coruſcet armis, &c. S. punct. 49. fol. 188.

*Non recordabuntur priorum*, nempe laborum, & ærumnarum, quia inter tot lætitiæ exultationes nec adverſitatum vocabula recordantur: Nomen mortis, nomen languoris, nomen doloris nec nominantur apud vos o cælites: ita Abbas Cellenſis. S. punct. 148. fol. 462.

Chriſtus retinuit vulnera, ut memoriale habeat paſſionis, nam alias in gloria ſtatim oblitus fuiſſet dolorum. M. conc. 12. aſſ. 1. n. 6.

S. Martyres ad ferenda tormenta animantur intuitu cæli. C. Geneſ. 1. v. 16.

Chriſtophorus Columbus cum primo in Americam navigare conſtituit, parum abfuit, quin a ſodalibus faſtidio diuturni itineris interficeretur: cum autem feliciter ſcopum attigit, & inſulam Guanahan primo, dein alias invenit, atque immenſos etiam theſauros acquiſivit, indicibile eſt, quam gaudioſis affectibus & lacrymis a comitibus fuerit honoratus. Ita a pari &c. D. 4. 60.

### 4. *Quanta ſit, deſumitur ex variis motivis.*

Quanta ſit cæli gloria deſumitur ex Paſſione Chriſti. Videamus mercatorem, qui omnia vendit, tantum ut emat margaritam, nonne dicemus hanc margaritam oportere eſſe pretioſiſſimam? Chriſtus dedit omnia, ſanguinem, vitam &c. Bellarminus ait: *Chriſtus eſt prudens ille mercator, qui dedit omnia ſua, ut compararet pretioſam margaritam.* B. Serm. 53. n. 10. *Bellarm. de ætern. fel. c. 14.*

Quanta ſit cæli gloria deſumitur ex viſibilibus bonis, quibus Deus hanc terram locupletavit. Unde ſicut ex aranearum telis, quarum Heliogabalus decies mille libras comportari juſſit, magnitudo Romanæ urbis deſumi poterat: ita ex pulcherrimis mundi creaturis licet argumentari ad pulchritudinem cæli. P. p. 2. diſ. 19. n. 4.

Populi, qui in regionibus valde fœcundis habitant, & omnium rerum abundantia perfruuntur, beatos ſe reputant, uti ſunt Hungari, Narbonenſes & alii. Quanta ergo felicitas in cælis ubi nullus defectus? Vide Tit. *Terra* in *Profanis*.

Quanta ſit cæli gloria deſumitur ex effato dæmonis, qui B. Jordano faſſus eſt, ſi poſſet unico momento faciem Dei intueri, quod vellet libenter omnium damnatorum tormenta uſque ad diem judicii ſolus ſuſtinere. E. Verbo *Cæleſtis gloria* n. 12. Et Verbo *Gloria* 2.

Nobilis quidam ad cæleſte convivium admiſſus, dum putat ſe ibi per horam morari, ducentis annis e domo abfuit.

Item fratrum quidam aviculam cantantem ſecutus, trecentis annis in nemore moratus eſt. E. Verbo *Cæleſtis gloria*. n. 13. & 14.

### 5. *Quanta ſit pulchritudo Sanctorum.*

Si Petrus in extaſin rapitur, quia guttulam guſtat, quid erit in medio mari deliciarum? S. punct. 146. fol. 453.

Joannes aliquando angelum videns eum putavit eſſe Deum, quid ſi Archangelum, ſi Seraphinum, aut Cherubinum vidiſſet? S. punct. 148. fol. 462.

Sanctus Fulgentius cum Romæ conſeſſum regium videret, dixit: Fratres, quam magna erit gloria cæli, ſi ita fulgent reges terreni. C. in Num. 24. v. 6. in fine.

Pulchritudo Corporis Chriſti eſt ineffabilis; hinc ille dicitur: *Specioſus forma præ filiis hominum*. S. Hieronymus ait, Corpus Chriſti eſſe exemplar omnium corporum Beatorum. Aelredus dicit, in eo cæleſtis gratiæ elegantiam refulſiſſe. Latro bonus JESULO cum matre in Ægyptum fugienti parcit, ob ejus admirandam pulchritudinem. Hinc S. Auguſt. & S. Thereſia putant, ſi beati in cælis nil

gaudii haberent, præter illud, quod hauriunt ex aſpectu Chriſti, ad hoc tamen unum comparandum labores noſtros eſſe optime collocatos. VV. art. diſc. ſont. 50.

Cum lucidiſſimus ſol ſordidis etiam lacunis radios ſuos communicat, illas tam fulgentes ac radioſas facit, quam ſit ipſe ſol. Cum igitur pulcherrimus, fons omnis pulchritudinis Deus Divinam ſuam pulchritudinem in cæleſti gloria Sanctis, etiam olim peccatoribus infundit, quis intellectus capere, quæ lingua exprimere poterit, quanta, & quam immenſa ſit pulchritudo Sanctorum. *Juſti fulgebunt ſicut ſol in conſpectu Patris* (Baruc. 3.) *eorum*.

*6. Non datur duplex, hic & ibi.*

Chriſtus præcepit Apoſtolis, neque duas tunicas habeatis, id eſt, non duas lætitiæ, ait Cardinalis Hugo. B. ſerm. 6. num. 5.

S. Bernardus invehitur in id genus delicatulos, qui dies hilares vivunt, & pœnitentiam horrent: *Nutatis, non effugitis pœnitentiam, nam malum impunitum eſſe non poteſt: Non punitur hic propria voluntate: punietur alibi ſine fine*. B. 30. n. 35.

Sanctus Bernardus deplorat: *O quam* (S. Bern. ſerm. 1. de Catb. Iſa.) *pauci poſt te bone JESU ire volunt: omnes conregnare cupiunt, ſed non compati*. M. conc. 43. aſſ. 1. n. 10.

A felicitate brutorum non datur tranſitus ad felicitatem Angelorum, ab hara non patet porta in Regiam. *Foris canes*. Si Angelorum Apoſtatarum ſedes a nobis ſint replendæ, utique æquum non eſt, ut ibi tanquam Monarcha ſedeat, qui hic tanquam ſus in volutabro volvitur. Si vis cælo frui, neceſſe eſt vitam agere ſimilem illi, quæ ibi agitur: hinc S. Joannes, poſtquam dixit, *cum apparuerit ſimiles illi erimus*, ſtatim ſubjungit: *omnis qui habet hanc ſpem, ſanctificet ſe* &c. P. p. 2. diſc. 19. n. 14.

Unde admirabilis illa Sanctorum Martyrum in tormentis lætitia? cur S. Apoſtolus jam ab eminus crucem ſalutat? cur S. Laurentius in ignea craticula exultat? cur Sancto Stephano lapides dulces fuerunt? cur S. Tiburtius prunis ardentibus tanquam roſis inambulat? Imo etiam loquendo de Sanctis Confeſſoribus, cur illi exilia, paupertatem, contemptus, perſecutiones, & alia mala exultabundo animo læti ſuſtinuerunt? Nempe quia has adverſitates tanquam ſigna prodroma æternæ mercedis conſiderarunt, &c.

*7. Omnem laborem levem facit.*

Sanctus Chryſoſtomus ait: cum cælum præparetur in præmium, nihil de præſentis vitæ aſperitatibus debet ſentiri. S. punct. 53. fol. 194.

Quatuor illa animalia volabant: quomodo poſſibile eſt bovem volare? nempe ſuper caput habebant firmamentum: Labata ait: *Qui attenta conſideratione præmium illud ineffabile cæli contemplatur, per ſaxa, per ignes impiger curret, immo volabit*. B. ſerm. 53. n. 3. S. punct. 148. fol. 463.

Jacobo tempus ſervitii per 14. annos præſtiti breve videbatur præ amoris magnitudine. B. ſerm. 53. num. 4. S. punct. 148. fol. 462.

Sanctus Franciſcus dolorem oculorum cum gaudio ſuſtinet propter præmium, quod illi promiſit Deus. S. punct. 49. fol. 188.

Abrahamum, dum arduum illud immolationis opus aggreditur, Deus confortat per illud: *ſuſpice cælum*. S. punct. 148. fol. 463.

S. Machabæi a matre ad ferenda ſupplicia animantur intuitu cæleſtis præmii. Decantatum eſt illud Veteris cujuſdam Anachoretæ, qui cum propter fontis, e quo aquam apportabat, diſtantiam ſuum habitaculum loco movere cogitaret, audivit retro ſe Angelum greſſus ſuos numerantem, ab eoque edoctus fuit, nullum greſſum fore ſine præmio. Mirum quanta alacritate deinde hanc moleſtiam tulerit. A. lect. 8. n. 10. 11.

Joſephus Ægyptius tredecim annis in ſervitute & carcere affligitur, & dein per octoginta annos felix regnat. C. Gen. 37. v. 2.

S. Chryſoſtomus dicere ſolebat, ſe paratum eſſe ad ipſas etiam inferni pœnas (Herold. ex 6.) ſuſtinendas, modo aſpectu Chriſti per momentum frui liceret.

*8. Quam amplum ſit ſpatium beatorum.*

Propheta Baruch exclamat: *O Iſrael quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus, magnus eſt, & non habet finem, excelſus, immenſus*. Magna luminaria in firmamento *ſint in ſigna* hujus magnitudinis. Aſpice igitur cælum, & conſidera innumerabiles ſtellas, quarum minima decies major eſt, quam mundus. Intuere ſpatia intermedia, quam immenſa ſint, & conjice ſi tantum eſt cælum ſtelligerum, quantum erit Empyreum? aliqui aſtrologi computant quater mille, ſeptingen-



genta, & ſeptuaginta ſeptem milliones milliarium tantum in circumferentia. Bone Deus quot milliones millionum continebit tota amplitudo? Quantillum igitur ſpatium mundus eſt! (Senec. l. 1. Nat. q. in præf.) *Punctum eſt in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis*, ait Seneca. B. ſerm. 53. n. 11. & 12. Et Gen. 1. v. 16.

Dantur civitates tam amplæ, ut in iis peregrinari quis poſſit: Ninive trium dierum, Memphis 50. ſtadiorum erat, ubi ſemper aliquid novi videndum erat: magis in cælo ſemper novæ revelationes. S. punct. 146. fol. 457.

Alcazar ex menſuratione Angeli Apocalyptici deducit, longitudinem unius quadri in civitate ſupernæ Jeruſalem continere duodecim ſtadiorum millia: quod ſpatium in toto quadro facile poſſet complecti ſexies centena millia millionum incolarum. Alii ergo putant hanc menſurationem non ſecundum litteram, ſed ſecundum ſpiritum intelligendam eſſe, &c. D. 7. 44.

*Merces ſanctorum tam magna eſt*, ait S. (S. Bern. l. de conſid.) Bernardus, *quod non poteſt menſurari: tam copioſa, quod non poteſt finiri: tam pretioſa, quod non poteſt æſtimari.*

*9. Eſt potens ſtimulus ad virtutem.*

Abrahamo, dum Deus arduum obedientiæ præceptum dedit, ſimul dixit: *ſuſpice cælum*. Ubi Chryſoſtomus: Promiſſione Deus excitat, & erigit athletam, & rejuveneſcere facit adverſus ſequentia certamina. Cervi, etſi centenis milliaribus ab inſula Cypro diſtent, tamen fragrantia inſulæ ita trahi dicuntur, ut illuc natent. S. punct. 148. fol. 463.

Sancti Martyres potenter animantur ad ferenda tormenta intuitu cæli. S. Symphorianus adoleſcens in martyrio a matre confortatur: *Nate ſuſpice cælum, tibi non vita eripitur, ſed in melius mutatur*, &c. &c. C. Gen. 1. v. 16. fol. 49.

Imperator Hadrianus, ut Judæis omnem ſpem adimeret collapſam ſuam Rempublicam denuo erigendi, illis non ſolum prohibuit ire Jeroſolymam, ſed & voluit, ut illam ne quidem ex editiore loco aſpectarent. Ita diabolus facit; prohibet hominem quantum poteſt, ut cæleſte illud Jeruſalem non aſpiciat; quia ſcit ex eo aſpectu multa bona fieri, & mala impediri. P. p. 2. diſ. 19. n. 1.

Novitius in Ordine S. Franciſci vacillabat in ſuo propoſito, propter auſteritates Ordinis rediturus ad ſæculum. Raptus autem animo vidit in cælis proceſſionem pulcherrimam, qua a S. Franciſco & S. Antonio Frater in Ordine mortuus ad cælum deducebatur. Hac proceſſione animatus Novitius in Ordine perſeveravit. E. Verbo *Cæleſtis Gloria*, n. 6.

Juvenes Perſæ, cum in bello ſe fortiter geſſerunt, inebriati ſunt, & ſic ebrii in hortum delicioſiſſimum delati: dictum fuit illis, quod hunc paradiſum meriti ſint ſua fortitudine. Dein iterum inebriati domum reportati ſunt. Ardebant igitur deſiderio magna faciendi pro paradiſo. T. n. 283.

*10. Docet contemnere mundana.*

Si bis mille annis viveres, & ſingulis diebus centum milliaribus ſurſum aſcenderes, necdum cælum empyreum ſanctorum attigiſti: ſi igitur in aliqua ſtella eſſemus, & deſpiceremus hunc mundum, quantillum punctulum foret! quis igitur in hoc punctulo proximo ſurripere punctulum volet; quis terram præferre immenſitati cælorum? C. Gen. 1. v. 16.

Sanctus Symphorianus in tormentis animatur a matre: Nate ſuſpice cælum: tibi vita non eripitur, ſed mutatur in melius. Sanctus Vincentius in equuleo quæſitus ubinam eſſet, reſpondit in ſublimi ſum, ubi te tumentem altior deſpicio. Sanctus Mennas Ægyptius in ſuppliciis dicebat. Nihil eſt, quod conferri poſſit, cum regno cælorum; neque enim poteſt totus mundus illi comparari, &c. Sanctus Apronianus cum ad Siſinnium martyrem vocem cælitus delabi audiret: *Venite benedicti Patris mei* &c. baptiſmum petit, & eadem die Martyr factus eſt. C. Gen. 1. v. 16.

*Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* (Matth. 16.) Quibus verbis indicat Dominus, deſipere hominem, qui pro re mundana cælo renunciat, etſi unico peccato poſſet univerſas Monarchias Romanorum, Medorum, Macedonum & Perſarum lucrari; quia unicus gradus gratiæ & gloriæ hæc omnia immenſum ſuperat: ſi Rex unicum floſculum non vellet dare, pro integra provincia, utique deſiperet? major inſipientia eſt hominis, ſi dare mundana nolit pro cælo, &c. Segn. Manna 26. Febr. n. 1.

*11. Eſt efficax motivum contra peccata.*

Si homo Chriſtianus ſæpe conſideraret fornacem infernalem, omniaque illius

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lius tormenta, & dein ſibi diceret: ſi ſalvus ero, ego ſolus in cælo plus gaudebo, quam omnes damnati lugent; imo una mica de mea menſa decidens poſſet omnem damnatorum luctum dulcorare; ſi hæc, inquam, cogitaret, certe impoſſibile eſſet eum peccare. Illa animalia Ezechielis *in ſimilitudinem fulguris* progrediebantur; quia firmamentum habebant ſuper capita, &c. P. p. 2. diſc. 19. num. 10. in fine.

Ezech. 1. v. 14.

Puella choreis, quarum inſano amore tenebatur, in perpetuum ſe abdicat, quia illi promiſſæ ſunt choreæ in cælis, &c. E. Verbo Chorea *n.6.*

Imperator Nero immoderato pruritu deditus luſui, aliquando integrum aureorum millionem aleis decoxit: Ejus mater, ut hanc ei prodigalitatem exprobraret, totam hanc ſummam pecuniariam in duodecim menſis ſub oculis illi poni juſſit, ſperans fore, ut de tanta jactura pœniteret. Peccator poſt commiſſum peccatum cæleſtem patriam ſibi ante oculos ponat, ſibique dicat: Hanc tantam felicitatem tua malitia perdidiſti! fieri non poteſt, ut non pœniteat, & deinceps peccatum omne totis viribus averſetur, & fugiat.

Beatitudo comparatur denario; quia ſicut numerus Decem omnes numeros in ſe continet, ita beatitudo omnem felicitatem complectitur. Quomodo ergo fieri poteſt, ut peccator hanc felicitatem immenſam pro momentanea voluptatula perdere velit? B. ſerm. 53. n. 19.

Gentiles Philoſophi bene ac laudabiliter vivebant, & tamen agnoverunt tantum beatitudinem temporalem, divitias, honores &c. quid ſi agnoviſſent æternam? &c.

12. *Erit ſine fine & termino.*

Dum Deus creavit mundum, de ſingulis diebus fit mentio veſperi, & mane, de ſeptima autem die nihil additur de veſpero: quare? Reſp. Sanctus Anſelmus, quia ſeptimus dies erat figura beatæ æternitatis: *Sicut enim Sabbatum in quo Deus requievit, non legitur habuiſſe veſperam, ſic requies juſtorum non habebit finem.* B. ſerm. 53. n. 43.

Ideo illa gaudia vera ſunt gaudia, quia non deſinunt, nec dilabuntur, aut vertuntur in amara, velut mundi aquæ, &c. S. punct. 144. fol. 455.

In hoc mundo, ajebat S. Antonius ad ſuos, æqualitas eſt in commerciis, ab emente non plus datur, quam a vendente recipiat. Econtra pro brevi vita datur a Deo immenſa æternitas. C. Exod. 26. v. 33.

S. Bernardus ait, *Tria ſunt, quæ mortem Sanctorum pretioſam faciunt, quies a labore, gaudium a novitate, ſecuritas de æternitate.*

S. Bern. ſerm. 25. inter parvos.

Totius mundi felicitas non eſt ſufficiens, ut unam febriculam, vel unius dentis dolorem vel ad unicam horam ſopiat. Econtra una guttula beatitudinis poteſt auferre totius mundi mala in omnem æternitatem: imo ſi talis guttula in infernum decideret, hunc locum tormentorum in Paradiſum tranſmutaret. P. ſp. 2. diſc. 19. n. 10.

Si cæleſtis patriæ felicitas non duraret æternum, nemo eſſet infelicior beatis; tum quia non ſatiaret animam continuo metu afflictam, tum quia quanto major eſt jactura & damnum, tanto grandior eſt infelicitas. Quod ſi præmium in cælis beatorum non eſſet æternum, nec pœna damnatorum eſſet æterna: conſequenter non verificaretur ſententia Divini Judicis: *Ite in ignem æternum*! &c.

13. *Semper & ardenter deſideranda eſt.*

S. Arſenius moriturus fratribus duo verba in documentum reliquit: *Ibi, ubi.* Quod explicavit: *Ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.* B. ſerm. 62. num. 36.

Sanctus Cyprianus ait: Patriam noſtram paradiſum computamus -- magnus illic carorum numerus exſpectat. C. Exod. 26. v. 33.

Quis nobilis e diuturna captivitate dimiſſus non exultat, ſi cernat patriæ ſuæ mœnia, ac turres? &c. B. ſerm. 54. nu. 3.

B. Aſtyonis Martyris mater, utut adhuc gentilis, deſcriptione cæli, quo filium migraſſe audiit, ad ejus deſiderium inflammatur. S. Antonius diſcipulos excitat promiſſione æternitatis, qua merita illorum exigua coronari ajebat. S. Maria de Ognies per vocem invitata ad cælum: *Ibis in Sancta Sanctorum*, præ gaudio ſe non capit. S. Arſenius ſemper pannum in ſinu gerebat ad abſtergendas deſiderii maculas. S. Euphraxia, Regia Virgo a Monaſterio a duobus Viris ad cælum deduci & ibi coronari videtur. C. Exod. 26. v. 33. &c.

S. Paulus cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: S. Cyprianus ait: *Ideo nobis cæleſtem gloriam eſſe concupiſcendam; quia magnus nos ibi carorum numerus exſpectat, quos videre, & alloqui futurum ſit volupe.* Et S. Chryſoſtomus: *Omnibus laborantibus dulcis eſt finis:* Viatori, mercenario, agricolæ, negotiatori: *ſic ſervi Dei mortem ſuam libenter in mentem revocant.* H. ſerm. 1. fol. 7.

S. Cypr. ſerm. de mortalit.

S. Chryſ. hom. 20. in Matt.



S. Maria de Ognies præ deſiderio beatitudinis quaſi inſanit. S. Arſenius ſemper pannum in ſinu gerit ad abſtergendas lacrymas deſiderii. C. Exod. c. 26. v. 33.

S. Bernardus identidem ſeipſum quærebat: Bernarde dic quare hic? cur cælum ſuſpicis? cur animam rationalem & immortalem accepiſti? C. Gen. c. 1. v. 26.

Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus: ſicut igitur peregrinus moratus in hac civitate ſemper ulterius tendit: ita nos corpore ſolum in hac terra, animo autem ſemper in cælo hærere debemus. Segn. Manna 20. Febr.

S. Ægydius ex ordine S. Franciſci frater laicus nunquam meditabatur, aut audiebat de cæleſti patria, quin ſemper in extaſin fuerit raptus. Id cum vulgo innotuit, pueri in urbe Peruſio, cum Ægydius ſtipem colligebat, illum inſectabantur clamitantes: Frater Ægydi Paradiſus Paradiſus! & ecce! ſemper extra ſe raptus fuit. R. cent. 2. part. 1. mir. 37.

Indicibile eſt quam inſanum in cognitione cæli, & aſtrorum ſtudium adhibuerit Tycho Brahe Norvvegus: extruxit caſtrum, nomine Uranoburgum, ibi adjunxit ſibi ſocios ſtudii & artifices ad conficienda inſtrumenta: quadraginta quinque annos traduxit, ſomno plerumque abſtinens, & in ſtellarum conſideratione defixus. Ad hanc artem ducenta aureorum millia inſumpſit. VV. art. diſc. font. 28. Ex. 2. O ſi ita deſideraretur cælum!

14. *Amittitur ab homine ex propria, non Dei culpa.*

Duodecim tribus Iſrael ſcriptæ ſunt in duodecim portis cæli, & tamen ex tribu Dan nullus erit ſalvandus, quia Antichriſtus ex ea prodibit. Cur ergo tamen nomen ſcriptum eſt in porta: Calamatus ait: *Ut innoteſcat, Deum, quantum eſt ex parte ſua neque etiam ipſi Antichriſto præcludere portam.* B. ſerm. 47. n. 10.

*Attollite portas:* cur attolli, non aperiri dicuntur portæ? S. Chryſoſt. ait, quia *cæli jam nunquam erunt claudendi*, ſed omnibus patent. S. punct. 147. fol. 457. ſeq. Vide Titulum *ſtatus hom.*

Ficulnea, quæ non attulit fructum, immiſericorditer ſucciſa, & in ignem conjecta eſt. Quare? an non potuit ſterilitatem ſuam excuſare? non potuit! in eadem enim terra, in qua ſita erat, circumcirca vites, & aliæ arbores fructificabant. Ita homo Chriſtianus non poterit ſe excuſare, ſibi defuiſſe gratiam, quia in eadem Catholica fide, in eadem Eccleſia, in eodem vitæ ſtatu, imo in eadem domo, qua vivit, innumeri ſalvati ſunt, & deinceps ſalvabuntur! falſum eſt illud peccatorum: *Non poſſum!* potius dicere deberent: *Non volo*; quia Deus cum ſua gratia, Eccleſia cum ſuis remediis, Sancti cum ſuis exemplis nemini deſunt! B. ſerm. 45. num. 29.

Nemo dicat: Sum pauper non poſſum dare eleemoſynas! ſum infirmus, non poſſum jejunare! ſum homo ſæcularis, non poſſum continuo orare! Inanes ſunt hæ excuſationes! fac quantum potes, & ſufficit. Audi Sanctum Auguſtinum: *Tantum emit vidua duobus minutis, quantum Petrus relinquens omnia! quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium! Regnum Dei tantum valet, quantum habueris.*

S. Aug. in Pſ. 49.

15. *Sanctorum in cælo eſt ineffabilis.*

S. Anſelmus & Auguſtinus ſe impares fatentur ad deſcribendam cæli gloriam. S. Hieronymus poſt mortem apparet Auguſtino, dicitque: Auguſtine deſine deſcribere, quod non capies, niſi ibi ſis, ubi ego ſum. B. ſerm. 33. n. 6. 7. ſeq.

*Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit* &c. tribus ampliſſimis menſuris Apoſtolus utitur ad explicandam cæli gloriam, ſcilicet oculo, aure, & corde: quid non capit oculus? montes, ſtellas, cælos &c. quid adhuc capacior non capit auris? præterita præſentia, futura. Quid hac etiam capacius non capit cor humanum? & tamen nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor deſcendit, &c. S. punct. 146. fol. 453.

1. Cor. 2.

Magnificentiam urbis Romanæ deſcripturus plus dicere non poteſt, quam: Pontifex ibi eſt. Ita Ezechiel plura dicere non valuit, quam: *Nomen civitatis ex illa die: Dominus ibidem.* S. punct. 146. fol. 453.

*Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ:* ubi Auguſtinus: Neſcio, quid magnum promittit nobis, vult illud dicere, & non dicit. S. Ib. fol. 453.

Immenſa eſt paradiſi gloria, quæ ab objecto beatifico, Deo nimirum provenit. Paoletti Dom. 2. Quadr.

Sicut ſi Regina quædam filiolo, quem in utero gerit, vellet explicare divitias & regni

regni felicitatem, quæ ipſum exſpectat, dicendo: fili mi, magnificentia tua in opibus, in famulatu, in exercitibus erit magna nimis &c. filius tamen non intelligeret: ita nos modo in mundi utero captivi, non capimus, quæ de cælo dicuntur. P. p. 2. diſ. 19. n. 3.

Si paradiſi gaudia in terris tanta fuerunt, ut vocetur locus voluptatis, quanta erunt gaudia paradiſi cæleſtis! &c. C. Eccli. 44. v. 16.

### 16. *Sæpe ab homine minus curatur quam vita terrena.*

Iſraelitæ, cum circa Jordanem opima paſcua pro pecoribus inveniſſent, ibi ſtatim morari voluerunt, neque Jordanem tranſire cupierunt. Ita multi terram amant præ cælo. S. punct. 78. fol. 245. in fine. Vide Titulum *Mundus*.

Sicut aranea ſe eviſcerat ut muſcam capiat, ita homines mundani decumanos labores tolerant, pro re tranſitoria; excurrunt uſque ad Indos pro lucro, fidunt mari & procellis, committunt ſe præliis, &c. ſed pro cælo verentur pluſculum jejunare, pluſculum confiteri, &
Eccl. 19. ſacræ menſæ accumbere: *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Segn. Manna 28. Junii n. 2.

Sicut parvulus puer in tenebricoſo carcere cum captiva matre natus & nutritus in ſuis tenebris ludit, nec lucem deſiderat: ſic multi peccatores quia dudum terrenis aſſueti non curant cæleſtia. Staplet. Dom. 19. Pent. text. 4. in fine.

Initio primitivæ Eccleſiæ, ubi tyranni ſanctam fidem perſequebantur, innumerabilis Chriſtianorum multitudo ultro ad carceres, ad gladios, ad mortem feſtinabat, vitam & ſanguinem potius, quam Deum & cælum amiſſura. Econtra ante duo ſæcula, cum hæreſiarchæ tunicam Chriſti miſere dilaniabant, innumerabilis multitudo illis adhæſit, vitæ libertatem magis æſtimans, quam ſalutem æternam. Imo hodiedum, quot ſunt miſeri peccatores, qui pro injuriæ vindicta, pro furto unius aurei, pro voluptate momentanea, cælum perdunt?

Principes terræ ambitione inflati, ut magnos ſe coram mundo faciant, cum ruina multorum millium pro libitu latrocinantur, & gloriæ æternitatem non curant, &c.

### 17. *Melius deſcribitur quid non ſit, quam quid ſit.*

Sanctus Auguſtinus: Quid hac vita beatius, ubi non eſt paupertatis metus, *S. Aug. ſer 11. de ſanct.* non ægritudinis imbellicitas, nemo læditur, iraſcitur nemo, nemo invidet, cupiditas nulla exardeſcit, nullum ibi cibi deſiderium, nulla honoris pulſatio, aut poteſtatis ambitio, nullus ibi diaboli metus, &c. S. punct. 143. fol. 450.

Et iterum Auguſtinus: O vita vitalis! *S. Aug. ſol. c. 35.* ubi juventus nunquam ſeneſcit, ubi decor nunquam palleſcit, ubi amor nunquam tepeſcit, ubi gaudium nunquam decreſcit, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triſte nihil videtur, &c. S. punct. 143. fol. 451.

Abbas Cellenſis ait: Nomen mortis, *Abb. Cel. l. de pan. c. 7.* nomen languoris, nomen paupertatis nec nominantur apud vos. S. punct. 148. fol. 462. & 464.

Enumera mala omnia, quæ hominem in hoc mundo infelicem reddere poſſunt, uti ſunt mors, luctus, laſſitudo, infirmitas, fames, ſitis, æſtus, corruptio, indigentia, triſtitia: Et horum omnium nihil invenitur in cælo, dicente Auguſtino: *S. Aug. l. 3. de ſymb.* *Non eſt ibi mors, non eſt ibi luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, non eſt fames, non eſt ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla triſtitia.*

In aula Principum nulla tinea magis arrodit eorum felicitatem, quam invidia, *S. Aug. ſuper ſa.* qua unus de alterius majori dignitate aut potentia triſtatur. An hæc invidentia etiam gliſcit in cælis? an inferior ſuperiori invidet de majori gloria? Nihil minus, ait iterum S. Auguſtinus: *Non erit aliqua invidia diſparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus claritas unitatis.*

## BEATI.

### 18. *Differunt inter ſe in gloria.*

*Sicut ſtella differt a ſtella in claritate*, ita Sancti in gloria. *Qui parce ſeminat, parce & metet.* Et ſicut Angeli in novem choros dividuntur; ita diverſa erit Hierarchia inter homines beatos. Æterna felicitas comparatur denario: denarius conſtat ex numero unitatis & ex una nulla: noſtra merita nulla ſunt, & tamen poſſunt numerum unitatis augmentare: ita fit ut merita hujus majora ſint, quam illius, & conſequenter etiam gloria major, &c. B. ferm. 53. §. 4. Vide Sanchez part. 8. c. 8.

Beati



Beati adhuc in terris degentes magis, & minus abundabant cæleſtibus deliciis in animo: B. Abbas Joannes tanta fruebatur dulcedine, ut ne quidem recordaretur, an cœnaſſet. S. Ephrem tanta geſtiebat lætitia, ut ejus præcordia rumpi viderentur; hinc Deum rogabat: *Recede a me Domine, quoniam vaſis hujus infirmitas ferre non poteſt.* Sic etiam S. Xaverius clamabat: Domine ſatis eſt! S. Bernardus internis gaudiis ita erat abſorptus, ut tota die lacus obequitans nunquam eum viderit, &c. Nec minus in perſecutionibus lætabantur Martyres: S. Adelphardus ab Imp. Ludovico in exilium relegatus, exilium reputat paradiſum. S. Tiburtius prunas habet ut roſas. Clemens Ancyranus inter tormenta dicit, ſe beneficium ingens a tyranno recipere, &c. C. Apoc. 2. v. 17. Cum ergo ſancti in terris plus aut minus exultant in adverſis, plus aut minus gaudebunt in cælis.

Beatitudo cæleſtis vocatur corona & palma: ſicut enim coronæ Regum differunt in terris, ita beatitudo in cælis. Et palma, quo magis premitur, eo plus aſſurgit. C. Apoc. 2. v. 10.

### 19. *Non ſunt æmuli nec invidi inter ſe.*

In hac vita plurimas diſſidias excitat illud *meum ac tuum frigidum illud ver-*
*S. Aug. l. 22. de civit. c. 30.* *bum*, verum in cælo ait Auguſtinus, *Erit Deus omnia in omnibus atque nulli ſuperiori ullus inferior invidebit.* Sicut inter membra corporis digitus non affectat vicem capitis. Sicut inter fratres minor non affectat veſtem majoris, *Ita*, ait An-
*S. Anſel. l. de ſimil. c. 63.* ſelmus, *quiſque quod adeptus fuerit amabit, -- quia cuique ſatis erit ſua felicitas, & beatitudo, ſibi pro meritis ſuis miſericorditer impartita.* B. ferm. 53. §. 5.

Quin imo unus gaudebit de alterius felicitate, & quo major eſt hæc alterius felicitas, tanto majus capiet gaudium: ſicut ſi ros in majorem decidit concham, etiam in majorem enaſcitur margaritam. P. p. 2. diſc. 19. n. 11.

Themiſtocles Athenienſium Dux domum ingenti pretio venalem juſſit proclamari, rationem addens, quod vicinos haberet bonos. T. n. 20. Quanto igitur æſtimanda beatitudo ob conſortium ſanctorum?

Sicut ſpeculum tanto lucidius eſt, quanto cælum eſt magis innube; ita ſanctus inferior tanto magis lætatur & exultat, quanto magis videt ſanctum ſuperiorem exaltari, & Deo eſſe propinquiorem. Non triſtatur, quod non ſit illi par in gloria, ſicut inter filios principes non triſtatur natu minimus, quod veſtem non habeat tam amplam, & magnam.

### 20. *Habebunt felicitatem accidentalem in ſenſibus, potentiis &c.*

Inprimis habent beati quatuor dotes corporis beati. Claritatem, celeritatem, ſubtilitatem, & impaſſibilitatem. B. ſer. 53. §. 6. Sanchez p. 8. c. 3.

Erunt feliciſſimi in quinque ſenſibus corporis; oculi videbunt inexplicabilem pulchritudinem Dei, Angelorum, & Sanctorum. Aures replebuntur amœniſſima muſica &c. B. ſerm. 53. §. 7.

Beati erunt feliciſſimi in tribus potentiis animæ, memoria, intellectu, & voluntate. B. ſerm. 53. §. 8. & 9. Vide Sanchez part. 8. c. 7.

Octo dotes beatorum ſpecialiter enumerantur: 1. In cælo fruentur lætitia, & honore perpetuo: quæ lingua dicere, aut quis intellectus capere ſufficit, illa ſupernæ civitatis quanta ſint gaudia, ait S. Auguſtinus. 2. Fulgebunt Sancti ſicut ſol in conſpectu Dei. 3. Habebunt nomen novum, Pacis, Juſtitiæ &c. quibus inſultabunt morti, triſtitiæ &c. 4. Erunt diviſi in turmas, & agmina Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum. 5. Ab Angelis circumferentur, & elevabuntur in cælis, ſicut in terris circuierunt in melotis, & pellibus caprinis. 6. Deus illis omnia complanabit, nihil aſperum, omnia facilia, & jucunda. 7. Lætabuntur in omnibus, in Deo, in Angelis, in elementis, & etiam in damnatis. 8. Erit illis continua dies, nox ultra non erit, non egebunt lumine, lucerna eorum eſt agnus. C. Baruch. 5. v. 8. in fine.

### 21. *Fruentur plena ſatietate.*

*Sedebit populus meus - in requie opulenta.* Talis non reperitur in terra; quia temporalia bona non ſatiant, & etiam ſpiritualia tantum dantur in menſura, ita ut ſemper ſuperſit, quod animus anxie deſideret. In cælo autem erit plena ſatietas: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Satiabitur memoria, quæ immerſa Deo eum ſemper præſentem habebit: ſatiabitur intellectus, qui in Deo omnia videbit ſine obſcuritate. Satiabitur voluntas, quæ plena Deo ſic de illius beatitudine gaudebit, ac de propria, eoque modo habebit, quantum volet,

volet, quia totum illud volet, quo Deus perfruitur. Porro ſatiabitur bonis, quæ videbit etiam corpori communicari per claritatem, per impaſſibilitatem, per agilitatem, per ſubtilitatem. Satiabitur in ſenſibus: Viſu, ob perpetuam contemplationem earum rerum, quæ non tantum ſunt pulcherrimæ, ſed in perpetuitate ſua ſemper novæ. Auditu, ob harmoniæ ſuavitatem. Odoratu, ob fragrantiam glorioſorum corporum. Guſtu, ob cæleſte Manna, quod omnem ſaporem continebit. Tactu, ob voluptatem illi propriam, ſed defæcatam. Denique ſatiabitur in converſatione ſpirituum Angelicorum, & beatorum Cælitum, quorum diſcurſus affectu, prudentia, pietate erunt pleniſſimi, &c. &c. Segn. Manna 28. Mart. n. 4.

Capacitas cordis humani non ſolum illa naturalis, ſed & illa quæ per lumen gloriæ eſt dilatata perfecte adimpletur. P. p. 2. diſ. 19. n. 5. 6.

Per cælum ſæpe intelliguntur ſancti, qui etiam comparantur ob octo analogias. C. Iſa. 51. v. 16.

## Finis ultimus hominis.

### 22. *Diſtinguit hominem a bruto.*

Quod avicula caveæ incluſa lætetur, canat, mirum non eſt, ratione caret: ſed mirum eſt, hominem in hac captivitate poſſe lætari: ad finem enim ſuum tendere debet ſicut æger ad ſanitatem, mercator ad lucrum, &c. B. ſerm. 3. n. 1. 2. ſeq.

Quamquam autem homo in quærendo fine ſuo vel maxime ſe diſtinguere deberet a brutis, nihilominus ex horum ſagacitate inſigniter inſtruitur hac ex parte; ſolent enim bruta tam ſcienter ſua mala præcavere, ut videantur nonnunquam intellectu eſſe prædita. Perdix ut ſuos pullos defendat, coram venatore ſe ſimulat alis captum, dumque hic inſequitur volaturientem, interim pulli ſpatium acquirunt diffugiendi. Simili aſtutia ſe defendunt lepores, crocodili, aliaque animalia. Canis gramine medetur ſtomacho, palumbes lauro, Ictis ruta, hirundo chelidonia, cervus dictamno, &c. D. 22. 48.

Homo creatus eſt, ut in hac vita Domino Deo ſerviat, & in altera vita æternam mercedem capiat: Animalia creata ſunt ad temporale obſequium hominis, ſine vitæ alterius ſpe! Jam ſi ratione pollere, & conſiderare poſſent ſuam infelicitatem, quod pro viliſſimo pabulo, homini ad labores, ad itinera, ad currus, ad aratra, ad venationes ad recreationes, ad eſum, & guſtum ſervire, & denique pro omni mercede, tundi, vulnerari, mactari, excoriari, deplumari, aſſari, devorari debeant, ſine ſpe ulterioris boni; quantum ſuam infelicitatem deplorarent. Perpendat ex his homo, quanta ſit ſua infelicitas, ſi temporalibus mundi nugis contentus, finem ſublimiſſimum, id eſt, ipſum Deum, ad quem creatus eſt, & quem facile conſequi poſſet, æternaliter perdat? &c.

### 23. *Eſt ſolus Deus.*

Picus Mirandulanus advertit: dum Deus creavit mundum, ſingulis creaturis ſuum locum aſſignavit præter hominem: *ut edoceretur, in Deo, qui proprius ejus locus eſt, vivendum eſſe.* B. ſerm. 3. num. 7.

*Non habemus hic manentem civitatem*: ſicut ſiquis Romam tendit non poteſt quieſcere Bononiæ, Florentiæ, Viterbii &c. ita ait S. Thomas: finis noſter non ſunt temporalia, ſed finis noſter Chriſtus eſt: non ergo habemus hic manentem civitatem, ſed ubi Chriſtus eſt. B. ſerm. 3. num. 16.

Quam felix autem eſt homo, quod tam nobilem finem habeat: quanta ſolicitudine abſtinere debet a nugis hujus mundi & ad ſolum Deum tendere? S. Cutbertus in pueritia erat valde petulans, aliquando ab infantulo incognito proſtratus, monituſque fuit: quoniam tu ad epiſcopatum deſtinaris, indue mores modeſtiores. Sic cuilibet Chriſtiano dicendum eſſet: quoniam tu ad tam excelſum finem, nempe ipſum Deum deſtinaris, fuge peccatum, fuge nugas mundi, &c. Sanchez 5. part. c. 10. fol. 639.

Mirabilis eſt controverſia inter Doctores, ubi ſit paradiſus? Aliqui putarunt, paradiſum eſſe tertium cælum, in quod raptus eſt S. Paulus: Alii putant paradiſum eſſe totum mundum, flumen eſſe Oceanum. Alii paradiſum eſſe locum elevatum uſque ad globum lunæ. Alii alias & diverſiſſimas opiniones tenent. C. Geneſ. 2. v. 8. ſeq. Cur autem Deus rem, quæ maxime nota eſſe deberet, tam ſtudioſe occultat? Reſp. Ut inſinuet homini, paradiſum non quærendum eſſe in terris, ſed aſcendendum per cruces, per tribulationes, per virtutes ad Deum, qui vere animæ paradiſus eſt.

Deus creavit omnia non propter indigentiam, ſed propter miſericordiam, ut ſuam perfectionem creaturis communicaret. Hinc ſolus Deus quies noſtra eſt, quia ſolus poteſt cor noſtrum implere, & ſatiare &c. C. Prov. 16. v. 4.



### 24. *Serio quærendus.*

Multi tepidiſſime, & ſine ſerio bonorum operum conatu viventes, illud millies repetunt, utinam eſſem in cælo: interim voluptatibus mundi inhiant, dumque monentur, dicunt, ſe ex toto corde aſpirare in cælum. Sed quid? infructuoſæ arbores, altiſſime creſcentes apicibus ſuis etiam in cælum tendunt, & tamen exſcinduntur, & comburuntur.

Jac. 4. S. Jacobus Apoſtolus admonet: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Quinque autem ſunt modi appropinquandi Deo: 1. Recedendo a diabolo, & ſuggeſtionibus eius; quia Deus & diabolus ſunt duo extrema ſumme contraria. 2. Humiliando ſeipſum; quia Deus humilibus dat gratiam. 3. Purificando ſeipſum a peccatis per pœnitentiam. 4. Amando Deum & opera caritatis exercendo. 5. Tendendo ad Deum per orationem, & ſtudium perfectionis; ſicut non æqualiter illuminantur oculi a ſole, ſed tanto magis, quanto ſunt puriores, & in altiori loco, ſoli propinquiores: ita anima quanto excelſius appropinquat Chriſto; tanto clarius ejus lumine irradiatur. C. Jac. 4. v. 8.

Ad quærendum, & aſſequendum finem ultimum efficaciſſimus eſt ſtimulus, illa
Matth. 16. gnome Evangelica: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Bene animo recole o Homo, non ideo vivis in hoc mundo, ut cum ſuperbis inani gloria extollaris! Non ideo, ut cum avaris ingentes theſauros corradas! Non ideo, ut cum luxurioſis, voluptatibus paſcaris! Non ideo ut cum vindicativis inimicum ſternas! Non ideo, ut cum guloſis ventrem ſagines! Non ideo, ut cum pigritantibus, & accedioſis dies tibi commodos, ac joviales procures! ſi enim hæc omnia per complures annos habueris, imo ſi mundum univerſum lucratus fueris, quid proſunt hæc omnia ad mortem, ad finem ultimum, ad cælum? per mortem perdes hæc omnia, ſolus & unicus migrabis ad æternitatem! Ponamus, quod ibi aliquando per quinquaginta, aut centum annos vixeris, quid ſenties tunc de his mundi nugis? videberis tibi ſomniaſſe, & hæc omnia fuiſſe mera ſomnia! Ponamus, quod Deus avertat, quod jam per duo ſecula arſeris in inferno, nonne hæc omnia quæ poſſides, pro uno pœnitendi momento libenter dares, & execraberis tuam ſtultitiam, qua caduca æternis præhabuiſti? Econtra Sancti in cælis lætabuntur de ſuis laboribus, de contemptu, de perſecutionibus, & ærumnis pro Deo fortiter exantlatis. O ſancta fides, quid nobis innuis per illam ſententiam: *Quid prodeſt homini, quid prodeſt &c.*

Dotes omnes, quas Deus homini dedit, ſunt ſtimulus ad ſerviendum Deo. 1. Deus creavit hominem ex nihilo: ergo homo totum, quod eſt, debet ſuo creatori. 2. Deus creavit hominem ad ſuam imaginem: ergo Deum ut exemplar ſuum ſemper reſpicere debet. 3. Deus rurſus convertet hominem in terram & nihilum: ergo terrena contemnere, & ad mortem ſe parare debet &c. C. Eccli. 17. v. 5.

In via ad finem ultimum ſemper progredi debemus, *Proficere*, ait S. Bernardus, *eſt quoddam proficiſci.* In quo proficiſcimur? in eo, quod dicit Pſalmiſta: *Ibunt de virtute in virtutem.* Ratio proficiendi eſt 1. Quia omnes tenemur tendere ad perfectionem. 2. Quia quamdiu vivimus, verſamur in ſchola: ergo ut diſcipuli Chriſti proficere debemus. 3. Quia vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur &c. C. Num. 33. v. 55.

### 25. *Creaturæ omnes ſunt media ad finem.*

Rex ille invitans convivas ad nuptias eſt Deus: ſervi invitantes ſunt creaturæ omnes, quæ clamant *parata eſſe omnia.* S. Chryſoſtomus ait: *Quidquid quæritur ad nuptias, jam adimpletum eſt.* B. ſer. 3. n. 23. S. punct. 65. fol. 272.

Creaturæ omnes clamant ad hominem tria: *Accipe. Redde. Fuge.* Accipe beneficium, redde debitum, fuge ſupplicium. C. Gen. c. 1. v. 1. f. 34. col. 1.

Nec ſolum creaturæ ſunt media ad finem noſtrum, in quantum nos adjuvant, ſed etiam in quantum nos ſuo exemplo animant. Quam ordinatam rempublicam habent formicæ, quam ſedulo labore in æſtate triticum congerunt, unde in hyeme vivant? hac ſolertia nos inſtruunt, ut omni cum induſtria ad finem noſtrum tendamus. Teſtudines, crocodili, hirundines fugiunt ſua mala, & pericula &c. D. 10. 4. &c.

Crea-

Creaturæ omnes obediunt Divino imperio. Sol jam a tot ſæculis ordinatum curſum tenet. Sydera ſuos influxus ſpargunt. Terra conſtitutis temporibus producit ſuos fructus, &c. *Omnia faciunt verbum ejus*. His inſtruitur homo, ut & ipſe ad finem ſuum tendat, qui eſt in hac vita ſervire Deo, & in altera illum poſſidere. R. ætern. verit. Inſtruct. 1. §. 1. fol. 9.

Frater quidam Ciſtercienſis Ordinis ſemper infirmus, cum illi fratres objicerent, quod Monaſterio non prodeſſet, ſed obeſſet, repoſuit, dummodo Monaſticam diſciplinam obſervem & animam ſalvem, plus prodero Monaſterio, quam ſi mille auri marchis illud auxero. Et bene! non enim animæ ſunt propter Monaſterium, ſed Monaſterium propter animas. E. *Statutum* num. 1. Sic animæ non ſunt propter mundum, ſed mundus propter animas.

### 26. *In creaturis detinendum non eſt.*

*Viri Galilei, quid ſtatis &c.?* Galilæus idem eſt, ac peregrinus: S. Gregorius ait: ſtultus viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens obliviſcitur, quo tendat. S. punct. 78. fol. 244.

Deus in Geneſi ubi multoties vocatur creator, ſimul dicitur Judex, ut indicetur, quod rerum omnium quas tibi creavit, etiam rationem exacturus ſit: gravis igitur ratio danda erit, ſi in creaturis, quæ media ſunt, tanquam fine detinearis. S. punct. 156. fol. 504. ad finem.

S. Joannes Damaſcenus in parabolis narrat de regno, in quo reges poſt unius anni regimen in exilium ejiciebantur: periere omnes, ſed unus prudentior de theſauris regiis in exilium præmittebat ingentem ſummam, de qua vivere bene poterat. Ita conſulendum eſt futuro. D. 8. 42.

Idem S. Joannes parabolam proponit de homine, qui perſequente rhinocerote in puteum confugit in cujus fundo terribilis draco ſtabulatur. Ne autem labatur in prominente frutice ſe tenet: hujus fruticis radicem arrodebant continuo duæ mures alba & nigra, nihilominus in tanto periculo homo iſte delectatur in lambendo melle, quod in foliis ejus fruticis invenit. Rhinoceros eſt mors, draco eſt infernus, frutex eſt labilis vita, mures ſunt nox & dies, quæ vitam deſtruunt, mel ſunt voluptates modicæ mundi. O quam imprudens eſt, qui in his ſe detinens obliviſcitur finis ſui, &c. Sanchez 3. part. c. 3. fol. 436.

Peſſime erramus ſi creaturas pro fine habeamus; ſicut peſſime ageret Viator, qui hoſpitio contentus nollet tendere ad ſcopum. R. Ætern. Verit. Inſtr. 1. §. 1. fol. 21.

Mediolani poſt pugnam & cædem corpora Catholicorum & hæreticorum inter ſe mixta jacebant, ut diſcerni non poſſent. S. Ambroſius rogabat Deum, ut ſecernendi indicium daret. Et ecce! Catholicorum corpora ſeſe obvertunt, & ſupina cælum aſpiciunt. Ariani autem pronis in terram vultibus jacuerunt. Ad cælum reſpiciat Chriſtianus. T. n. 37.

## I N F E R N U S.

### 27. *Quid, & qualis ſit?*

TErtullianus ait: Infernum eſſe terribile profundum, & totius mundi cloacam. Hugo Victorinus: eſſe barathrum, in quo portæ ſpei clauſæ & deſperationi apertæ ſunt. Joannes in Apocalypſi: Eſſe ignitam mephitim, ſulphure ardentem, & inextinguibilem, &c. B. Serm. 29. §. 3. *Tertul. de anima. Hugo Vict. l. 4. de anima c. 11. Apoc. 19.*

Damnatus ille ſtudioſus, de quo Innocentius memorat, apparens quærebatur a ſuo Magiſtro, an in inferno diſputationes habeantur, reſpondit: *Apud inferos quæritur ſolummodo, quid non ſit pœna: & reſolvitur pro parte negativa.* Omne, quod videtur, auditur, olfit, guſtatur, tangitur, pœna eſt: omne quod damnati ſibi imaginantur, recordantur, ſciunt, amant, aut oderunt, dolor eſt, &c. B. Serm. 29. n. 18. Serm. 51. n. 8. *Innocent. III. l. 3. de miſ. hum.*

Sanctus Gregorius ita ſcribit: In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, viſio dæmonum, confuſio peccatorum, deſperatio omnium bonorum, mors ſine morte, defectus ſine defectu, quia mors ibi ſemper incipit, & deficere neſcit, &c. S. punct. 140. fol. 442. Et C. Deut. 32. v. 22.

Inferni anguſtum eſſe ſpatium quidam Doctores affirmant; damnati enim erunt ſicut uvæ in torculari compreſſi. Alii econtra docent, ſpatium eſſe amplius: dæmon enim ex energumena concionem habens, peccatoribus minatus eſt, quod niſi caverent, eundum ipſis eſſet ad ſulphur, ad ignem, ad pontem, ad caſtellum, ad fluvium, ad rotundam domum &c. quibus verbis varia tormentorum genera & loca ſignificare videtur. VV. art. diſc. font. 57. ex. 4.





### 28. *In inferno nulla redemptio.*

Per totam æternitatem non recurret momentum, in quo quis valeat operari: *Ligatis manibus ac pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* Ubi Gregorius: Ligantur tunc manus, & pedes per diſtrictionem ſententiæ, qui modo a pravis operibus ligari noluerunt per emendationem vitæ &c. S. p. 138. f. 434. *S. Greg. hom. 8. in Evang.*

Tiberium rogavit maleficus ut mortem ſibi acceleraret: reſpondit Cæſar: Necdum tecum in gratiam redii. Ita poſt mille annorum myriades reſpondebit Deus damnatis: necdum vobiſcum in gratiam redii &c. B. ſerm. 30. n. 43.

*S. Bern. ſer. 73. in Cant.* S. Bernardus ait: I nunc, & in medio gehennæ exſpecta ſalutem, quæ jam facta eſt in medio terræ. Jam tranſiit tempus miſerendi: non deſcendit ad inferos ſanguis, qui effuſus eſt ſuper terram: non eſt, quod ſibi ex eo vendicent dæmones, neque homines ſocii dæmonicorum. S. punct. 138. fol. 434.

Cum de fornace Babylonica ſermo ſit, dicitur flamma ad 49. cubitos aſcendiſſe: cur non dicitur alta fuiſſe 50. cubitis? nota: numerus 50. eſt numerus jubili & indulgentiæ, hæc nunquam erit in inferno, cujus figura erat fornax Babylonica. B. ſerm. 30. n. 20. S. punct. 140. fol. 441.

Sicut deſperati nonnunquam homines, ut calamitati ſuæ finem faciant, ſibi ipſis vim intulerunt, gladio, laqueo, aut ſubmerſione in aquis; ita damnatus damnatum implorabit, ut mortem ſibi inferat, ſed fruſtra; *In illa die*, ait Apocalypticus Vates, *quærent homines mortem, & non invenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* *Apoc. 9.*

### 29. *Primus ingreſſus inferni quam horribilis.*

Cardinalis Damiani narrat de duobus ruſticis, quod in incædes ituri unus a dracone correptus & in ſpeluncam abreptus fuerit: O quæ mens fuerit miſero, dum in ſpecu cum immiſericorde animali verſabatur? &c. Milites Regis Benadad oculis capti erant ab Eliſeo Propheta, & ab eo ducti in medium forum inimicæ urbis. O quæ mens fuerit militum, dum ſe in medio hoſtium comperiebant &c. Et quæ mens erit peccatoris, qui e plumis in prunas venit momento temporis? B. ſerm. 29. §. 2.

Oeniponti cicur leo ſæpe populo fuit exhibitus, aliquando in furias actus terribiliter rugire cæpit: diffugere omnes ſpectatores, leo autem aliquem ſtudioſum apprehendit, ſtravit, & ſuper illum incubuit. Magiſter leonis continuo monuit ſtudioſum, ut ſe non moveret: hæſit immobilis, tum adductus eſt canis, cum quo leo fuit educatus, qui ludere cum bellua cæpit & ſic ſtudioſus liberatus eſt. In hoc eventu quis ſatis capere queat terrorem, quem paſſus eſt iſte ſtudioſus? & quis capere queat terrorem damnati, qui primo a ſtygio leone occupatur, nec ſpem ullam habet liberationis?

Navis in medio curſu a bellua marina occupatur, & detinetur, quanta conſternatio! R. cent. 3. mir. 18.

Divitis Epulonis quanta fuit conſternatio, cum a mediis delitiis, & divitiis abreptus ſubito vidit, ſe nec guttulam aquæ habere, qua linguam igne aridam refrigeraret. *Luc. 16.*

### 30. *A peccatoribus obſtinatis parum timetur.*

Mi peccator, qui fieri poteſt, ut ad horrendos gehennæ cruciatus non movearis, qui tamen ad hujus ſæculi afflictiones mirum quantum trepidas. S. Paulus monet: *Fratres nolite pueri effici ſenſibus* quid ait? an contradicit effato Chriſti. *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum?* minime contradicit: duo ſunt apud pueros innocentia & judicii defectus, primum laudabile, alterum vituperabile eſt: ita explicat S. Chryſoſtomus: *Solent pueri ad parva hiare, & obſtupeſcere, valde magna non æque mirantur.* Tales revera peccatores apparent, de quibus Auguſtinus: *Timent carcerem, & non timent gehennam: timent cruciatum temporalem, & non timent pœnas ignis æterni, timent modicum mori, & non timent æternum mori* &c. A. 1. l. 4. n. 26. 27. *1. Cor. 14. Matth. 18. S. Chryſ. hom. 36. in 1. Cor. S. Aug. ſer. 18. de Verb. Ap.*

Veriſſimum eſt illud Sancti Spiritus: Homo cum in profundum venerit, contemnet! contemnet enim tam culpam quam pœnam. Multi obſtinati peccatores hæc verba ſtultiſſime effutiunt: Quid deinde ſi in infernum veniam, non ero ibi ſolus! Alii quibus fides deficit, dubitant de inferno, dicentes, eſſe tantum figmentum Poparum. Alii non credunt eſſe æternum. Alii ſtultiſſime dicunt: Debebo habere patientiam! O ſtulti & tardi corde ad credendum! Ita nunc quidem deliras o peccator, verum

Creaturæ omnes obediunt Divino imperio. Sol jam a tot ſæculis ordinatum curſum tenet. Sydera ſuos influxus ſpargunt. Terra conſtitutis temporibus producit ſuos fructus, &c. *Omnia faciunt verbum ejus.* His inſtruitur homo, ut & ipſe ad finem ſuum tendat, qui eſt in hac vita ſervire Deo, & in altera illum poſſidere. R. ætern. verit. Inſtruct. 1. §. 1. fol. 9.

Frater quidam Ciſtercienſis Ordinis ſemper infirmus, cum illi fratres objicerent, quod Monaſterio non prodeſſet, ſed obeſſet, repoſuit, dummodo Monaſticam diſciplinam obſervem & animam ſalvem, plus prodero Monaſterio, quam ſi mille auri marchis illud auxero. Et bene! non enim animæ ſunt propter Monaſterium, ſed Monaſterium propter animas. E. *Statutum* num. 1. Sic animæ non ſunt propter mundum, ſed mundus propter animas.

### 26. *In creaturis detinendum non eſt.*

*Viri Galilæi, quid ſtatis &c.?* Galilæus idem eſt, ac peregrinus: S. Gregorius ait: ſtultus viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens obliviſcitur, quo tendat. S. punct. 78. fol. 244.

Deus in Geneſi ubi multoties vocatur creator, ſimul dicitur Judex, ut indicetur, quod rerum omnium quas tibi creavit, etiam rationem exacturus ſit: gravis igitur ratio danda erit, ſi in creaturis, quæ media ſunt, tanquam fine detinearis. S. punct. 156. fol. 504. ad finem.

S. Joannes Damaſcenus in parabolis narrat de regno, in quo reges poſt unius anni regimen in exilium ejiciebantur: periere omnes, ſed unus prudentior de theſauris regiis in exilium præmittebat ingentem ſummam, de qua vivere bene poterat. Ita conſulendum eſt futuro. D. 8. 42.

Idem S. Joannes parabolam proponit de homine, qui perſequente rhinocerote in puteum confugit in cujus fundo terribilis draco ſtabulatur. Ne autem labatur in prominente frutice ſe tenet: hujus fruticis radicem arrodebant continuo duæ mures alba & nigra, nihilominus in tanto periculo homo iſte delectatur in lambendo melle, quod in foliis ejus fruticis invenit. Rhinoceros eſt mors, draco eſt infernus, frutex eſt labilis vita, mures ſunt nox & dies, quæ vitam deſtruunt, mel ſunt voluptates modicæ mundi. O quam imprudens eſt, qui in his ſe detinens obliviſcitur finis ſui, &c. Sanchez 3. part. c. 3. fol. 436.

Peſſime erramus ſi creaturas pro fine habeamus; ſicut peſſime ageret Viator, qui hoſpitio contentus nollet tendere ad ſcopum. R. Ætern. Verit. Inſtr. 1. §. 1. fol. 21.

Mediolani poſt pugnam & cædem corpora Catholicorum & hæreticorum inter ſe mixta jacebant, ut diſcerni non poſſent. S. Ambroſius rogabat Deum, ut ſecernendi indicium daret. Et ecce! Catholicorum corpora ſeſe obvertunt, & ſupina cælum aſpiciunt. Ariani autem pronis in terram vultibus jacuerunt. Ad cælum reſpiciat Chriſtianus. T. n. 37.

## I N F E R N U S.

### 27. *Quid, & qualis ſit?*

TErtullianus ait: Infernum eſſe terribile profundum, & totius mundi cloacam. Hugo Victorinus: eſſe barathrum, in quo portæ ſpei clauſæ & deſperationi apertæ ſunt. Joannes in Apocalypſi: Eſſe ignitam mephitim, ſulphure ardentem, & inextinguibilem, &c. B. Serm. 29. §. 3. [*Tertul. de anima. Hugo Vict. l. 4. de anima c. 11. Apoc. 19.*]

Damnatus ille ſtudioſus, de quo Innocentius memorat, apparens quærebatur a ſuo Magiſtro, an in inferno diſputationes habeantur, reſpondit: *Apud inferos quæritur ſolummodo, quid non ſit pœna: & reſolvitur pro parte negativa.* Omne, quod videtur, auditur, olfit, guſtatur, tangitur, pœna eſt: omne quod damnati ſibi imaginantur, recordantur, ſciunt, amant, aut oderunt, dolor eſt, &c. B. Serm. 29. n. 18. Serm. 51. n. 8. [*Innocent. III. l. 3. de miſ. hum.*]

Sanctus Gregorius ita ſcribit: In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, viſio dæmonum, confuſio peccatorum, deſperatio omnium bonorum, mors ſine morte, defectus ſine defectu, quia mors ibi ſemper incipit, & deficere neſcit, &c. S. punct. 140. fol. 442. Et C. Deut. 32. v. 22.

Inferni anguſtum eſſe ſpatium quidam Doctores affirmant; damnati enim erunt ſicut uvæ in torculari compreſſi. Alii econtra docent, ſpatium eſſe amplius: dæmon enim ex energumena concionem habens, peccatoribus minatus eſt, quod niſi caverent, eundum ipſis eſſet ad ſulphur, ad ignem, ad pontem, ad caſtellum, ad fluvium, ad rotundam domum &c. quibus verbis varia tormentorum genera & loca ſignificare videtur. VV. art. diſc. font. 57. ex. 4.





### 28. *In inferno nulla redemptio.*

Per totam æternitatem non recurret momentum, in quo quis valeat operari: *Ligatis manibus ac pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* Ubi Gregorius: Ligantur tunc manus, & pedes per diſtrictionem ſententiæ, qui modo a pravis operibus ligari noluerunt per emendationem vitæ &c. S. p. 138. f. 434. [*S. Greg. hom. 8. in Evang.*]

Tiberium rogavit maleficus ut mortem ſibi acceleraret: reſpondit Cæſar: Necdum tecum in gratiam redii. Ita poſt mille annorum myriades reſpondebit Deus damnatis: necdum vobiſcum in gratiam redii &c. B. ſerm. 30. n. 43.

S. Bernardus ait: I nunc, & in medio gehennæ exſpecta ſalutem, quæ jam facta eſt in medio terræ. Jam tranſiit tempus miſerendi: non deſcendit ad inferos ſanguis, qui effuſus eſt ſuper terram: non eſt, quod ſibi ex eo vendicent dæmones, neque homines ſocii dæmoniorum. S. punct. 138. fol. 434. [*S. Bern. ſer. 73. in Cant.*]

Cum de fornace Babylonica ſermo ſit, dicitur flamma ad 49. cubitos aſcendiſſe: cur non dicitur alta fuiſſe 50. cubitis? nota: numerus 50. eſt numerus jubili & indulgentiæ, hæc nunquam erit in inferno, cujus figura erat fornax Babylonica. B. ſerm. 30. n. 20. S. punct. 140. fol. 441.

Sicut deſperati nonnunquam homines, ut calamitati ſuæ finem faciant, ſibi ipſis vim intulerunt, gladio, laqueo, aut ſubmerſione in aquis; ita damnatus damnatum implorabit, ut mortem ſibi inferat, ſed fruſtra; *In illa die*, ait Apocalypticus Vates, *quærent homines mortem, & non invenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* [*Apoc. 9.*]

### 29. *Primus ingreſſus inferni quam horribilis.*

Cardinalis Damiani narrat de duobus ruſticis, quod in incædes ituri unus a dracone correptus & in ſpeluncam abreptus fuerit: O quæ mens fuerit miſero, dum in ſpecu cum immiſericorde animali verſabatur? &c. Milites Regis Benadad oculis capti erant ab Eliſeo Propheta, & ab eo ducti in medium forum inimicæ urbis. O quæ mens fuerit militum, dum ſe in medio hoſtium comperiebant &c. Et quæ mens erit peccatoris, qui e plumis in prunas venit momento temporis? B. ſerm. 29. §. 2.

Oeniponti cicur leo ſæpe populo fuit exhibitus, aliquando in furias actus terribiliter rugire cæpit: diffugere omnes ſpectatores, leo autem aliquem ſtudioſum apprehendit, ſtravit, & ſuper illum incubuit. Magiſter leonis continuo monuit ſtudioſum, ut ſe non moveret: hæſit immobilis, tum adductus eſt canis, cum quo leo fuit educatus, qui ludere cum bellua cæpit & ſic ſtudioſus liberatus eſt. In hoc eventu quis ſatis capere queat terrorem, quem paſſus eſt iſte ſtudioſus? & quis capere queat terrorem damnati, qui primo a ſtygio leone occupatur, nec ſpem ullam habet liberationis?

Navis in medio curſu a bellua marina occupatur, & detinetur, quanta conſternatio! R. cent. 3. mir. 18.

Divitis Epulonis quanta fuit conſternatio, cum a mediis deliciis, & divitiis abreptus ſubito vidit, ſe nec guttulam aquæ habere, qua linguam igne aridam refrigeraret. [*Luc. 16.*]

### 30. *A peccatoribus obſtinatis parum timetur.*

Mi peccator, qui fieri poteſt, ut ad horrendos gehennæ cruciatus non movearis, qui tamen ad hujus ſæculi afflictiones mirum quantum trepidas. S. Paulus monet: *Fratres nolite pueri effici ſenſibus* quid ait? an contradicit effato Chriſti. *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum?* minime contradicit: duo ſunt apud pueros innocentia & judicii defectus, primum laudabile, alterum vituperabile eſt: ita explicat S. Chryſoſtomus: *Solent pueri ad parva biare, & obſtupeſcere, valde magna non æque mirantur.* Tales revera peccatores apparent, de quibus Auguſtinus: *Timent carcerem, & non timent gehennam: timent cruciatum temporalem, & non timent pœnas ignis æterni, timent modicum mori, & non timent æternum mori* &c. A. 1. l. 4. n. 26. 27. [*1. Cor. 14. Matth. 18. S. Chryſ. hom. 36. in 1. Cor. S. Aug. ſer. 18. de Verb. Ap.*]

Veriſſimum eſt illud Sancti Spiritus: Homo cum in profundum venerit, contemnet! contemnet enim tam culpam quam pœnam. Multi obſtinati peccatores hæc verba ſtultiſſime effutiunt: Quid deinde ſi in infernum veniam, non ero ibi ſolus! Alii quibus fides deficit, dubitant de inferno, dicentes, eſſe tantum figmentum Poparum. Alii non credunt eſſe æternum. Alii ſtultiſſime dicunt: Debebo habere patientiam! O ſtulti & tardi corde ad credendum! Ita nunc quidem deliras o peccator, verum

cum aliquando arſeris in hoc igne, videbiſque, nullam redemptionis ſpem affulgere, hanc tuam ſtultitiam millenis execrationibus damnabis. O utinam ululatum audires tui ſimilium!

### 31. *Deterrere debet a peccato.*

Quidam auctores indubitato tenent, montes ignivomos, Ethnam, Veſuvium alioſque eſſe orificia inferni: Laurentius Surius ait: *Voluit Deus extare hujuſmodi loca, ut certius noſſent mortales, quę maneant impios poſt hanc vitam*; ideo etiam animadverſum eſt, Veſuvium majores flammas vomere, cum grandis peccator moritur. Vir quidam Dei famulus videt dæmones fœnum, & materias combuſtibiles congerere, quærit quid agerent? reſponderunt, ſe inflammare infernum, quia paulo poſt Princeps Capuæ, & bellidux Joannes Neapoli eſſent damnandi: Monitus Joannes cum non reſipiſcit, intra quindecim dies perit: quo facto Veſuvius inſolitos ignes dedit. D. 6. 43.

Dives in cibis, potibus, unguentis & deliciis vivens factus eſt incraſſatus & impinguatus. Huic cocus aliquando dixit: O Domine, quomodo hæc pinguedo ardebit in inferno? Ex quo ille perterritus pœnitentiam agere & corpus macerare cæpit. E. *Gula* n. 21.

Ignis infernalis pœnarum maxima 1. Quia eſt ſulphureus & penetrantiſſimus. 2. Quia non tantum corpora, ſed & animas immediate urit. 3. Quia non tantum ſuo calore, ſed & ſua caligine, & fœtore cruciat. 4. Quia eſt æternus & nunquam minuitur, ſemper augetur. Age, ſubjungit his S. Auguſtinus, *hunc ignem gehennæ, his quę te exagitant, flammis libidinis, & cupiditatis oppone.* C. Eccl. 7. v. 19.

Pœnæ inferni ſunt terribiles, nimirum tenebræ, fletus, fames & ſitis, fœtor, ignis, vermis, locus, ſocietas, deſperatio, æternitas. Lohner h. t.

Peccator impatiens, quod noctu ſomnum capeſſere non poſſet, cogitare cæpit: Quæ mea infelicitas foret, ſi in molli hoc lecto centenis aut ducentis annis, ſine diurna luce, ſine hominis ullius conſortio jacere deberem? hæc cogitatio tam ſalutaris illi erat, ut mundo valedixerit, & monaſterium ingreſſus auſteram pœnitentiam egerit.

### 32. *Chriſtianorum eſt terribilior, quam infidelium.*

S. Macario ambulanti inventa calvaria revelat, ſe eſſe calvariam alicujus damnati gentilis, quærenti an etiam Chriſtiani in inferno ſint, reponit eſſe, & quidem longe profundius in igne demerſos. Sanch. 4. p. c. 4. f. 267. E. *Infernus* n. 3.

Quanto fortior eſt miles, tanto reprehenſibilior eſt, ſi ab hoſte victus palmam perdat: Chriſtianus ex Dei gratia, ex lumine fidei, ex ſacramentorum munimine, ex Chriſti & Sanctorum exemplis fortiſſimus eſt ad vincendos tentatoris inſultus; ergo victus pœna dignior eſt: & hoc vult illud Sapientis: *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatus.* Sap. 6.

*Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Ergo pœna in altera vita proportionatur bonis in hac vita habitis. Cum ergo Chriſtianus uberrima bona tam corporalia, quam ſpiritualia a Deo recepit, quibus ſalutem facile conſequi potuiſſet, certo juſtitia Dei in illum tanto crudelius ſæviet, quanto liberalior in eum fuit miſericordia.

Damnatio Chriſtiani, ſi cætera deeſſent, per ſe infelicior eſt, quam infidelis: Quis non miſerrimos reputat illos homines, aut milites, qui apud Turcas, aut barbaros in captivitate detinentur? grandis enim miſeria inter incultos, furioſos, & vix beſtiis meliores homines vivere! Et quæ infelicitas erit Chriſtiano, in ſancta Eccleſiæ gremio nato & educato, ad omnem manſuetudinem, & civilitatem exculto, Sacramentis, aliiſque ſalutaribus remediis ad cælum inſtructo, in inferno inter barbaros, hæreticos, & dæmones miſereri neſcios æternum verſari?

### 33. *Cur propter unicum peccatum ſit æternus?*

Prima ratio aſſignatur a S. Thoma: quia peccatum quodammodo infinitum eſt, utpote læſio infiniti boni. 2. Ait Bernardus, quia deficit potentia culpam delendi. 3. Ait Gregorius, quia damnatus perſeverat in pertinacia finali: *Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit.* B. ſerm. 30. §. 4. Lucifer cum rebellibus Angelis a Deo reprobati, & ab Archangelo Michaele bonorum Angelorum Duce propter unicum peccatum cælo ejecti, jam ultra millenos ſeptingentos annos in inferno ardent, arſuri in æternum.



S. Greg. l. 4. Dial. S. Gregorius ait: Ad magnam juſtitiam pertinet judicantis, ut nunquam careant ſupplicio, quia nunquam voluerunt carere peccato. Et S. Auguſtinus: Quiſquis hujuſmodi damnationem vel nimiam, vel injuſtam putat, metiri profecto neſcit, quanta ſit iniquitas in peccando. Peccatum malitiam habet infinitam; æquum igitur eſt, ut pœna ſit infinita extenſive, ſi non intenſive. S. p. 140. fol. 442. in fine. (S. Aug. l. 21. de civ. c. 15.)

Quia in inferno ſemper eſt moralis neceſſitas peccandi. P. p. 2. diſc. 18. n. 25.

Certum eſt, quod miſericors Deus unum actum perfectæ contritionis ſeu amoris in peccatore æterna mercede coronet, prout exemplum habemus in bono latrone: ergo mirum eſſe non debet, quod juſtus Deus unicum peccatum æterno ſupplicio puniat. Huc facit effatum S. Gregorii: *Dum recognoſco Job ſedentem in ſterquilinio, Joannem eſurientem in eremo, Petrum pendentem in patibulo, Jacobum decollatum Herodis gladio, cogito, qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita dure affligit, quos amat.* (S. Greg. ap. Manſi diſc. 27. n. 8.)

Amicitia Dei per peccatum perdita in inferno non eſt reſtaurabilis! fleat damnatus integra maria lacrymarum! ſuſtineat tormenta omnium martyrum, hæc nihil proſunt ad recuperandam gratiam, & juſtificationem.

### 34. *Plenus eſt tormentis crudeliſſimis.*

*Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Pſ. 62. Per hæc verba inſinuantur tria mala, quæ infernum reddunt formidabilem: per inferiora terræ intelligitur profunditas loci: per manus gladii acerbitas pœnarum. Per partes vulpium ſocietas dæmoniorum. Tria hæc mala cunctis damnatis erunt communia, nihilominus quemlibet cum proportione ad ſua peccata cruciabunt. O qualis pœna futura eſt iis, qui in vita ſemper aſpirabant ad primos gradus, cum videant ſe detruſos ad infimam abyſſum? qualis pœna futura eſt iis, qui tantopere amarunt voluptates, cum viderint ſe traditos gladio, id eſt omni ſuppliciorum generi? qualis pœna futura eſt iis, qui in terra vulpes agebant ſugentes ſanguinem pauperum, cum viderint ſe incidiſſe in vulpes longe crudeliores? &c. Segn. Manna 29. Aug. n. 5.

Civis a tyrannico Domino incarceratus raptus eſt ad infernum & crudelia ibi tormenta, potentes hujus ſæculi cruciatibus ſubjectos, & ſedem igneam ſuo Domino præparatam vidit. Semper autem terrico & aſpectu tam deformi circuire viſus eſt, ut ab uxore & amicis non amplius noſceretur. E. *Viſiones* &c. num. 1.

Ignis infernalis longe eſt crudelior noſtro elementari: 1. Quia jam extat ab origine mundi contra peccatores & reprobos incenſus. 2. Quia *in furore Domini* ſuccenſus. 3. Quia ardebit uſque ad inferni noviſſima, in ima terræ voragine in omnem æternitatem. 4. Quia hic ipſe ignis devorabit terram, & montium fundamenta comburet; hinc ait Pſalmiſta: *Montes ſicut cera fluxerunt.* C. Deut. 32. v. 22. Pſ. 96.

## Æternitas.

### 35. *Quid ſit?*

SAnctus Auguſtinus ait: *Quidquid dixeris, minus dicis.* Dionyſius Areopagita ait, eſſe tempus, quod nunquam definit, ſed ſemper durat. Bernardus: Eſſe tempus quod omnia tempora in ſe complectitur præterita, præſentia, & futura. Ceſorius: eſſe diem quam nulla nox ſequitur: Æternitas eſt circuitus annorum, qui nunquam deſinit. Circulus eſt temporum, qui nec medium, nec finem habet. Duratio eſt, quæ non curſui ſolis, aut ſyderum, ſed immortalitati Divinæ commenſuratur &c. Jam intelliges, cur S. Joannes infernum vocet: *Stagnum ignis & ſulphuris*: cur enim iram Dei non deſcribit eo modo, quo Iſaias, diciteque: *Sicut torrens Sulphuris?* Reſpondeo quia Iſaias loquitur de ira Dei in hac vita, Joannes autem de ira Dei in altera vita: in hac vita fluit ira Dei ſicut torrens: in altera permanet ſicut ſtagnum &c. B. ſerm. 39. §. 2. (S. Aug. in Pſ. 64. — Apoc. 20. — Iſa. 30.)

Quid eſt æternitas? eſt circulus in ſe recurrens, cujus centrum eſt *ſemper*, circumferentia *nunquam*. Quid eſt æternitas? eſt orbis ubique rotundus, ſuique ſimilis, in quo non eſt principium nec finis, in quo non eſt incipere, nec deſinere. Quid eſt æternitas? eſt rota quæ ſemper volvitur, & volvetur in omne ævum. Quid eſt æternitas? eſt annus jugiter revolutus, qui ubi occidit, ibi renaſcitur, ubi moritur, ibi oritur. Quid eſt æternitas? eſt fons in quo aquæ per-

mæandros ad ſuam ſcaturiginem ſemper refluunt, ut iterum fluant, eſt fons perennis juges dans aquas, eaſque vel benedictionis ſuaviſſimas, vel maledictionis amariſſimas. Quid eſt æternitas? eſt labyrinthus innumeris gyris ſe intorquens, qui ingreſſos perpetuo circumducit, circumagit, & perdit. Quid eſt æternitas? eſt abyſsus ſpirarum, eſt ſpira ſemper gyrans, & circulans in immenſum &c. C. Lev. 27. in fine.

[Boeth. l. 5. de conſ. proſ. 4.] Æternitas, ait Boethius, eſt *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*. Eſt ergo 1. Interminabilis. 2. Semper vivens. 3. Tota ſimul. 4. Perfecta poſseſſio vitæ. In hac vita nihil eſt perfectum, multa deſunt, deeſt honor, deſunt opes, deeſt ſanitas, deeſt quies animi. In æterna vita autem Beati omnibus bonis ſimul fruuntur; poſſident enim opes Dei, ſcientiam Dei, delitias Dei. C. Iſa. 35. v. 10. Item C. Eccli. 31. v. 10.

### 36. *Melius intelligitur quid non ſit.*

Lactantius ait: *Cujus nullus eſt finis.* Gregorius Nazianzenus, *æternitas nec tempus, nec temporis pars ulla eſt*; quia guttulas maris, ſtellas cæli, folia arborum, arenas terræ, characteres omnium librorum tranſcendit.

Fingamus tempus, quo formica in fune pendulo uſque ad cælum unum ſemper granulum frumenti aſportet; heu quantum tempus, donec omnia grana frumentaria, quæ ab initio mundi uſque huc creverunt, in cælum ferat!

Fingamus tempus, quo mons æreus uſque ad cælum pertingens ſingulis centenis annis tantum ſemel ungue digiti, aut roſtro aviculæ raderetur, heu quantum tempus donec mons omnis abraſus terræ æquetur!

Fingamus tempus, quo damnatus ſingulis annis tantum unicam lacrymulam fleret, heu quantum tempus donec hæ lacrymæ mari, aut diluvio æquarentur!

Fingamus tempus, quo ſingulis millenis annis una arenula de globo terreo aſportaretur: heu! quantum tempus, donec totus orbis aliorſum transferretur.

Fingamus tempus, quod tot ciferis deſcribitur, quotquot capere poſsunt omnes totius mundi libri, heu quantum tempus!

Et tamen hoc omne tempus nec minimam partem æternitatis adæquat. Flamma in fornace Babylonica dicitur aſsurrexiſse ad quadraginta novem cubitos: Myſterium latet: numerus quinquageſimus numerus jobili eſt: ut ergo indicetur pœnas inferni nunquam ad jubilum perventuras, ſignate 49. cubiti ponuntur. B. ſerm. 30. §. 3.

### 37. *Facilitat labores omnes hujus vitæ.*

Pellicanus eſt ſymbolum imprudentiæ, quia nidificat in aprico campo: cum igitur hæc volucris capitur nidus cingitur circulo ſtuppæ, & accenditur: Pellicanus extincturus ignem alas adurit, & ſic præda fit venatorum. Ita homo nulla arte melius capitur quam circulo igneo æternitatis. Quid ita animoſum reddidit Davidem, ut generoſe ſe reſolverit, *dixi nunc cœpi* &c. Nempe paulo ante affirmavit: *annos æternos in mente habui*. Sancti martyres in ſuis tormentis, ſancti confeſsores in ſuis auſteritatibus animantur intuitu æternitatis: S. Auguſtinus exclamat: *Hic ure, hic ſeca* &c. B. ſerm. 30. n. 2. ſeq.

S. David ait: *Latum mandatum tuum nimis*. Cur nunc latum vocat mandatum, cum alibi aſserat arctam viam eſse ad vitam? Reſp. Cardinalis Hugo; quia æternitatem conſideravit; conſideranti æternitatem mandata omnia facilia, & lata videntur. B. ſerm. 30. num. 34. Segn. Manna 23. Jul. n. 2.

Diſcipuli Abbatis Heleni conquerebantur de vehementia tentationum, ille circulum circa illos fecit, dixitque, quamdiu ex hoc circulo non exceſseritis, dæmon non vobis nocere poterit. Tu mi Chriſtiane conſiſte intra circulum æternitatis, & contra quoſcunque dæmonis inſultus victor eris. Sanch. 7. p. c. 7. f. 1032.

Pſittacus Leonis X., cum aliquando [Balthaſar Bonifacius in Hiſt. ludicra.] præter morem taciturnus & cogitabundus videretur, dixit ei per ludum Pontifex: *Pſittace, quid cogitas?* Et mox Pſittacus. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. VV. art. diſc. font. 28. ex. 10. O utinam ejuſmodi Pſittaci ubique eſsent, qui Chriſtianos æternitatis commonerent! næ illi certe pro æternitate nihil non agerent & paterentur, conſiderando *dies antiquos*, id eſt, vitam ſine meritis peractam, & *annos æternos* ſine fine.





### 38. *Vitam hominis in comparatione ſui facit momentaneam.*

Dæmon ex energumeno quæſitus, quamdiu jam eſſet in inferno, reſpondit, [Cardin. Hugo in Pſ. 87.] una die; heri enim damnatus ſum. Reponentibus aliis; mendacium hoc eſſe, quia jam ante quinquies millenos annos de cælo expulſus eſſet, ſubintulit: *Si ſcires æternitatem, totum tempus a conſtitutione mundi unam horam reputares.*

[Gen. 2.] Adamo comminatus eſt Dominus: *in quacunque die comederis, morte morieris.* Quomodo autem verificatæ ſunt hæ minæ, cum Adam vixerit uſque ad 930. an- [S. Iren. l. 5. cont. hæreſ.] nos. Reſp. S. Irenæus, verificari has minas, quia mille anni apud Dominum, ſicut unus dies. Et S. Gregorius: *Idcirco præſentis vitæ dies nihil eſſe conſpiciunt; quia illuminatæ mentis oculos in conſideratione æternitatis figunt* &c. B. ſerm. 15. §. 2.

S. Job in ſterquilinio teſta de tegula ſaniem radebat: tegula inverſa cunas, prona autem ſandapilam repræſentat: cogitabat S. Job, o quam modico intervallo diſtant cunæ a ſandapila &c. B. ſerm. 17. n. 14. ſeq.

[S. Aug. in Pſ. 97.] S. Auguſtinus quærit: *Quid eſt longa vita hominis ad æternitatem comparata?* Nihil eſt: *Nihil enim ſunt dies mei* &c. B. ſerm. 30. n. 30. ſeq.

Interroga Sanctos omnes, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, quid modo ſentiant de ſuis laboribus, cruciatibus, & tormentis, quæ pro Deo exantlarunt, dicent omnes: Habuimus momentum crucians, quod modo tranſiit, habemus nunc æternum delectans, quod nunquam tranſibit. C. Iſa. 25. in fine.

### 39. *Affligit damnatos ſuper omnia alia mala.*

Hic ſpes mitigat dolores omnes: febris hæc tandem deſinet: dolor hic tandem finem habebit; quiſque dum ſpirat ſperat, ac ſpe omnes miſeri ſe conſolantur. Verum in inferno *ſpes illorum abominatio* &c. S. punct. 140. fol. 442.

In inferno dicitur eſſe *umbra mortis*: quia vero mors ibi non eſt, ut ait S. Gregorius: *Mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu &c.* M. conc. 16. aſſ. 3. n. 5. ſeq.

Tartari, gens vagabunda in nullo loco diu commorari ſolent, rati maximam infelicitatem hominis eſſe, diu in eodem loco hærere: unde irati cum liberis ſuis grave malum imprecari volunt, dicere ſolent: ut in eodem loco perpetuo hæreas! &c. VV. art. diſc. 40. ex. 5. quanta ergo in inferno erit afflictio, loci æterna ſtabilitas?

Sicut Beati lætantur æternitate præmiorum, ita æternitas pœnarum damnatos ſuper alia omnia mala affligit. Homines facinoroſi in hac vita damnantur ad rotam, ſic & damnati; æternitas enim eſt rota, & circulus, cujus centrum eſt ſemper, circumferentia nunquam. Sicut rota non habet finem, ſed ibi incipit ubi deſinit: ita æternitas, hinc pingitur ut ſerpens orbicularis, qui caudam ore complectitur. C. Ez. 1. v. 28. q. 4.

In hac vita mundani homines mortem horrent ſuper omnia alia mala: damnati autem deſiderant mori, & infeliciſſimos ſe reputant, quod mori non poſſint. Hinc illud: *In illa die quærent homines mortem, & non invenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* [Apoc. 9.]

### 40. *Pœnam etiam levem facit intolerabilem.*

Damnati mallent crudeliſſima mundi tormenta tolerare, quam æternam unius culicis puncturam; quia propter æternitatem infinita foret hæc pœna. Imo in plumis jacere æternum intolerabile foret. S. Lydvvina perſuadet peccatori, ut unica nocte immobilis jaceret, & ecce ex moleſta immobilitate unius noctis converſus fuit. B. ſerm. 30. n. 35. ſeq.

Quæſo ſi homo cum dolore dentium, mulier cum doloribus partus per decem annos affligi deberet, quam enormis hic dolor foret? & quid erit ſi immenſus dolor ſit æternus? S. p. 141. fol. 444. P. p. 2. diſc. 18. n. 17.

Si princeps ad regnum & coronam natus a paterna hereditate ſe excludi videat, quanta hæc afflictio, etſi de cætero nullum aliud malum pateretur? quantus ergo erit damnato dolor, ſi in perpetuum a corona gloriæ ſe excluſum videat? Fatuis Virginibus intolerabile fuit, audire a ſponſo *neſcio vos!* Et quanta erit triſtitia damnato id ipſum *neſcio vos* audire a Deo, ad quem natus factuſque eſt? Audiamus S. Chryſoſtomum: *Intolerabilis res eſt gehenna, quis neſcit? tamen ſi mille* [S. Chryſ. hom. 24. in c. 7. Matth.] *aliquis ponat gehennas, nihil tale quid dicturus eſt, quale eſt, ab illius gloriæ honore repelli, & audire a Chriſto: Neſcio vos!*

Sicut modicus cenſus annuus in hac

vita ſæpe ad proceſſus forenſes acerrimos anſam dedit; qui etſi ſit modicus, tamen eſt perpetuus. Ita ſi in inferno non eſſet niſi exiguus dolor, aut levis moleſtia, graviſsima tamen foret; quia eſt æterna. Qui ſapit, mallet martyria ſuſtinere crudeliſsima!

### 41. *Eſt longiſſima, & interminabilis.*

Quantum eſt æternum? cogita centum millia annorum: cogita decies centena millia annorum: cogita mille milliones annorum: cogita tot milliones, quot ſunt guttæ in mari, & necdum de æternitate decerpſiſti quidquam. Si Deus diceret damnatis: Impleatur terra arena minutiſsima uſque ad cælum empyreum, & milleſimo quoquo anno angelus veniat, dematque ex hoc arenæ cumulo unum granulum, cumque ſublatus fuerit totus arenarum cumulus, liberabo vos a gehenna, o quam exultarent damnati: nunc autem poſt tot millenarios, reſtant alii, & alii millenarii in infinitum. Hoc eſt pondus æternitatis, quod opprimit damnatos, cogita, o peccator hoc pondus tibi imminere, niſi reſipiſcas &c. C. Exod. 15. v. 18. fol. 454. col. 2.

*Pædag. Chriſt. p. 1. c. 8. §. 9.* Pone totum cælum empyreum membrana obductum, & meris numeris novenariis inſcriptum, quot annos putas his numeris contineri? Clavius demonſtrat, unitatem cum quinquaginta duabus cifris, ſeu nulla ut vocant, longe majorem numerum efficere, quam mundus totus, uſque ad concavum firmamenti arenulis repletus grana contineret. Et tamen ſi poſt tot annos finitos unica arenula tolleretur, necdum quaſi initium factum eſſet æternitatis.

Quid ſequitur ex his omnibus? Hoc ſequitur, æternitatem eſſe potentiſsimum motivum ad exercendam virtutem, ad fugienda peccata, ad vincendas tentationes. S. Franciſcus tyrones ſuos his verbis animare ſolebat: Fratres magna promiſimus, ſed majora promiſſa ſunt nobis! Modica hic voluptas, ſed poſtea pœna immenſa! Modicus hic labor, ſed poſtea gloria æterna!

### 42. *Aſtute occultat ſuam crudelitatem.*

Iſraelitas diabolus tantum commonuit de ollis, non de labore, interim eos circumduxit ut Samſonem in mola aſinaria. B. ſerm. 1. n. 25.

Voluptates mundi tam vivaciter depingit ſicut uvas Zeuxis, puerum autem qui botrum tenet non ita vivaciter exprimit, ut volucres accedere vererentur. B. ſerm. 4. n. 3.

Cæcos mortales in glaciem occaſionis ducit, ut in præcipitium impellat, glaciem autem abſcondit. B. ſer. 14. n. 11.

*Dies vertetur in tenebras*, quia dæmon, quæ amæna proponit, in luctum vertit. M. conc. 29. aſſ. 1. n. 14.

Infernalis tentator varias habet qualitates, ut nos decipiat. Paoletti Dom. 1. Quadrag.

Simulat ſe amicum, & amatorem hominis, interim odio implacabili contra illum ardet: Sicut parthalis etiam in hominem pictum involat, cumque unguibus diſcerpit; ita dæmon eo odio ardet adverſus Deum, ut in ejus imaginem, nempe hominem involet, ejuſque exitium quærat. C. Lev. 17. v. 16. in fine.

*Surrexit in terra Rex novus.* Allegorice Rex novus eſt diabolus, qui fideles afflixit tripliciter: 1. Violenter per decem Imperatorum Rom. perſecutiones. 2. Sapienter per Philoſophos & hæreticos. 3. Aſtute & blande per voluptates, & illecebras, uti jam facit parta Eccleſiæ pace. Ille Abbas apud Joannem Moſchum ait: *Non appetamus Ægyptiis ſervire voluptatibus, quæ Pharaoni pernicioſi tyranno obnoxios facit.* C. Exod. 1. v. 8. Item Epheſ. 6. v. 11. *Exod. 1.* *Joann. Moſchus in Prat. Spir. c. 144.*

### 43. *Blanditur peccatori, ut perimat.*

Fugitivum Siſaram Jahel excepit hoſpitio, lacte pavit, ſed dormientem clavo confixit: Berchorius ait: *Talis mulier eſt diabolus.* B. ſerm. 24. n. 37. *Berch. l. 7. Mor. ſcript. c. 3.*

Dæmon extollit miſericordiam Dei, quæ non vult mortem peccatoris, exaggerat libertatem humanam, quæ ſemper poteſt ſe convertere &c. idque non alium in finem, niſi ut decipiat, & perdat. B. ſerm. 49. n. 17. 19.

Oviculam ſe ſimulat, & tamen leo eſt: 1. Quia apertis oculis dormiendo vigilat, & caudam movet. 2. Quia leo nunquam cicuratur, etſi domeſticus fiat. 3. Quia rugiens vocis ſonitu terret, juxta illud: *Leo rugit, quis non timebit?* 4. Quia cauda ſua veſtigia verrit, & delet, ne a venatoribus inveniatur. 5. Quia fœtet ob voracitatem, & ingluviem. 6. Quia non comedit, niſi quod vivum capit. Omnia hæc conveniunt diabolo. C. 1. Pet. 5. v. 8. *Amos 3.*

Diabolus circuit ut leo: hæc circuitio ſignificat ſagacitatem dæmonis, qua cujuſque



cujuſque deſideria, vitia, infirmitates, occaſiones, & habitus explorat, ut ea parte tentet, qua tentatus debilior eſt. C. 1. Petri 5. v. 8.

Dæmones vocantur *ſpiritualia nequitiæ*, quia ſunt nebulones nequiſſimi *in cæleſtibus*, id eſt, in aere verſantes cum peculiari potentia, vi & robore: ſi enim natura hoſtis quæritur, ſpiritus eſt: ſi ſpecies, inviſibilis eſt: ſi indoles, nequiſſimus eſt: ſi poteſtas, mundi Dominus eſt; ſi ars & fraus, princeps tenebrarum, & inſidiarum eſt. C. Epheſ. c. 6. v. 12.

### 44. *Lactat ſpe longioris vitæ.*

*S. Aug. ſer. 120. de temp.* S. Auguſtinus ait: *Immittit diabolus ſecuritatem, ut inſerat perditionem.* B. ſer. 6. n. 18.

Sicut pictores ſæpe regionem efformant ſecundum artem, ut ajunt, perſpectivam, ita ut longiſſime abeſſe putetur, quod prope eſt: ita dæmon perſuadet peccatori mortem abeſſe longiſſime. *In errorem induxit nos umbra picturæ.* B. ſerm. 15. n. 8. 9. C. in Gen. c. 3. v. 4.

O quot incauti decepti ſunt, qui longævam ſenectutem ſperabant, & in juventute extincti ſunt: propterea tam ſenex, quam juvenis mortem ante oculos habeat, ait Seneca & rationem addit perpulchram. Vitam hanc, ait, tanquam depoſitum habemus, inter cenſum autem & depoſitum hoc eſt diſcrimen, quod ille ad certum tempus conſtitutum ſit, iſtud autem ſingulis momentis exigi poſſit. B. ſer. 49. n. 27. Vide Titulo Vita. *Seneca l. 2. ep. 22.*

Nobilis VVeſtphalus ſilvam cum militibus tranſiens audiit cantantem feminam: acceſſit ad ſonum & vidit monialem, quæ quæſita quid ageret, repoſuit: Hoc cantu laudo Deum meum. Quæſivit miles, putans eſſe ſanctam, quæ ſua ſors futura ſit? & illa: accipies crucem cæleſtem, transfretabis, & devictis inimicis in ſervitio Chriſti morieris. Falſiſſimum id fuit; paulo poſt enim in febrim incidens, ægre perſuaſus ut ſacramenta ſumeret, extremam diem clauſit. E. *Dæmon* n. 13.

Franciſcus Maria Tauruſius ægrotantem amicum inviſens eum de periculo vitæ admonuit. Riſit æger repoſuitque, primum nunc adfuiſſe Petronium Medicum; qui ipſi in craſtinum plenam valetudinem promiſiſſet. Ivit Tauruſius ad Petronium, & ab eo edoctus fuit, ſe ea die nullum hujus generis ægrum vidiſſe. Diabolus fuit. J. 82.

### 45. *Decipit peccatorem ſuis promiſſionibus.*

Eques equo promiſit, ſe velle vindicare injuriam illi illatam, ſi equitari ſe permittat: permiſit equus, & eques illum in ſuum ſtabulum compulit. Ita dæmon promittit peccatori, quod illum velit iterum liberum dimittere poſt peccatum: ſed poſtea ligat, & alligat ferrea conſuetudine, quæ quaſi ſtabulum eſt dæmonis. B. ſerm. 49. n. 19.

Radbodo gentili Principi auream domum oſtendit & regale ſolium, promittens quod hanc illi felicitatem dare in perpetuum velit, ſi Chriſtum non adoraret. Sed S. Vulfrannus Epiſc. miſit ſuum Diaconum, qui ſigno crucis omnem illuſionem in nihilum redegit. *N. 20. Martii.*

Dæmon oracula falſa vel dubia dedit, uti eſt illud: *Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.* Exemplum ulterius eſt Achab Regis, cui, cum per omnes pſeudoprophetas victoriam prædixit, ſolus Michæas contrarium illi, id eſt, cædem prænuntiavit, quæ etiam conſecuta eſt. &c. Hananias Judæis liberationem ab obſidione Chaldæorum, & victoriam promiſit, ſed contrarium Jeremias, idque vere prædixit. Dum de Ferrandi Flandri fortuna mater ariolos conſuluit, ab eis oraculum accepit: *Ferrandus a Pariſienſibus jucundiſſime excipietur.* Sed ſecus evenit; nam in bello contra Philippum Regem captus Pariſios ducitur, & incarceratur. Hinc Cato dicere ſolebat: *Mirari ſe, quod aruſpex aruſpicem aſpicere poſſit ſine riſu.* C. Iſa. 41. v. 23.

### 46. *Suas tentationes orditur ſæpe ſub ſpecie pietatis.*

Uxor Putipharis, teſte Linconienſi, primitus ad ſe vocavit Joſephum, *fingens illius ſe velle Religionem ſequi, ut ſub ſpecie pietatis ſic frequentior eſſet familiaris acceſſus.* O quot familiaritates primo ſub prætextu pietatis incipiuntur, quæ dein in ſcelera deſinunt. *Facilius eſt*, ait Nazianzenus, *morbo alieno infici, quam ſanitatem largiri.* B. ſerm. 58. n. 41. *S. Greg. Nazianz. or. 20 in laud. Baſil.*

Primos parentes in paradiſo decepit dæmon ſub ſpecie boni, participationis perfectionem Dei &c. *eritis ſicut Dii.* S. p. 35. fol. 151.

Duo orcini ſpiritus ſub ſchemate Monialium veniunt ad S. Magdalenam de Pazzis, & auſteram jejunii conſuetudinem exprobrant, dicentes, tantum rigo-

rem eſſe contra Dei voluntatem, & plus nocere, quam prodeſſe Religioſæ diſciplinæ. R. cent. 2. p. 2. mir. 36.

Seni Monacho perſuaſit dæmon, ut filium ſuum, qui una cum Patre in Monaſterio degebat, occidendo ſacrificium faceret, ut hac in re meritis Abrahæ adæquaretur. Feciſſet id ſenex, niſi filius rem advertens aufugiſſet. E. *Dæmon* n. 11.

Sicut Magi in Ægypto æmulati ſunt miracula Moyſis, ſic dæmon æmulatur opera Dei. Exod. 7. v. 11. Facit autem hæc dæmon 1. turbando phantaſiam aut viſum, ita ut putent homines ſe videre, quod non eſt. 2. Per motum localem celerrimum, uti ſuſtulit Simonem Magum, ſagas, ſtatuas, cadavera &c. 3. Applicando activa paſſivis, novit enim perfectiſſime virtutem naturalium rerum. C. Exod. 7. v. 11.

Dat noctem pro die, venenum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti &c. C. Lev. 17. v. 16. in fine.

### 47. *Incipit a levibus, ut ad gravia inducat.*

Cancer marinus, ut oſtrea capiat, in apertum conchile lapillum injicit: ita dæmon ſemper a lapillo, hoc eſt, a levibus incipit. B. ſerm. 60. n. 14.

Pompeius tantum ægrotos milites in urbem obſeſſam recipi rogat, ut medicorum cura ſanarentur, & per hos urbem vincit. B. ſer. 79. n. 11. & S. p. 11. f. 49.

Diabolus dubitans an Chriſtus Dominus revera eſſet Dei Filius, tentavit illum & petiit, ut ex lapide panem faceret. Sic argumentando: ſi non poteſt facere panem, Dei Filius non eſt, & ego ab omni timore ero ſecurus. Si facit panem, Dei Filius eſt, quia facere hoc non poſſunt Angeli, & tunc aliam tentationis v. g. vanæ gloriæ telam ordiri debebo. En! tentator, ſi fraus illi non ſuccedat, ſemper indirecte alia mala intendit, v. g. vanam gloriam aut alia. C. in Matth. 4.

S. Franciſcus admonuit ſuos, ut ne capillum quidem concederent diabolo, quia ille ex capillo facile conficere poſſet rudentem, quo animas eorum in perniciem trahere valeret. Hinc illud: *Quaſi a facie colubri fuge peccatum.* Non ait, quaſi a facie draconis, urſi, leopardi, ſed colubri; quia dum coluber acuminoſo capite in os, aut ſtomachum hominis ſeſe intrudit, totum hominem intoxicat, & perimit. B. ſerm. 62. n. 12.

Dæmon gradatim procedit ad perimendam animam, id quod explicans Albertus Magnus ait: Dentes diaboli ſunt gradus tentationum, ſcilicet, cogitatio, delectatio, conſenſus, operatio mala, conſuetudo, defenſio peccati, gloriatio, impœnitentia, deſperatio &c. *Albert. M. in c. 14. Marci.*

### 48. *Induit varias figuras.*

Cornelio Agrippæ ut canis, S. Romualdo ut corvus, Hilarioni ut vulpes, Dunſtano ut canis, Ferdinando Gonſalvo, & Margaritæ Virgini ut draco, S. Julianæ ut Angelus lucis, S. Martino ut Chriſtus, Abbati Roberto ut ruſticus, Macario ut meſſor, Gallo ut urſus apparuit. Martin. Zeilerus fol. 53.

S. Hilarioni ut agyrta, S. Antonio, ut venator, S. Ammonio ut paſtor, S. Apelli ut compta puella, S. Elfrido ut urſus, S. Dominico ut ſimia, S. Ignatio ut ſerpens, S. Benedicto ut merula apparuit. *Chriſtoph. Leittenmair* in paneg. S. Benedicti n. 3. f. 6. S. p. 35. f. 150. Vide infra *ab hominibus ſanctis ludibrio habetur.*

S. Raynaldo Epiſcopo, ſub ſpecie Chriſti, purpura indutus apparuit. Sed riſit ſanctus ſycophantam, dixitque, ſe Chriſtum non ex auro & purpura, ſed ex cruce & vulneribus agnoſcere, quibus verbis deceptorem in fugam egit. N. 9. *Feb.*

Frequenter diabolus induit formam ſerpentis, in qua Adamum & Evam decepit, ibique vidit hanc fraudem ſibi bene ſuccedere. Item quia draco natura eſt monſtroſa & horribili, pervigil, & acerrima oculorum acie &c. C. Dan. 14. v. 22.

S. Vincentio Ferrerio ſpecie ſeniculi Eremitæ apparuit, eique ſuaſit, ut parceret ſuæ juventuti, & pœnitentiam in ſenectutem differret. Sed Vincentius illum Crucis ſigno in fugam egit. C. ad Epheſ. 6. c. 12.

### 49. *Cum ſuis tentationibus moleſtior eſt fideli, quam peccatori.*

Quamprimum populus e petra bibit, id eſt, e Chriſto ſacramenta, pugnare debuit cum Amelec. S. p. 34. f. 149.

Non quærit dæmon infideles, quos jam quieto jure poſſidet, ſed *eſca ejus electæ*, poſt devoratum Judam ad Apoſtolos conatum extendit. S. p. 34. f. 149.

Ælianus obſervat de canibus venaticis, quod ſi in cervum aut leporem mortuum incidant, non curent prædam caſu inventam: at ſi inveniant vivum & fugientem, *Ælian. l. 8. c.* [illegible]



tem, eum perſequuntur. Sic facit canis infernalis, anima tenus mortuo moleſtus non eſt, ſed vivo, & fugienti peccatum.

In Ægypto ſurrexit Rex novus, qui non noverat Joſeph, & afflixit Hebræos. Rex novus eſt diabolus, qui tripliciter affiixit Fideles 1. Violenter per Imperatorum perſecutiones. 2. Sapienter per Philoſophos & hæreticos. 3. Aſtute per illecebras & voluptates. C. Exod. 1. v. 8.

Obſervatum eſt, quod inter hæreticos, & gentiles non inveniantur tot energumeni, quam inter fideles. Quare? Quia illos jam bona pace tanquam ſuos poſſidet, fideles autem, de quibus periclitatur, ſuos facere conatur.

Leo aut lupus oves & boves ægrotantes non invadit, aut devorat, ſed tantum vegetos, & bene valentes: ita diabolus ſuis tentationibus non infeſtat peccatores, ſed juſtos, qui in Dei vivificanti gratia vitam ſpiritualem, ſeu cœleſtem bene vivunt; ab his enim, non ab illis contraria, & inimica molimina metuere debet.

Sicut pyratæ, qui mare prædationibus infeſtant, naves a portu exeuntes, adhuc vacuas non invadunt, ſed ubi redierint mercibus onuſtæ, tunc omnem vim, arteſque expediunt, ut illas deprædentur: Ita Satanas, cum videt aliquos multa collegiſſe, jejunia, preces, eleemoſynas, aliaque opera, tunc irrumpit, tunc ſatagit, ut ſcapham ſuam faciat.

### 50. *Frequenter ſe transformat in Angelum lucis.*

Novit dæmon vitiis colorem virtutis illinere, acediam ſub ſpecie defatigationis, ſuperbiam ſub ſpecie honoris, iram ſub ſpecie zeli palliat &c. S. p. 35. fol. 151. Vide titulum VITIA.

Monachum ſub ſpecie Abbatis decipit, dum illi ſuadet exire e cella ad ſumendam ſacram ſynaxin. Exiens ille incidit in juvenem, qui ei narrat patrem ſuum fuiſſe defunctum, & illum heredem ſcriptum eſſe multorum bonorum: tunc Monachus ſub prætexto facienda eleemoſynæ rediit ad ſæculum. S. p. 35. f. 155.

Sed facile noſci poteſt ex variis indiciis. S. ibid. f. 153.

Radbodo Friſonum duci apparet in veſte aurea, cum corona in capite, ſuadetque illi, ut a cultura idolorum ad Chriſtianorum ſacra non recederet: pro mercede hujus conſtantiæ, ſe illi præparaturum thronum aureum. Cum ergo legatus Ducis, una cum Diacono Chriſtianorum vellet videre thronum aureum, Diaconus fecit ſignum crucis, & invenerunt ſe in paluſtri luto &c. E. *Dæmon* n. 12.

Aſſaſſini, & homicidæ venenatas pilulas inaurant, aut ſub cupediis & dulciariis abſcondunt, ut eorum, quibus nocere volunt, appetitum, ſeu orexin provocent: ita dæmon & ſeipſum cœleſti fulgore exornat, & tentationes ſuas ſub ſpecie angelicæ virtutis tegit, & dulcorat. Hinc bene in hanc rem ait Richardus a S. Victore: *Quaſi cum ſumma luce, & fervore dæmones ad nos veniunt, quando fraudis ſuæ nequitiam diſſimulantes, ſub ſanctitatis ſpecie ad perverſitatem nos pertrahere ſtudent.* *Richard. a S. Vict. in Pſal. 90.*

### 51. *Eſt mendaciſſimus.*

Evæ quintuplex mendacium fecit: 1. *Non moriemini.* 2. *Eritis ſicut Dii.* 3. *Aperientur oculi veſtri.* 4. Scietis bonum, & malum. 5. Scit Deus hæc omnia eſſe vera. C. Gen. 3. v. 4.

Chriſto promiſit: *Hæc omnia tibi dabo*, ubi Petr. Chryſol. *Hæc dicit, non quod poſſit dare, ſed fallere.* B. ſer. 14. n. 14.

Diabolus mendaciis denigrat Deum apud hominem, hominem apud Deum, & hominem apud hominem. 1. Mentitur homini contra Deum, dum quærit ex protoparentibus, *cur præcepit vobis Deus ne de omni ligno paradiſi comederetis?* Nota, *de omni*, quod falſum eſt. Dein perſuaſit illis contra Dei minas, quod non eſſent morituri. 2. Mentitur Deo contra hominem: ita dixit ad Deum, quod Job illi ſerviat tantum propter beneficia, his deficientibus Jobum cito fore impium. 3. Mentitur homini contra hominem; ita ethnicis & hæreticis de Chriſtiana Catholica lege tot calumnias garrit, ut neceſſe fuerit Sanctis Patribus Tertulliano, Arnobio, Auguſtino aliiſque tot apologias ſcribere, &c. D. 10. 78.

Etiam ſanctiſſimos ſuis mendaciis, & deceptionibus circumvenire ſatagit: hinc ait Richardus a S. Victore: Hora meridiana ſolet eſſe claritas major, & calor ferventior: lux ad diſcretionem, & calor pertinet ad devotionem. Cum luce ergo, & claritate ad nos veniunt dæmones, quando in eo, quod fraudulenter ſuggerunt, non modo diſcrete, ſed etiam devote acturos nos eſſe promittunt, & perſuadere contendunt. *Richard. a S. Vict. in Pſ. 90.*

S. Leo ait: *Novit diabolus, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxu-*

rię

*riæ &c. . . . quærit cauſas nocendi, ubicunque viderit ſtudioſius occupari.* C. Epheſ. c. 6. v. 11.

### 52. *Suis tentationibus accommodat ſe genio perſonæ, loco, &c.*

Chriſto famelico ſuaſit, ut lapides in panem transformaret: O quot ſenſualitates ſub ſpecie neceſſitatis perſuadet. S. punct. 35. f. 151.

Prophetam comedere fecit per Pſeudoprophetam: ita multis adhuc dicit: ah! ne ſis ita auſterus, conſerva vires, ut porro ſervire poſſis Deo &c. S. Ib. f. 151.

Dæmon in varias figuras ſe format, prout circumſtantiæ exigunt. Tentans Jobum modo ventus, modo ignis erat: ita adhucdum modo triſtis, modo lætus, modo angelus lucis, modo tenebrarum eſt, S. p. 35. f. 150.

Sic unamquemque tentat, ut vitia, non vitio, ſed naturæ tribuantur, &c. S. Ib. fol. 152.

Vidente S. Macario varia vaſcula portavit, ut hoc illi, alterum alteri pro varietate geniorum propinet. S. Ib. f. 152. Sanch. 2. p. c. 6. E. *Dæmon* n. 10.

S. Greg. in c. 40. Job. — S. Gregorius ait: *Opprimendo rapit, inſidiando circumvenit, minando terret, ſuadendo blanditur, deſperando frangit, promittendo decipit.* C. Gen. c. 3. v. 1.

1. Pet. 5. — *Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* Cur circuit? 1. Ut oſtendat ſuam nocendi cupiditatem, ſicut duellator circuit, ut obſervet adverſarium. 2. Prodit ſuam verſutiam, fraudes, & dolos, ut ſerpens gyrat & regyrat, ut homines ſuis artibus, ſcrupulis, & perplexitatibus circumveniat. 3. Sicut venator feras, piſcator piſces, exercitus urbem; ita diabolus circuit homines, ut omnes capiat, & occidat. C. 1. Petri 5. v. 8. Item Epheſ. 6. v. 11.

### 53. *Illius conatus debilis eſt, & infirmus.*

S. Greg. l. 5. Mor. c. 17. — De dæmone dicitur: *Myrmicaleo periit*, ubi S. Gregor. *Leo, & formica dicitur, quia nimirum antiquus hoſtis ſicut contra conſentientes fortis eſt, ita contra reſiſtentes debilis.* B. ſerm. 58. num. 17. Item S. punct. 36. fol. 160.

Sceptrum ei ademptum eſt, quo regnabat: velut Dagon fractis manibus jacet. S. punct. 36. fol. 159. 160.

Angelus de cœlo deſcendere viſus eſt, qui clavo confixit dæmonem, ne nocere amplius poſſit. S. Ib. f. 160.

Juliana Virguncula dæmonem ejulantem catena per plateas trahit. S. Ib. fol. 160.

Diabolus per magos Ægyptios varia patravit miracula, aquas mutavit in ſanguinem, ranas & ſerpentes produxit: non poterat tamen vel unicam muſcam facere.

Non poterat invadere gregem porcorum in regione Geraſenorum, Quare? quia plus non valet, quam illi permiſſum eſt a Deo, idque ideo, quia eſt lictor, & apparitor juſtitiæ Divinæ. D. 7. 95. C. Exod. 8. v. 18.

S. Magdalena de Pazzis dæmones in ſuo oratorio ſibi apparentes flagello in fugam agit. R. cent. 2. par. 2. mir. 36.

S. Juliana Virgo dæmonem ſub ſpecie Angeli mala ſuadentem tenuit, apprehenſumque interrogavit, quis eſſet? reſpondentem, ſe eſſe dæmonem Belial, luxuriæ amatorem, ligatum, percuſſumque verberibus in forum deduxit, ibique in cloaca demerſit. *N. 16. Feb.*

S. Antonius vincit diabolum ut decumanum Æthiopem. Abramius Eremita Satanam volentem ſuam cellam ſubvertere, nomine Domini in fugam agit. C. ad Epheſ. c. 6. v. 12.

### 54. *Nocere non poteſt niſi volenti.*

*Alligatus eſt tanquam innexus catenis*, ait S. Auguſtin. *latrare poteſt, mordere non poteſt.* B. ſer. 20. n. 17. Item ſerm. 33. n. 18. S. punct. 36. f. 156. — S. Augu. hom. 197. de temp.

Chriſtum tentans ſuaſit quidem, ſed nec digito impulit, ut præcipitet: Quare? S. Hieronym. ait: *Perſuadere poteſt, præcipitare non poteſt.* S. Ib. f. 156. & 159.

Frequentiſſima eſt illa peccatorum excuſatio: dæmon me decepit: ſed plane non omnis tentatio provenit ex dæmonis inſtinctu: ſæpe perverſa voluntas ipſa met excitat canem dormientem. Ita S. Thomas: *Non omnia peccata committuntur diabolo inſtigante, ſed quædam ex libertate arbitrii, & carnis corruptione.* A. lect. 5. n. 19. — S. Tho. 1. p. q. 114. a. 3.

Abbas Achilles: ſecuris diabolus, manubrium voluntas noſtra eſt: per malas ergo voluntates incidimur. C. Lev. 17. v. 16. ad finem.

Quin imo Dominus Deus diaboli perverſam nocendi voluntatem convertit in noſtrum emolumentum; Dæmon per ſuas tentationes nos vult perdere, & Deo diſponente magnas nobis cauſant utilitates. Paoletti Dom. 1. Quadrag.

Tentationes dæmonis ad multa bona proſunt: 1. Ad exercitationem, qua co-

ro-



ronam gloriæ elaboramus. 2. Illius tunſiones faciunt nos lapides cœleſtis Solymæ. 3. Faciunt, ut veneno intoxicati curramus ad fontem ut cervus. 4. Dæmon ſe habet inſtar ſanguiſugæ, qui dum nocere vult, prodeſt, exſugendo ſanguinem nocivum. B. ſer. 33. n. 17.

Dæmon dum Joſephum per invidiam fratrum, Jobum per morbos, Davidem per inimicitias Saul, Mardochæum per Ammanum, Juditham per Holofernem opprimere vult, mirum in modum eos exaltat, &c. Petr. Sanch. 2. p. c. 5.

### 55. *Vim ſuam maxime exerit in articulo mortis.*

S. Greg. l. 34. Mor. c. 1. — S. Gregorius ait: *Quantum brevitate temporis anguſtatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur, &c.* B. ſer. 18. n. 22. & ſeq.

De corpore & anima Moyſis altercatus eſt propter levem inobedientiam, quid faciet propter tranſgreſſiones fere omnium præceptorum? S. punct. 131. fol. 407.

S. Cyrill. orat. de exitu animæ &c. — S. Cyrillus ait: O quantum timorem & tremorem habebit anima, cum viderit crudeles, & immiſericordes dæmones! nam *tunc maxime contra animam inſurgent, quas niſi Divina gratia ſubnixi, vincere omnino non poſſemus.* Eundem in modum loquuntur S. Anſelmus, Origenes & alii.

Certe diabolus, ſicut canis leporem, ſicut Dux hoſtilis inimicum exercitum, ſicut explorator itinerantem, ſicut latro Viatorem, ita ille animam perſequitur. *Deſcendit diabolus habens iram magnam.* — Apoc. 12.

Statim initio, *invidia diaboli mors intravit*, multo magis invidiam hanc exeret, cum inſidiabitur calcaneo hominis, id eſt, fini vitæ, e quo pendet æternitas. H. ſerm. 30. f. 296. ſeq.

S. Athan. in Vita S. Ant. — S. Antonius vidit terribilem gigantem caput uſque ad nubes attollentem, qui pennatos quoſdam in cœlum evolare conantes, extenſis manibus prohibebat, & ad terram retractos illidebat. H. ſer. 30. fol. 302.

S. Anſel. Tom. 2. pag. 701. — S. Anſelmus ait: *Cum anima de corpore exit, mox inimici ejus maligni ſpiritus, qui eam in corpore degentem, ſicut canes leporem perſecuti ſunt, crudeliter adſunt, parati, quaſi eam prædam rapere.* H. ſer. 30. f. 306.

Orig. hom. 7. in lib. Judic. — Origenes optabat per martyrium pro Chriſto exantlatum proprio ſanguine ablui, ut in morte & poſt mortem contra infeſtatores dæmones eſſet ſecurus. S. Bernardus moriturus rogavit fratres: *Orate Salvatorem, ut is, qui inſidiatur, invenire non poſſit, unde figat dentem, & vulnus infigat.* — S. Ber. ep. 310. ad Ab. Bona Vall.

S. Euſtratius Martyr ad extremum ſupplicium raptus, rogavit Deum, ut ſibi parceret ab aſpectu dæmonum. *Sis mihi propitius Domine, ne videat anima tenebricoſum vultum dæmonum, &c.* H. ſer. 30. f. 306. ſeq.

### 56. *Erit accuſator peccatoris in judicio.*

Abimelech a muliere ſauciatus ab armigero ſuo trucidatus eſt. Quare ab armigero? quia hic etiam in ſceleribus ipſius conſors fuit. Ita dæmon qui nunc peccatorem ad ſcelera adjuvat, tunc erit in illius ruinam, &c. B. ſer. 19. n. 9. 10. & ſeq. Item M. conc. 9. aſſ. 2. n. 9.

Zacharias Propheta vidit Jeſum Sacerdotem ſtare coram Angelo Dei, & dæmon erat a dextris ejus *ut adverſaretur ei.* Ecce! ille Satanas qui tot in induſtriis ſtuduit pervertere Joſedeci filium, nunc illius accuſator eſt. Sacerdos iſte fuit negligens in corripiendo populo, atque etiam permiſit fratribus conjugia cum alienigenis mulieribus, & hæc omnia inſtinctu dæmonis, nunc autem iſte illius fiſcalis eſt, &c. A. lect. 6. n. 18. — Zach. 3.

Quondam in Eccleſia viſus eſt diabolus in capite columnæ ſedens, & in pelle bovina ſcribens irreverentias, garritiones, & immodeſtias conferti populi. Eundem in morem diu ac noctu, domi & foris, in templo & in foro ſcribit tua delicta, ut illa quondam coram Deo judice producat; ſicut enim ſemper tibi præſens eſt Angelus Cuſtos, qui bona opera tua annotat, ut illa Deo offerat: ita haud procul a te abeſt ſpiritus malignus, qui tua peccata obſervat, ut te accuſet, & confundat.

*Vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Nota! diabolus non vocatur *hoſtis* aut *inimicus* ſed *adverſarius*; quia ſemper adverſatur, ſemper inſidiatur, ſemper intentus eſt in tuam ruinam. Et ad hos ſuos conatus adhibet etiam adjutores, malos miniſtros, pravos ſocios, quos dein tanquam adverſarius, in judicio teſtes adhibebit, &c. Segneri Manna an. 5. Sept. n. 2. — 1. Pet. 5.

57. Dæ-

### 57. *Dæmones habent Officia varia & terribilem deformitatem.*

Lucifer ad ſuperbiam, Mammon ad avaritiam, Aſmodæus ad luxuriam, Belzebub ad invidiam, Belfegon ad gulam, Balberuch ad iram, Aſtaroth ad acediam allicit. B. ſer. 20. n. 15. Behemoth. S. p. 34. f. 149. Leviathan. S. Ib. f. 150.

Sicut inter Angelos ita & inter dæmones alii ſunt inferiores, alii ſuperiores, videlicet illi, qui ex altioribus choris ceciderunt, adeoque naturæ ſunt nobilioris (naturalia enim in dæmonibus poſt lapſum manſerunt integra) hinc qui ex ordine Cherubim, & Seraphim ceciderunt ſunt principes eorum: ſic in militibus, dum rebellant, manent ſigniferi, capitanei, colonelli; ſine his enim exercitus ordinari, regique nequit. Omnium autem Princeps eſt Lucifer, ſicut Michael Angelorum. C. in Matth. 9. v. 33. Item C. Epheſ. 6. v. 12.

Habent etiam terribilem deformitatem: S. Catharina Senenſis in extaſi dæmonem aſpexit, poſtea dicere ſolita, ſe malle orbem integrum prunis ardentibus ſtratum circuire, quam adhuc vel unica vice tale objectum tolerare. B. ſer. 29. n. 27.

Religioſus in articulo mortis maledixit horæ qua ſacrum Ordinem ingreſſus eſt. Poſtea ad ſe reverſus dixit, ſibi apparuiſſe duos dæmones tam terribiliter deformes, ut mallet uſque ad finem mundi per ignem tranſire, quam illos adhuc ſemel aſpicere. Per B. V. autem ſe liberatum eſſe. E. *Facies dæmonum*.

In vita B. Andreæ Fundani Epiſcopi legitur, quod dæmones in templo Apollinis noctu convenerint, inter quos unus gloriatus eſt, quod eo adduxerit Epiſcopum, ut mulierem in axillam blande percuſſerit. S. p. 33. f. 145. Sanch. p. 2. c. 5.

Habent etiam libros, quibus ſtygio atramento inſcribunt eos, qui propter peccatum deleti ſunt ex libro vitæ, ait S. Greg. Naz. S. p. 110. f. 576. in fine.

### 58. *Hominibus ſanctis varia debet præſtare obſequia.*

Dum S. Bernardus e Belgio Romam proficiſceretur, dæmon ipſi rotam currus confregit: ſed ipſe dæmon debuit dein vices rotæ ſupplere uſque Romam. In Vita S. Bern.

Dum S. Dominicus ad Moniales perorabat, dæmon in ſpecie paſſeris turbare voluit attentionem audientium. Sanctus Vir præcipit alicui Monialium, ut captam volucrem ſibi afferret, quod cum factum fuit, paſſerem deplumavit, & cum riſu dimiſit: dæmon in abitu lampadem evertit, ſed ineffuſo oleo. Alia vice dæmon voluit in ſpecie ſimiæ ſtudia turbare S. Dominici: verum debuit candelam tenere, donec pes illi aduſtus fuit. Cum S. Dunſtanus arte fabrili laboraret, venit dæmon ad oſtium officinæ & ridiculis geſticulationibus ſanctum turbare contendit. Agnovit Sanctus ſycophantam, cumque candenti forcipe naſo apprehendit, ac tandem ſatis ludificatum aduſto naſo dimiſit. D. 4. 88. R. 1. cent. par. 2. mir. 7.

S. Narciſſus convertit S. Afram ejuſque familiam, dæmon conqueſtus eſt, quod ſibi eriperet ſuas animas. Narciſſus cum riſu repoſuit: dabo tibi aliam animam, vade, ibi & ibi tumultuatur terribilis draco, qui itinerantibus infeſtus eſt, hunc occide, & ejus animam tibi habe: reluctatus quidem eſt diabolus ſed compulſus debuit juſſa facere. Pet. Sanch. 1. p. c. 5.

S. Teclejamanoth in urbe Sabba Orientalis Indiæ, dæmonem ex energumeno ejecit, illum compulit, ut in Monaſterio S. Dominici ſeptem annis mediaſtinum agere debuerit. *N.* 18. *Aug. Ephemer. Dom.*

Ex quibus omnibus patet, longe infirmiorem eſſe poteſtatem diaboli, quam nobis meticuloſi imaginemur. S. Auguſt. exhortatus eſt fratres: certi eſtote, quod diabolus non poteſt vos lædere plus, quam a Deo poteſtatem accepit: quando ab hominibus expulſi ſunt dæmones, rogaverunt, ut ſibi liceret intrare in porcos, ſed neque hoc impetrarunt. En! tanta eſt infirmitas infernalium ſpirituum, ut ne porcum quidem infeſtare poſſint, ſine Dei permiſſione. Ergo nihil time, niſi peccatum, quod contra Dei voluntatem in dæmonis poteſtatem te redigit, certuſque eſto, quod Deus nullam tentationem in te permittat, niſi ex duabus cauſis, ut te probet, an bonus ſis, & ut te corrigat, ſi peccator ſis, &c.

### 59. *Nunquam laſſatur tentando.*

O quot arces expugnat dæmon hac longa obſidione! o quot lapides cavat aſſiduo ſtillicidio, &c. S. p. 33. f. 141.

S. Birgitta vidit dæmonem tanquam monſtrum marinum cum centum manibus, & centum pedibus Petr. Sanc. 2. p. c. 1. in fine. *Surius tom. 4.*

Be-



*S. Laure. Juſtin. de contemptu Mund. c. 18.*

Bene & fuſe S. Laurentius Juſtinian. tentatoris ſolertiam deſcribit, inquiens: Ubique ad decipiendas animas retia tendit, in divitiis & paupertate, in ſublimitate honoris & in Mundi contemptu, in voluptatibus carnis & auſteritate pœnitentiæ, in crapula & ſobrietate, in rerum affluentia & paucitate victus, in loquacitate & ſilentio, in nitore & ſordibus, in lætitia & fletu, in libertate & ſubjectione, in labore & otio, in occulto & publico, in ſolitudinibus & civitate, in debilitate, & corporis ſoſpitate, in vigiliis & torpore, in gloria & ignobilitate, in infamia, & favoribus humanis, & ut paucis univerſa comprehendam: Nullus eſt locus, nulla actio, nulla perſona, quæ ab ipſorum deceptionibus libera exiſtat, quoniam nequeunt parietibus excludi, nec placari precibus, neque terroribus coerceri.

*S. Gre. l. 5. Mor. c. 8.* *V. Beda in c. 11. Luc.*

Noli tibi blandiri de unius vel alterius tentationis victoria, noli eſſe ſecurus; nam, ut ait S. Gregorius: *Antiquus hoſtis, quo valentius vincitur, eo ardentius ad inſidias inſtigatur.* Et Ven. Beda: *Sæpe antiquus hoſtis ab ipſo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, ſed ut corda, quę per quietem ſecura reddidit, repente rediens, inopinato irrumpat.*

### 60. *Ab hominibus ſanctis ludibrio habetur.*

S. Dacius Epiſcopus in urbe Corintho in domo hoſpitatur, quæ nocturnis ſpectris erat infeſtata: venerunt noctu dæmones & variarum belluarum ululatu terribilem tumultum fecerunt. Riſit Sanctus Antiſtes, quæſivitque, an hæc eſſet illa affectata Divinitas, ut jam beſtias induere, & imitari deberent. Et ſic domum reliquerunt. Dæmon Monachum obſidet, S. Benedictus Monacho infligit alapam, & dæmon expellitur.

S. Abbas Marcius in nuda humo cubabat, dæmon in ſpecie terribilis draconis penes illum ſe projiciebat: Vir ſanctus nihil territus porrigit illi pedem, jubens ut morderet, dicenſque, ecce quam infirmus ſis, cum poteſtatem non habeas, unum morſum huic pedi infigendi. Dæmon pudefactus aufugit, & præ furore in adjacente ſilva aliquot cedros, & tilias proſtravit.

Dunſtanus candenti forcipe dæmonem naſo tenet.

S. Juliana Martyr dæmonem, quæ in ſpecie Angeli ei apparuit, zona ligat, flagellat, & altera die ſecum vinctum ad judicem trahit, ita ut omnibus eſſet ludibrio.

Cuidam Monacho apparuit dæmon in ſpecie S. Angeli Gabrielis, cumque Monachus diceret: erraſti mi bone, non ad me miſſus es, quia adeo ſanctus non ſum: dæmon confuſus in fugam abiit. Petr. Sanch. 1. p. c. 5. E. *Converſio* n. 29.

Sancto Antonio apparens dæmon in forma pulcherrima ajebat, ego ſum providentia Dei, jam pete, Antoni & omnia tibi dabo. Antonius, petam, accede propius, tum in faciem ei exſpuit. Pet. Sanch. 2. p. c. 1.

### 61. *Vincitur humilitate, & Dei gratia.*

Dæmon ſeni apparens ajebat, reſpice in me, ego ſum Chriſtus: ſenex autem oculos claudebat. Subintulit dæmon, cur oculos claudis, cum ego ſim Chriſtus? repoſuit ſenex: Chriſtum hic nolo videre, ſed in altera vita, & ſic diabolum rejecit. E. *Dæmon* n. 9.

Dacius Epiſcopus in itinere petit hoſpitari in domo dæmonibus infeſta, cumque dæmones noctu clamorem omnium beſtiarum facerent, ſurrexit Epiſcopus & dæmoni illudens ait: Ecce! miſer! voluiſti ſimilis eſſe Deo, & nunc ſimilis es omnibus beſtiis! ſic pudefactus dæmon receſſit. E. *Exul.*

Humilitas Moyſen fecit Deum Pharaonis, ſicut ergo Moyſes vicit Pharaonem, ita humilis vincit diabolum. Diabolus voluit falce percutere S. Macarium, & non potuit, ideoque iratus dixit: *In uno me vincis Macari, humilitas tua ſola me vincit.* C. Exod. 7. v. 1.

Humilibus Deus dat gratiam, gratia autem Dei vel maxime neceſſaria eſt ad vincendas dæmonis tentationes: David Goliathum non armis Regis Saul, ſed armis paſtoralibus vincit: *Gratiæ non armis trophæum adſcribitur.* Ideo dixit David, venio ad te in nomine Domini. B. ſer. 39. n. 16.

Præſumptuoſe putant aliqui, ſe facile contra aſtutiam, & vim dæmonis prævalituros! ſed errant! ait enim Titelmannus: *Nullus ex vobis animoſitate proterva ineat hoc certamen, non eſt enim, qui ad hoc ſufficiat.* M. conc. 38. §. 1. n. 12. *Titelm. ap. Mich. de Calvo.*

Dæmon ſub ſpecie pulcherrimi juvenis tentat S. Catharinam Senenſem: Chriſtus in auxilium tentatæ properans in fugam agit tentatorem, dumque illa

flens

ſlens diceret: Domine ubi eras? repoſuit Chriſtus: Tecum fui, ſi enim non fuiſſem tecum, quomodo vincere potuiſſes? Petr. Sanch. p. 2. c. 1.

Sæpe dæmon ad indiſcretam auſteritatem hominem inducit, noctu dormientes excitat ad orandum, ut ſomnum capiti, & corpori neceſſarium eripiat. Rurſus recens converſis ingerit priſtina peccata, eoſque inſtigat ad nimia jejunia, vigilias, & pœnitentias, quibus corpus & animum enervent, ut vitæ aſperitate, difficultate & tædio victi reſiliant, & ad priſtinam peccandi licentiam redeant. His omnibus inſidiis præſentaneum remedium præſcribit S. Anton. Anachoreta inquiens: *Una eſt ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis, & animæ Dominum ſemper cogitantis jugis recordatio: hæc dæmonum ludos quaſi fumum expellit, &c.* C. Epheſ. 6. verſ. 11. in fine.

## Damnati.

### 62. *Plus affliguntur per odium Chriſti quam per ignem.*

FAtuis Virginibus olim reſponſum fuit: *Neſcio vos.* S. Chryſoſt. ait: *Mille gehennis intolerabilius judico exoſum eſſe Chriſto, & audire: neſcio vos.* B. ſer. 5. n. 24.

S. Chryſ. ho. 24. in Matth.

Quid eſt eſſe abominabilem Deo? In Oſeæ dicitur: *Vos non populus meus, & ego non ero veſter:* quaſi diceret: Nihil mihi curæ veſtri erit, curam veſtri abjiciam. O infeliciſſimum peccatoris ſtatum, reprobati abſque miſericordia, &c. S. p. 157. f. 511.

Oſea. 1.

Apoc. 6. Cum in Apocalypſi ſigillum ſextum Libri Magni apertum eſt, terra motu concuſſa, ſol obſcuratus fuit, & ſtellæ de cœlo ceciderunt. Et ecce! Reges terræ, & principes & tribuni, & divites, & fortes, omneſque populi præ timore abſconderunt ſe in ſpeluncis, & petris montium, dicentes montibus & petris: *Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis in throno, & ab ira agni.* Eadem conſternatio, & deſperatio erit damnatorum, dum ex imo inferni profundo procul in cœlis videbunt iratam Dei faciem, &c.

Abſalon quodammodo Patri reconciliatus, ſed ad conſpectum illius nondum admiſſus, incondito mœrore lamentans, mori maluit, quam a conſpectu paterni vultus excludi. Quanta igitur erit triſtitia, & inſania damnatorum, cum viderint ſe æternum excluſos a beatifico Divini vultus conſpectu, ad quem nati & creati ſunt, & quem in æternum feliciter poſſidere potuiſſent?

Cum Regina Eſther Ammanum accuſavit de machinatione internecionis, ait ſacer textus, quod ille, nempe Aman *vultum Regis ac Reginæ ferre non ſuſtinuerit.* Eheu! Quomodo damnatus Vultum irati Dei ſuſtinebit?

Eſther 7.

Finge Patronum ac Mœcenatem tuum optimum, qui a prima juventute ingentia tibi, ac plurima beneficia contulit, & cui totam tuam corporis, & animæ felicitatem debes, finge hunc amantiſſimum Virum ſubito ex tuo delicto tibi fieri inimicum, ita, ut etiam coram judice te accuſet, & viribus omnibus tuam perniciem quærat. Quæſo, quanta eſt hæc afflictio? nonne malles vitam, quam amicum tam æſtimabilem perdere? Ecce! hæc eſt terribilis afflictio damnati. Videt Deum Creatorem ſuum, Chriſtum Redemptorem ſuum, Spiritum Sanctum omnium gratiarum fontem, a quo innumera beneficia recepit, ſibi implacabiliter iratum. Mallet certe omnia alia tormenta inferni, quam hanc afflictionem tolerare!

### 63. *Nullum unquam habebunt refrigerium.*

*Ibi erit fletus;* verum ibi fletus non erit refrigerio, ſed dolori. Neſcio qualiter in lacrymis ſit quædam dulcedo, ait Auguſtinus, quia lacrymando levatur animi paſſio, ac dolor minuitur. At lacrymæ damnatorum nequaquam erunt levamen, ſed augebunt dolorem: quippe quæ erunt igneæ, & adurent maxillas, ſulcoſque facient, ut inquit Macarius in Vitis Patrum, &c. S. p. 139. f. 441.

In Vit. P. p. 2. l. de compunct.

In hoc mundo nullum eſt malum, quod non interdum aliquo bono dulcoratur: Nullus eſt morbus, qui non doloris remiſſioris intervallum admittit: nulla triſtitia, quæ non ſolatium captat: qui pauper eſt, ſaltem bene valet: qui æger eſt, ſaltem divitiis abundat: qui dentibus laborat, ſaltem oculis viget: qui toto corpore paralyticus eſt, ſaltem anima felix eſt. Verum damnati dolor & afflictio, nullo unquam bono mitigatur! Infelix eſt omnibus ſenſibus corporis, infelix omnibus potentiis animæ, ſine omni ſolatio, ſine refrigerio, ſine fine.

Sicut obſtinatio voluntatis in damnatis nunquam ceſſat, ſed æternaliter perſeverat; ita & pœna peccati in obſtinatos ſine intermiſſione deſævit. Niſi damnatus hanc obſtinationem peccandi corrigat, Deum ſemper habebit inimicum: atque corrigere, quam in hac vita non correxit, in inferno nec vult nec poteſt: ergo nec Deus corriget unquam, aut mitigabit puniendi voluntatem, prout diſcurrit S. Bernardus.

S. Ber. ep. 251.

In hac vita ſaltem mors eſt finis malorum, ſed ibi, ait S. Bernardus, nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur; ſic enim tormenta aguntur, ut ſemper renoventur.

S. Ber. Medit. c. 8.

### 64. *Cruciantur per vermem conſcientiæ.*

Pſ. 31. *Die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua.* Subdit Auguſtinus: Recordatione peccatorum. Hic interdum ſopitur conſcientia, homo ſe diſtrahit, removet a ſe cogitationes: ſed ibi has punctiones ſentiet ſine intermiſſione. S. punct. 140. fol. 442.

Damnati per omnem æternitatem peccatum ſuum coram oculis habebit. In Moſcovia cum Magnus Dux ſeu Imperator Petrus peregre aberat, Sophia ejus ſoror cum ſupremo Belliduce conſpirationem contra Petrum conflavit: ne vero res proderetur hoc aſtu colluſerunt: Bellidux inter mendicabula, quibus Sophia hebdomadatim panem diſtribuebat, ſe immiſcuit, e manu Principiſſæ panem accipiens, in quo litteræ & inſtructiones erant abſconditæ, quid agendum eſſet. Innotuit tamen conſpiratio Petro, qui cito ex Hollandia in Moſcoviam redux punivit hac ratione proditores: ſororem in cubiculo, tanquam æterno carcere concluſit, & ad ejus feneſtram belliducem ſuſpendi juſſit, qui manu panem tenebat, ex quo litteræ prominebant: tantum erat hoc ſorori tormentum ut rogarit quibuſcunque tormentis excarnificari. Parem in modum erit damnato intolerabile ſemper ſuum peccatum aſpicere.

Macrob. l. 1. in ſomn. Scipion.

Per vulturem jecur immortale rodentem intelligitur tormentum malæ conſcientiæ, ait Macrobius. C. Exod. 10. v. 21.

Hic vermis conſcientiæ damnato non tantum peccatum, ſed omnes etiam circumſtantias, ac gradus ante oculos ponet: Nempe, ut ait Cardinalis Hugo, peccatum hominis ortum trahit a tentatione, tentationem ſequitur delectatio, delectationem conſenſio, conſenſionem conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem excuſatio, excuſationem gloriatio, gloriationem obduratio, obdurationem deſperatio, deſperationem damnatio. B. ſer. 11. n. 33. O quanto cum luctu hanc ſcalam ſæpe percurret damnatus optabitque: utinam ſalutaribus monitis morem gerens, primæ tentationi ſine mora reſtitiſſem!

### 65. *Sunt numero valde multi.*

Si conferantur homines cum hominibus, certum eſt majorem hominum partem damnatam, quam ſalvatam iri; idque probat tum ſacra Scriptura, tum experientia: Scriptura; quia dicit Iſaias: *Dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque termino.* Experientia autem; quia plurimæ orbis regiones gentilibus, Mahometanis, & hæreticis refertæ ſunt: hinc quidam Eremicola Innocentio III. adhuc Cardinali edixit ſe vidiſſe animas velut nivium vellera in orcum decidiſſe. Et Philippus Cancellarius Pariſienſis damnatus Epiſcopo ſuo apparens quæſivit an adhuc homines in mundo ſupereſſent, propter multitudinem animarum, quas per 30. annos in infernum deveniſſe aſſeverabat. B. ſerm. 47. n. 12. 13. ſeq.

Iſa. 5.

Si conferantur Chriſtiani cum Chriſtianis, credibile eſt plurimam partem damnatum iri; quia Chriſtus aſſerit anguſtam portam eſſe ad vitam, econtra latam ad interitum: diſerte Gregorius: *Ad fidem multi veniunt, ad cœleſte regnum pauci perducuntur.* B. ſer. 47. §. 3. & ſeq.

S. Greg. ho. 19. in Evang.

Decanus Eccleſiæ Lingonienſis poſt mortem ſuo Epiſcopo apparuit, hæc verba locutus: Age pœnitentiam, emenda vitam; non enim tam facile eſt ſalvari hominem ſicut creditur; quoniam dum ego præſentarer tremendo Dei judicio, adfuerunt ibi triginta millia animarum, de quorum numero S. Bernardus & ego ſalvati ſumus, tres in purgatorium deſcenderunt, cæteri omnes damnati ſunt. Lohner Tit. *Infernus* §. 5. n. 39.

Eremita, qui vidit animas velut nives in infernum decidere, tres tantum conſpexit ad cœlos aſcendere, Epiſcopum quemdam, Priorem Carthuſianum & Viduam Romanam. Quod cum Innocentio Cardinali narraſſet, ille miſſis nuntiis tres illas Perſonas eodem tempore mortuas eſſe comperit. Lohner Tit. *Infernus* §. 5. n. 28.

66. *De-*

### 66. *Deplorant jacturam temporis, & occaſionis.*

*Væ nobis, quia declinavit dies, quia* Jere. 6. *longiores factæ ſunt umbræ veſperi.* Quæ ſunt hæc lamenta? audi in ſimili: Siquis viator tota die dormiat, & veſperi evigilans videat a montibus tam longas umbras projici, quam mane, putat diem primum oriri, & ſat temporis ſupereſſe ad iter faciendum: verum repente ingruit nox. Ita damnatis evenit; putant ſibi vitam ſupereſſe longiſſimam, dein ſubito a morte abrepti deplorant tempus diſparuiſſe: hæc eorum lamenta ſunt in flammis. O quanta tormenta lubentes ſubirent, ſi unicum momentum utile poſſent conſequi, &c. B. ſerm. 15. n. 18.

Illi qui diluvio perierunt, lamentabantur, quod Noemum concionantem non audierint. Quid facturi fuiſſent, ſi tunc licuiſſet arcam ingredi? C. Gen. 7. v. 24.

Damnati videbunt Deum velut agnum, ut recordentur, quam facile uti potuiſſent miſericordia Dei. *Recordabitur dierum afflictionis*, ubi Hieronymus: Ipſi ſpiritus mali derident otium, quod negligentes inutiliter duxerunt. S. p. 138. f. 433. & ſeqq.

*Peccator videbit, & iraſcetur;* Quid videbit? januas clauſas, occaſiones neglectas: tunc iraſcetur, cui, niſi ſibi ipſi, quoniam ſibi ipſi cauſa tanti ſupplicii fuit. S. p. 140. f. 441.

### 67. *Puniuntur multiplici pœna.*

2. Reg. 18. 1. Abſalon figura damnati confoditur tribus lanceis: Gloſſa ait: Conficitur tribus lanceis pœna ignis, pœna vermis, & pœna carentiæ viſionis. Et quamvis in corde fuerit tactus, tamen adhuc palpitabat, quia damnatus non moritur. Sanctus Gregorius ait: S. Greg. l. 9. Mor. c. 14. *Fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere nequit.* Porro tres hæ pœnæ explicantur. B. ſer. 29. §. 4. 5. & 6.

Tria ſunt vincula, quibus damnati ligantur: tenebrarum, tormentorum, & irrevocabilis decreti: Propter tenebras non poterunt ſe loco movere, ut olim Ægyptii. Tormenta ad extra erunt ignis, ſerpentes, ſcorpiones, ad intra luctus & deſperatio. Irrevocabile decretum denique alligabit damnatos his tormentis per interminabilem æternitatem, &c. Segn. Manna 1. Aug. n. 4.

Pœnæ peccatoris in inferno erunt: 1. Quod bibet de vino iræ, id eſt de felle Dei. 2. Quod vinum hoc miſtum erit mero ſuppliciorum omnium, ſine gutta conſolationis. 3. Quod cruciabitur igne & ſulphure. 4. Quod erit probrum & ludibrium in conſpectu Angelorum, & Agni. 5. Quod fumus tormentorum ejus aſcendet in ſæcula ſæculorum. 6. Quod non habebit requiem die ac nocte, nec ab igne, nec a verme conſcientiæ. Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat. C. Apoc. c. 14. v. 11.

Præcipue puniuntur per ignem: 1. Quia pœna ignis optime congruit igni concupiſcentiæ, quo arſerunt. 2. Quia ignis maximam habet vim agendi in corpora. 3. Quia ſic ſuperbia caſtigatur damnatorum, dum alligantur creaturæ pœnali igni. C. Eccli. 7. v. 19.

### 68. *Puniuntur ſecundum menſuram peccatorum.*

De divite Epulone dictum fuit: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Apoc. 18. In lingua maxime cruciabatur, quia, inquit S. Chryſologus, hæc *prima varios deliciarum cibos, & odorata pocula guſtarat.* S. Chryſol. Ser. 122. Aliter ergo in inferno punitur adulter, aliter fornicator, aliter blaſphemus, &c. B. ſer. 29. n. 32.

Tres ſunt peſſimi affectus peccatorum, amor gloriæ, amor voluptatis, & amor lucri temporalis: hi tres affectus in inferno puniuntur; ideo dicitur: *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Pſ. 62. Dicitur, *introibunt in inferiora terræ:* infernus enim abyſſus eſt, & cloaca omnium ſordium, quæ in generali purgatione mundi ab elementis rejicientur. Dicitur, *tradentur in manus gladii*, & hic gladius erit ex utraque parte acutus, quia corpus & animam feriet & quidem ſecundum fortitudinem omnipotentis brachii. Dicitur, *partes vulpium erunt*, quippe dæmones, a quibus peccatores tanquam a vulpibus fuerunt ſeducti, tunc crudeliſſime ſævient contra damnatos, &c. Segn. Manna 27. Aug. n. 1. 2. 3. 4.

In quibus homo peccavit, in illis gravius punietur, ait Thomas Kempenſis. Thom. Kemp. l. 1. c. 24. §. 3. Et iterum: Ibi acedioſi ardentibus ſtimulis pungentur, & guloſi ingenti ſiti & fame cruciabuntur. Ibi luxurioſi pice & fœtido ſulphure perfundentur. Invidioſi

ſicut



Ibid. 3. 4. ſicut rabidi canes ululabunt. Superbi omni confuſione replebuntur, & avari miſerrima egeſtate arctabuntur.

### 69. *Semper majorem pœnam habent aucto damnatorum numero.*

Euſebius Emiſſenus ait: *Quantos deſtruxit, de tantis ſibi damnationis materiam congregabit.* Et S. Nilus: *Imitantium enim interitus pœnarum cumulum facit præceptori.* Hinc Epulo clamans ad Abrahamum rogavit, ut mitteret Lazarum ad fratres ſuos, ut emendarentur: Ubi Lyranus: Dicit hoc non ex caritate ductus, cum illam non haberet, ſed timore ſervili, ne in ipſorum conſortio eius pœna augeretur. B. ſerm. 36. n. 40. ſeq.

Sicut Sanctorum corpora miram fragrantiam exhalant, ita damnatorum corpora horribilem fœtorem ſpirant. S. Vincentius Ferrerius Codoni in Normandia pro concione dixit: ſi vel unicum corpus damnati poneretur Codoni, futurum ut fœtor Pariſios uſque diffunderetur. W. art. diſc. font. 84. ex. 2.

Nobilis Pedemontanus, cum uxorem in flagitio deprehendiſſet, juſſit adulterum in cubiculo ſuſpendi, dein feneſtras & januas obmurari, & ita incluſam uxorem fœtore cadaveris execuit. Quanta afflictio! ſic odor torquebit damnatos ex corporum fœtore. Lohn. T. 2. v. Luxuria §. 4. n. 47.

Tres Monachi impie viventes a Deo ita puniti ſunt, ut primus bolo panis ſuffocatus, alter flumine ſubmerſus ſit. Iſte autem apparuit ſuperſtiti, eique ſuas pœnas declaravit. Tantum autem fœtorem in Monaſterio reliquit, ut omnes Monachi ſe perituros crederent. E. Fœtor num. 1.

### 70. *Invident beatis qui peccatores fuerunt.*

Homo non veſtitus veſte nuptiali *obmutuit:* Quare ſe non excuſavit? Non poterat ſe excuſare, quia alios convivas nuptialiter veſtitos intuitus eſt, qui veſtem ad limina cœnaculi ſibi oblatam acceperunt: ita damnati ſine excuſatione erunt, cum videbunt beatos occaſione uſos fuiſse, & ex hoc intuitu invidia contabeſcent.

Verum hic nondum eſt apex pœnæ; ſi enim ad coronam regni aſcendat filius Regis, hoc non cauſat invidiam: verum quod ad thronum evehatur rebellis, adulter, & peccator, hoc in immenſum inflammabit invidiam damnatorum: videbit, qui unum tantum peccatum immunditiæ patravit, Magdalenam, Thaidem, Pelagiam ſalvas, qui pœnituerunt, ipſe autem ardet, quia pœnitere noluit, &c. B. ſerm. 51 n. 23. & 24.

Eſau præ doloris magnitudine *irrugiit*, cum ſibi ereptam vidit primogenituram, & tranſlatam in Jacobum: ita damnatus cum viderit amiſſam coronam ſibi præparatam. C. Gen. 27. verſ. 34.

S. Cæſarius Diaconus, quia precibus ſuis templum idolorum proſtravit, una cum S. Juliano Sacerdote ſacco incluſus in mare demergitur. Eo die Proconſul Luxurius a colubro corroditur: dum animam agit, videt corpora S. Cæſarii & Juliani ab Angelis e mari efferri. N. 1. Nov. Ita videbunt damnati beatos cum Angelis gaudere, &c.

*Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra ſe, & præ anguſtia ſpiritus gementes: hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperii . . . ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei;* Sap. 5. Vide Lohn. tit. *Infernus* §. 9. n. 11.

### 71. *Deridentur a Deo & Sanctis in ſuis tormentis.*

Hebræi dum idolo Moloch infantes ſacrificabant, tympanis ac tubis ſtrepitum fecerunt, ne audirent lamenta infantum: Ita Sancti plaudent & non audient lamenta damnatorum. M. conc. 16. aſs. 3. n. 6.

Hannibal riſit Carthaginenſes victos, quia prius non ſtrenue pugnabant: ita Deus deridebit damnatos: *In interitu veſtro ridebo, &c.* Prov. 1. B. ſerm. 51. n. 32. ſeq.

Lot e Sodomis ereptus prohibitus eſt reſpicere; quia Deus noluit, ut Sodomitis pereuntibus condoleret. C. Gen. fol. 182. col. 2.

Angelus ille deletor exercitus Sennacherib, centum octoginta quinque millia hoſtium occidit, non vero ipſum ducem Sennacherib. Cur non? Reſpondeo, ut hoſtium inſultationem audire & videre cogeretur, ſicque furore, & invidia contabeſceret. Pari ratione ardebunt invidia damnati, ſi beatos inſultantes audient. M. conc. 16. aſs. 1. n. 12.

Sancti in æternum gaudent de ſuppliciis damnatorum; quia ſunt quaſi totidem trophæa Juſtitiæ Divinæ, imo Sancti gratulabuntur & applaudent Deo, quia quaſi æternos juſtitiæ reditus, &

immortale glorificationis tributum ex damnatis recipiet, &c. P. p. 2. diſc. 18. n. 4. in fine.

Conſidera obſecro, quanta erit tua triſtitia & deſperatio, cum Angelus tuus Cuſtos tibi in tormentis ardenti inſultabit: Infelix olim Cliens meus, quid tibi jam prodeſt tua inobedientia? feci officium a Deo mihi impoſitum, cuſtodivi te in omnibus viis tuis. Monui te ante peccatum, ut illud fugeres; monui poſt peccatum, ut pęnitentiam ageres; vocavi te, & renuiſti; jam in interitu tuo ridebo; O quanta confuſio; quanta deſperatio; &c.

*72. Terribile tormentum patiuntur ex conſortio dæmonum.*

Homines in hac vita cum nocturnis ſpectris infeſtantur, aut in viis a ſpiritibus ſeducuntur, aut domum inhabitant lemuribus obſitam, incredibiles terrores patiuntur. Quid erit eheu! vivere cum ſpectris infernalibus; &c.

Cum Octavius Auguſtus urbem Salon obſideret, mulieres urbis pullato habitu, diſſolutis crinibus, denigrato vultu, cum tædis ardentibus noctu ex urbe in caſtra exierunt: & ecce; milites putantes venire dæmonum exercitum in fugam panico terrore correpti abierunt. D. 8. 82.

Luctuoſiſſimus erat ſtatus Iſraelitarum, cum a ſerpentibus ignitis vulnerabantur. In deſertis etiam Africæ dantur ſerpentes, nomine Dipſades, qui morſu homines fere inflammant, patiuntur vulnerati tam terribilem ſitim, ut eam integro flumine non mitigent, ſed magis accendant. D. 9. 86.

S. Pacho Abbas dæmoni in ſpecie Æthiopiſſæ apparenti infregit colaphum, & ecce! tantum fętorem manu contraxit, ut eum integro biennio eluere non potuerit. March. Tub. Sacerd. tr. 3. lect. 10. f. 1214. col. 1. *Pallad. in hiſt. Lauſiac. c. 29.*

Dæmon tam fędus eſt, ut qui ſapit, mallet in ignem conjici, quam dæmonem uno momento intueri. Vv. art. diſc. font. 50. ex. 1.

Caſſianus ait: Ibi atroces Angeli commorantur, quorum capita ſunt ut draconum, quorum oculi igneas ſagittas emittunt, quorum dentes ut Elephantis prominent, quorum aſpectus inducit timorem & tremorem. Hi ſunt ſpiritus, ut ait Siracides, ad vindictam creati, ab his torquentur damnati, prout loquitur Lyranus, ut qui fuerunt illis voluntarie ſubjecti in culpa, eis involuntarie ſubjiciantur in pęna. Lohner. Tit. *Infernus* §. 1. num. 10.

*73. Juſtiſſime damnantur æternum.*

Euſebius Nierembergius parabolam proponit de miſera quadam femina, quæ incidit in latrones: a Rege autem, qui tunc erat in venatione, liberata in ſponſam aſſumitur: ſed illa plus amat calonem: initio condonatur nefas, verum illa iterato adulterat regium torum. Quæ pęna ſatis erit ad expiandum crimen; &c. femina talis eſt anima, Rex Chriſtus, qui per peccatum tamquam ſpirituale adulterium turpiſſime contemnitur. B. ſerm. 29. §. 1.

Chriſtus Judæ proditori omnia remedia adhibuit, quæcumque facere poterant ad illius emendationem: ſed fruſtra: S. Chryſ. ait: ſi remedium reſpuit, non medici vitium eſt, ſed languentis. S. punct. 6. fol. 557.

Sicut debitor, qui ob æs alienum vinculis tenetur, nunquam dimittitur, quamdiu pecunia illi deeſt, qua creditori ſatisfaciat: ita infelix eſt damnatus, quod nunquam ex inferno dimittetur, & ibi non habet, nec habere unquam poterit ſummam infinito peccati debito ſolvendo neceſſariam. Illa autem tormenta, quæ patitur, Deus nunquam acceptat pro ſolutione; quia non procedunt ex caritate, & ſunt conjuncta cum voluntate in odio Dei irrevocabiliter obſtinata: conſequenter ſemper audiet: *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Hunc in ſenſum ait S. Bern. *S. Bern. Ep. 231.* Licet peccatum malum ſit temporaliter perpetratum, longum tamen eſt in pertinaci voluntate; illa namque mentis obſtinatio, quacum peccator Deum in hac vita offendit, niſi illam in hac vita corrigat, in perpetuas æternitates incorrigibiliter perſeverat. Lohn. Tit. *Infernus* §. 11. n. 5.

Si ita eſt, quæret non nemo, cur Deus O. M. creavit miſeros præviſa eorum damnatione? Reſpondet Novarinus: *Nullum Deus crearet, quem malum prævidet, niſi noſſet, quibus eos uſibus bonorum commendaſſet.* B. ſerm. 32. n. 53. Adeoque ex ipſo peccato, & damnatione malorum Deus magna bona eruit, devotionem Chriſtianorum, fugam peccati, fervorem Sanctorum, converſionem peccatorum, lacrymas pœnitentium, & ſalutarem omnium timorem.

Pœna



Pœna damni.

*74. Quam horribilis ſit.*

JUxta S. Thomam pœna damni eſt infinita; quia eſt carentia infiniti boni.

Duo aulici in aula Philippi II. Regis Hiſpaniarum in rabiem aguntur, quia carere debebant facie regis. Mileſiani ad mortem uſque contriſtantur; quia faciem Pauli non amplius erant viſuri. Abſalon mortem ſibi imprecatur, quia a facie patris abeſſe juſſus eſt, &c. B. ſerm. 29. §. 4.

Diſcipuli in monte Thabor in faciem cadunt, quia non poterant ſuſtinere nubem, quæ obumbrarat faciem Chriſti. Cur filius prodigus redux non fuit punitus? Reſpondeo, quia ſat pœnæ ipſi fuit procul a patre fuiſſe. M. conc. 6. aſſ. 3. n. 1. 2.

Chriſtus ægrius ſuſtinet privationem viſionis beatificæ per unicum momentum, quam omnia alia tormenta. M. conc. 16. aſſ. 1. n. 2.

David rogat: *Ne projicias me a facie tua*, quaſi dicat: Quodvis aliud tormentum patiar, tantum hoc expoſco, non projici a facie tua. S. punct. 138. fol. 433. ſeq.

Abſalon mori mavult, quam facie Patris privari: Tobias mori præoptat, quam ſedere in tenebris: ſi unicum os e junctura ſua emotum ſit, quantus dolor: & quid erit, ſi cor non ſit in ſuo loco: S. pun. 138. fol. 432.

Populus luxit, cum Deus ad illum dixit: *Non aſcendam tecum*: ubi Gloſſa: nihil habet boni, qui creatoris ſui caret gratia, & præſentia. S. pun. 138. fol. 433.

Ezechias luget, quia Deum in limbo viſurus non eſt, & tamen limbus tantum erat temporalis. M. conc. 16. aſſ. 1. n. 3.

Cum Iſabella Auſtriaca Belgii adminiſtratrix eſſet, in bello Gallico Silvaducum, vulgo Herzogenbuſch, urbem munitiſſimam Comiti de Berg, defendendam commiſit. Is ſtrenue propugnavit monumentum per quinque menſes, tandem vi inimicorum cedens cum honeſtiſſimis conditionibus urbem tradidit, atque putans ſe munere generoſi militis optime functum, venit ad Iſabellam, impotentiam ſuam excuſans: at illa: ſtrenue egiſti quidem, ſed eheu; urbs perdita eſt! ſic auſtere locuta faciem peplo obnubit ſubjiciens: Tu faciem meam in æternum non amplius videbis! his dictis comes adeo fulminatus fuit, ut ſyderato ſimilis irrigierit, & manibus contra parietem ſævierit. Quid ergo fiet, cum damnatus hæc eadem verba in æternum audiet?

Sancti ex viſione beatifica conſequuntur maxima gaudia: *Delectationes in dextera tua uſque ad finem*, ideſt uſque ad perficiendum, & ſatiandum omnem appetitum. Sicut ergo beati ex omni parte, ſupra, infra, intus & extra, & circumcirca pleni ſunt gaudio, propter quod cuilibet eorum dicitur: *Intra in gaudium Domini tui!* Ita damnati ex omni parte circumdati ſunt dolore ex conſideratione præmiorum, quæ amiſerunt. Lohn. *Infer.* §. 9. n. 16. Aug. Paoletti Fer. 2. poſt. Dom. 1. Quadrag.

S. Laurentius Juſtinianus ait: Interminabilis Divinæ viſionis carentia dolores ſupereminet univerſos; Et S. Bonaventura: Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo ſicut ab illius glorioſæ Societatis jucunditate repelli, & exoſum fieri Creatori. Lohn. Tit. *Infernus* §. 9. n. 16. *S. Laur. Juſt. de Vit. ſol. c. 10. S. Bonav. 7. ſoliloq.*

Hinc pœna damni gravior eſt, quam omnia alia tormenta inferni, prout docet S. Aug. ait: Deum non videbunt, quod eſt omnium miſeriarum miſerius. Et S. Chryſ. licet quis innumeras ponat gehennas, tale nil dicet, quale illa felici excidere gloria. S. pun. 138. fol. 433. *S. Aug. lib. de ſpir. & anim. S. Chryſ. Hom. 47. ad pop.*

Chriſtus ægrius ſuſtinet privationem viſionis beatificæ, quam omnia reliqua tormenta. M. conc. 16. aſſ. 1. n. 2.

*75. Conſiſtit partialiter in triſtitia de bono amiſſo.*

*Cremabantur igne & ſulphure ante conſpectum Sanctorum Angelorum, & Agni.* *Apoc. 14.* Cur ita? cur Deum non ut leonem vident, ſed ut Agnum? nimirum, ut cognoſcant ſe a Deo miſericorde fuiſſe damnatos, qui per homines, per exempla per minas ſæpe vocavit, &c. S. pun. 138. fol. 433.

*Tunc recordabuntur dierum afflictionis ſuæ &c.* *Thren. 1.* nempe ad augmentum doloris recordabuntur bonas occaſiones, exhortationes, ſacramenta, & afflictiones perpeſſas, & dolebunt, quod his occaſionibus uſi non ſint ad ſalutem. S. punct. 138. fol. 434.

*Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet.* *Pſal. 111. S. Aug. ibi.* Contra quem? Reſpondet Aug. contra ſeipſum; quia ſibi cauſa fuit tanti ſupplicii. S. punct. 140. fol. 441.

Cur Sanctus Evangeliſta non fuſius deſcribit lamenta & triſtitiam fatuarum Virginum, dum excluſæ ſunt a Feſto nuptiali; Quia univerſam innumerabilium, omniumque atrociſſimorum ſuppliciorum congeriem ſatis comprehendit duobus verbulis:

 bulis:

bulis : *Neſcio vos* ; in hac unica pœna omnes aliæ eminenter concluduntur: Parem in modum ait S. Chryſoſt. ſi mille aliquis gehennas ponat , nihil tale dicturus eſt, quam ſit a beata illius gloriæ honore repelli , & audire a Deo : *Non novi vos*; hinc inexplicabilis oritur damnatorum dolor , deſolatio , & deſperatio.

Judæi ex Hieroſolymis ejecti , ob jacturam templi & ſuæ felicitatis adeo affligebantur , ut ſingulis annis conſtituta die ab exilio reverſi , conſpecto eminus templo , incondito & prorſus inſano ululatu hanc jacturam , inter millenas lacrymas deplorarent . Ita damnati ob jacturam cæli plorabunt .

*76. Videt Deum & beatos ad augmentum dolorum .*

Adam ejectus ex paradiſo prope paradiſum habitare debebat , ut intuitu tantæ amœnitatis ſemper augeretur dolor propter bonum amiſſum . Famelicus ſi ſemper cibos videat , quos apprehendere non valet : frigore conſtrictus ſi calefieri nequeat , theſaurum videns ſi hunc aſſequi non poſſit , ingens tormentum patiuntur : ita erit ad augmentum dolorum damnatis videre beatos &c. M. conc. 16. aſs. 1. n.6.

Quæritur , quomodo damnati videant Deum , & tamen non fruantur Deo ; Reſpondeo quia odium ipſis Deum abominabilem facit : ideo magis cruciantur damnati viſa felicitate Dei , & beatorum , quam ſuis tormentis. M. conc. 16. aſs. 1. n. 7. 9.

Eſau irrugiit viſa primogenitura fratris, ita damnati rugient , cum alios videbunt amicitia Dei frui . Sicut Cain invidit Abeli , quod ipſius munera grata fuerint Deo , non item ſua . M. conc. 16. aſſ. 1. n. 9. 10. ſeq.

Nec tantum Deum , ſed & cum Deo in gloria videbunt Parentes , amicos , familiares , quos optime in hac vita noverunt , qui vel contra peccata ſe præmunierunt, vel pœnitentiam egerunt , quorum exempla ſequi , aut etiam monita audire noluerunt . Heu ! quanta hæc afflictio ; quanta cum rabie execrabuntur ſuam ſocordiam , quam facile vincere , & ſalvari potuiſſent . Vide Paoletti fer. 2. poſt Dom. 1. Quadrag.

Pœna ſenſus.

*77. Terribilis & Intolerabilis .*

PRopheta Iſaias quærit : *Quis poterit habitare ex vobis cum igne devorante?* Quis poterit ? Pœna enim inferni terribilis eſt per omnes quinque ſenſus : Oculi aſpicient larvas dæmonum , & lanienam damnatorum . Dicite vos oculi delicati , qui nunc vulnus , aut lepram intueri horretis , quis poterit habitare , &c. Aures audient latratum , barritum dæmonum , & lamenta damnatorum . Dicite delicatæ aures , quæ nunc vagitum infantis , aut ſuſurrum muſcæ horretis , quis poterit habitare ? Odoratus punietur ſulphure & cloaca fœtentiſſima ; dicite delicati nares , qui nunc fumigantem candelam nauſeatis , quis poterit habitare &c. Os ſeu guſtus cibabitur metallo , & veneno . Dicite delicati guſtus , qui nunc capillum in cibo averſamini , quis poterit habitare &c. &c. B. ſerm. 29. §. 5. S. punct. 139. fol. 438. in fine. Sanchez p. 8. c. 5.

S. Greg. ait : In inferno erit frigus intolerabile , ignis inextinguibilis , tenebræ palpabiles , flagella cædentium , viſio dæmonum , confuſio peccatorum , deſperatio omnium bonorum , mors ſine morte , defectus ſine defectu , quia mors ibi ſemper incipit , & deficere neſcit . S. pun. 140. fol. 441.

Caro peccatorum , ait S. Antiochus , pabulum eſt dæmonum , quia damnatus ab omnibus dæmonibus invadetur . M. conc. 6. aſſ. 3. n. 5. ſeq.

Deus caſtigans ad emendationem ſeveriſſime affligit , quid faciet puniens ad vindictam ? M. conc. 16. aſſ. 2. n. 2.

In inferno *nullus ordo* , quia damnatus ſimul & ſemel diverſiſſima tormenta patietur , frigus , & æſtum , glaciem , & flammas . In hac vita quantus dolor eſt variatio ab uno extremo ad aliud , a calore ad frigus &c. quid ergo erit hæc pœna utriuſque ſimultanea ? M. conc. 16. aſſ. 2. n. 4. D. 11. 40.

Si nunc carbonem accenſum in pupilla haberes , ſi plumbum liquatum haurire deberes , ſi fruſtum ferri candentis devorare deberes , quomodo dolorem tuum exprimere poſſes ? & hæc ridicula ſunt ad infernum &c. M. conc. 16. aſſ. 2. n. 8. Et ibidem Aſſumpto 3. per totum .

Siquis in molli lectulo per decem aut viginti annos immobilis jacere deberet , eſſet pœna intolerabilis : quanto major igitur erit per omnem æternitatem jacere in prunis ardentibus ? E. *Infernus* n. 11.

*78. Proportionatur peccatis .*

Dives quidam in deliciis vivere ſolitus in inferno loco throni collocatur in ſede candenti , loco vini potatur plumbo liquato , loco carnalis voluptatis circumdatur ſerpentibus . E. *Delitiæ* , n. 5.





*S. Greg. Mor. l. 9.* Licet gehenna una ſit , ait S. Gregor. non tamen cunctos una , eademque qualitate ſuccendit ; quia quod hic diſpar agit valetudo corporum , hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum .

*Orig. in l. Num. ho. 8.* Stultiſſima eſt illa ſceleratorum temeritas dicentium : ſi peccator ſum , eadem mihi erit pœna ſive ſemel , ſive ſæpius peccem . Abſurda locutio ! Non enim ita erit , ſed pro modo & numero , & menſura peccati etiam quantitas pœnæ metienda erit . Deus peccatori dabit panem lacrymarum , & potabit eos felle in menſura : menſura autem hæc erit , quam ſibi quiſque vel minus , vel amplius peccando quæſierit , juxta illud : quantum in deliciis fuit , tantum date illi tormentum .

*Salmeg. in c. 13. Mat.* Colligite primum zizania , & colligate eos in faſciculos ad comburendum : Ita , dicet Divinus Judex , eos qui æterno igni tradendi ſunt , pares paribus ſociate , ut quos ſimilis culpa coinquinat , par etiam pœna conſtringat .

Quia reprobi & corpore & anima peccaverunt , ait Belluacenſis , ibi & in carne & in anima cruciantur , juxta illud : *Pones illos ut clibanum ignis : Devorabit eos ignis* : clibanus non ſolum extra , ſed etiam , & vel maxime intrinſecus urit & ardet . Is vero qui devoratur ab igne , ab exteriori parte incipit incremari , &c.

*79. Terribilis propter fœtorem .*

Tres Monachi impie viventes ita a Deo puniti ſunt , ut primus bolo panis ſuffocatus , alter flumine ſubmerſus fuerit . Iſte autem apparuit ſuperſtiti , ſuis pœnis ingemiſcens , tantumque in Monaſterio reliquit fœtorem , ut omnes Monachi ſe morituros crederent . E. *Fœtor* num. 1.

Pachon in juventute Æthyopiſſam aſpiciens , ſpicas in meſſe colligentem , terribiles tentationes per omnem fere vitam patitur . Aliquando dæmon ſpecie illius æthiopiſſæ in eremo illi apparuit , & Pachon illi alapam incuſſit . Verum ex illa alapa manus per integrum biennium adeo fœtuit , ut odor eſſet intolerabilis . E. *Oculi* n. 2.

S. Arſenius ſemper fœtentem aquam penes ſe in cellula habebat : interrogatus cauſam , repoſuit : ut odores delicatos , quibus in ſæculo aſſueverat , puniret , & fœtorem inferni effugeret . E. *Odor* .

Mulier delicatiſſime vivens , & aqua roſacea ſe lavans tam fœdo morbo computruit , ut ejus fœtorem nec ancillæ nec beſtiæ tolerare poſſent . J. 108. quid erit in inferno ?

Quondam S. Martino Epiſcopo apparuit diabolus ſpecioſam formam indutus , in capite geſtans coronam , in corpore deferens purpuram , dixitque illi : Honora me , ego enim ſum Chriſtus ! ſanctus fraudem agnoſcens repoſuit : Dominus meus non in hac forma ſe appariturum promiſit , ſed ſanguineum , ſpinis coronatum , & crucifixum ſe videndum exhibet ! te regem non agnoſco ! confuſus diabolus diſparuit , tantumque fœtorem poſt ſe reliquit , ut poſtea S. Martinus dicere ſoleret , ſi dæmonum unicus ſic fœtet , quis illorum & damnatorum omnium in inferno fœtor erit ? Neque mirum , quia ut S. Chryſologus teſtatur : Dæmones paſcuntur cadaveribus , putredine ſaginantur , deliciantur fœtore . Lohn. Tit. Infernus §. 5. n. 5.

*80. Terribilis propter ignem ardentiſſimum .*

Quando mortuus eſt Vvilhelmus Dux Juliacenſis , pia Matrona Coloniæ vidit illum demergi in igneum puteum operculo tectum . Quærens quis inibi pateretur , reſponſum eſt , non eſſe ibi præter duas animas , Imperatorem Maxentium , & Vvilhelmum Ducem , quia in luxuria & tyrannide fuiſſent pares . Vvalthero autem piiſſimo Dei famulo interroganti , ubi eſſet Dux Vvilhelmus ? reſpondit dæmon , eum eſſe in loco tam ignito , ut ſi duo montes Vvollckenburg & Drachenſels cum ſuis caſtellis eſſent ferrei , in momento liquefierent . E. *Infernus* num. 8.

Ignis infernalis crudelior eſt , quam omnia mundi tormenta ſimul ſumpta . David exclamat : *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet* . Ubi Aug. Non erit iſte ignis ſicut focus tuus , quo tamen ſi manum mittere cogaris , facies quidquid voluerit , qui hoc minatur . Patrem prodes , filios necandos dabis &c. Minatur inimicus tam leve malum , & facis malum , minatur Deus æternum malum , & non facis bonum . S. punct. 39. *Pſal. 49. S. Aug. ibi.*

Job afflictiſſimus erat , ſentiebat ſimul omnia morborum genera , quæ in humano corpore ſunt compoſſibilia : horum conſideratione exclamat Gregor. *Qualiter Deus in futuro cruciabit quos reprobat , qui ita dure affligit , quos amat* . S. pun. 139. fol. 440. ſeq.

P. Leonardus Leſſius graviſſimis calculi

tuli doloribus vexatus, exclamare ſolebat: O peccatores, ſi Deus hic in uno membro ita torquet, quid in inferno erit, uni nec membrum, nec muſculus, nec nervus ſine cruciatu erit; Lohner Tit. Infernus §. 6. n. 4.

### 81. *Terribilis propter ignem inextinguibilem.*

Job 20. *Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur*: ubi Gregor. Neque ſtudio humano ſuccenditur, neque lignis nutritur, ſed creatus durat inextinguibilis, & ſucceniſone non indiget. S. Chryſ. ait: Hic non contingit vehementia pœnarum, & earum diuturnitas, altera enim cum altera pugnat propter conditionem corruptibilis corporis: immortalitate autem ſuccedente ſolvetur hæc pugna, & utraque mala nos in inferno poſſidebunt. S. punct. 139. fol. 436.

S. Chryſ. ad Theod. Lapſ.

Iſai. 6. *Ignis eorum non extinguetur*: ubi Tertull. longe alius eſt ignis, qui uſui humano, alius qui Dei juſtitiæ deſervit: hic enim non abſumit quod exurit, ſed dum erodit, reparat. Quid mirum ſi æternaliter ardebit; æterna erit materia, æternum pabulum, anima, & peccatum. S. pun. 141. fol. 442.

*Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Ignis hic eſt acerbiſſimus; 1. quia non ſenſim, uti noſter ignis, ſed ſimul & ſemel omnes carnis particulas, omnes potentias pervadit; 2. quia eſt in damnato, & damnatus in illo ſicut ferrum candens: O quantus horror, ſi aliquis maleficus condemnatus eſſet ad carcerem undequaque ignitum. 3. Quia quilibet damnatus erit ignitus, & conſequenter unus alterius pœna, ſicut unum lignum in rogo urit alterum. Dicat igitur peccator, ſi in infernum venero, non ero ſolus? O miſer non eris ſolus, ſed quilibet ſocius erit tibi novum tormentum, &c. Segn. Manna 5. Mart.

### 82. *Ejus gravitas deſumitur ex fide, & paſſione Chriſti.*

*O vos omnes, qui tranſitis per viam,*
Thren. 1. *attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Si hoc in viridi, quid in arido. Nihil magis, quam Chriſti paſſio infernum declarat. S. pun. 140. f. 440.

Chriſtus Dominus in imminentium pœnarum meditatione ſanguineum ſudorem ſudavit, & tamen juxta Theologos Chriſti tormenta, licet graviſſima, inferni dolores non aſſequuntur. S. pun. 141. f. 444.

Hæc omnia nobis inculcantur a ſancta, & infallibili fide; quomodo ergo poſſibile eſt hominem non deterreri a peccatis? Quærit S. Aug. *Unde piget, niſi quia non credis*; ſi enim metu temporalis ſupplicii omnia facis, cur non faceres metu æterni mali. S. pun. 139. fol. 435.

Daniel, ubi intellexit pœnam a Deo in Regem decretam, totus cohorruit. Quis non exhorreſcat audita pœna æterna; longe enim gravius eſt cum dæmonibus, quam cum feris vivere. S. Franciſcus ferri candentis aſpectu lacrymari cœpit, nec tamen illi æternus hic ignis viſus eſt, ſed tantum temporalis ad cauterium. Amici Job propter viſas illius infirmitates contremiſcunt. Et quis non contremiſcat ad ſupplicia inferni, ſi vere illa credit S. pun. 141. fol. 444.

### 83. *Terribilis propter tenebras.*

Tenebræ Ægypti vocantur palpabiles, quia homines in tenebris oberrantes, nihil omnino diſcernere poterant, niſi quod manibus palpabant: alii putant denſum vaporem, a quo cauſatæ fuerant tenebræ, omnino palpari potuiſſe, ſicut nonnunquam fit in nebulis. Porro illæ tenebræ nullo poterant igne illuminari, quod auxit terrorem, viſa ſunt Ægyptiis inter tenebras horribilia ſpectra apparere, hinc nullus auſus eſt ſe loco movere. In regionibus ſeptentrionalibus, quæ ſub Polo jacent, dantur noctes quatuor, quinque aut ſex menſium, uti apud Lappones & alios populos. Baronius ſcribit de tenebris, quæ a quinto Auguſti uſque ad primum Octobris duravit, & de alia Zonaras, quæ ſeptendecim diebus continuavit. Verum hæc omnia comparari non poſſunt ad tenebras inferni, &c. D. 9. 82.

Tenebræ iſtæ in inferno oriuntur ex triplici capite: loco, ſitu, & materia. Ex loco, infernus quippe eſt vaſtus hiatus in centro terræ, ubi inſtar tumuli undique concluſi nihil admittit lucis. Ex ſitu; quia damnati in orco erunt ſicut cadavera in ſepultura tempore contagionis; non poterunt ſe movere, nec palpebras aperire, tanta erit oppreſſio, quibus incumbet ira Divina. Ex materia, ideſt ex fumo, quippe ſepulcrum iſtud tartareum pro fundo habebit ingentem lacum ſulphuris, e quo immenſa ſurgent fumi volumina, & iterum defectu exhalationis in ſe revertentur. Segn. Manna 11. Jul. n. 2.

Quamquam autem terribiles ſint tenebræ exteriores, terribiliores adhuc ſunt interiores animi, quæ oriuntur ex privatione omnis luminis Divini, a tormentis maximis, & a deſperatione, quæ intellectum, & voluntatem excæcat. Segn. Manna 11. Jul. n. 3.



### 84. *Terribilis propter aſpectum & cohabitationem dæmonum.*

Dæmones ſunt tantæ deformitatis, ut quilibet prudens mallet in ignem conjici, quam uno momento dæmonem intueri. W. art. diſc. font. 50. ex. 1.

Hiſtoriæ recenſent monſtroſam deformitatem Socratis, Caligulæ, Wenceslai, & aliorum &c. Quæſo ſiquis per omnem vitam inter ejuſmodi homines vivere deberet, nonne eſſet ingens tormentum; & quale erit tormentum vivere inter damnatos? Vv. art. diſc. font. 51. ex. 2.

Religioſus ad extrema deductus, cum duos dæmones vidiſſet, tantum ex hoc aſpectu horrorem concepit, ut diceret, ſi eſſet ignis ex ære & ſulphure mixtus, qui uſque ad finem mundi duraret, ſe libentius per illum tranſiturum, quam adhuc ſemel dæmones aſpecturum. Simile quid legitur in Vita S. Catharinę Senenſis. Vide ſupra.

## Conſideratio inferni.

### 85. *Facilem reddit omnem laborem.*

Patriarcha Lot intuitu incendii Sodomitici facilem judicat aſcenſum montis, quem antea difficilem eſſe duxit. B. ſerm. 19. n. 2. 3. &c.

Triquelmus poſtquam infernum in extaſi vidit, aſperrime vixit, dehortantibus amicis, ſemper reſpondit: frigidiora vidi: calidiora vidi: aſperiora vidi. B. ſerm. 30. n. 38. E. *Infernus* 4.

*Tacui ſemper, ſilui, patiens fui: ut parturiens loquar*. Quid o Deus; an tacuiſti poſt tot plagas orbi illatas? In exercitu Sennacherib centum, & octoginta quinque millia interfeciſti: Pharaonem cum ſequacibus in mari demerſiſti: Sodomam & Gomorrham flammis tradidiſti; an hoc eſt tacere? Nimirum, omnes mundi afflictiones nihil ſunt, ſi cum inferno veniant in comparationem, &c. B. ſerm. 29. n. 18.

Studioſus ſtupidus recepit a dæmone lapidem, quo ingenioſus & litteratiſſimus factus eſt. Suaſu autem Confeſſarii abjecit lapidem, dein raptus in infernum a dæmonibus crudeliſſime habitus, ubi ad corpus rediit, in Ordine Ciſtercienſi auſtere vixit, & ſtupendam pœnitentiam egit. E. *Infernus* n. 7.

Abbas Olympius interrogatus, quomodo ſpeluncam ſuam inhabitare, & exceſſivos tolerare calores, præter muſcarum & culicum puncturas poſſit? reſpondit, culices ſuſtineo, quia vermem timeo immortalem: flocci facio calorem, quia ignem pertimeſco æternum. Hæ afflictiones finem habebant, non illæ. Climac. in ſcala Paradiſ.

B. Jordanus Ord. S. Dominici Generalis, cum diu fruſtra Nobili juveni ſuaderet ſui Ordinis ingreſſum, tandem dixit: Rogo, inſpice manus tuas, & membra corporis formoſa, cogita quantum damnum ſit, iſta membra fieri pabulum ignis æterni. Quo ille commotus ordinem ingreſſus eſt. Diſcip. in Prompt. lit. P. ex. 70.

### 86. *Præſervat ab inferno.*

Deſcendant in infernum viventes, ait David, & addit S. Bernardus, videlicet, ne deſcendant morientes. B. ſerm. 51. n. 5. ſeq.

Poſtquam David de ſe fatetur: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*, mox ſubduxit: *Dixi, nunc cœpi*. Ecce! quam efficax ſit conſideratio inferni ad generoſa propoſita. S. pun. 141.

Chriſtus Dominus Marci 9. ter in uno loco meminit gehennæ; ubi Chryſoſt. ſi gehennam ſemper cogitemus, non cito in eam incidemus. S. pun. 141. fol. 444. Et M. conc. 16. aſſ. 3. n. 8.

S. Joſaphat incantationibus Teudæ Magi concitatus, cuidam procaci puellæ ſe voluit deſponſare, ſed ſubito mente raptus, ab Angelo ad pœnas infernales contemplandas ductus eſt. Ad ſe reverſus omnem ſenſualitatis ignem in ſe extinctum compertus eſt, omniſque pulchritudo tamquam cœnum, & ſanies ipſi deformis viſa eſt.

Bertrandus quidam homo vitioſus, ebrietati & luſibus deditus, dum in Bacchanaliis ſubito internis æternitatis cogitationibus a Deo illuſtraretur, ſubduxit ſe familiaritati, & in lacrymas effuſus, in Societatem JESU admitti petiit, in quam admiſſus ſancte vixit.

Colonellus quidam in bello Mantuano 1630. moriens teſtamentum condidit, in quo ſuis commilitonibus facultatem dedit, ut omnia quæ relinqueret laſciviendo abligurirent. Executi ſunt præceptum commilitones; verum cum media nocte

 ſtre-

ſtrepitum audirent ; & aperta conclavis janua ſpiritum flammis circumdatum viderent, tanto horrore concuſſi ſunt, ut plurimi intra annum mortui, ceteri ad pœnitentiam converſi ſint. Lohner Tit. Infern. §. 5. n. 28.

### 87. *Ab ea non moveri præſcitorum eſt.*

*S. Chryſ. in Pſal. 7.*
Abſalon immobilis pendens, dum nec digitum levat ad ſolvendam comam, ſatis indicat, ſe eſſe ex damnatis unum, ait Chryſ. S. pun. 141. fol. 445.

*Beda l. 5. de geſt. Angl. c. 15.*
Quidam Monachus, ut narrat Beda, in Monaſterio ignobiliter vivens, nulla caſtigatione emendatur. In morte convocatis fratribus dixit ſe videre gehennam, & ſedem igneam ſibi penes Caipham, qui ad mortem Domini cooperatus eſt, paratam: monitus, ut pœniteat reſpondit: non amplius ſibi relictum eſſe ſpatium pœnitentiæ &c. S. punct. 142. fol. 445. in fine.

Machiavellus morti proximus Florentiæ cum de damnatione ſolicitus eſſet, & illi in mentem veniret, Ariſtotelem, Platonem, Alexandrum damnatos, Apoſtolos vero miſellos, & pauperes in cælo eſſe ajebat: Malo cum illis illuſtribus damnari, quam cum his vilibus in cælo degere. O quoties Machiavellici thraſones tam parum timent infernum, quam iſte deſperatiſſimus joculator.

*Martin. Zeiller cent. 1. ep. 96.*
Tiberius hominem jocularem, qui mortuo, dum ad ſepulcrum efferebatur, alta voce præcepit, ut Auguſto Imp. nuntiaret, legata ab ipſo Romano populo facta, nondum exoluta eſſe, ad ſe vocavit, eique legatam portionem dedit, ac inde duci ad capitale ſupplicium juſſit, ut Patri Auguſto rei veritatem nuntiaret.

Vindicativus quidam ob injuriam ſibi factam adeo obſtinavit animum, eum e medio tollere, ut diceret: ſi hiantem ante me viderem infernum, prius illum occiderem, dein in infernum lubens inſilirem. Lohn. Tit. *Infernus* §. 5. n. 30.

### 88. *Deterret a peccato, incitat ad pœnitentiam.*

*Pſal. 33. S. Baſ. in Pſal. 33.*
*Timorem Domini docebo vos*: ubi Baſil. Cum te appetitus invaſerit peccandi, velim cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras. S. pun. 141. fol. 442. in fine.

*S. Chryſ. ho. 10. c. 5. ep. 1. ad Th.*
S. Chryſ. monet: ſi ignem concupiſcentiæ habueris, oppone alium ignem, & hic ſtatim extinctus evaneſcit. S. pun. 141. fol. 445.

*Tob. 6.*
*Exentera hunc piſcem*, ideſt diabolum, ait Hugo Carenſis: hoc felle prædeſtinatorum oculi ſanantur. S. punct. 141. fol. 447.

S. Aug. ait: Si præmia non invitant, pœnæ nos terreant. S. pun. 145. fol. 452.

Quidam Monachus auſtere vivit viſo inferno. Quidam cocus ſemper flet, quia apud focum ignem inferni conſiderabat. S. pun. 141. fol. 446.

*Plinius lib. 34. cap. 15.*
Ferrum per liquatam picem præſervatur a rubigine: Mi peccator, utut pectus tuum ſit ferreum, tamen ſi liquatam inferni picem frequenter conſideres, ſpero te a rubigine peccati præſervatum iri. Vv. art. diſc. font. 48. ex. 8.

Juveni in Monaſterium ingreſſo ſuadebant Amici egreſſum, quia delicatus nimis eſſet ad perferendas auſteritates Ordinis: repoſuit juvenis, hoc ipſum motivum me detinet in Ordine; quomodo enim potero perferre pœnas inferni? E. Verb. *Converſio* n. 24.

Monialis a proco impie ſeducta jam Monaſterium reliquerat, ultima autem nocte ante nuptias vidit profundum, igneum, fumantem puteum, in quem dæmones animas terribiliter lamentantes projiciebant. Jamque illam arripere volebant, cum illa B. V. a longe ſtantem invocans, ab ea propius accedente liberata eſt: dixit illi autem Beatiſſima: En! hi ſunt fructus libidinis! Evigilanti Moniali adfuere famuli, qui juſſa petebant, pro parandis nuptiis. At illa in Monaſterium reverſa, auſteram pœnitentiam egit. E. *Infernus* 12.

## Purgatorium.

### 89. *Et ſecundum proportionem peccatorum.*

Sanctus Paulus docet: *Unumquodque opus, quale ſit, ignis purgabit, &c.* M. conc. 12. aſſ. 2. nu. 4. P. p. 2. diſc. 20. num. 5.

Sed quæritur, quomodo purgabuntur, qui in fine mundi morientur, cum ibi purgatorius carcer inferno accedet, &c. Reſpondeo poteſt pœna ita intendi, ut modico tempore exantlata diutiſſimæ æquivaleat. Davidi peccanti optio data eſt inter famem ſeptennem, bellum trimeſtre, aut peſtem triduanam: ecce! hæc tria ſupplicia tempore inæqualia, ſed pœnalitate æqualia ſunt, &c. M. conc. 12. aſſ. 2. n. 6.

Sacerdos valde vitioſus a S. Lydvvina ad meliorem frugem converſus, paullo poſt



poſt mortuus eſt. Hunc vidit Sancta in purgatorio in profundum puteum demergi, qui ceteris flammis longe erat ardentior. Poſt aliquot dies Angelus apparuit Sanctæ Virgini, eique nuntiavit, hunc Sacerdotem jam e puteo extractum, & inter ceteras animas receptum, poſt paucos dies, ipſius interceſſione ad cæleſtem patriam aſſumptum iri. Daveroult. c. 10. tit. 6. num. 15.

*S. Aug. in Enchy. c. 109.*
S. Auguſt. ait: Purgatorium eſt locus ſubterraneus, in quo animæ defunctorum pro peccatis quoad pœnam necdum plene remiſſam ſatisfaciunt. Ibi ait S. Anſelmus, erit aut nimius calor ignis, aut nimius rigor frigoris, aut aliud genus pœnarum, de quibus minimum majus eſt, quam maximum, quod in hac vita excogitari poteſt.

*S. Anſel. in Elucidar.*

*Apoc. c. 18.*
*Quantum glorificavit ſe, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum.*

*S. Antonin. in Summa p. 4. c. 10. §. 5.*
In Conventu Colonienſi Prædicatorum una die mortuus eſt Novitius, & Concionator. Novitius die tertia apparuit Infirmario, dicens, ſe nunc e purgatorio liberatum in cælum aſſumi. Poſt menſem apparuit & Concionator, idemque de ſe affirmavit. Interrogavit eum Infirmarius, cur tardius purgaretur, quam Novitius; reſpondit: Ego propter familiaritatem cum ſæcularibus habitam, & ſermones gaudio, ac lepore plenas diutius detentus fui in purgatorio, ſed majorem gloriam accepi. Monile, quod gero, ſignificat rectam intentionem, & lapides pretioſi animas, mea prædicatione converſas, &c.

*Iſa. 15.*
*Secundum magnitudinem operis viſitatio eorum.* Hinc S. Paulinus ignem purgatorii vocat ignem ſapientem; quatenus pro cujuſque meritis vehementiam ſuam vel intendit, vel remittit.

*S. Paul. Ep. 9. ad Severum.*

### 90. *Purgat animas a reatu reſiduo.*

*Zach. 13.*
*Ducam tertiam partem per ignem, & uram eos ſicut uritur argentum.* Quænam eſt hæc tertia pars; Reſpondeo prima pars pœnitentiæ eſt contritio. Secunda confeſſio. Tertia ſatisfactio: hæc tertia pars ſi non expungat reatum peccatorum in hac vita, per ignem ducetur. &c. M. conc. 16. aſſ. 2. n. 7.

Chriſtus ambulat ſuper aquas, Petrus autem aliquantulum mergitur: Quare? Reſpondeo quia Chriſtus nihil de ſpecie plumbi, Petrus autem jam aliquid habuit. Si anima munda non ſit ut aurum, ſed admixtam habeat ſcoriam, aut plumbum, aliquantulum mergetur. &c. M. conc. 12. aſſ. 2. n. 3.

*2. Mach. c. 12.*
Dari talem locum, in quo purgantur animæ a reſiduis peccati ſordibus, probatur 1. ex Scriptura: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* 2. Apoſtoli conſtituerunt orationes pro defunctis, ut patet ex S. Chryſoſtomo dicente: Non temere hæc ab Apoſtolis ſancita fuere, ſciunt enim ex tremendis ſacrificiis multum animabus provenire emolumentum. 3. Patet ex ſenſu Eccleſiæ, præſertim in Synodo ſexta, ubi Sacerdotibus ſacrificia & preces conſtitutæ ſunt pro defunctis. 4. Ex SS. Patribus Auguſtino, Athanaſio, Cypriano, Hieronymo, & aliis. 5. Ex ratione; cum enim certum ſit dari peccata venialia, & hæc inferno digna non eſſe, nec ſemper in hac vita ſufficienter expiari, ſequitur dari debere locum, ubi animæ a talibus maculis mundentur.

*1. Cor. 13.*
Dantur peccata venialia, ſeu ob imperfectionem actus, ſeu ob levitatem materiæ levia, quæ a S. Paulo comparantur *fœno aut ſtipulæ*; hæc peccata qui habet, ſalvatur, ſed quaſi *per ignem*: Chriſtus ipſe dicit, de omni verbo otioſo reddendam eſſe rationem, cum hujuſmodi peccatis non aſcenditur in cælum, nec deſcenditur in infernum. Ergo vel hic, vel ibi ſatisfactione deleri debent.

*2. Reg. 12.*
Etiamſi Davidi remiſſum ſit peccatum quoad culpam, tamen quoad pœnam punitus eſt morte filii. Et Maria ſoror Moyſis murmurans contra Dominum lepra punita eſt, etiamſi orante Moyſe culpa ei remiſſa fuerit. Non ergo ſemper remittitur pœna una cum culpa, uti conſtat ex Tridentino.

*Trid. Seſſ. 6. c. 14.*

Homo quidem pro peccato ſatisfacere Deo, *de condigno* non poteſt; ſatisfactio enim ex rigore juſtitiæ duo requirit, ut ſatisfiat ex propriis, & ad æqualitatem: nos autem nec aliquid habemus quod Dei non ſit, nec poſſumus ullo genere honoris adæquare injuriam, quam Deo irrogavimus, cum injuriæ menſura æſtimetur ex dignitate Dei offenſi, quæ eſt infinita. Nihilominus accedente Dei gratia ſatisfacere poſſumus *de congruo*, quia per Dei gratiam efficimur filii Dei, membra Chriſti, habitacula Spiritus Sancti. Ita per Dei gratiam præcedentem, & comitantem, Deo nobis donante, ut habeamus, pro pœna temporali ſatisfacimus.

91. In-

### 91. *Incurritur ob leve delictum.*

Soror S. Damiani quindecim dies in purgatorio luit, quia cantu chorizantium in plateæ audito delectata fuit. E. Verbo *Cantus* n. 6.

Vir Religioſus in purgatorio patitur, quia, dum novi illi ſocci dabantur, veteres retinebat contra Regulæ ſtatutum: apparens ergo poſt mortem rogavit, ut ſocci ad pedes lecti ſui aufferentur. E. *Converſio* n. 31.

Frater ex Ciſtercienſi familia ad purgatorium damnatur, quia Ordinem Diaconatus affectavit. E. *Defuncti*. n. 2.

Religioſus Prædicator per menſem ardet in purgatorio, quia familiaris erat cum quibuſdam ſæcularibus, & ex eo ſolatium quæſivit. E. *Familiaritas*.

Frater quidam, Durannus nomine, quia ludicra verba loqui ſolebat, ad purgatorium damnatur, nec inde niſi per ſeptem dierum ſilentium fratrum liberatur. E. *Loqui* n. 3.

Miles in purgatorio torquetur ab avibus corrodentibus, quia in vivis ludio avium fuit deditus. E. *Luſus* n. 8.

Monachi propter diſciplinæ Religioſæ neglectum in verubus, inſtar anſerum torreri videntur. E. *Purgatorium* 2.

Religioſus poſt menſam loco Pſalmi: Miſerere, dicens Pſalmum: Laudate Dominum, poſt mortem in cellario ingentes ſtrepitus facit, rogatque ut fratres loco ſui ſupplerent Pſalmum miſerere. E. *Religio* n. 6.

Puer quia pyra & poma ſolvere oblitus eſt, terribiliter in purgatorio cruciatur. E. *Reſtitutio* n. 2.

S. Vitalina aliquo poſt mortem tempore apparens S. Martino conqueſta eſt, ſe nondum ad paradiſi gaudia admiſſam eſſe, ob leve, (quod nominabat) delictum, Sanctus Epiſcopus ad fratres converſus flens ajebat: O nos miſeros, qui quotidie peccare non deſinimus! quid nobis fiet, cum hæc innocens Virgo ob leviſsimum delictum cælo excluſa fuit? Daveroult. c. 10. tit. 7. n. 6.

S. Severus Epiſcopus gravi purgatorio punitur, quia ob negotia Breviarium conſtituto tempore recitare neglexit. Ibid. n. 7.

2. Reg. 24. Præterea remanet pœna ex delicto jam remiſſo: David poſt numeratum populum punitur peſte: poſt adoratum vitulum multa hominum millia interfecta ſunt.

Exod. 32. Omnes omnino Hebræi, qui murmuraverant, etſi interceſsione Moyſis reconciliari ſint Deo, mortui ſunt in deſerto. Idem contigit Moyſi, & Aaroni, quia non glorificaverunt Deum ad petram. (Num. 20.) Propheta Domini ob peccatum quoddam, à leone occiſus fuit in itinere: fuit autem illi remiſſum peccatum quoad culpam; (3. Reg. 13.) quia in teſtimonium ſanctitatis ejus, ſtabat leo juxta cadaver impaſtus, & ne aſinum quidem Prophetæ attingebat.

### 92. *Superat tormenta & morbos hujus mundi.*

Vir fidelis & prudens anno integro decumbens rogavit a Deo mortem. Angelus autem dedit illi optionem, an adhuc integro anno infirmari, aut tribus diebus in purgatorio pati velit. Æger elegit hoc ultimum. Verum vix una die arſit, agnito errore; Deo permittente ad corpus rediit, & libenter anno adhuc integro decubuit. E. *Infirmitas*. n. 7.

Monachus in agone pœnitentiam ab Abbate rogare voluit, ſed Abbas aberat. Defunctus apparuit Abbati & petiit, ut pœnitentiam ſibi dictaret. Iſte neſciens quæ pœnitentia defunctis conveniret, dixit, volo ut in purgatorio patiaris, donec corpus hoc tuum in ſepulcrum erit demerſum. Hoc dicto defunctus terribiliter ejulans clamavit: O crudelis pœnitentia! E. *Purgatorium* n. 4.

Cogita militum vulnera, cogita SS. Martyrum tormenta, cogita maleficorum omnium ſupplicia, cogita omnium ægrotantium dolores, & dicet tibi S. Cyrillus: Si omnes, quæ in hoc mundo cogitari poſſunt, pœnæ, tormenta, & afflictiones, pœnæ purgatorii comparentur, velut ſolatia erunt; mallet enim quilibet (exiſtentium in purgatorio) uſque ad finem mundi, omnibus his pœnis cruciari, quas omnes homines ſingillatim ab Adam uſque huc tolerarunt, quam uno die in purgatorio torqueri. (S. Cyrill. Hieroſol. in ep. ad S. Aug.)

Huc facit etiam effatum S. Bonaventuræ: *Tenebræ in purgatorio impediunt operationem, vincula evaſionem, mendicitas ſolationem, ferrum afflictionem inducit.* Adeoque non ſimplex, ſed ſimul & ſemel multiplex eſt cruciatus purgatorii. (S. Bonav. Ser. de mort.)

### 93. *Incurritur ab hominibus etiam Sanctis.*

Balduinus ex Ordine Ciſtercienſi Epiſcopus Piſanus fuit Vir magnæ ſanctitatis: quia vero occaſio fuit belli inter Piſanos & Lucenſes, tamdiu debuit in purgatorio puniri donec inter utrumque populum fuerit pax ſancita, prout cuidam Presbytero in Inſula Sardicenſi fuit revelatum, qui ipſum Balduinum in pœnis vidit. E. *Diſcordia* n. 6.

B. Eliſabetha Ord. S. Dominici, arcana conſcientiarum agnovit, in egeſtate Monaſterio mirabiliter ſuccurrit, apparitione B. V. honorata eſt, & tamen octodecim ſeptimanis in purgatorio pati debuit, quia afflicto Dei famulo affatum negavit, & quia Nobili puellæ Monaſterium diſſuaſit. *Ephem. Dom.* 25. *Jan.*

S. Catharina Divæ Birgittæ filia, Romæ in templo S. Petri apparet uxori fratris ſui Caroli, ejuſque opem pro purgatorii pœnis implorat: quam ubi experta eſt, eidem fratriæ ſuæ denuntiat, quod paulo poſt corona regni Suecici, ex teſtamento ipſi relicta, coronanda eſſet. Daveroult. c. 10. t. 7. n. 9.

S. Udalricus Epiſcopus dicitur in purgatorio luiſſe, quod Nepotem ſuum ad ſucceſſionem in Sede Epiſcopali promoverit.

S. Severus Archiepiſcopus Colonienſis purgatorii pœnis detinetur, quod Horas Canonicas ob gravia & publica negotia, conſtituto tempore non perſolverit. Daveroult. c. 10. tit. 7. n. 7.

Spec. Ex. diſt. 9. Ex. 101. Innocens quidam Puer novem annorum ob non ſolutos novem obolos, quos familiæ debebat, novem diebus purgatorio adjudicatus Matri apparuit, & ab ea de pœnis ſuis interrogatus reſpondit: Si omnes carbones, quos omnes carbonarii in univerſo mundo, a tempore nativitatis uſque huc fecerunt, in uno cumulo arderent, & tu Dilecta Mater in medio cumuli arderes, non tantas pœnas ſuſtineres, quantas ego jam in purgatorio ſuſtineo!

### 94. *Eſt terribile ob pœnam ignis.*

Purgatorius ignis incomparabiliter ardore ſuperat noſtrum elementarem; quia iſte ad noſtram utilitatem, ille ad vindictam accenſus eſt. Conſequenter differunt ſicut chirurgus & carnifex: ille in anatomia attentiſſime ſecat, ut dolori, quantum fieri poteſt, parcat, iſte ſine attentione ſecat & laniat. P. p. 2. diſc. 20. n. 4.

S. Anſelmus ait, minimum pœnarum genus in purgatorio, eſſe gravius, quam in hac vita excogitari poſſit. *N.* 2. *Nov.*

Ignis infernalis, & purgatorius non differunt inter ſe, niſi diuturnitate. *N.* 2. *Nov.*

S. Aug. Ser. de ign. Purg. S. Auguſtinus ait: Hic ignis (purgatorius) etſi non ſit æternus, miro tamen modo gravis eſt; ſuperat enim omnem pœnam, quam homo unquam paſſus eſt in hac vita, aut pati poteſt.

Syneſius Epiſcopus putat, dæmones in purgatorio fungi officio tortorum, aut certe focariorum, qui excitare, & augere ſolent ignem. Cum igitur ab experientia ſcimus, ignem per artem in furnis chymicis ita intendi poſſe, ut quaſi in momento lapides, aurum, & ferrum colliqueſcere faciat, quantis obſecro artibus utentur dæmones in purgatorio, ut follibus animent, & intenſione maxima elevent ignem contra animas, quas ut amicas Dei, & ſedium cæleſtium, quas illi perdiderunt, inquilinas, rabioſo cum furore odio habent, & averſantur! præſertim cum ad mentem Sanctorum Patrum ignis infernalis & purgatorius non differant, niſi tempore. Vide tit. *Infernus*. (Syneſ. Ep. Viſion. Ep. 44.)

In purgatorio dari verum ignem communis eſt omnium ſententia, & quamvis explicari non poſſit, quomodo ignis corporeus in ſpiritum agere poſſit, veriſſimum tamen eſt effatum S. Auguſtini, quod animæ torqueantur miris, ſed veris modis. (S. Aug. l. 21. de Civit. 10.)

### 95. *Terribile ob pœnam damni.*

Animæ ardentiſsimo deſiderio anhelant Deum, & hoc deſiderium primo fundatur in naturali inclinatione. P. p. 2. diſ. 20. num. 8. Dein fundatur in virtute ſpei, qua anima vivaciſsime apprehendens Deum, illum poſsidere deſiderat. Ib. n. 9. Tertio fundatur in virtute caritatis, qua cupit anima elicere actus virtutum erga Deum. Ib. n. 10.

Veriſimile eſt, quoſdam non alia pœna affligi, quam pœna damni, debito illorum nullam pœnam ſenſus exigente. Sic in viſione, quam refert Ven. Beda, animæ cuidam oſtenſum fuit præter infernum, purgatorium & cælum, quoddam pratum floridum, omni amænitate repletum, in quo degebant animæ, quæ nullam pœnam ſenſus ſuſtinebant: attamen ibi morabantur, quia idoneæ nondum erant viſioni beatificæ. (Ven. Beda l. 5. hiſt. c. 13.) Hunc etiam mitiſsimum carcerem cognoſcimus ex Revelationibus S. Birgittæ: ſcribit illa, animam quamdam non aliam in purgatorio pœnam ſuſtinuiſſe, quam dolorem ex deſiderio æternæ felicitatis. (Revel. S. Brigitt. l. 4. c. 124.) Idem affirmat S. Gregorius inquiens, quemdam defunctum ad corpus rediiſſe, qui dixit, quod ponte periculoſo tranſito, vidiſſet campum amænum, in quo hominum candi-

dorum



(S. Greg. l. 4. Dial.)

dorum manſiones erant. &c. Vide P. Car. Stengel. de ſtatu an. poſt mortem c. 9.

Nos quidem non curamus hanc pœnam proh dolor! & ideo non apprehendimus ejus acerbitatem; ac hoc fit ideo, quia intellectus tenebris obſcuratus eſt: infans non curat tenebras materni uteri, at ſi adultus ibi deberet latere, quanta hæc pœna foret!

Dein hæc inconſiderantia provenit etiam ex perverſitate voluntatis; phrenetici non patiuntur ſitim; ita nos &c. P. p. 2. diſ. 20. n. 12. 13. ſeq.

Pœna damni eſt, qua anima ſolo viſionis beatificæ deſiderio torquetur. De qua pœna ſic loquitur Vicemontius: O quanta pœna eſt dilatio gloriæ! O quam amara eſt recordatio viſionis Divinæ! maxime cum jam tempus Deo fruendi advenerit, & anima a pondere ſui corporis abſoluta fuerit; ipſi animæ gravius multo eſt carere Deo, quam cruciari purgatorii igne. Lohn. tit. *Purgatorium* §. 1. n. 6.

*Vicemont. Pariſ. 6. Inſt. ad ſan.*

Quæri poteſt, an in purgatorio etiam inveniantur dæmones? aliqui Sanctorum Patrum affirmant, alii negant. Sanctus Antoninus autem ait, dari ibi dæmones non ad torquendum ſed ad inſultandum & irridendum. Scimus autem, quanta in hoc mundo ſit afflictio irrideri & ludificari in mediis tormentis; per hoc enim quaſi duplicantur dolor & triſtitia. Certe Razias Vir magnæ opinionis in populo Iſrael, ne captus illuderetur ab inimicis, ex feneſtra ſe præcipitavit. Hæc eadem triſtitia ex ludibrio dæmonum centuplicatur afflictis animabus! En, pœnam damni!

### Animæ purgantes.

#### 96. *Juvantur per paſſionem Chriſti.*

BEatus Joannes Alvernus dum ſacra vulnera invocat, videt ſcintillas ſurſum evolare. Sancta Gertrudis, dum in honorem ſacrorum Vulnerum orationes fundit, mirum prodeſt animabus purgantibus. S. punct. 37. fol. 776. E. *Defuncti* n. 14.

In morte Chriſti Domini tria hominum genera, ſeu ſtatus præſentes adfuerunt, 1. Homines juſti ſeu ſancti, iique proximi apud crucem, uti Beatiſſima Dei Mater, Apoſtolus Joannes, Magdalena & alii. 2. Peccatores pœnitentes, qui viſa ſolis eclyſi, ſciſſo veli templo, & motu inſolito terræ cum Longino percutientes pectora ſua veram Chriſti morientis Divinitatem contrito pectore agnoverunt, & profeſſi ſunt. 3. Defuncti, qui ex apertis ſepulcris prodierunt, & multis in civitate ſancta apparuerunt, ut indicaretur, ſanguinem & mortem Chriſti, tanquam teſtamentum ſeu hereditatem non ſolum ad Juſtos, nec ſolum ad pœnitentes, ſed etiam ad defunctos pertinere. Hunc in finem Chriſtus Dominus ſtatim poſt mortem deſcendit ad inferos, ut eos de perſoluto redemptionis ſuæ pretio immenſa cum lætitia certificaret. Hac etiam de cauſa in Sacrificio Miſſæ, quod ſymbolum eſt, ſeu myſtica renovatio Paſſionis & mortis Chriſti, tertia pars Hoſtiæ conſecratæ in calicem dejicitur, ut ſignificetur, tertiam partem Sacrificii tam cruenti quam incruenti pertinere ad Defunctos, & ſimul indicari hunc deſcenſum Redemptoris ad inferos.

#### 97. *Immiſericorditer deſeruntur ab amicis.*

Cur filius Patri, frater ſorori, ſoror fratri non miſericorditer ſuccurrit, cum tamen ipſa animalia ſibi invicem in auxilium veniant? Elephas ſi in ſcrobem ceciderit, ſonoram vocem edit, qua exciti alii elephantes accurrunt, nec acquieſcunt, donec collapſum erigant. D. 1. 51. in fine.

Antiqui mortuorum ſuorum corpora uſque ad ſuperſtitionem in honore habebant: balſamo, melle, cera obliniebant, ut a putredine immunes conſervarentur: menſæ adhibebant, cibos illis apponebant, in neceſſitate commodato peculio oppignerabant. Si tantus honor habitus fuit corporibus, pudeat Chriſtianos, qui minus faciunt animabus. D. 2. 87. & 3. 13.

Pecchius quidam per plagium abreptus novemdecim annis captivus jacet: creditur eſſe mortuus, a filiis deſeritur. Proh quam triſte tempus hujus captivitatis, & tamen adhuc erat expers tormentorum! quid de animabus dicendum? D. 7. 51.

Narrat Plinius, quemdam ex præalto tecto lapſum Matris & affinium oblivionem cepiſſe, Meſſalam vero Corvinum oratorem ſui nominis oblitum fuiſſe. Lupi quidam vorantes, dum circumſpiciunt, edulii mox obliviſcuntur, & aliud quærunt. In Bœotia flumen eſt, cujus aqua omnimodam oblivionem inducit, id quod & lethargus quodammodo operatur. C. Jerem. 2. v. 32.

*Plin. l. 7. c. 24.*

Fuit aliquando peſtis, quæ homines omni memoria privavit, ita ut non amplius noverint proprios parentes: eodem modo multi Chriſtianorum obliviſcuntur ſuos parentes. &c. P. p. 2. diſ. 20. n. 15.

Cru-



Crudeliſſimi ſunt illi, qui ultimas illarum voluntates, ac diſpoſitiones pias non exequuntur, aut diutiſſime differunt. P. p. 2. diſ. 20. n. 17.

Mater incondito fletu deplorabat mortuum filium. Quondam illum inter turbam lætantium juvenum vidit omnino triſtem. Quæſivit, qua de cauſa triſtaretur? & ille repoſuit, triſtor ob fletum tuum indiſcretum! reſigna te igitur in Dei voluntatem, ſuccurre mihi bonis operibus, & ſacrificiis, & paulo poſt æternum lætabor. Daveroult. c. 10. tit. 7. n. 2.

#### 98. *Puniuntur in locis ubi peccarunt.*

*Trithem. Chronic. An. 1058.*

Prope Vvormatiam ſingulis noctibus videbatur exercitus, qui media nocte redibat ad montem unde exierat. Quæſiti a viro ſancto milites, reſponderunt, ſe ſpiritus eſſe, qui in hoc campo pro ſuo principe pugna interierunt. Rogarunt ſuffragia, & ſacrificia, & repente totus mons igneus apparuit. D. 2. 14.

In Ordine Ciſtercienſi Abbas moriturus a fratribus licentiam obtinuit, ut ſibi in munere ſucceſſorem conſtitueret. Conſtituit ille ſuum nepotem. Quid fit? Novus Prælatus more ſui anteceſſoris frequenter exire ſolebat ad puteum fontis: aliquando in fundo putei audit lamentabilem vocem, agnoſcit cognatum, qui conquerebatur, ſe in hac ciſterna crudeliſſimo igne cremari, quia in electione ſucceſſoris carnem & ſanguinem reſpexiſſet. D. 2. 14.

Aliqua Monialis poſt mortem in choro frequenter apparet, ibique ſe pati debere ait propter garrulitatem, qua ſæpe locum ſacrum inhonoraverat. D. 2. 14.

*Surius 29. April.*

Hugo Abbas Cluniacenſis poſt mortem triduo viſus eſt detineri in vinea, ubi quaſi ex itinere fatigatus ſedit: denique reſumens vires & excutiens pulverem pedum, abiit. Quare in vinea? quia forſan in ejus emptione, poſſeſſione, aut cultivatione modicum delictum admiſit.

Sicut ludimagiſter pueris ad ſcripturam, quam forſan deformiter ac negligenter fecerunt, nares illidit. Ita Deus ad locum, ubi animæ deliquerunt, illis quaſi nares illidit, ut ſemper errorem ſuum præ oculis habeant.

#### 99. *Juvantur SS. Euchariſtia.*

Ridiculum eſt, quod de Japonenſibus narratur: illi putant defunctorum animas in paradiſum itinerantes in via fatigari, & ideo ter in domum amicorum reverti ad ſumendam refocillationem: propterea ſtatis temporibus parant ſympoſia, invitant animas, ſalutant, hortantur ad manducandum. &c. Fabulæ hæ ſunt! ſed veritas eſt, quod animæ SS. Epulo conſortentur. D. 3. 41.

Veteres varia, eaque ſumptuoſa convivia faciebant in gratiam ſuorum defunctorum, cibos etiam in tumulis collocabant, id quod hodiedum faciunt nonnulli barbari apud Indos. &c. Utinam mortui veris illis dapibus Euchariſticis paſcerentur, quæ ſolæ illis proſunt. D. 3. 80.

Quidam captivus apud Mauros, quoties ejus uxor domi ſacrificium pro eo fieri curabat, videt ſua vincula & catenas diſſolvi. Sanchez 7. part. c. 4. fol. 972. E. *Euchariſtia*. n. 11.

Sacrificium Miſſæ eſt opportuniſſimum remedium ad juvandas animas purgantes. Paoletti Fer. 6. poſt Dom. 4. Quadr.

Joannes de Alvernia celebrans videt innumerabiles animas in cælum evolare. E. Verb. *Defuncti* n. 24.

Quidam defunctus ad purgatorium quindecim annorum condemnatus, per unicam Miſſam liberatur. E. *Defuncti* n. 15. 17.

Pientiſſimus paſtor cum videret ea die, qua SS. Communionem acceperat, ſibi a lupo oviculam auferri, rogavit Dominum, ut per eam caritatem, qua in Euchariſtia bonus paſtor & Agnus Dei vocaretur, oviculæ hujus curam habere vellet, & ecce! lupus ex unguibus illæſam dimiſit oviculam. Tu roga pro anima & dimittetur. E. *Euchariſtia*. n. 20.

#### 100. *Juvantur Sacrificio Miſſæ.*

In Diœceſi Centumcellenſi Presbyter calenti balneo uti ſolebat, & ſemper adfuit vir, qui ei detrahendo calceos & veſtes, ac alia faciendo ſerviebat. Huic aliquando Presbyter donarium facere volebat, ſed vir mærens & afflictus non accepit. Ego enim, ajebat, fui aliquando Dominus hujus loci & hic affligor tanquam meo purgatorio, tu autem offer Sacrificium pro me &c. ſic diſparuit. Presbytero autem ſæpius pro illo ſacrificante vir non amplius viſus eſt, in ſignum ſuæ liberationis. E. *Miſſa* n. 1.

Angelus Drithelmo terribilem locum pœnarum oſtendit, ubi purgantur animæ, addiditque, multas, niſi SS. Miſſæ ſacrificio juvarentur, uſque ad extremum diem judicii arſuras. *N. 2. Nov. &c.*

S. Malachias per ſomnum vocem audiit, ejus ſororem ſtare foris, & per quadra-

draginta dies nihil guſtaſſe. Advertit Sanctus ſe moneri, quod intra hoc tempus pro defuncta ſorore non ſacrificarit. Igitur tres pro ea Miſſas legit, poſt primam vidit ſororem acceſſiſſe ad limen Eccleſiæ, poſt alterius diei Miſſam vidit eam acceſſiſſe ad altare, poſt tertiam aggregari cœtui Sanctorum. *N.* 3. *Nov.*

Chriſtus orans in horto ter in faciem procidit. Primo pro Juda! Secundo pro peccatoribus! Tertio pro animabus purgantibus: ubi notandum, quod tertia vice ſanguinem ſudarit, ut indicaret, hunc maxime eſſe proficuum pro animabus miſeris. Ginther. Unus pro omn. conſ. 106. n. 2.

Sancti Malachiæ Epiſcopi ſoror in vita hac vanitatibus ſæculi multum aſſueta, & ideo a ſancto fratre ſuo ſæpius correpta fuit. Poſt mortem illius Sanctus Antiſtes non deſtitit iteratis ſacrificiis illi ſuccurrere, quam tamen devotionem cum tempore interrupit, quia credidit illam jam ſatis expiatam, & ſalvam eſſe. Aliquando noctu audiebat pulſari cubiculi fores, ſimulque vocem ſibi dicentem: Adeſſe ſororem jam triginta dierum inedia famelicam! cohorruit Sanctus, intellexitque ſibi exprobrari, quod triginta diebus ſacrificium pro illa offerre neglexerit. Redintegravit igitur devotionem, additis quotidie multis precibus, & denique ſororem grates ſibi referentem, & ingenti gloria coruſcantem in cælum abire vidit. Daveroult. c. 10. tit. 7. n. 10.

Religioſa Virgo poſt mortem apparens S. Gertrudi, eamque de ſtatu ſuo edocens dixit: Quia Sacram Communionem in vivis libenter accepi, nunc magnum remedium obtineo de Sacramento Altaris pro me oblato. P. Car. Steng. de Statu an. poſt mort. c. 11.

Conſtat ex omnibus Liturgiis, Conciliis, & Patribus Antiquis, ipſaque traditione, & ſanctione Apoſtolorum, Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium non tantum pro vivis, ſed etiam pro defunctis. Sic S. Monica Auguſtini Mater rogavit, poſt mortem ſui memoriam fieri in altari. Ipſe etiam S. Auguſtinus ait bene pro defunctis ſacrificari, & eleemoſynas dari; *Hoc enim a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia.* Ib. c. 13. & ſeq.

### 101. *Juvantur ſuffragiis fidelium.*

Pius carbonarius ſemper de nocte videt feminam ab equite occidi, & in ardentem carbonum foſſam demergi. Igitur portentum ad Dominum loci defert, qui poſtquam omnia etiam ſuiſmet oculis vidit, adjuravit ſpectra, ut faterentur, quænam ſint: & audivit, ſe ita puniri propter adulterium commiſſum, juvari autem ſe poſſe per ſacrificia & preces. E. Verbo Adulterium ex. 3.

Juvenis in Ordine S. Franciſci antea valde tepidus, ſed a P. Conrado converſus, & paulo poſt mortuus, apparuit huic ſuo Patri ſpirituali, ejus precum ſuffragia implorans; cumque ſanctus Vir recitaret orationem Dominicam, anima ſemper conteſtata eſt, ſe mirum in modum in pœnis relevari. Tandem poſt centeſimam orationem edixit, ſe a purgatorii pœnis liberam ad cælum evolare. E. Verb. Converſio n. 17.

S. Tolentinus rogatus a ſpiritu, ut pro ſe cras ſacrificaret, excuſavit ſe obedientia, quæ ſibi aliam obedientiam dictaret. Tunc ſpiritus illi oſtendit ſua & conſodalium ſuorum tormenta, quibus commotus Sanctus, impetrata a Priore licentia, ſacrificium pro ipſis fecit. Et apparens ſpiritus edixit, ingentem animarum multitudinem eo ſacrificio fuiſſe liberatam. E. *Defuncti* n. 17.

Imperator Otto liberalis in vita eleemoſynarius poſt mortem apparet cognatæ Moniali, eamque rogat, ut ſibi certo ſacrificiorum, ac piorum operum numero ſuccurreret. Fecit Virgo, quæ rogata eſt, & Spiritus denuo reverſus grates illi retulit, & ſe in cælos receptum nuntiavit. Daveroult. c. 10. tit. 7. n. 4.

S. Mechtildis quondam vidit animam *Carth. de jud. anim. art. 21.*
cujuſdam defunctæ a Chriſto in hortum amœniſſimum deduci, in quo multitudo animarum menſæ aſſidentium videbatur, quibus apponebantur fercula ſuffragiorum, quæ a viventibus offerebantur.

Helias quidam in deſerto Ægypti, Beato Hieronymo familiaris, in quiete vidit animam cujuſdam Epiſcopi Anconitani, cum ante tribunal Divini Judicis ſiſteretur, ob vitæ luxum & delitias ad æternam pœnam deſtinari; animam vero Theodoſii Senatoris, quod B. Hieronymum magno ſemper honore coluiſſet, ad purgatorii tormenta deductam fuiſſe. Cumque diem ſignaſſet, quo iſta viderat, compertum fuiſſe, ea die illos ambos defunctos eſſe. Vide P. Car. Stengel. de ſtatu an. poſt mortem. c. 9. in fine.

S. Auguſtinus ait: *Sanctæ Eccleſiæ ſa-* *S. Aug. Ser. 32. de Verbis Apoſt.*
*crificio ſalutari, & eleemoſynis non eſt dubium defunctorum animas adjuvari.* Quodſi animæ, pro quibus oramus, non indigeant, ait porro Auguſtinus: *Suffra-*





*gia Eccleſiæ pro valde bonis, gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes.* Hic ſenſus Eccleſiæ jam bis
*2. Mach. 12.* mille annis a tempore Machabæorum, ubi Judas collatione (ſeu collecta) facta miſit duodecim mille drachmas argenti Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, quod factum laudans Eccleſia inquit: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare.* Accedunt teſtimonia SS. Patrum innumera. Vide P. Car. Stengel. de Statu an. poſt mortem c. 12.

Benedictus VIII. Rom. Pont. per S. Abbatem Odilonem; Mater S. Eliſabethæ Regis Hungariæ filiæ noctu lugubri vultu apparens, & auxilium rogans a filia ex flammis liberatur. Ibid. c. 15.

### 102. *Diutiſſime ibi detinentur.*

Anima in mediis flammis exultare cœpit: quæſita ab altera lætitiæ cauſam repoſuit: Revelatum ſibi eſſe a Deo, quod hodie natus ſit puer, futurus cum tempore Sacerdos, per cujus primitias ipſa liberanda eſſet e purgatorio. E. Verb. *Debita.*

Miles quidam a fabro omnia equorum ferramenta emere ſolebat. Cum autem morte præoccupatus non ſolveret debitum poſt triginta annos apparuit uxori cum ferramentis flammantibus, dicens, ſe non poſſe redimi, niſi fabro illi fuerit ſatisfactum. Mulier ſatisfecit, & ſpiritus denuo apparuit gratias agens. E. *Suffragium* 2.

Imperator Ludovicus poſt triginta annorum decurſum apparet filio, eumque amore Dei & omnium Sanctorum rogat, ut tandem aliquando ſe ex igneo carcere redimeret. *P. Car. Stengel. de Statu an. poſt mort. c.* 15.

Anima purgans interrogabat Angelum Cuſtodem, quanto adhuc tempore ſibi in hoc loco tormentorum permanendum eſſet? Et reſpondit Angelus: Hodie natus eſt infans, qui cum tempore fiet Sacerdos, ſub hujus primitiis liberaberis ab his pœnis. O terribile tempus! O longum nimis viginti quatuor annorum purgatorium, præſertim cum miſeris animabus unica dies, annus videatur! ſiquis hominum unius dentis dolore per viginti quatuor annos affligi deberet, quam miſerum ſe reputaret! Et quid erit eheu! tanto tempore crudeliſſimo igne torqueri!

*V. Beda l. 5. hiſt. c. 13.* In Provincia *Nordam Humbrorum* cuidam oſtenſæ fuerunt pœnæ purgatorii, dictumque, animas, quæ in purgatorio detinentur, non ſalvandas niſi in die u- *Dionyſ. Carth. ex Petro Cluniac.*
niverſalis judicii. Quidam Decretorum Doctor in illis tormentis interrogatus, an ſe propediem liberandum ſperaret? repoſuit, ſcio, quod ante judicii diem veniam non conſequar. *P. Car. Steng. de Statu an. poſt mortem c.* 10.

### 103. *Patiuntur propter teſtamenta non executioni data.*

Miles poſt plurium annorum militiam nil aliud poſſidens, quam equum, præcepit moriturus ſuo nepoti, ut equum venderet, & pecuniam pro anima ſua in pauperes diſtribueret. Nepos neglexit facere mandata, & equum ſibi vendicavit. Apparens ergo miles poſt ſex menſes exprobravit illi infidelitatem, dixitque illi, quod reſiduum pœnarum ille ſubiturus eſſet. Mox nepos mortuus pœnas illas incurrit. E. *Defuncti.* n. 12.

Mater pro defuncta filia hebdomadatim certa ſacra fieri curabat, & pecunias ad æditum deferendas privigno tradebat. Apparuit autem filia in ſomnis Matri, conqueſta, quod privignus partem ſtipendii ſibi retineret. Indagans in rem Mater æditum convenit, & ex ejus catalogo revera invenit, verum eſſe, quod in ſomno audierat. J. 142.

Miles cognato ſuo equum teſtamento reliquit, mandans, ut equum venderet, & pro pretio ſacrificia ſibi fieri curaret. Cognatus neglecto mandato, uſus eſt equo ad ſuam commoditatem. Paulo poſt illi apparuit miles, inquiens: Nunc exoluta dimidia parte pœnæ mihi dictatæ poſſem ſalvari, ſed quia mandatum meum neglexiſti, jam alteram partem pœnæ tibi exolvendam relinquo. Paulo poſt mortuus eſt negligens executor, & ad purgatorium deportatus. Daveroult. c. 10. tit. 7. n. 3.

Frater quidam Ordinis S. Franciſci in orando pro defunctis valde negligens, poſt mortem apparet, & conqueritur, ob hanc negligentiam ſibi ſuffragia fratrum nihil prodeſſe. Sic illis fiet, qui teſtamenta defunctorum non exequuntur; fiet enim, ut & ipſorum teſtamenta negligantur. P. Car. Stengel. c. 18. & ſeq.

### 104. *Beneficia exhibita obſequiis compenſat.*

Deus animabus permittit varia obſequia præſtare ut declaret, quam gratum illi ſit, ſi juventur. Quidam Eques ab

inimicis] occidendus per ſpiritum qui ejus aſſumpſerat formam, a morte præſervatur. P. p. 2. diſ. 20. n. 16.

Devotus quidam in more poſitum habuit, quoties cœmeterium tranſibat, ſemper defunctis animabus requiem precari. Ubi ergo obiit, defuncti e tumulis progreſſi in Eccleſiam, hymnis & canticis illi parentarunt. E. *Defunct.* n. 3.

Alias defuncti militem, cui inimici mortem machinabantur, e manibus hoſtium, & a morte liberarunt; cum enim ille ad cœmeterium fugiens pro defunctis pro more oraret, apparuit turma animarum, & inſectantes inimicos vi & terrore repulit. E. *Defunct.* n. 4.

Euſebius Princeps Sardiniæ urbem locupletiſſimam regni, ejuſque proventus auxilio animarum deſtinabat. Hanc urbem oppugnare intendit Oſtorgius Princeps Siciliæ, & ecce; contra eum apparuit, & cum exercitu Euſebii ſe conjunxit legio animarum, tota candeſcens, in equis albis ſedens, quæ Oſtorgio internecionem minitabatur, niſi pacem præeligeret, quam etiam humiliter petiit. E. *Defunct.* n. 25.

Nobilis ſceleratus, ſed in defunctos beneficus cum itinerans ad quercum venit, ubi latro diſsectus pendebat, juſsus eſt a latrone ſiſtere & equum ſibi commodare. Pergens in equo latro ab inimicis quatuor ſclopis trajectus, rediit ad nobilem, & ei, hanc mortem illi paratam fuiſse aſserens, miſericordiam in defunctos commendavit. J. 3.

S. Catharina Bononienſis dicit, ſe omnia beneficia a Divino Patre per animas purgantes impetraſse, etiam ea, quæ a cœlitibus impetrare non poterat. *N.* 2. *Nov.*

Cum ergo tanta ſit gratitudo animarum adhuc in igneo carcere detentarum, certum eſt, longe majorem fore illarum gratitudinem erga ſuos benefactores, quorum ſuffragiis e pœnis liberatæ, & in beatam cæli patriam aſsumptæ fuerunt; Quis ſatis explicet; Devicto Philippo Macedone, cum Flaminius Romanus per præconem proclamari juſſiſset, jam omnes Græciæ urbes liberas eſse, tanta exultationis voce populus cælum complevit, ut attonitæ aves ex aere deciderint. Quanta ergo erit lætitia animæ e flammeo carcere eductæ? C. Exod. 22. v. 37. Pro menſura hujus lætitiæ erit earum in cælis lætitia, ut beneficium ſuæ redemptionis benefactoribus ſuis tam temporali, quam ſpirituali, imo æterna gratitudine compenſent.

104. *Dignæ ſunt commiſeratione.*

Multi hominum etiam commiſerationem erga bruta temperare non poterant: Cum in navi, ubi multi Delphini tenebantur, pernoctarem, ait Gellius, adeo eos animadverti humano gemitu, magnaque lacrymarum vi ſuam conditionem deplorare, ut hujuſmodi piſcium commiſeratione lacrymas tenere non potuerim. Proximum itaque præ aliis ingemiſcentem, dormiente piſcatore in mare emiſi, malui enim lædere piſcatorem, quam ſupplicantem non ſublevare: ſed nihil promovi; hoc enim elapſo reliqui magis magiſque gemitum auxerunt: quam ob rem in illa nocte in acerbiſſimo luctu verſatus ſum. W. art. diſc. font. 78. ex. 4. Quod ſi piſces, ideſt, Delphini tantam commeruere commiſerationem, quid animæ purgantes.

*Gellius in Delphin.*

Nullus affectus in homine facilius commovetur, quam commiſeratio: ſi canem tuum domeſticum excoriari vides, vix temperas a lacrymis, tantoque major eſt tua animi compatientis afflictio, quanto tenerior eſt amor erga eum, quem vides miſerum ac calamitoſum. Quaſo, ſi parentes, ſi fratres & ſorores igne comburi, & quidem innocentes cerneres, quanta tua foret triſtitia & compaſſio; O mi Chriſtiane, forſan parentes, forſan fratres & ſorores, defacto igne crudeliſſimo torquentur! compatere, ſuccurre, ne differ auxilium; &c.

*Dan. 14.*

Rex Babylonis propter rebellionem ſacrificulorum, & populi miſit Danielem Prophetam in lacum leonum: invitus hoc fecit, optabatque vehementer advenire interceſſores, ad quorum inſtantiam parcere poſſet Prophetæ, ſed urgebat importunitas populi. Sic juſtitia Dei mittit animas in purgatorium, quarum ipſe commiſerationem habet: libenter parceret, ſed non poteſt modo exigente juſtitia. Quod autem per ſe non poteſt, exſpectat ab interceſſoribus, ideſt, a fidelibus per preces, & ſuffragia.

## Judicium particulare.

105. *Erit plenum terroribus.*

Sanctus Aug. deſcribit: *Superius erit iratus Judex, inferius horrendum chaos: a dextris peccata accuſantia, a ſiniſtris infinita dæmonia ad ſupplicium trahentia, intus conſcientia urens: quo fugiet peccator ſic deprehenſus?* Quantus horror & tremor erit peccatoris? exclamat Sanctus Bernardus: *Quid tam pavendum, quid tam plenum? anxietatibus excogitari poteſt, quam judicandum adſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc exſpectare ſub tam diſtricto judice ſententiam?* B. ſer. 19. n. 5.

*S. Aug. tr. 38. in Joann.*

*S. Ber. ſer. 8. in Pſ. 90.*

Imaginare tibi Iſaacum in monte Moria ſolum, ligatum, ſine auxilio, ſub paterno enſe in momenta ſingula exſpectantem fatale momentum, & audi Olorium: *Si, qualis ſis futurus, noſſe cupis, memor eſto Iſaaci ligati ſupra ligna prope ignem, & gladium evaginatum patris &c.* B. ſerm. 19. n. 6. ſeq.

Augebit timorem peccatoris, quod videat ſe in illius ipſius Domini manus incidiſſe, quem offendit. Cur fratres Joſephi adeo trepidabant, cum audierunt: *Ego ſum Joſeph, frater veſter?* nempe quia memores erant injuriæ fratri illatæ, ait Pererius: *Timorem illis maximum faciebat contemplatio potentiæ Joſeph, a quo facile quocunque ſupplicio vellet, puniri poſſent, &c.* B. ſer. 22. n. 6. ſeq.

*Pererius in Gen. 45. v. 3.*

Augebit timorem peccatoris, quod omnia ſua peccata intuiturus ſit: *Theſaurizas tibi iram.* Qui theſaurizat, monetam monetæ addit, uti mercator facit, qui omnes monetas in ſcrinium dejicit, in fine hebdomadis autem omnes invenit: Ita in judicio omnia peccata in lucem protrahentur, heu quanta confuſio! Si dilectus Regis amicus rebellionis convincatur per ſuaſmet litteras, heu quantus tremor! ſi peccatum quoddam enormius in confeſſionali exponendum habes, heu quantum contremiſcis! Et quid erit ibi, cum peccata etiam occultiſſima oculis tuis patebunt! B. ſer. 22. §. 2. & 3.

Si rex ignobilem filiam ad thronum, & conjugium ſuum elevet, illa vero turpi facinore regium thorum adulteret, quantum contremiſcet miſera, ſi in regis manus incidiſſe ſe viderit? Hic, & longe deterior ſtatus erit miſerrimi peccatoris in judicio. B. ſer. 29. §. 1.

Creſcet horror peccatoris ex aſpectu Judicis; ſi Regina Eſther deliquio concidit, cum intuita eſt majeſtatem Aſſueri, & quidem amici: quid erit cum peccatrix anima intuitura eſt majeſtatem Dei, & quidem inimici. S. punct. 132.

Judicium terribile eſt tam ex parte hominis judicati quam ex parte Dei judicantis: Ex parte hominis; quia plenus eſt iniquitate: Eſt enim natus filius iræ, per peccatum poſt baptiſmum factus magis reus, certus quidem quod gratiam amiſerit, ſed non certus quod recuperarit, gratiis actualibus a Deo dandis obicem poſuit, datis non reſpondit, quotidie plus mali præſtitit, quam boni, & quæ ſunt ſimilia, &c. Ex parte Dei autem; quia plenus eſt ſanctitate, & ideo intime ſcrutabitur renes & corda. Imo ad ipſam hanc ſanctitatem noſtra quæcunque ſanctitas ſuum perdet fulgorem. *Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus, &c.* Job. 15. Segn. Manna 19. Jul. n. 3. & 3.





106. *A nemine non debet timeri, etiam ſancto.*

Nemo dicat: non timeo, quia reum me eſſe neſcio: S. Job id cogitavit, ſed dein *pondus ejus ferre non potuit:* & exclamavit David: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Segn. Manna 19. Jul. nu. 1.

*Job. 7.* *Pſ. 142.*

Nemo ſecurus certuſque eſt, an ſit expers peccati. *Delicta quis intelligit?* Adam putabat ſe non notabiliter deliquiſſe: Anſelmus ait: Quanta nunc velata velo ſanctitatis apparebunt ingentia peccata. Et Auguſtinus: Væ etiam laudabili vitæ, ſi remota miſericordia diſcutias eam. *Oſſa mea perterrita ſunt.* Ubi Gregor. Quid per oſſa niſi fortia facta ſignantur, &c. S. punct. 133. fol. 420.

*S. Aug. l. 9. Confeſſ. c. 13.*

Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis: En; Sancti timent ſua opera ſibi non ſuffectura. Si juſtus ergo vix ſalvabitur, peccator ubi parebit? M. conc. 6. aſſ. 2. n. 3. ſeq.

Peccata noſtra ſub ipſo examine Dei creſcent, & fœdiora apparebunt, quia tunc excuſationes, & extenuationes adimentur, quibus in hac vita palliantur. S. punct. 133. f. 421.

Regum quidam ſemper triſtis, quæſitus a fratre de quo triſtaretur, repoſuit: timeo judicium, cumque frater hanc cauſam vilipenderet, juſſit rex, ut nocte intempeſta ante palatium fratris tuba inflaretur, quod erat ſignum judicii feralis. Mane venit frater pullatus ac tremens in palatium regis cauſam ſuæ condemnationis interrogans: At Rex repoſuit: Mi frater non eſt, quod timeas; verum cogita, ſi tu adeo exhorreſcis judicium humanum, quanto magis ego ſolicitus ſim de Divino. E. *Judicium* n. 5.

### 107. *Judicabit etiam de gratiis non acceptis.*

*Metis, ubi non ſeminaſti*, præcidens falce judicii, ait Hugo Carenſis, eos, quibus legem non dediſti. Fratri Ægydio a Deo dictum eſt: Para te, o Ægydi, ut eorum, quæ nunquam habuiſti, rationem reddas, quia dediſſem ego, ſi dignus fuiſſes. O rigorem! non ſolum habita, ſed etiam non habita judicantur. Si quæraris ergo, cur non habueris patientiam Jobi, caſtitatem Joſephi &c. Quid reſpondebis? S. punct. 133. f. 421.

Fratrum quidam mortuus apparuit alteri nihil aliud dicens, quam: Nemo credit! nemo credit! nemo credit, quam diſtricte judicet, & quam ſevere puniat Deus. E. *Judicium* 8.

In judicio præſentes erunt ſancti tui Nominis, tuæ patriæ, tui muneris & officii, & quorum vitæ hiſtoriam unquam legiſti vel audiiſti. Diceteque Judex, ſi primæ gratiæ ita cooperatus eſſes ſicut hi Sancti, dediſſem tibi fidem Petri, caſtitatem Joannis, zelum Pauli, pœnitentiam Magdalenæ, & Auguſtini, &c. C. Soph. 1. v. 12.

Mi Chriſtiane, Divinus Judex non erit contentus, quærendo, qualis modo ſis, ſed indagabit, qualis cum Dei gratia, & tua cooperatione fieri debuiſſes. Artificioſus æriſuſor, cum ſtatuam æneam e furno eruit, & videt difformem, ac monſtroſam, rurſus illam in ignem projicit, ut in meliorem figuram refundat. Ita Deus Judex cum videt te ad eam perfectionem non aſcendiſſe, ad quam per Beneficia & gratias tibi collatas aſcendere poteras, ad ignem te damnabit, non quidem corrigendum, ſed puniendum, &c.

### 108. *Timetur a Sanctis, & innocentibus.*

S. Job totus anxius quærit: *Quid faciam, cum venerit ad judicandum Deus?* cum tamen de ſeipſo fateatur, quod in nullo ſe reprehendat cor ſuum. Rex Ezechias flevit fletu magno, quia compariturus erat coram Judice. Sanctus Paulus ait, nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. S. Hieronymus ſemper ſibi videtur audire tubam ultimam. Sanctus Hilarion poſt 70. annorum pœnitentiam moriturus timet, & tremit. B. ſer. 25. n. 1. 2. ſeq.

S. Hier. in Pſ. 81. *In medio Deos dijudicat*, ubi Hieronymus: Res formidabilis, ſi Deos dijudicat, de peccatore quid fiet? S. punct. 130. fol. 404.

*A conſpectu throni fugit cælum, & terra*, quamvis ſint innocentes creaturæ: Apoc. 20. quid faciendum peccatori. Philoſophus enuntiat, qui fulgura non timet, non fortis eſt, ſed demens, & temerarius: ita qui judicium non expaveſcit, deſipit, quantumcunque ſanctus eſt. S. punct. 132. f. 417. Vide etiam Lud. Granat. f. 112. Dux Peccatorum.

Margaritæ, quantumvis candidæ, in ſole rubeſcunt. VV. art. diſc. font. 48. ex. 11. nu. 6. Ita innocentes animæ, & ipſi Angeli ad aſpectum ſolis juſtitiæ erubeſcent.

Abbas Eliſas dicere ſolebat: Ego tres res timeo: primam, quando egreſſura eſt anima mea de corpore: ſecundam, quando occurſurus ſum Deo. Tertiam, quando adverſum me proferenda eſt ſententia. C. Lev. 16. v. 29.

### 109. *Quam diſtrictum & rigoroſum.*

S. David quærit: *Quis aſcendet in montem Domini*, hoc eſt quis ſalvabitur? & reſpondet: *Innocens manibus & mundo corde &c.* Ideo in judicio cogitationes, verba, & opera diſtrictiſſime examinabuntur, &c. B. ſer. 54. §. 3. 4. 5.

*Deus ſtetit in Synagoga, in medio autem Deos dijudicat*: ubi S. Hieronymus: Res formidabilis, res plena terroris, ſi Deos, id eſt Sanctos dijudicat, de peccatore quid fiet? S. p. 130. f. 404.

S. Job magnam habebat confidentiam in ſua opera: *Appendat me in ſtatera juſta &c.* ſed poſtea fatetur de ſuo judicio: *Pondus ejus ferre non potui. Non intres in judicium cum ſervo tuo, &c.* S. punct. 133.

*Saliens in montibus ſimilis capreæ, hinnuloque cervorum*: ubi Bernardus: Hinnulus apparet; nam acuto viſu eſt, & nihil inſcrutatum relinquet oculus ejus. M. conc. 6. aſſ. 2. n. 2.

Thronus Chriſti in primo adventu erat præſepe; ſecundus thronus erit *ſicut ſol*: ſol illuminat profunda maris, penetrat terram, prodit atomos in aere, &c. S. punct. 133. f. 419.

*Veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Alii legunt: *uſque ad radices pedum meorum perveniſti.* Sicut anatomiſtæ omnes nervulos in lucem protrahunt, ſic ille de oculis, an ſint puri, de auribus an ſint caſtæ, de manibus pedibuſque examen inſtituet rigoroſus Judex. S. Auguſtinus





S. Aug. Soliloq. c. 4. ait: *Nec ſolum intentionem, ſed radicis ejus medullam intimam diſertiſſima lucis tuæ veritate colligis, numeras, intueris, & conſignas.* S. punct. 113. f. 419. Vide Paoletti Dom. 1. Adventus.

### 110. *Non admittet ullam excuſationem.*

Homo non veſtitus veſte nuptiali ad primam interrogationem obmutuit: In illa diſtrictione, ait Gregor. omne argumentum ceſſabit excuſationis. S. p. 130. fol. 404. M. conc. 6. aſſ. 2. n. 5.

Gen. 3. Tunc aſſumi non poterunt fici folia ad excuſandas excuſationes in peccatis, & ad peccati turpitudinem operiendam.
Gen. 31. Non erunt tunc ſtramenta camelorum, ſubter quæ idola Laban obregantur. Non
Ezech. 8. erit tunc opus templi parietem fodere, ſed per apertum undequaque templum latentes introrſum abominationes toti orbi patebunt. S. Petrus judicii diem vocat tempus reſtitutionis; quia tunc unicuique ſuum reſtituetur bono præmium, iniquo pœna, hypocritæ ignominia, &c. S. punct. 134. f. 423.

Excuſationes in hoc mundo ordinarie fiunt cum ignorantia, & cum fragilitate: neutrum ibi ſufficiet: Non ignorantia: quia vixiſti in medio orbis Chriſtiani inter tot monita. Non fragilitas; quia non adhibuiſti remedia firmandi fragilitatem &c. Segn. Manna 3. Martii, n. 3.

Soph. 1. *Scrutabitur Jeruſalem in lucernis.* Lucernæ ſunt vita Chriſti & Sanctorum, ſic S. Joannes Baptiſta vocatur *Lucerna ardens & lucens*. Ideo Sancti intererunt judicio, ut ſuis virtutum exemplis confundant peccatores. Cum igitur dicet peccator excuſare ſe volens, non potui ſervare caſtitatem, Divinus Judex oſtendet ei S. Auguſtinum in libidinem propenſiſſimum; oſtendet Magdalenam, Pelagiam, alioſque dicendo, potuiſſes vincere per eandem gratiam, quam tibi præparavi, & dediſſem, ſi eandem humiliter & inſtanter petiiſſes, &c. C. Sophon. 1. verſ. 12.

### 111. *Non mitigabitur per interceſſionem Sanctorum.*

*Erunt ſigna in ſole*: nunc ſol in ſignis eſt: ſed tunc ſigna in ſole: ſigna ſunt Sancti: ſignum magnum ſanctiſſima Virgo. Nunc ſol juſtitiæ Chriſtus eſt in ſignis influens gratias juxta interceſſionem ſanctorum. Sed tunc erunt ſigna, hoc eſt, Sancti in ſole, Chriſto: *Abſorpti ſunt juncti petræ Judices eorum*, hoc eſt, inquit Bernardus, abſorpta eſt voluntas Sanctorum a voluntate Chriſti ad effectum juſtitiæ. S. p. 132. f. 416. in fine. S. Ber. in Pſ. 140.

Dies illa judicii vocatur *dies vindictæ*; quia tunc Judex non acquieſcet cujuſquam precibus: etſi omnes Sancti ſeſe offerrent, quod velint in terram redire, tantum ut pro anima tua ſatisfacerent, Deus non acceptaret, &c. Segn. Manna 9. Jul. n. 4.

Confidit forte peccator in patrocinio Beatiſſimæ? errat! Pauſanias antea defenſor patriæ dein proditor detecto crimine fugit in templum Palladis: Senatus decrevit quidem ſacri loci aſylum non violare, ſed juſſit obmurari portam templi, ut adeo Pauſanias fame interierit: dicitur quod ejus Mater primum lapidem ad obſtruendam portam apportaverit: ita B. V. erit prima omnium accuſatrix. Foreſti T. 2.

Udo ſceleratus Antiſtes Magdeburgenſis noctu e lecto rapitur, & adſtante Sanctorum corona a S. Mauritio decapitatur in ſua Eccleſia. Nemo Sanctorum intercedebat, ſed omnes clamabant: *Reus eſt mortis*. C. Joel. 2. v. 31.

### 112. *Confundet peccatorem intuitu ſuorum ſcelerum.*

In Paradiſo Adam fugit coram facie Dei, qui tamen venit ibi, ut eum contegeret; quid fiet, ſi veniat pudenda detegere, ait S. Auguſt. S. p. 135. f. 425.

Hæc confuſio intolerabilior pœna erit, quam ipſe infernus, dicente Auguſtino: *Majus tormentum malis erit, furorem Domini tolerare, quam cruciatus infernales perpeti*. S. p. 135. f. 425.

*Confundemini, ut quercus defluentibus foliis*, quæ in hyeme denudatur: *Revelabit condenſa*, ubi Titelmannus: Silvæ condenſæ dicuntur propter frondium denſitatem. Ita Deus judex denudabit conſcientias peccatorum &c. S. punct. 134. fol. 423. Iſa. 1.

Carolo V. dum per feneſtras ludos ſpectabat, quidam aulicus aliquot aureos in menſa jacentes furatur: Imperator vidit furtum retro factum in ſui anuli gemma, dein furem aureos expromere, ac ab aula faceſſere jubet. Quanta confuſio fuerit hujus aulici ex eo patet, quod poſt paucos dies fuerit mœrore mortuus, &c. D. 6. 25.

Hinc conſcientiæ remorſus erit peccatoribus in judicio pœna intolerabilis. Paoletti Dom. 1. Advent.

S. Greg. hom. 12. in Evang. Chryſaorius Uſurarius, cujus terribile judicium S. Gregorius deſcribit, videns & audiens ſua peccata in morte ejulat, & ululat. C. Joel. 2. v. 31.

Soph. 1. *Scrutabitur Jeruſalem in lucernis:* Deus Judex ſcrutabitur arcana mentium, revelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, hactenus ſtudioſe celata. Lucerna ſcrutans & illuminans eſt 1. Ipſa mens Dei omniſcii. 2. Angeli & dæmones teſtes. 3. Ratio & conſcientia. 4. Lex & Verbum Dei. 5. Vita Chriſti & Sanctorum. C. Sophon. 1. v. 12.

Apoc. 20. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni.* Per magnos & puſillos intelligi poſſunt juſti, & impii: hi enim intuitu illorum confundentur: Neroni opponetur Henricus, impiis præſulibus Gregorius, Carolus Borromæus: Impiis opificibus Criſpinus, Aratoribus Iſidorus &c. M. conc. 6. aſſ. 2. nu. 9. ſeq. Vide Titulum: *Sancti cælites.*

Improvidi famuli, aut ancillæ, quæ in ſtabulis, aut horreis cum candelis & lumine incautæ incendium cauſant, quanto magis culpam ſuam celare, & ignem per ſe ſuffocare conantur, tanto magis flamma & fumo exſuperante produntur: ita in judicio, qui vocatur dies ignis, tanto clarius peccata prodentur, quanto ſolertius peccator ſuas turpitudines occultare conabitur.

### 113. *Fidelium erit durius quam infidelium.*

*Cum iratus fueris Miſericordiæ recordaberis*, ideſt in die iræ recordabitur Judex beneficiorum Chriſtiano homini collatorum. Recordabitur tuæ creationis, tuæ Redemptionis, tuæ vocationis ad fidem, tuæ conſervationis, tuæ communionis & participationis Sacramentorum; & hæc omnia peccatum, ac judicium tuum aggravabunt, &c. Segn. Manna 8. Junii n. 3.

Imperator Mauritius ob immiſericordiam ſuam ad judicium citatus, & certo periturus, rogat temporaliter potius quam æternaliter puniri. Et ecce; a Phoca, & imperio, & vita cum uxore & prolibus ſpoliatur. C. Joel. 2. v. 31.

S. Hieronymus lectione Ciceronis nimium delectatus ad Chriſti tribunal rapitur, & ibi audit: *Ciceronianus es, non Chriſtianus*, ideoque acriter vapulavit, ut ipſe refert ad Euſtochium Virginem. C. Joel. 2. v. 31.

Peccatum Chriſtianorum, ſi cætera ſint paria, gravius eſt, quam infidelium propter clariorem agnitionem rerum cæleſtium, & propter ſpecialem ingratitudinem: ergo etiam judicium hominis Chriſtiani erit durius, quam infidelium; cui enim plus datum eſt, plus requiretur ab eo. Ideo etiam fideles profundius in infernum demergentur, quam infideles.

Cœleſtis Patria eſt inſtar munimenti validiſſimi, quod vi expugnari debet, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Jam ſi cæcus & infirmus nullum conatum adhibet, ut regnum cœlorum expugnet, tolerabile malum eſt: verum ſi cordatus miles, robuſtus & omni armorum genere optime inſtructus ex mera deſidia, & negligentia nec manum nec pedem moveat ad expugnandam hanc urbem, extremo ſupplicio dignum eſt delictum. Homo infidelis cæcus, & infirmus eſt, Chriſtianus robuſtus & armatus: igitur hujus ignavia ſeveriori judicio punietur, quam illius.

## JUDICIUM UNIVERSALE.

### 114. *Cur præter particulare habendum ſit.*

SAnctus Thomas affert rationes Judicii Univerſalis: Primo; Ut boni, vel mali effectus operum humanorum pateant. Secundo: ut hominibus juſtis honor reddatur, qui a potentibus, & peccatoribus ſæculi illis fuit negatus. Tertio: Ut tam corpus, quam anima ſimul præmium, aut pœnam recipiat. Quarto: Ut appareat honor Chriſti, qui coram toto mundo deſpectus coram toto mundo glorificari debet. Quinto: Ut manifeſtetur Providentia Dei, qua mundum gubernavit. B. ſer. 31. §. 1. Serm. 32. n. 1.

Homo ſæpe comparatur arbori: *Video homines ſicut arbores ambulantes.* Bona arbor bonos fructus, mala malos facit: quæ autem malos fructus profert excidetur, & in ignem mittetur. Cur autem comparatur homo arbori? Reſp. Sicut arbor, licet excidatur, altero tamen anno in nova germina iterum propullulat: ita opera hominum, utut jam diu mortuorum, varios adhuc, eoſque ſeu bonos, ſeu malos effectus poſt ſe trahunt, qui in judicio univerſali manifeſtabuntur. B. ſer. 34. n. 3. ſeq.

Sancti, & juſti in hac vita injuſte perſecutionem paſſi in die judicii honorem ſuum recuperare debent; eſt enim dies





judicii dies reſtitutionis omnium, &c. B. ſerm. 37. n. 5.

Quamvis homo per mortem abripiatur, in multis tamen adhuc eſt ſuperſtes: eſt ſuperſtes in bonis & malis exemplis, in educatione liberorum, in ſepulcris pretioſis, in operibus litterariis; ita Calvini opera adhucdum producunt effectus ſceleratos, opera Chryſoſtomi effectus ſanctos: ideo erit Judicium univerſale, ut etiam hi effectus ſuam remunerationem ſortiantur. Segn. Manna 13. Majii 5.

### 115. *Habebit ſigna prodroma terribilia.*

Signum judicii extremi erit perſecutio Antichriſti, ſic dicti, quia in omnibus erit antitheſis Chriſti Domini: ex adulterio Babyloniæ natus veneficorum coryphæus erit: Judæos ad ſe trahet, & magno deceptoriæ virtutis ſplendore multos etiam chriſtianos pervertet. Suos ſequaces honoribus & divitiis, adverſarios tormentis afficiet, imagines, ac ceremonias Chriſtianæ legis omnes abolebit, & falſa miraculorum ſpecie orbem decipiet, &c. B. ſerm. 31. §. 2. Sanchez p. 8. c. 1.

Signum alterum extremi judicii erit turbatio ſiderum, ac elementorum: *Erunt ſigna, in ſole & luna, & ſtellis.* Sol obſcurabitur, ſtellæ de cœlo cadent: Aer turbabitur procellis, aquæ ſonitu, & æſtu, terra motibus: ignis undique e montibus erumpet. Sed cur Deus in has innocentes creaturas ſæviet? audi in ſimili: ſicut maritus zelotypus non tantum in adulteram ſævit, ſed & in mundum illius muliebrem: ita ira Dei non tantum in hominem, ſed & in creaturas, quibus ad peccata abuſus eſt, exardeſcet, &c. &c. Serm. 31. §. 3. Sanchez p. 8. c. 2.

Signum tertium extremi judicii erit deſtructio mundi, & hæc certe ex variis ſignis & indiciis procul abeſſe non poteſt: 1. Quia ſex diebus conditus eſt mundus: ergo totidem millibus annorum conſiſtet; mille enim anni ante Deum ſicut dies unus. Septima dies eſt Sabbatum, ſeu æterna requies. 2. Tres in mundo ſucceſſive fuerunt leges ſeu ſtatus, lex naturæ, Moyſis, & Chriſti: ſicut ergo duæ primæ durarunt bis mille annis; ita & Lex Chriſti non durabit ultra annos bis millenos. 3. Mundus jam videtur conſeneſcere, deficit in fertilitate naturæ, in ætate hominum, in virtute, in ſinceritate amicorum, aliiſque. C. in Apoc. 20. v. 5. Haud procul igitur abeſt, ut dixi, deſtructio mundi, eaque fiet per ignem: ignis enim ex quatuor mundi partibus velut liquefactum metallum incurret, omniaque exuret &c. B. ſerm. 31. §. 4. Vide C. in Apoc. 6. v. 17.

Baſilius Moſcoviæ Dux conſpirationis ſocios omnes delevit, cum familia, uxore, liberis, ſervis, pecudibus, canibus, felibus, imo dum milites infanti in cunis blande ſibi arridenti parcerent, ipſe infantem tribus vulneribus confecit, & milites morti addixit. T. nu. 407. Sic Deus mundum deſtruet, quia peccatori ſervivit.

Perſecutio Antichriſtica erit terribilis. C. 2. Theſſal. 2. v. 3.

Plinius cum Veſuvii incendium cinerem, & ſaxa ignita ejaculantis, & ſulphuris imbrem ad multa milliaria propagantis conſpicit, metu moritur. Quid fiet tum, cum tota natura patietur. D. 8. 14.

Dantur aliquæ res, quæ igni noſtro elementari reſiſtunt; ſic Ariſtoteles teſtatur ſe vidiſſe in igne muſcas majores ſine læſione: quidam homines viſi ſunt plumbo liquato manus lavare: veſtes aſbeſtinæ non aqua ſed igne purgantur. VV. ar. diſc. font. 21. Ex. 4. ſed illi igni nihil reſiſtet.

### 116. *Erit terrribile ſupra captum.*

Dies illa tam terribilis eſt, ut Joel balbutire incæperit, dum de ea loqui volebat: A A A, prope eſt dies Domini. Jeremias *terribilem*: Sophonias, *diem iræ*, Iſaias, *diem crudelem* vocat. Hujus diei memoria eremos Anachoretis, cœlum Sanctis: econtra hujus diei oblivio infernum damnatis complevit. B. ſerm. 31. n. 6.

*Stilla ad Africum:* ubi Hugo: dicitur ſtilla, quaſi dicat: quidquid dixeris, aut oſtenderis terribilitatis, non eſt niſi modica ſtilla, &c. M. conc. 6. aſſ. 2. n. 1.

S. Job lamentatur: *Quid faciam, cum* Job. 31.
*ſurrexerit ad judicandum Deus?* Ecce; vel hoc ſolum terribile eſt, quod Chriſtus exuet munus Advocati, cujus gratia jam plus boni recipis, quam merearis, & aſſumet munus Judicis, &c. Segn. Manna 3. Martii n. 1. Vide Sanchez par. 8. c. 4. Paoletti Dom. 1. Adventus.

Bogoris Rex Bulgarorum depicti Judicii imaginem videns adeo exhorruit, ut intempeſta nocte Baptiſmum ſuſceperit. E. *Imago* n. 12.

Quidam Hiſpanus pro Epiſcopatu Genevenſi examinatus, cum vidit conſeſſum Pontificis Clementis VIII. & Cardinalium coram quo reſpondere deberet, ex metu deliquium paſſus non ſe collegit, ſed mortuus eſt. T. n. 107.

S. Greg. hom. 12. in Evang. Chryſaorius Uſurarius, cujus terribile judicium S. Gregorius deſcribit, videns & audiens ſua peccata in morte ejulat, & ululat. C. Joel. 2. v. 31.

Soph. 1. *Scrutabitur Jeruſalem in lucernis:* Deus Judex ſcrutabitur arcana mentium, revelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, hactenus ſtudioſe celata. Lucerna ſcrutans & illuminans eſt 1. Ipſa mens Dei omniſcii. 2. Angeli & dæmones teſtes. 3. Ratio & conſcientia. 4. Lex & Verbum Dei. 5. Vita Chriſti & Sanctorum. C. Sophon. 1. v. 12.

Apoc. 20. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni.* Per magnos & puſillos intelligi poſſunt juſti, & impii: hi enim intuitu illorum confundentur: Neroni opponetur Henricus, impiis præſulibus Gregorius, Carolus Borromæus: Impiis opificibus Criſpinus, Aratoribus Iſidorus &c. M. conc. 6. aſſ. 2. nu. 9. ſeq. Vide Titulum: *Sancti cælites.*

Improvidi famuli, aut ancillæ, quæ in ſtabulis, aut horreis cum candelis & lumine incautæ incendium cauſant, quanto magis culpam ſuam celare, & ignem per ſe ſuffocare conantur, tanto magis flamma & fumo exſuperante produntur: ita in judicio, qui vocatur dies ignis, tanto clarius peccata prodentur, quanto ſolertius peccator ſuas turpitudines occultare conabitur.

113. *Fidelium erit durius quam infidelium.*

*Cum iratus fueris Miſericordiæ recordaberis*, ideſt in die iræ recordabitur Judex beneficiorum Chriſtiano homini collatorum. Recordabitur tuæ creationis, tuæ Redemptionis, tuæ vocationis ad fidem, tuæ conſervationis, tuæ communionis & participationis Sacramentorum; & hæc omnia peccatum, ac judicium tuum aggravabunt, &c. Segn. Manna 8. Junii n. 3.

Imperator Mauritius ob immiſericordiam ſuam ad judicium citatus, & certo periturus, rogat temporaliter potius quam æternaliter puniri. Et ecce; a Phoca, & imperio, & vita cum uxore & prolibus ſpoliatur. C. Joel. 2. v. 31.

S. Hieronymus lectione Ciceronis nimium delectatus ad Chriſti tribunal rapitur, & ibi audit: *Ciceronianus es, non Chriſtianus*, ideoque acriter vapulavit, ut ipſe refert ad Euſtochium Virginem. C. Joel. 2. v. 31.

Peccatum Chriſtianorum, ſi cætera ſint paria, gravius eſt, quam infidelium propter clariorem agnitionem rerum cæleſtium, & propter ſpecialem ingratitudinem: ergo etiam judicium hominis Chriſtiani erit durius, quam infidelium; cui enim plus datum eſt, plus requiretur ab eo. Ideo etiam fideles profundius in infernum demergentur, quam infideles.

Cœleſtis Patria eſt inſtar munimenti validiſſimi, quod vi expugnari debet, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Jam ſi cæcus & infirmus nullum conatum adhibet, ut regnum cœlorum expugnet, tolerabile malum eſt: verum ſi cordatus miles, robuſtus & omni armorum genere optime inſtructus ex mera deſidia, & negligentia nec manum nec pedem moveat ad expugnandam hanc urbem, extremo ſupplicio dignum eſt delictum. Homo infidelis cæcus, & infirmus eſt, Chriſtianus robuſtus & armatus: igitur hujus ignavia ſeveriori judicio punietur, quam illius.

## JUDICIUM UNIVERSALE.

114. *Cur præter particulare habendum ſit.*

SAnctus Thomas affert rationes Judicii Univerſalis: Primo; Ut boni, vel mali effectus operum humanorum pateant. Secundo: ut hominibus juſtis honor reddatur, qui a potentibus, & peccatoribus ſæculi illis fuit negatus. Tertio: Ut tam corpus, quam anima ſimul præmium, aut pœnam recipiat. Quarto: Ut appareat honor Chriſti, qui coram toto mundo deſpectus coram toto mundo glorificari debet. Quinto: Ut manifeſtetur Providentia Dei, qua mundum gubernavit. B. ſer. 31. §. 1. Serm. 32. n. 1.

Homo ſæpe comparatur arbori: *Video homines ſicut arbores ambulantes.* Bona arbor bonos fructus, mala malos facit: quæ autem malos fructus profert excidetur, & in ignem mittetur. Cur autem comparatur homo arbori? Reſp. Sicut arbor, licet excidatur, altero tamen anno in nova germina iterum propullulat: ita opera hominum, utut jam diu mortuorum, varios adhuc, eoſque ſeu bonos, ſeu malos effectus poſt ſe trahunt, qui in judicio univerſali manifeſtabuntur. B. ſer. 34. n. 3. ſeq.

Sancti, & juſti in hac vita injuſte perſecutionem paſſi in die judicii honorem ſuum recuperare debent; eſt enim dies



judicii dies reſtitutionis omnium, &c. B. ſerm. 37. n. 5.

Quamvis homo per mortem abripiatur, in multis tamen adhuc eſt ſuperſtes: eſt ſuperſtes in bonis & malis exemplis, in educatione liberorum, in ſepulcris pretioſis, in operibus litterariis; ita Calvini opera adhucdum producunt effectus ſceleratos, opera Chryſoſtomi effectus ſanctos: ideo erit Judicium univerſale, ut etiam hi effectus ſuam remunerationem ſortiantur. Segn. Manna 13. Majii 5.

115. *Habebit ſigna prodroma terribilia.*

Signum judicii extremi erit perſecutio Antichriſti, ſic dicti, quia in omnibus erit antitheſis Chriſti Domini: ex adulterio Babyloniæ natus veneficorum coryphæus erit: Judæos ad ſe trahet, & magno deceptoriæ virtutis ſplendore multos etiam chriſtianos pervertet. Suos ſequaces honoribus & divitiis, adverſarios tormentis afficiet, imagines, ac ceremonias Chriſtianæ legis omnes abolebit, & falſa miraculorum ſpecie orbem decipiet, &c. B. ſerm. 31. §. 2. Sanchez p. 8. c. 1.

Signum alterum extremi judicii erit turbatio ſiderum, ac elementorum: *Erunt ſigna, in ſole & luna, & ſtellis.* Sol obſcurabitur, ſtellæ de cœlo cadent: Aer turbabitur procellis, aquæ ſonitu, & æſtu, terra motibus: ignis undique e montibus erumpet. Sed cur Deus in has innocentes creaturas ſæviet? audi in ſimili: ſicut maritus zelotypus non tantum in adulteram ſævit, ſed & in mundum illius muliebrem: ita ira Dei non tantum in hominem, ſed & in creaturas, quibus ad peccata abuſus eſt, exardeſcet, &c. &c. Serm. 31. §. 3. Sanchez p. 8. c. 2.

Signum tertium extremi judicii erit deſtructio mundi, & hæc certe ex variis ſignis & indiciis procul abeſſe non poteſt: 1. Quia ſex diebus conditus eſt mundus: ergo totidem millibus annorum conſiſtet; mille enim anni ante Deum ſicut dies unus. Septima dies eſt Sabbatum, ſeu æterna requies. 2. Tres in mundo ſucceſſive fuerunt leges ſeu ſtatus, lex naturæ, Moyſis, & Chriſti: ſicut ergo duæ primæ durarunt bis mille annis; ita & Lex Chriſti non durabit ultra annos bis millenos. 3. Mundus jam videtur conſeneſcere, deficit in fertilitate naturæ, in ætate hominum, in virtute, in ſinceritate amicorum, aliiſque. C. in Apoc. 20. v. 5. Haud procul igitur abeſt, ut dixi, deſtructio mundi, eaque fiet per ignem: ignis enim ex quatuor mundi partibus velut liquefactum metallum incurret, omniaque exuret &c. B. ſerm. 31. §. 4. Vide C. in Apoc. 6. v. 17.

Baſilius Moſcoviæ Dux conſpirationis ſocios omnes delevit, cum familia, uxore, liberis, ſervis, pecudibus, canibus, felibus, imo dum milites infanti in cunis blande ſibi arridenti parcerent, ipſe infantem tribus vulneribus confecit, & milites morti addixit. T. nu. 407. Sic Deus mundum deſtruet, quia peccatori ſervivit.

Perſecutio Antichriſtica erit terribilis. C. 2. Theſſal. 2. v. 3.

Plinius cum Veſuvii incendium cinerem, & ſaxa ignita ejaculantis, & ſulphuris imbrem ad multa milliaria propagantis conſpicit, metu moritur. Quid fiet tum, cum tota natura patietur. D. 8. 14.

Dantur aliquæ res, quæ igni noſtro elementari reſiſtunt; ſic Ariſtoteles teſtatur ſe vidiſſe in igne muſcas majores ſine læſione: quidam homines viſi ſunt plumbo liquato manus lavare: veſtes aſbeſtinæ non aqua ſed igne purgantur. VV. ar. diſc. font. 21. Ex. 4. ſed illi igni nihil reſiſtet.

116. *Erit terribile ſupra captum.*

Dies illa tam terribilis eſt, ut Joel balbutire incæperit, dum de ea loqui volebat: A A A, prope eſt dies Domini. Jeremias *terribilem*: Sophonias, *diem iræ*, Iſaias, *diem crudelem* vocat. Hujus diei memoria eremos Anachoretis, cœlum Sanctis: econtra hujus diei oblivio infernum damnatis complevit. B. ſerm. 31. n. 6.

*Stilla ad Africum:* ubi Hugo: dicitur ſtilla, quaſi dicat: quidquid dixeris, aut oſtenderis terribilitatis, non eſt niſi modica ſtilla, &c. M. conc. 6. aſſ. 2. n. 1.

S. Job lamentatur: *Quid faciam, cum* Job. 31. *ſurrexerit ad judicandum Deus?* Ecce; vel hoc ſolum terribile eſt, quod Chriſtus exuet munus Advocati, cujus gratia jam plus boni recipis, quam merearis, & aſſumet munus Judicis, &c. Segn. Manna 3. Martii n. 1. Vide Sanchez par. 8. c. 4. Paoletti Dom. 1. Adventus.

Bogoris Rex Bulgarorum depicti Judicii imaginem videns adeo exhorruit, ut intempeſta nocte Baptiſmum ſuſceperit. E. *Imago* n. 12.

Quidam Hiſpanus pro Epiſcopatu Genevenſi examinatus, cum vidit conſeſſum Pontificis Clementis VIII. & Cardinalium coram quo reſpondere deberet, ex metu deliquium paſſus non ſe collegit, ſed mortuus eſt. T. n. 107.

S. Anſel. l. de ſimilitud. S. Anſelm. ait: *A dextris erunt peccata accuſantia, a ſiniſtris infinita dæmonia, ſubtus horrendum chaos inferni, deſuper Judex iratus, foris mundus ardens, intus conſcientia urens. Ibi vix juſtus ſalvabitur! heu! miſer peccator, ſic deprehenſus quo fugies? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile.* C. Joel. 2. v. 31.

117. *Separabit bonum a malo.*

Nunc in Eccleſia boni cum malis mixti ſunt, ſicut animalia in arca Noe: tunc autem abibit conjux a conjuge, frater a fratre, pater a filio. Ideo judicium comparatur areæ, in qua purgatur triticum: O quot coronæ, infulæ, cappæ, ſuperpellicea tunc volabunt ut acera: quia medicati inania ſunt, &c. B. ſer. 31. n. 41. ſeq.

Pellicanus pullos amanter nutrit, ſed ingratos e nido ejicit: hoc in mundo in nido Eccleſiæ verſantur boni, & mali, grati & ingrati; ſed hi tunc ejicientur in tenebras exteriores &c. B. ſerm. 61. n. 4. ſeq.

Luc. 3. *Ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleam autem comburet.* Ventilabrum eſt inſtrumentum ruſticum, quo ſeparantur grana tritici bona a malis: nomine tritici intelliguntur juſti, nomine paleæ peccatores, area eſt judicium. O quam terribilis erit iſta ſeparatio! Nunc juſti per orbis angulos diſperſi ſunt, unus in oriente, alter in occaſu vivit: ibi autem congregabuntur in horreo cœli, non amplius intermixti malis, a quibus in vita affliguntur. O quanto impendio illuc eniti oportet, ut illorum conſortio fruaris! ſi nihil aliud ibi eſſet boni præter ſocietatem tam dignam omnium juſtorum, tanta præditorum ſcientia, tanta affabilitate, amabilitate, pulchritudine, ut unuſquiſque ſuperet Salomonem cum omni ſua gloria, operæ pretium eſſet omnis labor ac conatus! Quodſi excludatur, o luctum! o lacrymas, &c. Segn. Manna 18. Junii n. 5.

118. *Manifeſtabit occultiſſima conſcientiarum.*

Apoc. 20. *Et libri aperti ſunt*: Sicut diverſæ arbores in hyeme diſcernibiles non ſunt, ineunte autem vere ex foliis ſe produnt: ita conſcientiæ ſe aperient in judicio. Heu! quanta erit confuſio peccatorem ita denudatum ſtare coram univerſo orbe, &c. B. ſer. 31. n. 45.

S. Catharina Senenſis, S. Philippus Nerius aliique Sancti hanc habuerunt a Deo gratiam, ut peccatores a juſtis diſcernere, & conſcientiarum noxas intueri potuerint: mirum autem dictu eſt, quantum peccatores præſentiam horum Sanctorum ſubterfugerint, non poterant adduci ut eorum conſpectum ſubirent. Alii autem, qui negotiorum cauſa eos convenire debebant, prius per confeſſionem animum expiabant. Quæ ergo confuſio erit peccatoris, cum illius peccata univerſo orbi patebunt!

Nobilis quidam habebat picam articulate loqui doctam, præſertim cum B. Joanne Vincentio, qui in domo nobilis frequens erat, ea avis colloquebatur. Famulorum quidam ex voracitate occidit picam & comedit. Rediens ergo S. Vir deplorabat & quærebat abſentem volucrem, ac per totam domum inquirens clamitabat: *Ubi es mea pica!* Prodigium! famulo occurrente, avis ex illius ſtomacho reſpondit: *hic ſum; hic ſum;* ea vox aliquot diebus ex ſtomacho furis, non ſine immenſa illius confuſione audita eſt, &c. Illa die quanta erit confuſio cum Divinus Judex quæret: ubi eſtis vos mundi ſcelera, vos adulteria, vos laſciviæ, & hæ reſpondebunt ex corde hujus & illius: hic ſum; hic ſum, &c. R. cent. 2. p. 2. mir. 49.

Nahum. 3. S. Baſil. de vera Virg. *Revelabo pudenda tua.* Ubi S. Baſilius: Non confuſe, aut ſummatim, aut indigeſte peccata noſtra cernentur; ſed ſingula per partes, ut ſeſe habent, velut in pictura noſcentur. Sic videbitur injectio illa oculorum impudentiſſimæ illius feminæ in Joſeph: aſſidua illa moleſtia, quam mulier illi dabat: ars illa, preces illæ, munera illa, lacrymæ illæ, quomodo pallium ejus apprehenderit, &c. quæ omnia ad amuſſim, ut acciderunt, cœlum & terra videbit. S. p. 135. f. 414.

Num. 5. S. Chryſoſt. hom. 5. in Epiſt. ad Rom. *Suſpende principes contra ſolem*, ut facies eorum ignominia repleantur. Sanct. Chyſoſtomus ait: Omnia peccata in tam aperto, tamque illuſtri theatro denudata orbi univerſo palam ſubjicientur. S. punct. 135. f. 425.

O quam alia erit rerum facies apud multos, qui pro Sanctis habebantur: Juncus, ſeu ſcirpus *humectus videtur antequam veniat ſol:* ita multi ait Gregorius, qui Divina gratia pleni credebantur, ſicci, ac aridi, deprehendentur. M. conc. 6. aſſ. 2. n. 6.

2. Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet*: Textus Græcus legit loco manifeſtari, *pellucidos fieri*. Sicut ergo cryſtallus ſoli expoſitus nec



minimum nævum diſſimulare poteſt: ita *ante tribunal Chriſti* continget omnibus hominibus. Segn. Manna 9. April. n. 2.

Habac. 2. *Lapis de pariete clamabit & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Indus quidam ficus comedens & ex litteris additis deprehenſus, putat litteras oculos & linguam habere. In judicio multa erunt diſerta. D. 4. 98.

119. *Erit intolerabilius peccatori, quam infernus.*

Job. 14. S. Job exclamat: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me?* ſupra quæ verba Chryſoſtomus: Siquis eſt, qui ſenſu, ac mente præditus ſit, is certe gehennæ pœnam tolerare mallet, quam adverſo Deo ſtare. Quid mirum ſi David infirmatus fuit, ex ſola conſideratione irati vultus Divini: *Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ, &c.* S. p. 27. f. 121. M. c. 6. aſſ. 1. n. 7.

S. Chryſo. hom. 5. in c. 15. Ep. ad Cor.

Si cuſtodes ad ſepulcrum exanimati ſunt, quid erit cum Chriſtus prodierit judicaturus orbem? Si ſolum Crucifixi imago verſa in eos facie, qui indevote pſallebant, exanimes in terram omnes dejecit, quid erit cum faciem non mortuam, ſed vivam furore plenam in peccatores convertet? Saulus a miſericorde voce in terram dejectus eſt, quid fiet per vocem iratam, &c. S. p. 132. f. 416.

*Montes cadite ſuper nos*: Sanctus Auguſtinus ait, majus tormentum erit malis furorem Domini tolerare, quam cruciatus infernales perpeti. S. punct. 135. fol. 424. in fine.

*Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Ubi S. Chryſoſtomus: Maluerim infinita fulmina ſuſtinere, quam iratam Dei faciem adverſantem videre. M. con. 6. aſſ. 1. n. 8.

Augebitur pudor & deſperatio peccatoris cum videbit ſe ſub conſpectu Chriſti Redemptoris, & Divinæ Matris, ſub conſpectu Angeli cuſtodis, & Sanctorum Patronorum, ſub conſpectu Parentum & amicorum, ſub conſpectu Dominorum & ſubditorum, a quibus in hac vita fuit in honore habitus, ſub conſpectu etiam peccatorum, qui eorundem ſcelerum rei pœnitentiam egerunt, ſine omni ſpe, & auxilio a dæmonibus in infernum rapi. Mallet latuiſſe in profundo inferni, &c.

Et quomodo, Deum immortalem! quomodo ſe habebunt magni Domini, Reges & Principes, qui nunc illud ſolenne habent, *quod libet, licet*; qui ſubditos immiſericorditer emungunt, & vilius, quam equos & canes habent, quomodo, inquam, ſe habebunt, cum viderint ſe coram famulis & ſubditis inter electos ſtantibus & ſibi inſultantibus, ſine titulis, ſine honore, ſine reverentia hactenus aſſueta, inſtar viliſſimorum pecudum abripi, & in ignem projici? nonne mallent in abſtruſiſſimo gehennæ clibano ardere, quam hanc metamorphoſin tam ignominioſam, inter riſus, & ſubſannationes Sanctorum intueri?

Quid dicent Apoſtatæ, & hæreſiarchæ, qui ſacra fidei dogmata exploſerunt? pia monita contempſerunt? vitæ auſteritatem, caſtitatem, obedientiam, & paupertatem in Religioſis, & Sacerdotibus riſui habuerunt? certe inſania contabeſcent, ululabuntque: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & ſimilitudinem improperii; ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei; ſic ejulabunt, & præ invidia, quod inimicos ſuos videre cogantur inter amicos glorioſos Dei, mallent ſubtus cumulum infernalium prunarum uſtulari, quam hunc aſpectum ſuſtinere, &c.

120. *Terribile propter reſurrectionem corporum.*

Duo amici convivio aſſidebant, & unus dividebat aſſatum caponem: dicente altero: amice tam dextere diviſiſti caponem, ut nec ipſe S. Petrus illum reſuſcitare queat: repoſuit iſte: imo nec ipſe Deus hoc poterit. Ecce; mox capo revixit, plumatus apparuit, & cantavit. Illi duo autem lepra percuſſi ſunt, quam lepram in perpetuum ipſorum etiam filii & nepotes contrahunt. E. Verbo *blaſphemia* n. 1. Sicut ergo Deus hunc caponem, ſic reſuſcitabit mortuos.

Dies judicii vocatur Amarus, quia erit dies iræ, tribulationis, anguſtiæ, calamitatis, neceſſitatis, perditionis, tumultus, tenebratum, turbinis, tubæ, deſolationis, nebulæ, & procellarum. Cur autem vocatur dies tubæ? quia tuba mortui excitabuntur, & tuba ſonante damnati coram univerſo mundo ducentur, ac rapientur in locum ſupplicii. C. Sophon. c. 1. v. 15. ad finem.

Tunc peccatores longe aliter ſentient de voluptatibus, & divitiis hujus mundi; tunc anima infelix diras dicet ſuo corpori, quod malis paſſionibus depravatum, renuit ferre jugum Divinæ legis; Maledicti oculi, dicet anima, qui objectis pu-

dendis & illecebroſis inhiaſtis; Maledictæ manus, quæ lucra iniqua captaſtis! Maledicti pedes, qui viam perditionis effuſo curſu cucurriſtis, &c. B. ſer. 31. §. 4.

Hujus reſurrectionis ſymbolum eſt Phœnix, cujus imaginem veteres ſæpe in lapides ſepulcrales incidere ſolebant. C. 1. Joan. 5. v. 11. Et 1. Petri 5. v. 10.

### 121. *Erit juſtis quodammodo delectabile.*

Pſ. 36. *Cum perierint peccatores, videbis.* Quamvis juſti ſtatim poſt mortem recepturi ſint æterna præmia, non poterunt tamen aſſequi felicitatem ſuæ exaltationis, niſi cum perierint peccatores; quia bona nunquam magis elucefcunt, quam cum opponuntur malis contrariis. Imaginare tibi, te in publica ſtrage civitatis e turri ſecurum ſpectare excidium, intueri ferrum, intueri flammam, intueri ſupplices incaſſum manus tendentes. Tu in tuto conſiſtis: quantum tibi applauderes? & tamen hæc ſimilitudo nimis tenuis eſt ad explicandum id, quod in die judicii continget, quando videbis ab exercitu Angelorum quaſi in ore gladii ad inferni barathrum detrudi tot myriades hominum Deo rebellium, quibus & tu aliquando accenſeri debuiſti, ſed Dei gratia evaſiſti. O quomodo tunc manus tendes ad cœlum, & gratias ages Deo de ſorte quam accepiſti! quomodo deprædicabis obſequia illi exhibita! quomodo dices levia, quæ egiſti & paſſus es, &c. Segn. Manna 24. April. n. 3.

Simile.

In hoc mundo juſti in tribulationibus vivunt, mercedem etiam operum ſuorum raro recipiunt: verum in illa die erit retributio; hinc ait S. Paulus: *Scio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt ſervare depoſitum meum in illam diem, &c.* Segn. Manna 10. Aug. n. 6.

Quantum lætati ſunt operarii in vinea, cum advenit hora, qua Dominus præcepit œconomo, voca operarios, & redde illis mercedem. In illa die erit hora mercedis, qua juſti pro bonis, quæ operati ſunt, & pro malis, quæ Dei amore pertulerunt, æternam mercedem recipient. Ibi reparabitur illis honor & gloria pro ignominia, qua ab impiis perſecutionem paſſi, & pro ſtultis habiti ſunt, &c.

### 122. *Sententia damnans impios quam terribilis.*

Sententia Excommunicationis operatur terribiles effectus: quam longe terribilius ergo erit ab ipſo Deo æternum excommunicari, &c. D. 3. 59. Vide Titul. *Cenſura Eccleſiaſtica* apud pœnam peccati.

S. Jacobus Martyr, quia metu tormentorum idolis ſacrificaverat, ab uxore & cognatis feminis deſeritur, ac repudiatur. Cumque repudium iſtud uſque ad lacrymas ipſum affligeret, ſecum ipſo dicebat: ſi tantam afflictionem mihi cauſat derelictio hominum, quantam cauſaret reprobatio ipſius Dei, &c. Sanch. 4. par. c. 7. f. 342. N. 27. *Novemb.*

Hæc ſententia ideo erit peccatoribus intolerabilis, quia feretur ab ipſo Chriſto Salvatore. Paoletti Dom. 1. Adventus.

Pœna damni eſt damnatis intolerabilis, & hæc illis infligetur per illud: *Ita Maledicti.* Paoletti Fer. 2. poſt Dom. 1. Quadr.

Sententia iſta comparatur cum tonitru ob triplicem analogiam. 1. Sicut tonitru oritur ex victoria vaporis contra nubes, a quibus diu erat incluſus: ita ſententia iſta oritur ex victoria iræ Divinæ contra longanimitatem ac patientiam, a quibus diu fuit retardata. 2. Sicut tonitru eſt terribile ex ſonitu vehementi, ita hæc ſententia, quia in omnibus quatuor mundi partibus audietur. 3. Sicut tonitru pro ſuo effectu habet terrorem gentium: ita hæc ſententia, quia damnati invocabunt montes, a quibus cupient operiri, &c. Segn. Manna 20. Aug. n. 2.

O Bone Deus! quanto mœrore, quanta deſperatione obruetur infelix damnatus, cum videbit amicos, fratres, ſorores, contubernales, condiſcipulos, qui longe minora talenta habuerunt, in cœlum recipi, ſe autem in infernum repelli? qua invidia exardebit, cum viderit peccatores longe majores, quia pœnitentiam egerunt, ſalvari, ſe autem, quia pœnitere neglexit, ad æternum ignem damnari? Eheu! in quam inconditos ejulatus erumpet? quam crudeliter rabioſis unguibus in ſe ſæviet? O Bone Deus! quis non exhorreſcat, quis non contremiſcat, cum iſta cogitat, &c.

## Judex.

### 123. *Erit aſpectu terribilis.*

APoſtoli in monte Thabor timuerunt audita voce Dei, & ſolum erat vox amica



amica Dei, qualis erit vox Dei inimici: Illud *Ego ſum* in monte Oliveti proſternit turbam Judæorum & tunc Chriſtus erat captivus: quid efficiet iſta vox *Ego ſum*, cum Chriſtus erit judicaturus? M. conc. 6. aſſ. 1. n. 4. ſeq.

Sacer Proverbiaſtes iram Regis comparat iræ leonis: 1. Quia ira illius eſt conjuncta cum poteſtate & fortitudine. 2. Quia horrendum in modum rugit, & ſuo rugitu omnia animalia terret. 3. Quia hic rugitus prænuncius eſt necis, mox enim eum, in quem rugit, lacerat, & devorat. Ita regis furor ſtrages & mortes poſt ſe trahit. Quod ſi Sacer Proverbiaſtes hoc enuntiare audet de ira hominis mortalis & infirmi, quid quæſo metuendum de ira Divini Judicis, qui eſt leo de tribu Juda? cujus potentiæ nemo poteſt reſiſtere, nemo effugere. C. Prov. 19. v. 12.

Si ſcribentis manus ad mortem uſque perculſit Balthaſarem, quid faciet manus fulminantis? M. conc. 6. aſſ. 1. n. 6.

Eſther exanimis concidit viſa Majeſtate Aſſueri & quidem amici: quid erit viſa Majeſtate Dei & quidem irati? S. p. 132.

S. Gr. l. 27. Mor. c. 21. Milites in Oliveto ſternuntur retro, ubi Gregorius: Quis ejus iram toleret, cujus manſuetudo non potuit tolerari? S. Aug. ſerm. 20. & S. Auguſtinus: Quid erit tribunal judicantis, quando ſuperbos reges cuna terrebat infantis. S. p. 132. f. 415. B. ſer. 22. n. 8. R. cent. 3. mir. 42.

Si Dilectus Chriſti Diſcipulus Joannes præ timore pene defecit: quomodo feret oculorum fulmina qui Chriſti diſcipulus non eſt? S. p. 132. f. 415.

De Lanſt. & Aug. in Joan. 13. S. Auguſtinus ait: O quam metuendus erit Judex, cujus ſapientiam non licet fallere, cujus æquitatem non licet flectere, cujus judicium non licebit evertere. S. p. 133. fol. 421.

Quando cum Judice tibi res eſt, a quo non datur appellatio, tunc neceſſe eſt, ut vel Judicem decipias, vel corrumpas, vel effugias, vel mitiges. Nihil ex his omnibus poteris coram Deo. Segn. Manna 3. Martii n. 2.

Imperator Maximinianus non poterat aſpicere S. Lucianum, ideo vel per interpretem, vel velatis oculis cum eo loquebatur. Sanch. 5. p. c. 10. f. 613.

### 124. *Erit juſtis aſpectu amabilis, impiis terribilis.*

Ex. 14. *Erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* Quomodo hæc duo conveniunt, eſſe tenebroſum, & illuminativum? Abulenſis reſpondet, quod ex una parte Ægyptiis tenebras, ex altera Iſraelitis lucem attulerit. Et S. Gregorius: Columna nubis monſtrata eſt, in nocte columna ignis, quia Deus in judicio veniens per lenitatis manſuetudinem blande juſtos demulcebit, peccatores autem per juſtitiæ diſtrictionem terrebit &c. S. punct. 137. fol. 431. in fine. Abul. hic. S. Gr. hom. 21. in Ev.

Si ſigna prodroma judicii tam terribilia erunt, ut homines præ timore areſcant, quis crederet hæc ſigna juſtis ſolatio futura? *Levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra &c.* S. p. 137.

Chriſtus Dominus in judicio oſtendet ſua vulnera, juſtis ſolatium, impiis terrorem. Unde Auguſtinus ita loquentem inducit: Ecce! quem crucifixiſtis: videtis vulnera, quæ infixiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis &c. S. p. 137. f. 430. S. Aug. l. de ſymb.

Princeps Peruanus Crucifixum a Chriſtiano milite oſtenſum contemnit, ac conſpuit. Imago oculos, & faciem ad iracundiam componit, & ecce! ſubito Princeps de throno, & cum eo trecenti famulantium humi ſternuntur. R. cent. 3. mir. 42.

Sicut Regum hilaritas & benevolentia comparatur rori; quia ros æſtum temperat, & areſcentes herbas refrigerat, atque vitalem ſuccum inſtillat: Ita benignus Judex juſtos excitabit ad ſpem, & lætitiam. C. Prov. 19. v. 12.

Regum clementia comparatur ſoli: ſicut ſol bene valentibus oculis amabilis, infirmis vero moleſtus eſt; ita Divinus Judex peccatoribus terribilis, juſtis amabilis erit. C. Prov. 20. v. 8.

### 125. *Peccatori aſpectu intolerabilis.*

Reccaredus Rex Angliæ in venatione aberrans & a ſuis derelictus, in domo fabri pernoctavit, a quo incognitus male habitus, & etiam alapa inhonoratus fuit. Altera die citavit Rex injuriatorem, dicens illi: agnoſciſne me? O quantum erit fulmen peccatori, cum illi dicet judex, agnoſciſne me? me, quem offendiſti? &c. Hinc mirum non eſt, quod damnati libentius eſſent in inferno, quam in judicio futuri. P. p. 2. diſc. 3. n. 18.

Id maxime affliget peccatorem, quia judex damnans eſt ipſe Chriſtus Salvator. Paoletti Dom. 1. Adventus.

Chriſtianorum quidam in America ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad Indos penetrans, nunc Hiſpanorum imperio ſubjectos, Crucifixi imaginem ſecum detulit. Imago deportata eſt ad palatium Principis ethnici, qui ironice ex Chriſtiano quærens, hiccine miſer homo e cruce pendens eſſet Chriſtianorum Deus? affirmante Chriſtiano, ex contemptu imaginem conſpuit. Et ecce! Chriſtus in cruce oculos aperiens, & cervicem erigens, tam terribili vultu aſpexit Principem, ut ille cum trecentis optimatibus præ timore in terram concidens, quaſi per tres horas exanimis jacuerit. Dein ad ſe rediens baptizatus eſt. E. *Imago* num. 10.

Miles cum ſuis ſociis in Monaſterium, cui Michael Giſlerius (poſtea Pius V. Pontifex) præfuit, inſolenter illapſus, minari etiam auſus Michaeli, tum Priori, quod eum in puteum præcipitare velit, ſucceſſu temporis venit ad Pontificem. Is quærere, an meminiſſet eorum, quibus in Monaſterio Priorem illo & illo anno offendiſſet? reſpondente milite, ſe meminiſse omnium, ſubintulit Pontifex: *Ego ſum* ille Prior, & miles fere metu exanimatus eſt. Quid fiet eheu! cum Judice offenſo? J. 112.

Fratres Joſeph fere metu contabuerunt, audientes ab illo: *Ego ſum, quem vendidiſtis in Ægyptum*. C. Gen. 45. v. 4.

Neque ſolum ex ſe, ſed etiam ex eo erit Judex formidabilis, quia creaturas omnes armabit contra peccatorem: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam*. Ubi Bonaventura: Tangit ſupplicium reproborum ſub metaphora Regis arma moventis contra ſuos adverſarios, & deſcribit primo Regis propoſitum, ſecundo ejus apparatum, tertio bellum, quarto belli effectum, quinto belli remedium. In primo adventu inermis advenit, ſed tunc armatus veniet: arma erunt veritas, juſtitia, judicium. Armabit creaturas omnes, nunc tantum forte unam v. g. ignem, non aquam: aerem, non terram, ſed tunc omnes. S. p. 152. fol. 417. ſeq.

*Ignis ante ipſum præcedet*: Quare ignis? terreni Principes, uti Reges Perſiæ in uſu habebant, ut quocunque ibant, ignem ſibi præferri juberent. Nabuchodonoſor præambulos ſemper habebat tædarios, *Tantuſque metus provinciis illis incubuit, ut univerſarum urbium habitatores principes, & honorati ſimul cum populis exirent obviam venienti &c.* Idem evenit Alexandro Magno poſt devictum Darium. Cornelius a Lapide per verba illa: *Ollam ſuccenſam ego video*, intelligit Regem Chaldæorum, cui ignis præferri ſolebat in bello &c. D. 4. 94.

Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab oriente & paret uſque in occidentem: ita erit adventus filii hominis*. Reditus Chriſti ad judicium inſtar fulguris erit: 1. Subitus. 2. Inexſpectatus. 3. Omnibus manifeſtus. 4. Glorioſus. 5. Efficax, ut nemo reſiſtere valeat. 6. Non in terra, aut in angulo, ſed in aere toti orbi conſpicuus. *Sicut fulgur*, ait S. Chryſoſtomus, *non indiget precone, aut nuntio, ſed in momento omnibus apparet; ſic adventus ille ubique ſtatim ſplendere videbitur*. C. Matth. 24. verſ. 27.

## Conſideratio Judicii.

### 126. *Abſterret a peccatis*.

NAaman Syrus juſſus eſt ſepties lavare in Jordane, ut a lepra mundaretur: Jordanes interpretatur judicium: a lepra peccati mundatur anima, ſi lavetur in judicii conſideratione &c. B. ſerm. 22. n. 3.

S. Rex David monet: *Nolite inique agere, nolite exaltare cornu*. Sed quare? *Quoniam Deus judex eſt*. S. p. 136. f. 427.

S. Chryſoſtomus ait: Qui hujus diei obliviſcitur, tanquam fræno abjecto in præcipitium fertur: ita econtra qui hujus diei continuo recordatur, a præcipitio ſcelerum ſecurus eſt. S. p. 136. f. 427.

Narrat Vairus ſuo tempore fuiſse hominem admiranda vi oculorum præditum, (Vairus de faſcin. l. 1. c. 13.) qui cum in lapidarii cujuſdam manibus gemmam, miro artificio politam fixis oculis contemplatus fuiſset, lapillus ipſe ſe ſine mora diviſit, ac confregit. VV. art. diſc. Font. 28. ex. 3. Potuit hoc acies naturalis oculi, & cor tuum lapideum non diffringant flammantes oculi Divini Judicis? &c.

Abbas Evagrius: Memor eſto ſemper exitus tui, & non obliviſcaris æterni judicii & non erit delictum in anima tua. C. Lev. 16. v. 29. ad finem.

S. Baſilius ait, in illud: Venite filii (S. Baſil. in Pſ. 33.) timorem Domini docebo vos: *Cum te appetitus invaſerit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile Chriſti tribunal, in quo præſidebit, & adſtabit omnis creatura ad glorioſum ejus conſpectum contremiſcens*. Hujus horribilis diei ſchema dedit Deus in judicio Udonis Antiſtitis Magdeburgenſis, quem e lecto raptum S. Mauritius in Eccleſia ſua decollavit.

Cruor



Cruor Udonis adhuc indelebiliter adhæret pavimento. C. Joel 2. v. 31.

Sacerdos veteris teſtamenti nolulas habuit in fimbria veſtis. Quare? Origenes ait: *Ut de extremis temporibus, & fine mundi nunquam ſileas, ſed inde tones*. Nolulæ erant numero 366. ut indicetur numerus dierum in anno, id eſt, quotidie de judicio monendum eſſe B. ſer. 45. n. 1.

Petrus Telonarius avarus & immiſericors citatur ad judicium Dei: videt ibi omnia peccata ſua in unam lancem reponi, & in alteram bolum panis, quem pauperi dedit: hac viſione territus vitam, & mores mutavit, & totum ſe dedit miſericordiæ operibus. C. Joel 2. v. 31.

### 127. *Peccatorem adducit ad pœnitentiam*.

Pſ. 28. *Vox Domini confringentis cedros*. Ubi S. Auguſtinus, id eſt ſuperbos &c. *Vox Domini præparantis cervos*: cerva meticuloſum animal partum vi cohibet, donec per tonitru paveſiat, & pariat: ita partus peccatoris, id eſt confeſſio promovetur per vocem Domini. Tali modo Chriſtus Dominus ad partum voluit adjuvare Pilatum: *Amodo videbitis filium hominis*. Ubi Chryſoſtomus: Senſit Chriſtus hunc concepiſſe, de patria, de regno meo quærit, eſt cerva obligata, juvabo, ut vincat reſpectus humanos, rationes ſtatus &c. S. punct. 136. fol. 428.

Tepidus quidam Monachus in ſomnio viſus eſt ſibi ante Dei tribunal ſtare, nec poſſe ad interrogata reſpondere: reſtitutus ſibi integro decennio ſolitudini ſe includit, ac flendo maxime id temporis peragit. Sanch. 4. p. c. 4. f. 252.

Abbas Agathon in morte tremens dixit ſe conſiſtere ante Dei tribunal: quæſitus an ergo ſpem non haberet in ſuis operibus, repoſuit, o fratres mei credite, longe diverſa ſunt coram Deo, & coram mundo apparere. Sanchez 4. part. c. 4. fol. 253.

Homines ſancti ſemper memoria retinentes illam ſententiam: *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*, (Matth. 24.) in timore & tremore vixerunt, & aliis, ut idem facerent, perſuaſerunt. Abbas Ammon cuidam hoc monitum dedit: ſicut incarcerati ſemper in exſpectatione pœnarum ſuarum plorant, quærentes identidem, ubi eſt judex, & quando veniet: Ita Chriſtianus ſemper debet eſſe ſolicitus, ſibi ipſi exprobrando: Væ mihi, quomodo ſtabo ante tribunal Chriſti?

Abbas Evagrius ait: Divinum terribile judicium ſemper ante oculos habeant, & peccatorum confuſionem, quam paſſuri ſunt ante oculos Chriſti ac Sanctorum. Abbas Elias dicere ſæpius ſolebat: Ego tria timeo: quando egreſſura eſt anima mea de corpore, quando occurſurus ſum Deo, & quando adverſum me proferenda eſt ſententia. Senex quidam cum videret ridentem, exprobravit illi: coram cæli terræque Domino rationem totius vitæ reddituri ſumus, & tu rides? C. in Matth. 24. v. 44.

## M O R S.

### 128. *Quid ſit?*

LActantius ait, mortem eſſe diviſionem animæ: Ariſtoteles: eſſe privationem vitæ. Plato: eſſe ruptionem vinculi inter corpus & animam. (Lact. inſt. l. 2. c. 13. Ariſt. lib. de morte. Plato in Phæd.) Mori eſt deſtrui ædificium corporis: Mori eſt proficiſci in incognitam regionem æternitatis. Mori eſt valedicere mundo, amicis, & notis. Mori eſt deſerere bona terrena, honores, voluptates. Mori, ait Tertullianus, eſt *ultimum omnium quæſtionum*: (Tertul. ap. Lobb. de prit. prop. 17. §. 1.) Multa enim quæruntur, & quæri poſſunt de homine, ſed cum reſpondetur, quod ſit pulvis, & cinis, tunc hæc reſponſio ultima eſt &c. B. ſerm. 16. n. 7. ſeq.

Philoſophus ab Adriano Imp. interrogatus quid ſit mors? repoſuit: Mors eſt æternus ſomnus, diſſolutio corporis, divitum pavor, pauperum deſiderium, incerta peregrinatio, inevitabilis eventus.

Juxta S. Ambroſium, mors eſt diſſolutio corporis & animæ; (S. Ambr. l. de bon. mort. c. 3.) ſolvimur enim hoc nexu cum recedimus, unde & David inquit: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

Mors a S. Gregorio vocatur *Somnus*, (S. Greg. l. 12. mor. c. 5.) ut hoc manſueto vocabulo, mortis memoria dulcoretur; ſomnum enim nemo pertimeſcit: unde & S. Paulus Diſcipulos admonet: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini*.

Dicitur mors a *Morſu*, ait S. Auguſtinus, (S. Aug. ſer. 101. de temp.) quia per morſum, quo protoparentes noſtri vetitum pomum momorderunt, in orbe introducta eſt.

Mors ordinarie quaternos dolores comites habet: Dolores corporis ex morbo, dolores animæ ex peccatis, dolores inferni ob incertitudinem judicii, & dolores ex aſpectu dæmonum inſidiantium.

129. Im-

ad Indos penetrans, nunc Hiſpanorum imperio ſubjectos, Crucifixi imaginem ſecum detulit. Imago deportata eſt ad palatium Principis ethnici, qui ironice ex Chriſtiano quærens, hiccine miſer homo e cruce pendens eſſet Chriſtianorum Deus? affirmante Chriſtiano, ex contemptu imaginem conſpuit. Et ecce! Chriſtus in cruce oculos aperiens, & cervicem erigens, tam terribili vultu aſpexit Principem, ut ille cum trecentis optimatibus præ timore in terram concidens, quaſi per tres horas exanimis jacuerit. Dein ad ſe rediens baptizatus eſt. E. *Imago* num. 10.

Miles cum ſuis ſociis in Monaſterium, cui Michael Giſlerius (poſtea Pius V. Pontifex) præſuit, inſolenter illapſus, minari etiam auſus Michaeli, tum Priori, quod eum in puteum præcipitare velit, ſucceſſu temporis venit ad Pontificem. Is quærere, an meminiſſet eorum, quibus in Monaſterio Priorem illo & illo anno offendiſſet? reſpondente milite, ſe meminiſſe omnium, ſubintulit Pontifex: *Ego ſum* ille Prior, & miles fere metu exanimatus eſt. Quid fiet eheu! cum Judice offenſo? J. 112.

Fratres Joſeph fere metu contabuerunt, audientes ab illo: *Ego ſum, quem vendidiſtis in Ægyptum*. C. Gen. 45. v. 4.

Neque ſolum ex ſe, ſed etiam ex eo erit Judex formidabilis, quia creaturas omnes armabit contra peccatorem: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam*. Ubi Bonaventura: Tangit ſupplicium reproborum ſub metaphora Regis arma moventis contra ſuos adverſarios, & deſcribit primo Regis propoſitum, ſecundo ejus apparatum, tertio bellum, quarto belli effectum, quinto belli remedium. In primo adventu inermis advenit, ſed tunc armatus veniet: arma erunt veritas, juſtitia, judicium. Armabit creaturas omnes, nunc tantum forte unam v. g. ignem, non aquam: aerem, non terram, ſed tunc omnes. S. p. 132. fol. 417. ſeq.

*Ignis ante ipſum præcedet*: Quare ignis? terreni Principes, uti Reges Perſiæ in uſu habebant, ut quocunque ibant, ignem ſibi præferri juberent. Nabuchodonoſor præambulos ſemper habebat tædarios, *Tantuſque metus provinciis illis incubuit, ut univerſarum urbium habitatores principes, & honorati ſimul cum populis exirent obviam venienti &c.* Idem evenit Alexandro Magno poſt devictum Darium. Cornelius a Lapide per verba illa: *Ollam ſuccenſam ego video*, intelligit Regem Chaldæorum, cui ignis præferri ſolebat in bello &c. D. 4. 94.

*Sicut fulgur exit ab oriente & paret uſque in occidentem: ita erit adventus filii hominis*. (Matth. 24.) Reditus Chriſti ad judicium inſtar fulguris erit: 1. Subitus. 2. Inexſpectatus. 3. Omnibus manifeſtus. 4. Glorioſus. 5. Efficax, ut nemo reſiſtere valeat. 6. Non in terra, aut in angulo, ſed in aere toti orbi conſpicuus. *Sicut fulgur*, ait S. Chryſoſtomus, *non indiget precone, aut nuntio, ſed in momento omnibus apparet; ſic adventus ille ubique ſtatim ſplendere videbitur*. C. Matth. 24. verſ. 27.

## Conſideratio Judicii.

### 126. *Abſterret a peccatis*.

NAaman Syrus juſſus eſt ſepties lavare in Jordane, ut a lepra mundaretur: Jordanes interpretatur judicium: a lepra peccati mundatur anima, ſi lavetur in judicii conſideratione &c. B. ſerm. 22. n. 3.

S. Rex David monet: *Nolite inique agere, nolite exaltare cornu*. Sed quare? *Quoniam Deus judex eſt*. S. p. 136. f. 427.

S. Chryſoſtomus ait: Qui hujus diei obliviſcitur, tanquam fræno abjecto in præcipitium fertur: ita econtra qui hujus diei continuo recordatur, a præcipitio ſcelerum ſecurus eſt. S. p. 136. f. 427.

Narrat Vairus ſuo tempore fuiſſe hominem admiranda vi oculorum præditum, (Vairus de faſcin. l. 1. c. 13.) qui cum in lapidarii cujuſdam manibus gemmam, miro artificio politam fixis oculis contemplatus fuiſſet, lapillus ipſe ſe ſine mora diviſit, ac confregit. VV. art. diſc. Font. 28. ex. 3. Potuit hoc acies naturalis oculi, & cor tuum lapideum non diffringant flammantes oculi Divini Judicis? &c.

Abbas Evagrius: Memor eſto ſemper exitus tui, & non obliviſcaris æterni judicii & non erit delictum in anima tua. C. Lev. 16. v. 29. ad finem.

S. Baſilius ait, in illud: Venite filii (S. Baſil. in Pſ. 33.) timorem Domini docebo vos: *Cum te appetitus invaſerit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile Chriſti tribunal, in quo præſidebit, & adſtabit omnis creatura ad glorioſum ejus conſpectum contremiſcens*. Hujus horribilis diei ſchema dedit Deus in judicio Udonis Antiſtitis Magdeburgenſis, quem e lecto raptum S. Mauritius in Eccleſia ſua decollavit. Cruor Udonis adhuc indelebiliter adhæret pavimento. C. Joel 2. v. 31.



Sacerdos veteris teſtamenti nolulas habuit in fimbria veſtis. Quare? Origenes ait: *Ut de extremis temporibus, & fine mundi nunquam ſileas, ſed inde tones*. Nolulæ erant numero 366. ut indicetur numerus dierum in anno, id eſt, quotidie de judicio monendum eſſe B. ſer. 45. n. 1.

Petrus Telonarius avarus & immiſericors citatur ad judicium Dei: videt ibi omnia peccata ſua in unam lancem reponi, & in alteram bolum panis, quem pauperi dedit: hac viſione territus vitam, & mores mutavit, & totum ſe dedit miſericordiæ operibus. C. Joel 2. v. 31.

### 127. *Peccatorem adducit ad pœnitentiam*.

(Pſ. 28.) *Vox Domini confringentis cedros*. Ubi S. Auguſtinus, id eſt ſuperbos &c. *Vox Domini præparantis cervos*: cerva meticuloſum animal partum vi cohibet, donec per tonitru paveſiat, & pariat: ita partus peccatoris, id eſt confeſſio promovetur per vocem Domini. Tali modo Chriſtus Dominus ad partum voluit adjuvare Pilatum: *Amodo videbitis filium hominis*. Ubi Chryſoſtomus: Senſit Chriſtus hunc concepiſſe, de patria, de regno meo quærit, eſt cerva obligata, juvabo, ut vincat reſpectus humanos, rationes ſtatus &c. S. punct. 136. fol. 428.

Tepidus quidam Monachus in ſomnio viſus eſt ſibi ante Dei tribunal ſtare, nec poſſe ad interrogata reſpondere: reſtitutus ſibi integro decennio ſolitudini ſe includit, ac flendo maxime id temporis peragit. Sanch. 4. p. c. 4. f. 252.

Abbas Agathon in morte tremens dixit ſe conſiſtere ante Dei tribunal: quæſitus an ergo ſpem non haberet in ſuis operibus, repoſuit, o fratres mei credite, longe diverſa ſunt coram Deo, & coram mundo apparere. Sanchez 4. part. c. 4. fol. 253.

Homines ſancti ſemper memoria retinentes illam ſententiam: *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*, (Matth. 24.) in timore & tremore vixerunt, & aliis, ut idem facerent, perſuaſerunt. Abbas Ammon cuidam hoc monitum dedit: ſicut incarcerati ſemper in exſpectatione pœnarum ſuarum plorant, quærentes identidem, ubi eſt judex, & quando veniet: Ita Chriſtianus ſemper debet eſſe ſolicitus, ſibi ipſi exprobrando: Væ mihi, quomodo ſtabo ante tribunal Chriſti?

Abbas Evagrius ait: Divinum terribile judicium ſemper ante oculos habeant, & peccatorum confuſionem, quam paſſuri ſunt ante oculos Chriſti ac Sanctorum. Abbas Elias dicere ſæpius ſolebat: Ego tria timeo: quando egreſſura eſt anima mea de corpore, quando occurſurus ſum Deo, & quando adverſum me proferenda eſt ſententia. Senex quidam cum videret ridentem, exprobravit illi: coram cæli terræque Domino rationem totius vitæ reddituri ſumus, & tu rides? C. in Matth. 24. v. 44.

## M O R S.

### 128. *Quid ſit?*

LActantius ait, mortem eſſe diviſionem animæ: Ariſtoteles: eſſe privationem vitæ. Plato: eſſe ruptionem vinculi inter corpus & animam. (Lact. inſt. l. 2. c. 12. Ariſt. lib. de morte. Plato in Phæd.) Mori eſt deſtrui ædificium corporis: Mori eſt proficiſci in incognitam regionem æternitatis. Mori eſt valedicere mundo, amicis, & notis. Mori eſt deſerere bona terrena, honores, voluptates. Mori, ait Tertullianus, (Tertul. ap. Lobb. de perc. prop. 17. §. 1.) eſt *ultimum omnium quæſtionum*: Multa enim quæruntur, & quæri poſſunt de homine, ſed cum reſpondetur, quod ſit pulvis, & cinis, tunc hæc reſponſio ultima eſt &c. B. ſerm. 16. n. 7. ſeq.

Philoſophus ab Adriano Imp. interrogatus quid ſit mors? repoſuit: Mors eſt æternus ſomnus, diſſolutio corporis, divitum pavor, pauperum deſiderium, incerta peregrinatio, inevitabilis eventus.

Juxta S. Ambroſium, mors eſt diſſolutio corporis & animæ; (S. Ambr. l. de bon. mort. c. 3.) ſolvimur enim hoc nexu cum recedimus, unde & David inquit: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

Mors a S. Gregorio vocatur *Somnus*, (S. Greg. l. 12. mor. c. 5.) ut hoc manſueto vocabulo, mortis memoria dulcoretur; ſomnum enim nemo pertimeſcit: unde & S. Paulus Diſcipulos admonet: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini*.

Dicitur mors a *Morſu*, ait S. Auguſtinus, (S. Aug. ſer. 101. de temp.) quia per morſum, quo protoparentes noſtri vetitum pomum momorderunt, in orbe introducta eſt.

Mors ordinarie quaternos dolores comites habet: Dolores corporis ex morbo, dolores animæ ex peccatis, dolores inferni ob incertitudinem judicii, & dolores ex aſpectu dæmonum inſidiantium.

129. Im-

### 129. *Imminet homini ſemper, & ubique.*

Chriſtus Dominus docuit nos panem quotidianum tantum hodie petere, ut doceret incertitudinem craſtini. S. David ait: *Anima mea in manibus meis ſemper.* Quam facile autem e manibus aliquid excidit! M. conc. 30. aſſ. 1. n. 16. 17. ſeq.

Deceptio dæmonis eſt, quod quilibet hominum ſibi perſuadeat, ſe per unum ſaltem adhuc annum victurum. C. Gen. c. 3. v. 4.

Quod Melancholia ac triſtitia multos occiderit, rarum non eſt, verum ipſa etiam lætitia multos in mortem dedit. Duæ feminæ, dum filios intuentur, quos mortuos credebant, præ gaudio extinguuntur. Philemon ex riſu, Sophocles ex applauſu, Chilon, Clidemo, Philippides, Diagoras præ exultatione moriuntur.

In platea mortui ſunt Quintus Quintilius, Lepidus, & Cajus Aufidius. In domo Euripides a cane vulneratus. In campo Æſchilus a teſtudine, quam aquila ex ſublimi dejecerat, fracto cerebro extinctus. In menſa Anacreon, in luſu Druſus Pompejus, ex punctura acus Lucia Marci Aurelii filia &c. B. ſerm. 15. n. 25. ſeq.

*Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Quam facile textura araneæ rumpitur? nulla hora a ſcopis ſecura eſt &c. S. p. 126. fol. 390. ſeq.

Joannes Eleemoſynarius juſſit ſibi confici ſepulcrum, ſed imperfectum, & interdiu moneri ſe a fabris: Monumentum tuum adhuc imperfectum eſt, jube perfici, quia morieris. C. Gen. c. 5. v. 5.

*Memor eſto, quoniam mors non tardat.* Imminet enim in internis, imminet in externis: procedit manu regia quoad locum, quia ubique te poteſt comprehendere. Procedit manu regia, quoad tempus; quia quavis ætate & hora poteſt te opprimere. Procedit manu regia quoad modum; quia non reſtringitur ad unum, non ad febres, catarrhos &c. Segn. Manna 6. Maji 2.

Eccl. 51. Non fruſtra dixit Eccleſiaſticus: *Pro morte defluente deprecatus ſum*, ipſa enim vita noſtra eſt mors fluida, ſemper aliquid tranſit: *Ipſe quotidianus defectus corruptionis quid eſt aliud quam quædam prolixitas mortis*: ait S. Gregorius. (S. Greg. hom. 37.) Certe hunc in modum Seneca ſcripſit ad Lucilium: Quotidie morimur, quia quotidie aliquid de vita perdimus, hæc etiam dum creſcit, ſemper decreſcit: tranſit infantia, tranſit pueritia, tranſit juventus. Forſan hunc ipſum in ſenſum dixit: *Deus ad Adam, quacunque die comederis, morte morieris;* quia illa die incæpit mori: ſicut navigantes etiam cum comedunt, ludunt, dormiunt, ſemper provehuntur; ita ait S. Ambroſius, *etſi non videmur corporaliter ire, progredimur &c.* D. 11. 76.

Mors ex improviſo aggreditur hominem; ideo inhiandum theſauris cæleſtibus potius, quam terrenis. Paoletti Feria 4. Cinerum.

Hiſtorici notant, aliqua loca plus aliis eſſe infortunatis caſibus obnoxia: ſic Pariſiis in platea ferrariorum aut cuprariorum multa infortunia facta fuiſſe ſciuntur. Ibi cum corpus S. Ludovici ad ſepulturam S. Dionyſii tranſportaretur, antiquum ædificium multitudine ſpectantis populi plus nimis oneratum concidit, & ſeptem Regis Nobiliſſimos equites miſere obtrivit. Ibi ab Henrico Angliæ Rege Pariſienſes, qui illi gratulabundum *Vivat* acclamare noluerunt, miſere trucidati ſunt. Ibi Franciſci Primi primarius ſacellanus per Regium tutorem gladio confoſſus obiit. Ibi Henricus IV. per ſicarium Ravalliac duplici vulnere confoſſus eſt. Theat. Trag. Hiſt. 7. n. 11. & ſeq. Verum ſi rem bene conſideremus, tandem cuilibet hominum talis funeſtus locus decretus fuit.

O quam continua, & numeroſa eſt propagatio humani generis! in una urbe utcunque ſpatioſa per annum generantur mille homines, & poſt quinquaginta, aut octoginta annos vix unus ſupereſt! Quo ergo devenerunt? audite, quid ſapientiſſima Thecuitis Davidi dixerit: (2. Reg. 14.) *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram!* Videte imbrem copioſum: innumeræ aquarum guttulæ delabuntur in terram, & poſt triduum, calente ſole, nulla amplius ſupereſt. Sic res ſe habet cum humano genere: *Quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.*

### 130. *Demonſtrat vanitatem rerum mundanarum.*

S. Antonius Paduanus ait: *Sicut veſica, quæ vento inflata major eſſe videtur, quam ſit:* (S. Ant. Dom. 12. Trinit.) proh quantum turget! ſed punge acu, & ſtatim conſidebit. *Punctum acus, id eſt mortis, manifeſtabit, quam parvus homo ſit.*

In Veteri Teſtamento lex erat, quod omnia



omnia bona immobilia, quæ erant vendita, tempore jubilæi ad ſuum Dominum debeant reverti: Quanto igitur magis annus jubilæi appropinquabat, tanto viliori pretio conſtabant bona omnia &c. O mi homo tu tanto vilius æſtimabis bona terrena, quanto attentius perpendes te appropinquare morti, quæ tibi omnia eripiet. D. 3. 62.

S. Spiridion in aulam Conſtantii Imperatoris vocatus, ut eum a gravi infirmitate ſanaret, cum videret, quod Triſillus ſuus ſocius majeſtatem Imperatoris nimium quantum admiraretur, quæſivit: ubi & quis ergo eſt Imperator? en ille eſt, ajebat Triſillus, qui in throno ſedet. Eſtne homo? ita, eſt homo! Quid ergo miraris, ſubintulit Spiridion, illa purpura computreſcet non minus, quam noſtra lacinia &c. R. cent. 2. p. 1. mir. 26.

Xerxes numeroſiſſimo exercitui ingemiſcens doluit, quod poſt centum annos ne unus militum ſit ſuperfuturus.

Saladinus mortuale linteum in caſtris circumferri & ſtentorea voce clamari præcepit: Hoc ſolum Saladino ex omni imperio ſupereſt. C. Gen. 2. v. 17.

Quantos vidimus in hoc mundo, qui ventoſi, adipati, incraſſati & dilatati in honoribus, & divitiis helluati ſunt! Quanta audivimus de Imperatoribus, regibus, & principibus nobis coævis! ubi modo ſunt! in ſepulcro, in pulvere, quaſi nunquam fuiſſent! (Pſ. 103.) *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur &c.*

### 131. *Violenta, aut repentina non ſemper denotat malum.*

S. Simeon Stilita fulmine percutitur, & tamen viſus eſt a S. Juliano Epiſcopo in cælum ab Angelis deportari: *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* (Sap. 4.) D. 3. 5.

S. Aug. increpat *cogitantes & dicentes:* (S. Aug. in Pſ. 33.) *non erat ille juſtus, ideo male periit; nam non periret, ſi juſtus eſſet.* D. 3. 5.

S. Paulus poſt naufragium in Inſula Maltha a vipera ictus ſtatim a conſortibus credebatur eſſe impius & Divino ſupplicio dignus. Job a ſuis amicis putabatur eſſe ſceleratus, & tamen uterque fuit ſanctiſſimus. D. 6. 45.

(Spec. Ex. tit. Mors e. 18.) S. Euſebius in morte horrendum in modum ejulabat, ita ut circumſtantes præ timore in terram conciderent; nam quandoque tranſverſis oculis, & facie terribili clamabat: Non faciam! Mox: Adjuvate fratres, ne peream! Interrogatus, quæ cauſa ſit clamoris & terroris? Reſp. Dæmones ad blaſphemiam me invitarunt! ſic priores clamores repetiit! Quis illi exitus fuit mortis? Optimus! nam S. Hieronymus illi ſuccurrit, & cum exſpiravit ſtatim Deus ejus ſanctitatem in eo declaravit, quod cæcus, qui ejus cadaver tangebat, viſum receperit.

Mors repentina omnium hominum judicio habetur pro miſerabili, & non ſine fundamento: *Si repente interroges, quis reſpondebit tibi*, ait S. Job. Sicut enim æconomus, ait S. Thomas, ſi repente, ſine præparatione ad ineundas rationes vocetur, infelicem ſe reputat; ita homo, ſi ſubitanea morte ad judicium citetur. S. p. 130. f. 403. Verum quot homines ſancti obierunt, imo exoptarunt mortem repentinam!

### 132. *Non eſt timenda.*

*Nolite metuere judicium mortis.* Non Eccli. 41. eſt timenda mors 1. Quia ipſa eſt judicium, ſeu juſta, non injuſta, ob culpam tam propriam, quam protoparentum. 2. Quia in ſæculis, quæ ante te fuerunt, omnes ſunt mortui, nemo a lege mortis fuit exceptus. 3. Poſt te per omnia ſæcula omnes naſcendi ſunt morituri, ut merito ab hac univerſali lege nec tu velis excipi. 4. Hoc judicium mortis commune eſt omni carni, non tantum hominibus, ſed & animantibus; eſt hæc ſors naturæ fragilis, ut corrumpatur, unde cum quis moritur, dicitur ingredi viam univerſæ carnis. 5. Non ſolum Chriſtiani, ſed etiam gentiles non timuerunt mortem, ſed contempſerunt; Anaxagoras audita filii morte dolorem ſtitit, inquiens: *Sciebam me genuiſſe mortalem.* Et Seneca, *ſtultum eſt*, inquit, *timere, quod vitare non potes.* 6. Mors docet contemnere vitam præſentem intuitu vitæ futuræ: conſidera ingreſſum tuum, quam fuerit immundus, progreſsum quam ſit laborioſus, egreſsus quam ſit periculoſus. Nativitas hominis immunda eſt, vita laborioſa mors periculoſa: Unde S. Bernardus: *Recole unde venis, & erubeſce, ubi ſis, & ingemiſce, quo vadis, & contremiſce.* C. in Eccli. 41. v. 5.

Alphonſus Arragoniæ Rex adoleſcentem, qui mortem timebat, conſolans, ajebat: Non eſt cur mortem timeas; eſt enim principium vitæ quæ neque dolori, neque timori, neque invidiæ, neque ærumnis ſubjecta eſt. C. in Eccli. 41. v. 7.

Sanctus Cyprianus ait: *Mortalitas Chriſtia-*

*ſtianis præſtat, quod martyrium, cæpimus libenter appetere, dum mortem diſcimus non timere*. C. in Apoc. 14. v. 13.

### 133. *Eſt inevitabilis*.

Infallibile eſt decretum Dei, quo ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Narratur de fonte quodam in Inſula Loguca, quod ſenes rejuveneſcere faciat, diciturque de ſene decrepito, quod amore vitæ producendæ eo ſe contulerit, & aqua illa fontana lotus & potus reſumpſerit robur virile, uxorem iterum duxerit, & filios genuerit. VV. art. diſc. font. 16. ex. 5. Verum videntur hæc eſſe fabuloſa! quin imo ſi milleni extarent ejuſmodi fontes, prævalet decretum Dei: ſtatutum eſt omnibus ſemel mori &c.

Magnates & Imperatores quantam cautelam adhibuerunt contra mortem! audierunt, quod laurus, vitulus marinus, & Aquila ſint immunes a fulmine, & ideo Tiberius Cæſar turbulento cælo ſemper coronam lauream capite geſtabat: Auguſtinus ſemper pelles vituli marini ſecum portavit: alii aquilarum plumis ſe defendere ſategerunt: VV. art. diſc. font. 20. ex. 3. Et tamen, ubi modo ſunt? in mortis faucibus, nec vitam ultra alios prolongarunt.

*Commi-næus. in hiſt. Galli.* Ludovicus XI. Rex Galliæ ita mortem timuit, ut præ mœrore animi fere contabuerit: in Medicos, alias parciſſimus, immenſos theſauros profudit. E Gallia univerſa Sanctorum Lipſanothecas ſibi afferri juſſit: S. Franciſcum de Paula ex Italia accerſivit, ut ſuis precibus vitæ prorogationem ſibi a Deo impetraret. VV. art. diſc. Font. 27. ex. 6. Quid autem profuerunt hæc omnia? Nihil! moriendum illi erat &c.

### 134. *Cauſatur ab inexſpectato eventu*.

Salecus Turca cum filium reducem recipit, quem mortuum credebat, aut a Chriſtianis captivum, præ gaudio exanimatus fuit. Similiter Diagoras, cum vidit filios ſuos in ludis Olympicis coronam retuliſſe, præ lætitia mortuus eſt. Germanus centurio ſpectabat certamen alicujus herois contra Turcas; heros ille poſtquam complures interfecerat, tandem multitudine obrutus, vulnere perit. Poſtliminio ubi centurio ille cadaver occiſi explorat, videt ſuum eſſe filium, & præ triſtitia moritur. D. 3. 15.

Diodorus Logicæ Profeſſor, quia ſophiſma aliquod ſolvere non poterat, tædio moritur. Homerus quærit ex piſcatoribus, an felicem capturam fecerint, reponunt illi, *quod cæpimus, dimiſimus, quod non cæpimus, habemus*, iſtud ænigma cum ſolvere Homerus non poterat, pudore obiit. Ariſtoteles, quia capere euripum maris non potuit, moritur. Philippides comædus præ aliis ſuis æmulis plauſum populi referens, præ lætitia obiit. Diagoras ob victoriam a filio reportatam, Mater aliqua ob reditum filii, quem mortuum credebat, præ gaudio mortem oppetunt. D. 8. 27.

Uſus gemmarum conducit alias ad ſanitatem, nihilominus Leo IV. Imperator Conſtantinopolitanus cum diadema gemmeum ferret, ex margaritarum vi apoplexia mortuus eſt. Idem accidit Paulo II. Pontifici Maximo ob gemmarum vim frigidiorem. VV. art. diſc. font. 38. ex. 2. *Platina in Vit. Pont.*

Tarquinius piſciculi ſpina: Fabius pilo cum lacte hauſto: Ariſtides muſtellæ morſu obiit. Anacreonem & Sophoclem uvæ acinus: Luciam Marci Aurelii filiam punctura acus ſubito extinxit. *Drexel. in Prodr. æt. §. 10.*

### 135. *Non timetur a Sanctis*.

S. Joannes Eleemoſynarius voluit quotidie a Sacerdotibus ſuis de morte moneri, his aut ſimilibus verbis: Domine jube confici tuum ſepulcrum, quia morieris.

S. Abbas Theodoſius jubet aperiri tumulum, quæritque ex diſcipulis, qui erit primus in hoc tumulo? Et ecce! rogavit Baſilius, ut ſe primum eſſe juberet, habita ſunt illi omnia parentalia & mortuus eſt. Fures venerant ad S. Hilarionem, qui intrepidus eos excepit: quærentibus, cur non timeret, repoſuit, qui paratus eſt mori non timet mortem. Sanc. 4. p. f. 245.

*Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, quia eſt liberatio e carcere; allevamentum ponderis, terminus peregrinationis, reditus ad patriam, victoria præcedanea. *Beati ſervi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes. Sperat juſtus in morte ſua*. H. ſerm. 1. fol. 6. *Pſ. 115. Luc. 12. Prov. 14.*

S. Job bonis omnibus privatus, & exſpectans, donec veniat immutatio ſua, ſemper ſubintulit: Sit Nomen Domini benedictum!

S. Paula Romana, cum totius patrimonii everſio illi nuntiaretur, exclamavit: Nuda exivi de utero Matris, nuda & redibo! ſicut Domino placuit, ita fiat. C. Ezech. 24. v. 18.

Quanto deſiderio SS. Martyres anhelarint



ad mortem, patet exemplo Machabæorum, & aliorum. Recte S. Bernardus: *Hunc tranſitum ad vitam miſeri infideles mortem appellant, fideles autem quid, niſi Paſcha? quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo. Ingreditur locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei*. C. in Apoc. 14. v. 13. *S. Bern. c. 15. de amor. Dei.*

### 136. *Adimit mundana omnia*.

Saladinus Orientis Imperator ante mortem juſſit mortuale linteum ſuum circumferri, & exclamari: hoc ſolum Saladino ex omnibus regnis reliquum eſt. C. Gen. c. 2. v. 17.

Maria Campaniæ Comitiſſa, & quatuor Regum ſoror, fuit luxui & pompæ dedita, moritura vocavit Abbatem vicini Monaſterii; verum cum ille advenerat, jam Comitiſſa deceſſerat, vidit autem famulos Dominæ utenſilia, vaſa aurea, argentea, veſtes pretioſas, linteamina purpurea, aliaque abripere, quorum unus inſolentior cadaver Comitiſſæ e lecto in ſtramenta nudum devolvit. Tum Abbas perorans ajebat: O vos omnes cernite pompam Comitiſsæ delicatiſſimæ, cui nihil jam ſupereſt præter ſtramen. E. *Mundus* n. 3.

Cuidam jactanti ſuum palatium & divitias, blandientibus aliis, unus edixit: unum errorem admiſiſti in tuo palatio! quem illum? quod oſtium non occluſeris, per quod mortuus effereris. Hoc dicto perculſus dives ſæculum reliquit. T. n. 86.

*Thren. 1.* In morte deſinit amicitia mundana, juxta illud: *Vocavi amicos meos, ipſi autem deceperunt me!* In Belgio vir dives, cum morte luctatus, vocavit uxorem, filios, filias, famulos, & ancillas, impenſe rogitans, ut ſe juvarent, cumque ſingillatim omnes reſponderent, ſibi vires non eſſe, nec remedium contra mortem, ingemiſcens moribundus edixit: O quam deſipui, quod amicos quæſierim in hoc mundo! O quam ſatius fuiſſet, ſi Deo ſerviiſſem! C. in Thren. 1. v. 19.

### 137. *Cur incerta ſit?*

*Gen. 2.* Deus ſumma induſtria celat horam mortis: dixit Adamo, in quacunque die comederis, morte morieris, & tamen Adam 930. annos vixit. Oliva dat rationem: Maluit Deus ſuas *minas irritas videri poſſe, quam Adamum unum diem vivere, non incertum*. Ratio autem eſt: 1. Ut homo ſemper paratus ſit mori. 2. Ut functiones utiles Republicæ non omittantur. 3. Ut non differatur pœnitentia, per illud enim *non moriemini* ſeducti ſunt protoparentes. B. ſerm. 32. n. 21. ſeq. *Oliva l. 6. ſermo. fol. 116.*

Quis magis ſecurus, & immunis poſſet eſſe a morte, quam juvenis, & tamen multi juvenes in ipſa juventute ex inſperato abripiuntur a morte. Cur autem Deo diſponente fiunt hæ prævaturæ mortes? Reſp. hoc quidem pertinet ad arcana Dei judicia, verum cauſæ poſſent eſſe 1. abripiuntur ante tempus propter peccata impudicitiæ, quibus ſeducti ab aliis, vel alios ſeducentes petulciunt, juxta illud: *Qui ſe jungit fornicariis, vermes hereditabunt illum*. 2. Sæpe id fit in pœnam parentum; hinc illi pueri, qui deludebant Eliſeum Prophetam, ab urſis lacerati ſunt. 3. Ob bonum juvenum morientium, ne malitia mutaret intellectum. 4. In bonum Communitatis, aut familiæ, cui forſan, ſi ſuperviverent, temporaliter, aut ſpiritualiter eſſent nocituri. O utinam multi in juventute mortui eſſent, ſaltem non tam profunde demerſi fuiſſent in infernum. S. p. 226. fol. 394. & ſeq.

*Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies*, ait S. Auguſtinus, *ſero parantur remedia, cum mortis imminent pericula*. *S. Aug. de diſc. Dom.*

### 138. *Eſt incerta tam juveni, quam ſeni*.

Inter viginti, aut plura vitra non illud fractioni proximius eſt, quod vetuſtius eſt: illud enim quod heri conflatum eſt, tam cito e menſa excutitur, quam aliud, quod jam pluribus annis uſui deſervit &c. B. ſer. 6. n. 18. & ſeq.

Mors non ſervat ordinem ætatis, ſed providentiæ Dei, que æque juvenem, quam ſenem abripit. Malum ſpiritum Saulis compeſcuit cythara Davidis; quia erat ſymbolum mortis: ſicut ergo cytharædus non ſecundum ordinem fidium percurrit cytharam, ſed modo hanc, modo aliam fidem tenuem æque ac raucam vellicat; ita mors æque juvenem, quam ſenem abripit. B. ſerm. 16. n. 25.

Mors armata eſt gladio, & arcu: *Gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit*. Cur duplici armatura utitur? Reſpondet Raulinus: *Senes, quaſi gladio, juvenes quaſi ſagittis occidit*. B. ſerm. 16. n. 28. *Pſ. 7. Raulin. de mort. c. 10.*

Rebus omnibus invenitur remedium, morti remedium nullum invenitur: Dicat juvenis filius unicus Matris ſuæ, utrum nobilitas, an quod ſolus eſſet, an quod juvenis quindecim annorum, remedium adinvenit? neutiquam adinvenit: homo flos eſt, & qui heri natus eſt, tam facile conteritur;

ritur, quamdiu floreſcens: Expoſtulet, ut vult: Immaturus ſum, junior ſum: nihil efficit, nam mors fructus etiam Immaturos carpit &c. S. p. 126. f. 391. & ſeq.

Chriſtus Dominus tantum panem quotidianum *hodie* nos petere juſſit, ut doceret nos incertitudinem craſtini, ait Auguſtinus. M. conc. 30. aſſ. 1. n. 16. & ſeq.

*S. Aug. ſerm. 22. de temp.*

### 139. *Adæquat omnes homines.*

In hac vita homo ab homine diſcernitur per varias denominationes: Eſt Imperator, eſt Aulicus, eſt Doctor &c. ſed ultima reſponſio omnibus eſt æqualis: Eſt pulvis & cinis. Pſalmiſta ait: *Ad nihilum devenient, ſicut aqua decurrens*: aquæ decurrentes nunc nomina habent Danubii, Rheni, Sequanæ &c. Sed *quando tale flumen intrat in mare, ad nihilum devenit, quia nomen amittit*, ait Card. Hugo: ibi diſcerni non amplius poteſt, quis ſit Danubius, quis Rhenus &c. Ita in altero mundo homines æquales erunt. B. ſerm. 16. n. 8. 9.

*S. Aug. in ſent. ſent. ait.*

Diſcerne, ſi potes, in tumulis, diſcerne cineres Alexandri a cineribus Menalcæ, Lycurgi, Scipionis &c. B. ſer. 16. n. 10. S. Auguſtinus ait: *Reſpice ſepulcra, & vide, qui ſervus, & qui Dominus*. Non magnum ab humili, non nobilem a plebejo, non doctum a rudi dignoſces: *Venit mors*, ait Seneca, *quæ vos pares efficiet*. B. ſerm. 17. n. 10.

Lapis ſine manibus aurum, argentum, & lutum æqualiter comminuit: aurum ut ferrum, nobilem ut ignobilem, ſenem ut juvenem abripit &c. S. p. 126. f. 391.

S. Auguſtinus: *Divitiis flores, & majorum nobilitate te jactas? exultas . . . de pulchritudine, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur: reſpice te ipſum, quia mortalis es, & quia terra es & in terram ibis, circumſpice eos, qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulſere, ubi ſunt, quos ambiebant civium potentatus? ubi inſuperabiles Imperatores? . . . ubi exercituum duces? Nunc omnia favillæ, nunc in paucis verſibus eorum memoria eſt*. Corn. in Gen. fol. 87. col. 2.

*Idiota de contempl. mort. §. 1.*

Aſpice noctu ſereno cælo ſydera, ſunt magna, ſunt parva, ſunt lucida, ſunt vix conſpicua, omnia tamen ab oriente in occidentem rapiuntur, & tandem oculis noſtris diſparent; ita homines magni & parvi, Sereniſſimi, Potentiſſimi, Illuſtres, Nobiles, Litterati, Rudes, Cives, Ruſtici, Mendici, omneſque ſine differentia in mortem trahuntur, & tandem diſparent. Sicut homo nudus egreditur ex utero Matris; ita nudus, & denudatus ab omnibus titulis, opibus, & honoribus, revertitur ad ſepulcrum. In ſolis virtutum meritis differunt mortui, in cæteris ſunt æquales &c.

Nunquam vidiſti ludum latrunculorum! ibi ex conis, quibuſcum luditur unus vocatur Rex, alter Regina, alii officiales, curſores, ſalii, & tandem ruſtici. Finito autem ludo omnes promiſcue in unum ſacculum conjiciuntur, nec eſt differentia inter Regem & ruſticum. Sic vita humana ludus eſt, hac finita, non amplius diſcrimen, Rex & ruſticus in eundem cinerem recidit.

### 140. *Eſt talis, qualis vita fuit.*

*Berchor. tom. 2. de V'tiis tr. 5. c. 5.*

Monachus quidam in publicis nundinis quærit emere equum cum capite equino, & cauda agnina: ridentibus omnibus dixit, hanc eſſe ſtultitiam mundi, qui vult vivere velut equus, & mulus, mori vero ut ovicula Chriſti. Imprudens eſt ſerere tribulos, & ſperare uvas: imprudens eſt conducere ſedem in inferno, & ſperare thronum in cælo. Arbor exciſa in illam partem cadit, in quam inclinat &c.

*1. Reg. 17.*

*Abul. hic q. 34.*

Goliath in fronte percuſſus debuiſſet ſupinus cadere, & tamen pronus procubuit in terram: Quare? Reſpondet Abulenſis: *Cecidit in faciem ſuper terram, quia non conſueverat oculos in cælum levare*. B. ſerm. 9. §. 4.

*S. Bern. ſer. 28. in Cant.*

Mors dicitur umbra vitæ: ſicut ergo umbra equi non repræſentat hominem, ſic cum homo vivit velut infrunitus equus, non morietur ut juſtus homo &c. B. ſerm. 49. n. 28.

*Num. 13. Oleaſt. hic.*

Balaam exclamat: *Moriatur anima mea morte juſtorum*: Ubi Oleaſter: Volunt homines vivere ut peccatores, & mori ut juſti: Dominus autem non conſuevit dare mortem juſtorum niſi juſtis. Et S. Auguſtinus: Vivite bene, ne moriamini male &c. S. p. 129. f. 402.

*Eccl. 11. S. Bern. hic.*

*Sive ad auſtrum, ſive ad aquilonem ceciderit lignum*. Ubi Bernardus: qua parte caſura ſit arbor, ſi ſcire volueris, ramos ejus attende, ubi major eorum copia inde caſuram ne dubites. Rami ſunt deſideria noſtra &c. S. p. 129. f. 402.

*C. Aug. ſer. de SS. Innoc.*

Sanctus Auguſtinus enunciat: *Hæc eſt juſtiſſima Dei lex, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei*. A. 1. l. 4. num. 24.

*S. Aug. ſerm. 24. de Verb. Dom.*

*Vivite bene, ut non moriamini male*, ait S. Auguſtinus. Mirum foret ſi homo qui lolium ſeminat, tempore meſſis triticum colligeret: Mirum foret ſi viator, qui ſemper deorſum vadit, finaliter in apice montis ſtaret. &c. D. 9. 10.



Vita humana ſimilis eſt Orationi Rhetoricæ: loco *exordii* eſt infantia, ex qua jam prænoſci poteſt, an homo ad vitia, vel ad virtutem proclivis futurus ſit. Loco *Propoſitionis* eſt deliberatio, ſeu capta reſolutio ad certum vitæ ſtatum, Loco corporis ſeu *confirmationis*, eſt vitæ curſus ſeu bonus ſeu malus. Loco *Epilogi* denique, eſt morbus ultimus ſeu mors, ubi fiet factorum repetitio, & ſi facta vitæ fuerint bona, ſequetur ſolatium propter beatam retributionem: ſi mala, ſequetur deſolatio & deſperatio propter ſupplicium. Sic Antiochus in morte clamavit: Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem: Et Henricus VIII. Angliæ Rex: Amici omnia perdidimus! &c.

Dicebat Balaam, *moriatur anima mea morte juſtorum*, ſed dicere prius debebat, vivat anima mea vita juſtorum, ut moriatur morte juſtorum; bonam enim vitam bona mors ſequitur, & malam vitam mala mors. Sicut ergo Romæ mori non poteſt, qui Romæ non vixit; ita in Deo mori non poteſt, qui in Deo non vixit. C. in Apoc. 14. v. 13.

Mors ſpeculum eſt vitæ; cum deformis Æſopus introſpicit ſpeculum, non ibi relucebit formoſus Ganymedes. Parem in modum ſi vita ſit millenis ſceleribus monſtroſa, mors non erit virtutibus ſancta. Mors eſt ectypon vitæ, illud debet concordare cum prototypo: mors autem ſancta cum vita ſcelerata non concordat. Mors eſt depoſitum, ſeu theſaurus vitæ, ſi per omnem ſeptimanam in Gazophylacium monetas cupreas, ſpuriaſque injicias, demum recluſa die Sabbati ciſta non aureæ, argenteæque monetæ prodibunt. Mors partus eſt vitæ; ſicut ergo immunda ſcropha nunquam parturiet oviculam, ita immunda vita nunquam poſt ſe trahet mortem beatam. &c. Vis ſancte in Dei gratia mori? diſce ſancte in Dei gratia vivere!

### 141. *Eſt incerta quoad modum.*

Quadruplex mortis genus eſt: *Prænatura*, uti ſi pomum adhuc crudum de arbore decipiatur. *Subitanea*, uti Ozæ, Heli, Ananiæ & Saphiræ contigit. *Violenta*, ita Saul lancea confoſſus, Jezabel de feneſtra præcipitata eſt. *Naturalis*, cum defectu humorum, aut caloris deficit homo, ſicut defectu olei lampas extinguitur: Dic, qua mortis ratione tu morieris? B. Serm. 16. n. 32.

Henricus I. Rex Caſtiliæ, dum plateas obit, a decidente e tecto tegula obteritur. Æſchylus Poeta, dum ruri quieſcit, a teſtudine ex unguibus prætervolantis aquilæ decidua occiditur. Quidam ſomnians ſe morſu lapidei leonis fuiſſe lethaliter ſauciatum, dum manum ex joco in rictum leonis inſerit, a latente ſcorpione mordetur, & moritur. Anacreon græcus Poeta ab uva botri ſuffocatur. Godinus in menſa Eduardi Regis Angliæ oſſa, Fabius Senator crine, quem una cum lacte ſorbſerat, perit. Ofilius comædus poſt actam in theatro perſonam, dum larvam qua utebatur, conſiderat, nemine advertente moritur. O quam incerta eſt mors, quæ a re leviſſima adventare poteſt. &c. D. 8. 58.

Quidam Romæ, cum cancellariæ ædes præteribat, ab ingenti ſaxo, cui Riariorum inſignia inſculpta erant, decidente obtritus eſt. J. 83.

*Drexel. in Prodr. c. 1. §. 43.*

Philæmon comœdus jam unam comœdiæ partem in theatro repræſentaverat, ſed quia pluvia interveniente abrumpere fabulam coactus eſt, promiſit ſpectatoribus ſe alteram partem poſtera die exhibiturum. Altera die theatrum & orcheſtra perſonis jam erat repleta; exſpectatur Philæmon, & non comparet. Quæritur, & ecce! in lecto mortuus reperitur.

### 142. *Eſt incerta quoad tempus.*

*Tertul. ap. Canſin. in aula Sanct.*

Tertullianus hunc mundum appellat *corpus naturæ*, in quo homines non aliter verſantur, quam infans in corpore materno. Cum ergo vivit homo, mundus prægnat, & cum moritur mundus parit. Jam attende: viſi ſunt partus ſedecim menſium, alii decem menſium, ait Plinius. Salomon de ſe fatetur: *Decem menſium tempore coagulatus ſum*. Mater Machabæorum novem menſibus prægnabat. Alii partus præmaturi fuere teſte Plinio, nempe quatuor, quinque, aut ſeptem menſium &c. cum igitur mori idem ſit ac naſci in æternitatem, ideo ſicut infans in utero non certo tempore concluditur, ita nec certum tempus homini eſt in hoc mundo. &c. B. Serm. 49. n. 26. ſeq.

Auctores mira quædam blaterant de annis climactericis, eorumque periculis, annos autem climactericos nominant omnes ſeptenarios, & nonarios, dicuntque

que intra eorum ſpatium ſemper notabilem corporis humani varietatem intervenire: maxime autem formidabilem ajunt eſſe annum ſexageſimum tertium, in quo concurrunt novem ſeptenarii & ſeptem nonarii. &c. Verum ſi rem penitius inſpiciamus, tandem omnis annus climactericus eſt; quia omnis periculo mortis obnoxius; quis eſt annus, in quo non mortui ſunt milleni & milleni. &c. D.10.68.

In Monaſterio S. Vvinvvaloci eo ordine utebatur mors, ut ſemper moreretur annoſior ſenex. R. 1. cent. 2. part. mir. 25. Sed alias id moris non habet mors.

Quæ lætior homini dies, quam natalis, ſæpe ſympoſiis & lætitiis celebrata! & tamen multis eadem recurrens natalis fuit dies etiam mortis, tales fuere Plato, Antipater, Polyſtratus, Alexander Magnus, Pompejus, Carolus Magnus, Henricus Cardinalis, Gregorius Magnus & alii. VV. art. diſc. ſont. 100. ex. 1.

O quoties homo neſcio quæ, aut quot negotia conficere cogitat, & repente abripitur! Juvenis ille voluit in Philoſophia, in Jure, in Medicina Magiſter fieri, deinde intrare Religionem. Verum dum cum his cogitationibus dormitum concedit, altera die in lecto mortuus inventus eſt. E. *Converſio*. n. 34.

*Plin. l.8. c.7.* Manlius Torquatus dum in cœna placentam appetit: Quintius Scapula, dum apud Aquilium Gallum cœnæ aſſidet: Soffejus dum ovum ſorbet: Æmilius Lepidus dum cubiculum egrediens, limini pedem illidit: Cajus Aufidius dum in comitio pedem offendit: Bebius Judex dum vadimonium differri jubet, repente extincti ſunt. &c. Eheu! quando & quomodo nos, qui hæc ſcribimus, legimus, vel audimus, & ubi moriemur?

143. *Per varia ſigna prænunciatur.*

Carolus Magnus Romanorum Imp. & Galliarum Rex pretioſiſſimam Eccleſiam Aquiſgrani in honorem Beatiſſimæ Virginis condidit, & ſupra portam ingreſſus ſuum Nomen *Carolus Princeps* trabalibus litteris inſcripſit: ante illius mortem autem Eccleſia fulmine percuſſa, & inſcriptio illa litteratim, ac ex integro deleta atque extincta fuit. Theat. Trag. hiſt. 7. n. 21.

Antequam Henricus IV. Rex Galliarum a ſicario fuit confoſſus, adornabatur Pariſiis inſigniſſima pompa & triumphalis feſtivitas in coronationem Reginæ, & tamen nemo hominum ſentiebat lætitiam, ſed omnes, qui laborabant ad feſtivum jubilum mira quadam triſtitia obruebantur: quod erat ſignum prodromum infortunati Regi-cidii. Theat. Trag. hiſt. 7. n. 21.

In Conventu Amorenſi Ordinis Prædicatorum campanula fuit, quæ ſemper ſua ſponte ſonum inſolitum edere ſolita eſt, quoties quiſpiam ex fratribus brevi erat moriturus. Cum ergo audita fuit campanula, omnes ſe morti parabant. E. *Mors* n.27.

Vir nobilis poſt ſomnum meridianum, afferri ſibi juſſit vitrum vini. Et ecce! allatum in fruſta diſſiliit. Allatum eſt alterum, ſed & hoc, & tertium diffractum eſt. Nobilis autem ad noctem mortuus eſt. T. n. 81.

In familia Klenorockiorum, ſiquis eſt moriturus, prius femina lugubri habitu per feneſtras proſpicit.

In familia Sternbergiorum in templo parochiali noctu lumina viſuntur, quæ ſi ſint a dextra parte, marem, ſi a læva, feminam morituram denotant.

In familia Kolobrat lapis ſepulcralis ſudat. In familia Lobkovviz campanula ſponte ſonat. T. n. 119.

Ante mortem Ludovici XI. & Henrici IV. cometa in firmamento apparuit. Ante mortem Ludovici Balbi eclypſis adeo cælum obtenebravit, ut ſtellæ apparerent. Ante mortem Regis Alexandri Poloni Cracoviæ ſupra curiam ignitus globus apparuit. Ante mortem Matthiæ Corvini in Hungaria Budæ leones extincti ſunt. Ante mortem Mauritii Saxonis de lapidea ejus Statua caput ultro decidit. Ante mortem Imp. Andronici Statua S. Pauli viſa eſt lacrymari. Ante mortem Alphonſi VI. in Hiſpania lapides pavimenti in Eccleſia tribus diebus abundanter aquam ſudarunt. Ante mortem Caroli, Maximiliani, Ferdinandi Imp. terra inſolito motu contremuit.

Valliſoleti in Hiſpania ſepulcrum eſt Nobilis Equitis Caſtiliani, in quo tumultus ingens auditur, antequam quis ex ea familia moritur. *Joann. Euſ. l. 1. Mir. Europ. c.11.* In Italia ſupra Caſtellum Montauri, quod Nobilis familia inhabitat, ſemper flamma apparet, antequam aliquis ex ea familia fatis concedit. Familiæ Torrelliorum, Piorum, & Gonzagarum, antequam quis ex iis decedat, ſemper per feminam albis veſtibus indutam præmonentur. *Petra ſanct. de Mir. perpet.*

Meſſanæ imago B. V. in tabernaculo aſſervatur, dicta Malfino, cujus claves ſemper Abbatiſſa aſſervat, cum autem tabernaculum ſponte ſe referat, ſignum eſt, aliquam e monialibus morituram.

In



*Guiliel Baldeſſ. in Hiſtor. S. Maur.* In Monaſterio S. Mauritii in Sabaudia tot ſunt piſces in vivario, quot Monachi in cœnobio: cum ergo unus ex iis moriturus eſt, ſemper prius piſcis emoriens enatat.

Venetiis in Monaſterio S. Danielis, cum ferrea clathra apud ſepulcrum S. Joannis concutiuntur, ſignum eſt unam e Monialibus obituram.

Spoleti in Umbria cum quis in morbum incidit, ad ſepulcrum Beatæ Marinæ cereum accendi jubet, ſi cereus totus ardendo conſumitur, æger convaleſcet: ſi autem æger eſt moriturus, cereus iterum, iterumque accenſus ſemper extinguetur.

In Bohemia Nobiliſſima eſt familia, e qua ſiquis moriturus eſt, prius in arce, etiam de die ſenicula femina comparere ſolet.

Sanctus Mainulphus poſt mortem e tumulo ſurrexit, præcepitque, ut ea, quæ fundaverat, diligenter in Monaſterio ſervarentur. In ejus tumulo inventum eſt tintinnabulum, quod ſemper ultro ſonitum dedit, cum quis moriebatur. N. 5. *Octobr.*

Sixtus V. Pont. Max. quotidie ſibi pro cœna tres nuces apponi juſſit. Aliquando, dum nuces aperit, invenit omnes tres verminoſas ac putres. Cum indignatione abjecit cortices dicendo: ſi Romanis non amplius placent nuces, devorent caſtaneas. Quo dicto alludere voluit ad Cardinalem Joannem Baptiſtam Caſtagna, qui ejus in Sede Pontificali ſucceſſor fuit.

Sicut campana feralis in turri pulſatur, dum maleficus ad mortis ſupplicium ducitur. Ita in quadam familia ſonitus quaſi campanæ ſonantis auditur, quoties unus vel una ex tali familia morietur. &c.

Severo Imperatori quatuor aquilæ mortis ſignum tulerunt, a quibus in cælum abripi ſibi videbatur. C. in Exod. c. 19. verſ. 4.

Sancti Arnulfi cella pridie ante mortem trino impulſu concutitur. C. in Num. c. 23. v. 10.

Infauſta volucris Bubo habetur: aliqua ſupra regii lavacri faſtigium ſedens nec ſagittis, nec lapidibus ſe abigi paſſa mortem Valentiniani Imp. ululando prædixit. Alia Herbipolenſibus peſtem præſagiit. Kornmannus de mir. Mort. part. 3. c. 151. Antequam Cajus Octavius Auguſtus moreretur, ſtatua illius fulmine tacta, & prima littera C. avulſa eſt. Idem p. 4. c. 167.

Quemadmodum Regi Balthaſar ſcripta eſt feralis ſententia illis verbis: *Mane, Thecel, Phares*: ita per varia prognoſtica nonnunquam mors prænunciatur: Cum Julianus periit, viſæ ſunt ſtellæ in firmamento has litteras efficere: *Hodie Julianus in Perſide occiditur. &c.* D. 3. 3.

Campana quædam in Monaſterio vulgo Bodken ex ſe ipſa ſonat, quoties Monialium una moritura eſt. In Burgundia prope Rhodanum Monaſterium eſt, ubi Monachi in vivario penes adjacente ſolent tot piſces enutrire, quot ſunt in Monaſterio Monachi: cum autem unus moriturus eſt, antea piſcium aliquis e fundo exanimis enatabit. D.6.42.

Cardanus narrat, Familiam Torrellorum, quæ eſt inter primas Parmæ, habere arcem, in qua ſub camino ignota anus ſemper cernitur, quoties ex familia aliquis moriturus eſt. D. 11. 55. *Card. l. 16. c. 93. de Rerum Variet.*

Sandomiriæ in Polonia, antequam quadraginta Religioſi a barbaris irruentibus fuerunt obtruncati, lector in choro ex Martyrologio Romano ſemper prælegit: *Sandomiriæ quadraginta Martyres.* Cum autem nec littera talis extaret, habitum id fuit pro prognoſtico Martyrii ſubſecuti. R. cent. 2. part. 2. mir. 42.

Priuſquam Deus totum humanum genus diluvio extinxit, prius præcepit Noemo ut pro ſua ſuorumque ſalute arcam ex ligno ædificaret. An ergo Deus univerſali humani generis exitio nullum ſignum, tanquam monitum præmiſit? Præmiſit utique! dum enim Noe per integrum ſæculum ædificavit arcam, ſinguli malleorum ictus fuere monitum mortis imminentis. O quoties ejuſmodi ſigna prævia advertere poſſet peccator, ſi vellet! verum vel illa non curat, vel aliter interpretatur, vel omnino contemnit, & riſu explodit. &c.

## Memoria mortis.

144. *Dedocet peccatum.*

CHriſtus Dominus, dum ſanos fecit ægrotos, ſemper commonuit, ut deinceps peccare nolint: dum autem excitavit a mortuis Lazarum, & filium viduæ eos *nullo imbuebat præcepto*, quare? Euthymius reſpondet: *A morte namque eximio Doctore admoniti erant*, & conſequenter nullo alio monito opus habebat. B. ſerm. 16. n. 3.

Ponamus unicum hominem ex toto humano genere moriturum, & hunc videri quotidie inter luſus, inter vanita-

 tes,

tes, inter ſcelera: nonne talis homo crederetur inſanire? Et quid de te judicas, o homo, mori debes, & in peccatis, & vanitatibus vitam agis. B. ſer. 16. nu. 13.

Job in ſterquilinio radebat ſaniem teſta de tegula, quæ prona repræſentat cunas, ſupina ſandapilam: conſiderabat apud ſe, o quam parvo intervallo diſtant ab invicem cunæ, & tumba, & ſic ait Gregor. *etiam de exterſione vulneris ſumpſit curam mentis*, &c. B. ſer. 17. n. 14. ſeq.

S. Greg. l. 3. Mor. c. 3.

Rex Cyrus ſimulacrum Beel adoravit, credebat illud vivum eſse, & comedere cibos appoſitos: Daniel detexit fraudem, dum pavimentum cinere conſtravit, in quo altera die *veſtigia virorum, mulierum, & infantum* apparuerunt. Tu veſtigia intuere horum, qui hic ſepulti jacent, fuerunt nobiles, divites, docti: Oſsa arida tibi prædicare poterunt, ait S. Aug. B. ſerm. 17. n. 7. & ſeq.

S. Aug. Ser. 66. ad frat. in Erem.

Ille apud Climacum duodecim annis conſiderans mortem moriturus ait: Neminem poſse peccare, qui mortem cogitat. David a cæde Saulis abſtinet, dum dormientem mortuo ſimilem aſpicit. S. punct. 125.

*Si non in hoc convertitur impius, non habet Deus, quod adjiciat ultra.* M. conc. 30. aſs. 1. n. 9. Paoletti Fer. 5. poſt Dom. 4. Quadr.

Rupert. in Gen. l. 3.

145. *Facit contemnere mundana omnia.*

S. Hier. ait: *Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum.* B. ſerm. 16. n. 3.

S. Hier. ep. ad Paulin. c. 8.

*Nec ponet ibi tentoria Arabs.* Ubi Hier. Occaſum conſiderans non ponit tentoria in Babylonia terrenorum affectuum. S. punct. 125. fol. 385.

Dum populus Iſrael ex Ægypto exibat, ante eum præcedebat arca, & poſt illum ſequebatur tumba, cui incluſa erant oſsa Joſephi: nimirum, ut populus tam a lege Divina, quam a memoria mortis coerceretur, ne redirent in Ægyptum. S. pun. 125. fol. 385.

Non fruſtra vocantur ſepulcra mortuorum *Monumenta*, quod idem eſt ac *Monens mentem*; quia nos commonent in anguſta ſcrobe deliteſcere ampliſſimas cogitationes, & in hos cineres tandem deſinere omnem pompam mundanam, &c. D. 10. 27.

Excommunicati Comitis ſepulcro aperto vidit ejus filius, illius carnes a buſonibus & ſerpentibus corradi: tunc ſuſpirans dixit: hi ſunt amici ultimi, quos delitiis noſtris nutrimus; & valedicto mundo Romæ carbonarium agens tam ſancte vixit, ut in ejus morte omnes urbis campanæ conſonarent. E. Mors. n. 21.

Conſtantius Imp. Romam ingreſsus, Hormiſdæ Perſæ oſtendens ejus magnificentiam, petiit, quid ſibi de ea videretur; cui ille: *Romæ, æque ac alibi, homines moriuntur.* Alphonſus Rex rogatus quæ tandem res, reges & privatos exæquaret; repoſuit: *Cinis*; non enim eſt differentia inter cineres regis, & mendici. C. in Act. Apoſt. c. 14. v. 14.

Vere enunciat S. Maximus: *Facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe moriturum. Ibid.*

S. Max. Ser. 36.

146. *Dedocet ſuperbiam, docet humilitatem.*

Apoſtolus non ſe extollit propter gratiam revelationum; quia paullo poſt ſubjungit: *Quotidie morimur.* S. punct. 125. fol. 388.

*Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Cave, o Propheta, ne ſuperbiant, quos hæc laus tangit. Non eſt periculum; quia ſtatim addit: *Sicut homines moriemini.* Joſepho futuræ celſitudinis ſigna fuerunt ſol, & luna & ſtellæ adorantes: an non ſuperbiit? non; quia hæc ſigna etiam humilitatis admonent, dum occaſum patiuntur. S. pun. 125. fol. 389.

Salomon quantus fuit in ſapientia & divitiis; ſimilem ſibi non habuit: verum denique fateri debuit: *Sum ego mortalis homo ſimilis omnibus.* Antiochus inflatus ſuperbia, ſed a Deo fœdiſſimo morbo percuſsus tum demum ſe mortalem agnovit. Alexandrum aſsentatores ſuper æthera extollebant, atque inter Deos reponebant, verum denique infirmus, & moriturieus cum luctu ajebat: *En; morior, quem falſo Deum dicebatis.* C. in Act. Ap. c. 14. v. 14.

*Memorare noviſſima tua: conſideratio hujus ſententiæ*, ait S. Aug. *deſtructio eſt ſuperbiæ, evacuatio vanitatis & jactantiæ, perfectio ſanctimoniæ, præparatio ſalutis æternæ.* C. in Eccli. 7. ver. 40.

O quot inflati thraſones cervicem erigunt velut Statua illa a Nabuchodonoſore viſa; dilatant philacteria ſua, verum *adveniente lapide, mortis duritie*, ait S. Antonius Paduanus, *aurum ſapientiæ, argentum eloquentiæ, æs divitiarum, & ferrum potentiæ ad nihilum redigetur.*

S. Ant. Pad. Ser. in Dom. 23. poſt Trin.





147. *Dedocet luxuriam, docet caſtitatem.*

Libido carnis eſt inſtar ſanguiſugæ, ſemper clamat: *Affer, affer*, Sed ſanguiſuga cinere conſperſa rumpitur. Ita libidinoſus cineres mortuorum intuens deſerit voluptates.

Cadaver Moyſis ideo a monte Nebo in vallem Moab transfertur, ut ibi compeſcatur idolum Veneris. S. punct. 125. f. 389.

Abbas Elias octoginta annorum ſenex, cum a muliere potum aquæ incautus acceptaret, tantis poſtea tentationibus vexatus eſt, ut e cella exierit ad conquirendam mulierem. Sed quia eunti in foſſa cadavera virorum & mulierum oſtenſa ſunt, rediit, & peccatum gravi pœnitentia expiavit. Lohner Bib. v. Pœnitentia §. 5. n. 7.

Juvenis feminam adamans, cum eam biduo non vidiſſet, tertia die ad illam viſurus perrexit. Pertranſiens Eccleſiam vidit in ea funebres exequias fieri: quærit, cui hæc funeralia pararentur? & audit, parari amatæ, ad quam pergere cogitabat: quin imo eam vidit in feretro, biduali morbo extinctam. Hoc aſpectu adeo vanitatem rerum agnovit, ut ad ſacram familiam Religioſorum abierit.

S. Aug. in Spec. peccat. c. 1.

*Memorare noviſſima tua!* conſideratio hujus ſententiæ, ait S. Auguſtinus, *eſt medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis, & conſtructio diſciplinæ.* C. in Eccli. 7. v. 40.

148. *Inculcatur homini ab omnibus creatis.*

Tertim. 9.

*Mors aſcendit per feneſtras veſtras.* Feneſtræ ſunt quinque hominis ſenſus, quidquid vides, audis, tangis, olfacis, & guſtas, o homo, tibi memoriam mortis inculcat: Vides ſolem, & ſtellas? hæ oriuntur, & occidunt. Arbores & plantas? hæ areſcunt. Ædificia, & domus? hæ concidunt. Homines, convivia, theatrorum luſus? hæc omnia poſt modicum tempus deſinunt.

Audis curſus fluminum? vita tua adeo appropinquat æternitati, velut aqua mari. Audis muſicam? fides inſtrumentorum ſunt de inteſtinis animalium. Audis loquentes? verba in momento diſparent.

Tangis, aut contegeris a veſtibus? en! lana de ovibus, ſericum de bombycibus emortuis ſumpta ſunt. Calcei ſunt exuviæ animalium: ſcamnum, cui inſides, de arbore exciſa eſt: libri, quos legis, commonent te, quod brevi ad alium ſint tranſituri.

Porro lege teſtamenta, contractus, pacta conjugalia, in his omnibus de tua morte fit mentio. B. ſerm. 16. §. 3. ſeq.

In te ipſo invenis, o homo, non niſi memorias mortis. Momento, quo naſceris jam incipis mori, quia momentis ſingulis morti appropinquas, & tantum in ultima hora conſummas: ſicut ultimum arenæ granulum non facit horam, ſed indicat horam eſſe elapſam, in clepſydra: ita ait Seneca: *Ultima hora, qua deſinimus eſſe, non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat.* Nonne juvenis eras? ecce! juventus tua jam demortua eſt. Vir eras? ætas virilis jam demortua eſt &c. hinc verbum *Vivo* merito æqualiter ſignificat *mori*, quia in præterito *vixit* idem ſonat, ac *mortuus eſt.* &c. B. ſerm. 16. §. 4. Flores, poma, arbores, agri & fere alia omnia nobis inculcant memoriam mortis. Segn. Manna 6. Maji. n. 3.

149. *Facit hominem divitem virtutibus.*

Naves auro onuſtæ venerunt Salomoni ex Ophir: Ophir idem eſt ac cinis: ita virtutum divitiæ veniunt ex cinere mortuorum. S. punct. 125.

Job in ſimeto teſta radit ulcera: ubi Gregorius: Ut ſemetipſum in figmento conſiderans etiam de extenſione vulneris ſumeret curam mentis. S. punct. 125. fol. 388.

Juvenis difficultatem pœnitentiæ plus nimis exhorreſcens, & mortem aliaque motiva deſpiciens, juſſus eſt a Confeſſario, ut per quartam horæ partem in lecto decumbens cogitaret ſe eſſe mortuum, brachiis in formam crucis compoſitis, ad caput appoſito ardente cereo, ad pectus crucifixi imagine. Fecit id juvenis, & adeo illuſtratus eſt, ut totus ſolveretur in lacrymas, tum depoſita confeſſione totius vitæ adeo emendatus eſt, ut de virtute in virtutem progrederetur. E. Mors. num. 28.

S. Maurilius Epiſcopus cum ſepeliretur revixit, habitoque ad populum ſermone mira de cælo enarravit. Quanto cum fructu, facile eſt cogitare. N. 9. Aug.

*Memorare noviſſima tua*, monet Eccleſiaſticus: *hæc memoria enim directiva eſt totius vitæ*, ait Lyranus, *ſicut Nauta ſedet in ultima parte navis, ut dirigat eam*, nempe ut det ſtimulum ad ſtudia caritatis, & virtutum, & ad implenda præcepta. Finis enim eſt principium agibilium, & præſertim in Ethica finis hominis movet & impellit ad fugam

peccati, & amplexum virtutum: hinc S. Auguſtinus de morte ait: Quid tunc proderit appetitus cibi exquiſiti, potus delicatus, veſtis curioſitas, carnis mollities, domorum conſtructio, præbendarum acquiſitio, divitiarum aggregatio. C. in Eccli 7. v. 40.

*S. Aug. Spec. pec. cap. c. 7.*

### 150. *A dæmone omni ſtudio adimitur homini.*

Somnium ſuum mortis prodromum ſtatim obliviſcitur Nabuchodonoſor. S. punct. 125. fol. 386.

Vaccæ, quæ arcam vehebant, recta feſtinabant uſque Betſames: quinam erant ductores? dæmones; cum enim arca apud Allophylos multas mortes cauſabat, timebat, ne illa gens ab idololatria converteretur. S. punct. 125. fol. 387.

Ars erat diaboli, quod illi ſaltantes circa idolum potius vitulum, quam fœnum intuerentur. S. punct. 126. fol. 393.

Cur autem diabolus laborat eripere memoriam mortis? quia quidquid mali committitur a Chriſtianis, inde plerumque naſcitur, quod ſibi perſuadeant mortem tam cito non ſuperventuram. Sicut enim ſervi in domo petulanter ſe gerunt, cum Dominum procul abeſſe ſciunt: ita homines otio & peccatis ſe dedunt, ſi mortem longius abeſſe ſibi imaginantur. Ita dixit adultera: *Non eſt vir in domo. &c.* (*Prov. 7.*) Dives Epulo faſtu & luxuria diffluebat, quia putabat ſe ſua bona poſſeſſurum *in annos plurimos*. Servus ille infamis vim infert domeſticis, quia dixit: *Moram facit Dominus venire. &c.* (*Matth. 24.*) Segn. Manna 6. Maii. n. 1.

*Nequaquam morte moriemini!* his verbis decepit diabolus protoparentes, & hodiedum peccatores decipit. Sicut Medicus medicinam amaram, quam æger reſpuit integram, per partes dividit, & eam per bolos dat, ut ſenſim totam abſumat: ita dæmon mortem per partes & annos dividit: juvenibus perſuadet: Non morieris in flore ætatis, attinges quinquaginta ad minimum annos. Sic ſenibus blanditur, quod unum adhuc annum ſint victuri! Quare? ut audaces faciat in peccato, & incurios in pœnitentia. C. in Gen. 3. v. 4.

### 151. *Emendat hominem peccatorem.*

*2. Mach. 9.* Mox ut ille vermes ex ſe ſcaturire conſpexit, licet antea ſe *ſidera cæli contingere arbitraretur*, alas demiſit. S. pun. 125. fol. 387. in fine.

Nabuchodonoſor in quantum ſuperbiæ, aut potius dementiæ faſtigium pervenit! per fœnum autem correctus eſt. S. punct. 125. fol. 388.

Arca Noe in modum feretri fabricata fuit. Quare? quia voluit Deus per illam mundum peccatorem convertere.

Jonas prius a ceto deglutitur, ut efficacius prædicaret Ninivitis, poſtquam in ſchola mortis ſuam doctrinam hauſit. Coutinno in Feſto S. Benedicti conſ. 3. n. 4. ſeq. Vide etiam ſupra.

Gundiſalvus Barcinonius in regno Mexicano rebellium ductor, cum in caput ſuum publica proclamatione quinque aureorum millia conſtitui audit, eo periculo mortis ubique imminentis conterritus in eremum ſecedit, & dein Miſſionarius ac fidei præco efficitur. R. cent. 3. p. 2. mir. 35.

Quidam Europæus ex India Orientali redux Imperatori Ferdinando III. attulit pulverem quemdam, qui in ea quantitate, quam extremitas cultri capit, ſumptus in liquido, ita confortat hominem, ut abſque ulla violentia per dies octo inſomnis vivere poſſit. VV. art. diſc. font. 41. ex. 9. Verum pulvis ſepulchrorum ex cadaveribus longe magis pellit ſomnolentiam ſpiritualem.

Latro in Monaſterium invitatus & ibi laute habitus, cum videret fratrem innocentem in pane & aqua aliiſque auſteritatibus vivere pro felici morte, ſolicitus de ſua convertitur. E. *Converſio*. n. 33.

S. Landelinus diſciplinæ virtutis ſe ſubducens vitam ſceleratam agit: ubi autem ſocium repentina morte extinctum vidit, ad Magiſtrum Abbatem Autbertum rediit, & ſanctam vitam egit. *N. 15. Junii.*

### 152. *Dedocet avaritiam, docet contemptum opum.*

Cur Ægyptii tam facile reliquerunt ſpolia Iſraelitis? Reſpondeo quia unuſquiſque domi habebat mortuum. Hinc ait Sanctus Hieronymus: *Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum.* Alexander Magnus dum morti erat propinquus, ſervis diviſit regna, mille mundos diviſurus, ſi habuiſſet. S. punct. 125. fol. 390.

Filio Religionem ingreſſo perſuadere pater voluit, ut ad ſæculum reverteretur, paratas illi eſſe opes maximas. Repoſuit filius, niſi abrogaret conſuetudinem in arce paterna, ſe non rediturum. Quærente patre, quænam ea eſſet conſuetudo, repo-



repoſuit illam eſſe, qua tam cito juvenes, quam ſenes morerentur. Sic in Religione perſeveravit. E. *Mors*. n. 23.

*Rudolph. Carthuſ. ap. Manſi tr. 50. diſc. 5. n. 1.* Loculus diminutive eſt mortui locus; cui enim viventi magna palatia, & amplæ domus non ſufficiebant, illi morienti parvum ſufficit ſpatium pro loculo. Unde mortuo Alexandro dixit quidam Philoſophus, quem totus mundus non capiebat, hodie parva continet arca.

Sanguiſuga inſatiabilis eſt in ſugendo ſanguine, illo intumeſcit, & diſtenditur. Verum cum os illius cinere conſpergitur, ſanguinem omnem, quem ſuxerat, mox effundit & exſpuit. Ita avarus, poſtquam alieno ſanguine ſeſe ingurgitaverat, cum mortem cogitat, iniqua bona refundit: non eſt expeditius remedium ad contemnendas divitias, quam cogitatio mortis!

### 153. *Eſt amariſſima impiis, & divitibus.*

*Eccli. 41.* *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantia ſua.* Non dicitur cogitationem, aut exſpectationem mortis eſſe amaram, ſed memoriam; quia impii nec cogitant, nec exſpectant mortem, verum memoriam non poſſunt non habere, quia mors quotidie accidit plurimis, quos noverunt: Nunc audiunt mortuum eſſe unum amicorum, nunc popularem, nunc conſanguineum, nunc ſervum, quem morbo vix tentatum e domo ejiciunt, ne in conſpectu eorum moreretur. Et tunc quid faciunt? ut memoriam ſibi adeo amaram ſtatim extinguant, excogitant varias diſtractiones animi, nolunt fateri eum mortuum eſſe, quia mortalis erat, ſed ajunt, mortuum eſſe, quia erat annis grandævus, quia erat pauper & ſine auxilio medicorum &c. & ſic ſemper ſibi blandiuntur ſimili diſparitate emendicata. Cur? ut amaritudini medeantur, quam ſentiunt ex memoria mortis. Hinc ortum habent mille ſuperſtitiones in veſtitu, in faciendo itinere, in corpore curando, uſque adeo ut invitati ad convivium nolint conſidere cum numero ominoſo, etſi ſint famelici, &c. Quodſi tam amara ſit illis memoria mortis, quomodo erit ipſa mors? hinc clamabunt: *Siccine ſeparas amara mors?* (*Reg. 15.*) ſeparas a palatiis? ſeparas ab ambulacris? ſeparas a divitiis? &c. Quid ergo agendum, ut hæc amaritudo tranquilletur? quotidie moriendum eſt, animus ſeparandus ab affectu rerum terrenarum: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere &c. &c.* Segn. Manna 18. April. n. 2. 3. & ſeq.

### 154. *Conſtantes in animo tenenda eſt.*

Oportet aſſueſcere contemplationi mortis: ſi florem aſpicis, en ut demiſſo capite langueſcat. Si pomarium intras, cogita quam ſine honore arbores ſero autumno horreſcant. Si in agros exſpatiaris, vide quomodo ſeges ad falcem flaveſcere incipiat. Si ad fontem vadis, en ut aqua erumpens iterum a terra abſorbeatur. Si ad focum conſiſtis, en ut ligna in cineres concidant. Si per feneſtras proſpicis, en ut ſol oriens ad occaſum feſtinet. Si in cubiculo legis aut ſtudes, en ut candela, quæ tibi lucet, abſumatur, &c. His omnibus perpenſis cogita non ſolum in ſepulcris, ſed in omni re latere larvam mortis. Segn. Manna 6. Maii. n. 3.

Abbas Evagrius dicebat: Memor eſto ſemper exitus tui, & non obliviſcaris æterni judicii, & non erit delictum in anima tua. C. Lev. 16. verſ. 29. fin.

Theophilus Archiepiſcopus moriturus dixit: Beatus es Arſeni, quia ſemper hanc horam ante oculos habuiſti. C. Lev. 16. v. 29. fin.

S. Joannes Eleemoſynarius ſepulcrum ſibi aperiri, & quotidie ſe mortis admoneri præcepit; ſepulcrum paulo poſt fore abſolutum. Anima illius cælum petere viſa eſt obviis pauperibus glorioſa, quam S. Apoſtolus Petrus in æternam cæli manſionem induxit. *N. 23. Jan.*

Brachmanni, gens cæteroquin barbara, non habebant cœmeteria extra urbes & pagos, ſed mortuos ſuos ante fores ædium ſuarum tumulabant, & ſepulcra ſemper aperta conſervabant, ut hoc aſpectu vitam ſemper cum honeſtate ducere diſcerent, & juventutem ſuam a morum petulantia coercerent. *Bellarm. conc. de morte.*

Memoria mortis eſt regula omnium agendorum, quæ omnes actiones noſtras ordinat, & ſanctificat. *In omni opere ſuo*, ait S. Bernardus, *dicat unuſquiſque ſibi ipſi: ſi modo moriturus eſſem, an facerem iſtud?* (*S. Bern. in Spec. Monach.*) Sic nihil ages, quod te feciſſe in æternum lugebis. Hic erat virtutis ſtimulus omnium Sanctorum: *Nihil ita revocat homines a peccato*, ait S. Auguſtinus, *quam imminentis mortis cogitatio.* (*S. Aug. l. 1. cont. Manich. c. 28.*) Hæc cogitatio erat continuum Sanctorum exercitium. C. in Eccli. 7. v. 40. &c.

## De his, quæ ante mortem.

### 155. *Providendum eſt pro futuro ſeria præparatione.*

JOſephus Ægyptius magnum frumenti apparatum congeſſit pro futuro tempore famis. S. Auguſt. ait: *Utinam noviſſima providerent homines contra ſterilitatem futuram ſicut Joſeph*. B. ſerm. 6. n. 20. ſeq. Vide Titulum: *Bona opera*. *S. Aug. in ſpecu. te peccat.*

Quanto majoris momenti negotium agitur, tanto major debet eſſe præparatio: illæ puellæ, quibus comparendum erat in conſpectu Aſſueri anno integro unctæ, & ornatæ ſunt. Quod vero eſt majus negotium, quam ut bene agatur poſtrema vitæ clauſula? hinc dicitur eſtote parati. Duplex autem eſt præparatio remota & proxima: Remota eſt, nihil agere quod tibi male cedat in morte: Proxima conſcientiæ rationes componere, deponere dubia, implere debita, & his ſimilia. Quid multis? eſſe debes ſicut navis onerata in portu, quæ ad ſolvendum nihil aliud exſpectat præter ventum. Segn. Manna 5. April. n. 2.

*Eccl. 5.* Ne confide tempori futuro dicens: *Eſt mihi ſufficiens vita*, ſed ſemper paratus eſto mori. Quæris quænam ſit optima præparatio ad mortem? nempe ſi ita vivas, ac ſi quilibet dies eſſet ſupremus: confitere, quaſi iſta confeſſio foret ultima, ora, quaſi poſt hanc orationem non ſit futura alia occaſio orandi, & ſic de cæteris actionibus. Hoc ſi facias, videbis, quod hoc exercitium diſſipabit ex animo cogitationes vanas, facietque, ut ſemper ſis paratus mori. &c. Segn. Manna 5. April. n. 3.

*Famian. Strada l. 1. hiſt. de bell. Belg.* Carolus V. ſibi adhuc vivo funeralibus parentari jubet, quibus ipſe intererat, ut mori diſceret. D. 1. 32.

Præparatio ad mortem tanto debet eſſe ſolicitior, quia unica vice morimur, error non poteſt corrigi. Statutum eſt ... *ſemel* mori. Segn. Manna 13. Maji. 3.

### 156. *Prævenienda eſt confeſſione, dum vires valent.*

Juſto Simeoni promiſſum eſt, *Non viſurum ſe mortem, donec videret Chriſtum Domini*: Ecce! mori juſtorum idem eſt ac videre mortem: mori autem impiorum idem eſt, ac videri a morte: Quare hoc? audi explicationem in ſimili: Baſiliſcus necat hominem ſolo aſpectu, verum ait Ambroſius: *Ipſe quoque ſerpens mori dicitur, ſi fuerit hominis præventus aſpectu*. Ita mors prævenienda eſt. &c. B. ſerm. 57. n. 27. *S. Ambr. in Pſal. 118.*

Diabolus ægrotantibus de induſtria ſpem longioris vitæ ſuggerit, ut illi Sacramenta ſumere differant. Nobili Vveſtphalo in ſilva apparens in ſpecie Monialis cantantis promiſit, quod transfretaturus & in ſervitio Chriſti moriturus eſſet. Falſum id fuit; nam paulo poſt in febrim incidens, ægre perſuaſus, ut Sacramenta ſumeret, obiit. E. *Dæmon.* n. 13.

Cum fames ingruere videtur in aliqua regione, omnes de commeatu ſibi provident. Si tanta cura adhibetur corpori, cur non æqualis animæ? in æternitate ſterilitas eſt, & fames, non poteſt vel unicum opus meritorium exerceri: igitur in hunc finem monet Spiritus Sanctus: *Ante obitum operare juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos invenire cibum*. *Eccl. 14.*

Letali vulneri balſama & emplaſtra non proſunt, niſi prius a pure & tabido ſanguine purgentur: ita ut Sanctiſſima Sacramenta, & ipſa finalis gratia morientibus proſint, prius anima ab omni peccatorum tabe, ſordibuſque mundanda eſt. &c.

### 157. *Quærendus eſt Patronus pro morte aſſiſtens.*

S. Martinus dum e militia in patriam rediret, in via audivit clamorem venantium, viditque erumpentem e ſilva leporem, quem canes inſectabantur. Sanctus Vir ſtare juſſit canes, & illi immobiliter ſtabant: recepit tum lepuſculum, eique aufugiendi locum fecit. Tu conſtitue tibi Patronum, qui te contra infernales canes defendat. *In Vita l. 2. c. 10.*

Beatiſſima Virgo Maria a Filio petiit & impetravit, ut in morte ab infeſtatione dæmonis fuerit immunis 1. propter Angelorum. 2. Propter Apoſtolorum præſentiam, qui ex toto terrarum orbe fuerunt mirabiliter Hieroſolymam ad mortem B. V. tranſlati. 3. Propter ipſam ſanctitatem, & poteſtatem Virginis ſuper dæmonia. Tu ergo, cui in mortis articulo metuendum eſt a dæmone, SS. Angelos, Apoſtolos, & ipſam Beatiſſimam Virginem auxilio invoca. H. ſerm. 4. fol. 33. & ſeq.

Euſebius in morte terribiliter luctabatur, & ejulabat: Succurrite fratres! Adjuvate me! tandem ubi S. Hieronymus illi apparuit, quem ſemper venerabatur, tam placide, & ſancte mortuus



eſt, ut cæcum, qui ejus cadaver poſt mortem tangebat, mirabiliter viſui reſtituerit. Spec. ex. tit. Mor. c. 18.

Præcipue invocanda eſt Sanctiſſima Dei Mater Maria, Domina, Patrona, Advocata noſtra, & Refugium peccatorum, ſperandumque eſt, non defuturam nobis in extremo periculo, quam millies & millies in vita rogavimus: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ*. Dein invocandus Patronus Nominis, qui pie creditur ab ipſo Baptiſmi Sacramento curam noſtri ſuſcepiſſe, &c.

### 158. *Conſtituendi fideles executores.*

Miles, cui poſt diuturnam militiam nihil ſuperfuit præter equum, moriturus vocavit, rogavitque Nepotem, ut poſt ſuam mortem divendito equo pecuniam in pauperes erogaret. Neglexit id Nepos, & ecce; poſt dimidium annum apparens defunctus exprobravit illi infidelitatem, dixitque, quod reſiduum pœnæ ipſe in purgatorio ſubiturus eſſet. Nepos mox mortuus eſt, & illas pœnas ſubiit. E. *Defuncti* n. 12.

Sacerdos tunicam pauperis peregrini morientis acceptans, ſed ſacra petita non faciens, viſus eſt ſibi in ſomno raptari ad loca tormentorum. Ibi diabolus afferens illam tunicam, in bulliens lixivium intinxit, & Sacerdoti in faciem percuſſit. Evigilans Sacerdos, & terribiliter opem inclamans ſe tota facie uſtum invenit, in infirmariam deportatus. E. *Defuncti* n. 13.

Anima ſedens inter duas menſas, unam vacuam & alteram plenam, dixit eremitæ: in menſa hac plena ante me ſunt opera miſericordiæ, quas feci in vita: in altera retro me vacua ſunt opera miſericordiæ, quas poſt meam mortem demandavi amicis. Ecce; nulla ſunt. T. 141.

Patri morituro duo filii promiſerunt mira largitatis opera pro ejus anima. Subriſit tertius, & dixit ſe duplo plura facturum quam uterque. Quæſitus a patre quomodo id fieri poterit; repoſuit: Facile; quia illi nihil pro te facient. T. n. 142.

### 159. *Mature conficiendum teſtamentum.*

Ad primum tubæ ſonitum voluit Deus, ut Iſraelitæ ad arcam congregarentur: ad prolixiorem, ut caſtra moverent: ſonitus tubæ infirmitas eſt, ſi prolixior ſit, reculas divide. S. pun. 136. fol. 428. in fine.

In ipſa mortis hora perplexa ſunt omnia, & homo præ anguſtia & rerum varietate incapax eſt ad conficiendas ultimæ voluntatis tabulas. Abſalon e quercu pendens non diſſolvit nodum capillorum; præ anguſtia enim, ait Abulenſis, *non attendebat, quid ad liberationem ſuam facere poſſet*. Et tu tibi facile fore credis inter dolores morbi diſponere teſtamentum, rationes inire, debita explicare; quæ interdum etiam vegetum fatigant? O quam multi moriuntur deſolati, tribus lanceis velut Abſalon vulnerati: Primo, quia non mature confecerunt teſtamentum. Secundo, quia multa litigioſa relinquunt, quæ poſt mortem ſuam varias turbas excitabunt. Tertio: quia poſt mortem ſuam parum auxilii experientur, &c. B. ſerm. 57. n. 30. *Abul. in 2. Reg. 18. q. 12.*

Ardea dum e lacunis e pabulo piſcium & ranarum redux in aera ſe ſublevat, & ſubito advertit falconem pernici volatu ſibi imminentem, ad pugnam ſeſe præparat, devoratos piſces, ranas, & omne pabulum eructando, ut ſeſe alleviet, & ad pugnam ſe expeditiorem reddat. O homo, cum infernalis falco tibi in æternitatem avolaturo inſidias ſtruit, & pugnam movet, neceſſe eſt, ut ab omnibus terrenis te allevies, injuſte devorata exſpuas, & quæ terrena in corde tuo reſident cum omni affectu abjicias.

Beatiſſima Virgo ante mortem duas tunicas donat duabus Virginibus. Melius igitur eſt, in hoc mortem prævenire. H. ſerm. 2. fol. 16. & ſeq.

### 160. *Exigitur ſeria præparatio.*

Adeodatus Gozo Eques Melitenſis in Inſula Rhodus cum dracone pugnaturus erat: antea autem & ſe, & equum, & canes diu ad pugnam ficto draconis ſimulacro exercebat. Infelix fuiſſet in certamine, niſi ſe antea ſolicite præparaſſet. D. 5. 78.

In regno quodam, ait S. Joannes Damaſcenus, mos erat, ut electi reges ſubito e throno dejecti in exilium mitterentur. Multi improvidi tunc erant infelices, ſed unus aliquis e regiis theſauris magnam pecuniæ copiam præmiſit, & felix vixit. Ita præmittenda ſunt opera bona in æternitatem. Sanch. 6. part. c. 10. fol. 841.

Juvenis quidam Chinenſis accepto Baptiſmo ardentiſſime optat mori. At quoniam cogitabat, deplorabatque ſe nulla bona opera in alteram vitam afferre, a patre rogat, ut eum crudeliter flagellis cæderet: obſecundans Pater bis cum flagris per-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

percuſſit, impactis ſemper ducentis ictibus. R. cent. 3. p. 2. mir. 15.

Anteriori ſæculo urbs Toloſana generoſam præparationem ad mortem vidit in Henrico Duce Montmorantio, qui pro perduellionis reo habitus ad capitale ſupplicium damnatus eſt. Sententiam mortis intrepido animo excepit, cor ſuum in templo S. Ignatii ſepeliri juſſit, epiſtolam valedictoriam, & ſimul conſolatoriam ad uxorem ſcripſit, famulos ſuos pro ratione meritorum remunerari præcepit, SS. Sacramenta pie ſumpſit, tempus ultimum ſacris diſcurſibus & curæ ſalutis impendit, debita expunxit, Præſidi Regalis Miniſterii, qui ſuam mortem inſigniter promovit, artificioſiſſimam picturam dono reliquit, veniam ab inimicis rogavit, militibus, qui eum cuſtodiebant, grates pro labore retulit, publice ad terrorem populi mori deſideravit, & tandem crucifixi imaginem manu tenens imperturbato animo caput ſub carnificis aſciam inclinavit, clamans: *Domine JESU accipe Spiritum meum*. Erat Vir omnibus naturæ & gratiæ donis ornatus. Theatr. Trag. Hiſt. 36.

In morte.

161. *Qualis tunc homo eſt, taliter judicatur.*

D*ominus judicabit fines terræ:* ubi Iſidorus Peluſiota: Deus non judicat, quales antea fuimus, ſed quales circa finem vitæ: ex fine enim ſuo unumquemque aut juſtificat, aut condemnat. B. ſerm. 8. n. 8.

De S. Materno Diſcipulo S. Petri dicitur, quod ter mortuus fuerit: Nam fuit ille juvenis in Naim primo excitatus a Chriſto, dein in Alſatia prædicans Evangelium ſecundo mortuus, & 40. diebus ſepultus a S. Eucherio juſſu S. Petri revocatus fuit. Poſtmodum primus Colonienſis Epiſcopus factus illi Eccleſiæ 40. annis præfuit & denique Dominica decima quinta poſt Pentecoſten, ubi legitur Evangelium de juvene in Naim, tertio defunctus eſt. W. art. diſc. font. 29. ex. 4. Si tres tibi mortes obeundæ eſſent, itaut prima & altera vice artem moriendi addiſcere, & probationem facere poſſes, mi Chriſtiane, minus vita tepida tibi vitio verti poſſet: ſed una mors te exſpectat, & qualis tunc inveneris, talis æternum eris, &c.

Tapetes quidam ſupra baculum, ut ajunt, acu conſuuntur, ita eorum artificium & figura non appareat prius, quam abſoluto, & perfecto opere evolvuntur, & explicantur: Ita de operibus noſtris, cujus valoris coram Deo ſint, per omnem vitam ignoratur, & tunc primum apparet, cum mors texturam operum evolvet, & explicabit. O quot errores invenientur, multaque opera cum ingenti complacentia & plauſu peracta, defectuoſa invenientur. Putabit homo, hæc vel illa eſſe cælo digna, quæ tamen inferno aut acri ſaltem purgatorio adjudicabuntur.

162. *Momentum ultimum quam terribile.*

Homo ſæpius conſideret illud momentum, cui ſimile ad experimentum capiendum necdum antea habuit. Illud momentum, quod finis erit temporis & initium æternitatis. Illud momentum, a quo dependet irrevocabilis ſententia: illud momentum, quod exordium erit pœnarum impiis, & præmii juſtis. Illud momentum, quoad ſe certiſſimum, incertiſſimum autem quoad tempus. B. ſerm. 18. n. 3.

O momentum terribile! O aditus æternitatis! convivium Aſſueri celebratum fuit in *veſtibulo horti, & nemoris*. Momentum ultimum vel ad hortum ducit æternæ beatitudinis, vel ad nemus horridum damnationis: hinc comparantur litteræ Ypſilon, quæ aliquantum *recto ductu incipiens finitur in bivium*. Cogita, ſi regius Princeps in Mauritania captivus uno aleæ jactu ludere deberet ſive de libertate, ſive de vivicomburio: heu! quantum illi cor palpitaret, cum cerneret ex uno aleæ jactu pendere aut ſuam felicitatem, aut crudelem interitum: & quomodo tibi cordi erit, o homo, cum cernes ex uno momento aut præmium pendere, aut pœnam æternam; &c. B. ſerm. 18. n. 33. ſeq.

Canonicus Regularis pientiſſimus in morte riſit & exultavit: verum apparuit illi B. V. monuitque illum, hoc non eſſe tempus ridendi & exultandi, &c. E. *Maria* n. 14.

163. *Homo ita perplexus ut ſibi prodeſſe neſciat.*

Abſalon pendens ex ilice habebat liberas manus, & nudum gladium, & tamen crinium nodum non abſcidit: Abulenſis ait: Abſalon moriturus non attendebat, quid ad ſui liberationem facere poſſet. *Abul. in 2. Reg. 18. q. 12.* Percuſſit eum Deus, ne attenderet ad ea, quæ ſibi utilia erant. B. ſer. 8. n. 19. Serm. 57. n. 30. Aliam adhuc rationem aſſignat Chryſoſt. de Abſalone, inquiens: *Non præcidit in vita, non preſcindet in morte, &c.* B. ſerm. 9. n. 15.



Medici alicubi cadaver furis mane ſuſpenſi a Magiſtratu ante meridiem pro ſectione anatomica impetratum in hypocauſto calefacto repoſuerunt, & dein ad ſumendum prandium ſeceſſerunt: cum redierunt animo anatomiam peragendi, loco cadaveris invenerunt furem redivivum, retro fornacem in angulo deliteſcentem: examinatus nec centeſimam partem eorum ſcivit, quæ ſecum facta ſunt. Ex quo patet, quod quidquid a moriente fit confuſiſſime fiat.

Homo in periculo naufragii, latrocinii, aut incendii conſtitutus, præ timore totus ſyderatus & ſui impos eſſe ſolet, & tamen hæc mala nondum ſunt certo inevitabilia. Quid fiet, qua conſternatione palpitabit moriens, cum ſe incidiſſe videbit in periculum mali inevitabilis,
*S. Greg. Mor. 24. c. 17.* & inemendabilis? Bene S. Greg. *In morte tanto timor fit acrior, quanto retributio vicinior, & quanto vicinius judicium tangitur, vehementius formidatur; invenit enim homo quod in æternum non poterit vitare, &c.*

164. *Hypotypoſis hominis morientis.*

Imaginare tibi homo, adeſſe illud momentum, quo medicus de tua valetudine deſperans pro ſalute animæ te jubet eſſe ſolicitum: tam triſti nuntio conſternatur tota familia, tu vero ante alios ob mortis imminentis horrorem. Tum decreſcunt magis, magiſque corporis vires, pectus intumeſcit, halitus gravatur, arteriæ pulſus hæret, facies deturpatur, extrema membrorum frigeſcunt, naſus acuminatur, labia nigreſcunt, gelidus ſudor erumpit in frontem, ſenſus hebetantur, guttur ronchizat, oculi ſubſidunt, & demum imminet momentum terribile ultimum, &c. B. ſerm. 18. n. 7.

Cardinalis Damiani ita deſcribit: Cum jam peccatrix anima vinculis incipit carnis abſolvi, quam amaro terrore concutitur, quantis mordacis conſcientiæ ſtimulis laceratur: recolit vetita, quæ commiſit, videt mandata, quæ negligenter implere contempſit, dolet indulta pœnitentiæ tempora ſeſe inaniter percepiſſe, plorat immobilem diſtrictæ ultionis articulum ſibi inevitabiliter imminere. Manere ſatagit, ire compellitur... Interea dum hebeſcentes oculi contabeſcunt, dum pectus palpitat, dum raucum guttur anhelat, dentes paullatim nigreſcunt, & quamdam velut rubiginem contrahunt, palleſcunt ora, & membra cuncta rigeſcunt, &c. &c. S. pun. 131. fol. 407. ſeq.

165. *Vileſcunt mundana omnia.*

Rex David de ſe fatetur: *Anticipaverunt vigilias oculi mei. Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Quare? *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Conferebam vitæ præteritæ dies cum æternis venturis: cogitavi quod olim ſupra leones, & urſos victor fuerim: ſed hæc fortitudo nihil proderit in æternitate. Olim honoratus, adoratus eram, cum ſtravi Goliathum: ſed nunc timidus hæreo, an non inter victos futurus ſim in omnem æternitatem. Olim fruitus ſum amicitia Jonathæ, nunc pergere debeo ſolus in regiones incognitas &c. B. ſerm. 18. n. 9. ſeq.

Totius mundi voluptates ſunt velut *ſomnium ſurgentium &c.* Ubi Lobbetius: *Lobbet. de pecc. l. 2. prop. 4.* *Bene ait velut ſomnium ſurgentium, non dormientium, quia dormientes ſua capiunt, & delectant ſomnia, ſurgentes autem decipiunt, & cruciant.* Econtra labores, pœnitentiæ, adverſitates in extremo articulo in ſolatium cedunt, &c. B. ſerm. 18. n. 13. & ſeq.

Siquis ſolem intueatur, & oculos iterum in terram reflectat, nihil videt; umbroſa ſunt omnia: ita ſiquis æternitatem conſiderat tamquam umbram reputat terrena *Iſai. 38.* omnia. *Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum.* B. ſerm. 18. n. 15.

Leo IX. Pontifex Maximus in articulo mortis optat habuiſſe in manibus claves monaſterii, præ clavibus Eccleſiæ. Philippus III. Hiſpaniarum Monarcha in articulo mortis optat fuiſſe frater Religioſus præ Rege Hiſpaniarum, &c. B. ſer. 18. n. 16.

Carolus Rex Siciliæ moriens agnoſcit mundi vanitatem, exclamans: *Quam præſtaret jam pauperem fuiſſe, non Regem.* C. Gen. 50. v. 24. in fine.

Quid tunc proderunt curæ, ſolicitudines, & induſtria hominis avari pro accumulandis divitiis? ex omnibus theſauris, etſi milliones adæquent, nec obolum ſecum auferet! qua oculorum torvitate tunc aſpiciet aurum, quod ſine valore eſt, & prodeſſe ipſi nihil poteſt? Et ita revera ſe res habet, dicente S. Ambroſio: *Nudi omnes naſcimur, nudi morimur! nulla di-* *S. Ambr. in Hexa.*

ſtin-

*ſtinctio inter cadavera mortuorum, niſi forte, quod gravius fœtent divitum corpora, diſtenta luxuria.*

Romanus Cato de tribus dolebat: 1. Quod ſuum decretum revelaſſet mulieri. 2. Quod vel unicam diem ſine fructu neglexiſſet. 3. Quod infido mari (Mundus propter infidelitatem ſuam comparatur mari) ſe unquam in itinere commiſiſſet. His idem luctus proportionaliter erit mundanorum morientium. C. in Acta Ap. c. 27. v. 44.

### 166. *Vis dæmonum erit maxima.*

Apoc. 12. *Deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam*: nam in comparatione ultimæ iræ omnis ira tentatoris in hac vita pro nihilo habenda eſt, ait Greg. tanto enim atrocius ſævit, quia ſcit *quia modicum tempus habet. Quantum brevitate temporis anguſtatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur.* Mor. l. 13.

O quantæ erunt anguſtiæ morientis, cum totus orcus contra illum conjurat! &c. &c. B. ſerm. 18. n. 22. ſeq.

De corpore Moyſis & anima altercatus eſt dæmon propter levem inobedientiam: quid faciet propter tranſgreſſiones fere omnium præceptorum? S. pun. 131. fol. 407.

*Chorus malignantium circumdedit me*: Hinc ſudores, hinc oculorum detorſio formidabilis, hinc conatus fugæ, hinc nulla quies in lecto; dicent medici, hæc eſſe ſymptomata, ſed S. Ephrem ait, hæc inde oriri, quia formidabiles exercitus dæmonum ſe ſpectandos præbent. S. pun. 131. fol. 406.

Cum S. Anſelmus iter faceret, lepuſculus a canibus venaticis exagitatus tandem ad Sanctum Virum confugit, quem ille manibus palpantem excipiens, ad comites ajebat: en mei boni ſic animæ morientium a dæmonibus inſidias patiuntur. Sanch. 4. par. c. 4. fol. 250.

Peccator inveteratus a S. Dominico a JESU Maria convertitur: relapſus in morbum letalem incidit: dæmon primo illi ſub ſpecie Chriſti apparet, & veniam peccatorum promittit. Dein adveniente S. Dominico etiam dæmon Dominici formam aſſumit: fit altercatio inter utrumque, quiſnam verus eſſet Dominicus. Tandem dæmon actum humilitatis exercere juſſus quem verus Dominicus exercuit, in fugam actus eſt. En quantus conatus dæmonis in morte animam depravare cupientis. R. 1. cent. 2. part. mir. 45. Vide Titulum. *Dæmon.*

### 167. *Tentationes terribiles.*

Abbas Stephanus vixit adeo innocenter, ut Leopardus quotidie ex illius manu panem ſumpſerit, & tamen in morte auditus eſt altercari, hoc feci, hoc non feci, adeoque mortuus eſt, ut qui fuerit exitus hujus luctæ neſciatur. Sanchez 4. par. c. 4. fol. 253. E. *Judicium* 4.

In morte plus quam alias apparet gravitas peccati. Trabs quamdiu in aquis natat, poteſt facile moveri, & videtur levis, ſed ſi in ripam extrahatur, eſt immenſi ponderis. Ita peccatum in vita videtur leve, ſed in morte apparebit graviſſimum. Segn. Hom. Chr. p. 1. diſ. 11. n. 12.

Euſebius poſt ſanctam converſationem in morte diſputat, & luctatur, clamans: Non faciam! non faciam! Interrogatus autem cur iſta diceret? repoſuit ſe a dæmonibus ad blaſphemandum fuiſſe provocatum. E. *Mors. n. 19. N. 5. Martii.*

Juvenis haud ſatis honeſtæ vitæ in morbum & in mortem delapſus, auditus eſt cum aliquo ab hominum oculis remoto altercari, dicereque: Quam longa eſt hæc ſcheda? quam integro volumini par? Ex quo deſumi poterat, omnia vitæ crimina illi fuiſſe objecta. J. 103.

Tentationes in vita habent ſe ut velitationes in bello, in morte autem ut pugna decretoria: ſicut ergo Reges, & Belliduces ad pugnam, de qua ſumma rei dependet, vim maximam, & vires omnes impendunt; ita diabolus contra morientem artes, fraudeſque omnes in aciem convocat; quia ſcit, rei aleam in ultima hac pugna verſari, & ſi modo contra hanc animam non prævaleat, in æternum non amplius eſſe prævaliturus, &c.

## Poſt mortem.

### 168. *Homo non poteſt amplius reſipiſcere.*

D*Eſcende in domum figuli.* Cur? vide vaſa lutea: ſi nondum igne durata frangantur, poſſunt refici: ita homo in hac vita poteſt peccatum emendare. At ſi vas igne coctum frangitur, actum eſt, refici non poteſt amplius, quia non amplius poteſt emolliri. B. ſerm. 6. n. 13.

Heu; quanta cum conſternatione animi contremiſcet homo, cum ſe e vivis exceſſiſſe, & jam primo momento in eum ſtatum incidiſſe videbit, ubi emendare non poteſt amplius, quæ cuperet emendari. Tunc in memoriam illi redibunt omnia,



omnia, quæ per totam vitæ periodum peregit, bona & mala. Recogitabit pia principia, quæ edoctus eſt in prima pueritia; recogitabit petulantias adoleſcentiæ! recogitabit vitia tam commiſſionis, quam omiſſionis in ætate virili & ſenili! Tunc comploſis manibus, immenſo cum ejulatu, inter effuſas lacrymas ſibi ipſi dicet: Utinam, utinam, Parentibus, Inſtructoribus, & bene monentibus ſemper obediens fuiſſem! Utinam malis ſociis, eorumque ſuggeſtionibus, quibus peſſime ſeductus ſum, nunquam aures præbuiſſem! Utinam pravas occaſiones & pericula ſemper declinaſſem; Utinam contra tentationes ſtrenue pugnaſſem. Eheu! quam rara & fatua fuit mea oratio erga Deum; quam frigida caritas erga proximum; quam perverſa indulgentia & libertas erga meipſum; vixi corpori magis quam animæ, quod libuit licuit, ſic bonorum operum vacuus ſum, econtra theſaurum iræ per ſcelera mea immenſum collegi; O utinam liceret reverti; Vellem diu noctuque adorare Deum; vellem benefacere miſeris; vellem inaudita auſteritate coercere corpus; Ita ejulabit miſer, ſed fruſtra per omnem æternitatem. *Tempus non erit amplius, &c.*

### 169. *Multi creduntur viciſſe, & victi ſunt.*

De Siſara creditum eſt, quod tunc dividat ſpolia, & ille clavo confixus interiit: ita de multis dicitur, quod nunc in requie gaudeant, qui in inferno ardent. B. ſerm. 49. n. 12.

Deus per Prophetam interrogat: *Fili*
Ezech. 15. *hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſilvarum? Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? Ecce; igni datum eſt in eſcam.* Sic eheu; de multis dici poſſet, qui judicio mundi creduntur ſalvi eſſe, & igni dati ſunt.

Juncus humectus creditur, ſed oriente ſole aridus eſſe invenitur: ita ad ſolem juſtitiæ multi aridi erunt, qui virtutibus pleni credebantur. M. conc. 6. aſſ. 2. num. 6.

O Mauſolæa, o marmora in cœmeteriis, quam jactabundis epitaphiis cælo dignos deprædicatis, quos terra tegitis; Fuit Princeps omni comparatione major, fuit tam pietate, quam ſanguine illuſtris; fuit judex æquiſſimus; fuit pauperum Pater largiſſimus; fuit compendium omnium virtutum. Verum eheu; ubi modo ſunt? Laudantur ubi non ſunt, ait S. Aug. cremantur, ubi ſunt. *Anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Matth. 7.

Paucitatem Salvandorum terribilibus ſymbolis exprimunt Sacri Scriptores. 1. Per Patriarcham Lot, qui ſolus cum duabus filiabus evaſit incendium Sodomæ, ceteris omnibus igne concrematis. 2. Per diluvium, in quo ſolus Noe cum ſeptem animabus ſervatus eſt. 3. Per ingreſſum terræ promiſſæ, quo ex ſexcentis Hebræorum millibus ſolum duo, Joſue & Caleb pertigerunt. 4. Per ſtragem Chaldæorum, ubi Propheta ſalvandos comparat cum paucis ſpicis poſt meſſem. 5. Per irrefragabilem ſententiam Chriſti, *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* 6. Per capacitatem inferni, qui 200. milliaribus Italicis profundus, & totidem longus multa millena millia millionum capit, qui velut haleces in vaſe compingentur. C. in Matth. 7. ver. 14.

### 170. *Vita miſera excedere ſolatium eſt.*

Chriſtus flevit, dum Lazarum ad hanc miſeram vitam revocavit. Dixit Abraham de Lazaro in limbo: *hic conſolatur*: Quid? ille conſolatur in tenebris, & carentia viſionis Dei? omnino: in tantum conſolatur, quia erat extra miſerias hujus vitæ. Samuel revocatus ad vitam aiebat: *Quare inquietaſti me*; S. punct. 126. fol. 397.

Perpendamus diſparem exitum divitis Epulonis, & pauperis Lazari: O quanta cum exultatione hic, ab Angelis in ſinum Abrahæ translatus beatas dixit ſuas afflictiones, quas in hac vita pro cælo perpeſſus eſt. O mi Bone Deus, inquiet, quas grates tibi poſſum rependere pro fame, & ſiti quibus meritus ſum cæleſti Manna & nectare paſci. Quas grates poſſum rependere, pro contemptu, & vilipenſione, qua gloriam & honorem omnibus mundi principibus majorem mihi comparavi; quas grates poſſum rependere, pro ulceribus ſanie & ſanguine fluentibus, quæ canes mihi lingebant, quibus æternam valetudinem in conſortio Angelorum promerui. Quas grates poſſum rependere pro paupertate, & rerum omnium inopia, quæ immenſis cæli divitiis jam mihi compenſantur. Momentaneum fuit, quod cruciat, æternum quod delectat. Quid proſunt jam huic Epuloni byſſus & purpura; quid ſplendidæ

didæ quotidie epulæ? quid horrea frumento, & burſa auro dilatata? nunc in fame & ſiti, in paupertate extrema, in tormentis per omnem æternitatem ejulabit, & ſuam ſtultitiam millenis execrationibus ſine fine damnabit; &c.

*171. Animæ egredienti quis primus occurſus.*

Sancto Simeoni Stilitæ revelatum eſt, animæ egredienti obviam fieri choros dæmonum ſingulos in proprio ordine: obviat chorus dæmoniorum ſuperbiæ, & inveſtigat, an anima habeat opera ſua: obviat chorus dæmoniorum avaritiæ, & exquirit opera ſua &c. quid fiet, ſi veniat inquiſitor chorus de mendacio, de detractione, de crudelitate &c. S. punct. 130. fol. 405. O quanto cum jubilo anima ſibi applaudet, cum ab his, aliiſque maculis, contra ſtygios apparitores ſe mundam invenerit? &c.

Neque dubium eſt, animæ e corpore mortali egreſſæ, primo ſtatim momento occurſuros Sanctos Angelos, præſertim S. Michaelem, quem conſtituit Deus Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas, nec non S. Angelum Cuſtodem ut teſtem totius vitæ. O quanta cum lætitia exultabit anima, cum hos cæli Principes ut amicos, & comites intuebitur, a quibus in conſpectum ſummi Dei Creatoris, ac Redemptoris ſui adducetur, &c. Melius eſt hæc omnia pie meditari, quam verbis exprimere.

Occurrent animæ juſtæ bona opera, quæ operata eſt, o quanto cum gaudio! occurrent peccatori commiſſa in vivis ſcelera, o quanta cum triſtitia! &c.

Homines in vivis relicti, præſertim amici & familiares ſtudeant mortuis præſtare obſequia debita. 1. Funeris & ſepulturæ, in quo mire laudatur Tobias. 2. Oratio, ſacrificia & ſuffragia, ut a pœnis purgatorii liberentur. 3. Memoria, & monumenta, ut eorum honor defendatur. Item ut filiæ, uxores, filii nutriantur, & protegantur, &c. C. Eccli. 7. v. 37.

Mors impiorum.

*172. Eſt infelix, & quaſi violenta.*

T*Erribili, & ei, qui aufert ſpiritum principum*. Ablatio hæc quaſi violenta evulſio eſt, non dentis e gingiva, ſed quaſi partis ex ipſo corde, hinc Septuaginta legunt, *rupti ſunt, effracti ſunt articuli cordis mei*. Quinam ſunt hi articuli cordis? Sunt cogitationes, conſilia, ac ſpes terrenæ, quæ ex innata cupiditate quaſi pars cordis impii ſunt. Quam violenta autem ſit hæc divulſio, explicat Aug. inquiens: Non amittitur ſine dolore, quod cum amore poſſidetur. S. pun. 128. fol. 399.

Moriente corpore tot quaſi mortes ſuſtinet cor impii, quot inordinatis amoribus plenum eſt: hunc in ſenſum dixit Laban ad Jacob: *Furatus eſt cor meum, &c.* S. pun. 128. fol. 399.

Arbori, quæ eradicatur, præſcinditur ramus poſt ramum, & demum radix evellitur: ſic Deus agit cum peccatore: radices iſte egit in terra, rami ſunt filii, uxor, bona terrena: hæc primo auferuntur, & demum ad pedem arboris ponitur ſecuris. Heu! qui ſenſus doloris; S. pun. 129. fol. 400.

Impii ad mentionem mortis exhorreſcunt, cum econtra juſti libenter de morte cogitant, libenter loquuntur: *Eſt loquela* Eccli. 23.
*contraria morti, non inveniatur in hereditate Jacob*. S. pun. 129. fol. 403.

Inter mortem juſtorum & impiorum magna eſt differentia, & quæ? Paoletti Fer. 5. poſt Dom. 4. Quadr. Impii in morte anguſtiantur ob *præteritum*, ideſt peccata, quæ commiſerunt: ob *præſens*, ideſt mundana, quæ relinquenda ſunt. Ob *futurum*, ideſt judicium quod ſubeundum eſt: Nihil ex his tribus juſti metuunt, &c. Segn. Manna 14. Aug. n. 2.

*173. Eſt infelix, & plena miſeriis.*

Rex Achab, dum moritur, canes linxerunt ſanguinem, dæmones tulerunt animam. Simili morte etiam periit Jezabel, velut ſcelerum ſocia, ita & mortis. Ubi Drogomarus: Decalvatus eſt tandem ſuperbiæ vertex, non eſt jam, qui dignetur aſpicere, niſi qui voluerit nefas ejus abhorrere, &c. S. pun. 129. fol. 401.

S. Bern. ait de morte peccatorum peſ- S. Bern. lib. de inter. do. c. 38.
ſima: *Undique erunt tibi anguſtiæ: hinc erunt accuſantia peccata, inde terrens juſtitia. Subtus patens horridum chaos inferni: deſuper iratus judex, intus urens conſcientia, foris ardens mundus. Si juſtus vix ſalvabitur, peccator ſic deprehenſus in quam partem ſe premet? Latere erit impoſſibile, apparere intolerabile*. In eumdem fere modum & ſenſum loquitur S. Gregor. C. in Thren. Jerem. c. 1. v. 20.

Cardinalis Damiani deſcribit mortem peccatoris: cum jam peccatrix anima vinculis incipit carnis abſolvi, quam amaro terrore concutitur, quantis mordacis conſcientiæ ſtimulis laceratur: recolit vetita, quæ commiſit, videt mandata quæ negligenter implere contempſit, dolet indulta pœnitentiæ tempora ſeſe inaniter percepiſſe, plorat immobilem diſtrictæ ultionis articulum ſibi inevitabiliter imminere. Manere ſatagit, ire compellitur, &c. S. pun. 131. fol. 307. ſeq.



Balthaſar ebrius poſt viſam ſcribentis manum eadem nocte vita, & regno ſpoliatur. Antiochus crudelis vermibus, & miſerabili fœtore contabeſcit. Hunnericus Rex Wandalorum & perſecutor Eccleſiæ obſeſſus a dæmone propriis morſibus ſe laniat, &c. &c. C. Num. 23. v. 10.

Eccli. 3. *Cor durum male habebit in noviſſimo*. Cor durum eſt, quod potius frangitur quam flectitur, & iſtud cor neſciet cum reſignatione acceptare mortem, non aſſuevit ſe ſubmittere voluntati Divinæ, dum viveret, & ideo nec in morte ſciet; ſi enim id facere adeo difficile viſum eſt in rebus minoris moliminis, quanto gravius videbitur in ea, quę eſt maxime ardua, uti mors? atque hęc difficultas ſe tenet ex parte hominis, altera eſt ex parte Dei; quia ad pervincendum cor iſtud non ſufficiunt auxilia ordinaria, ad extraordinaria autem non tenetur Deus. Segn. Manna 17. Jul. n. 2.

Tyranni omnes morte violenta abrepti ſunt, uti Maximianus, Diocletianus, Aurelianus, Nero, & alii. C. in Exod. c. 14. v. 15.

*174. Necdum in morte vanitates plene deſerit.*

Jud. 9. Rex Abimelech a muliere lapide percuſſus ab armigero ſuo petit, ut ſe inter- S. Chryſ. hic.
ficeret, ne diceretur a femina fuiſſe occiſus. Ubi Chryſoſt. Eſtne hoc tempus ineptiarum? in hoc puncto punctum cogitas honoris? O quot huic ſimiles adhuc ſunt, qui necdum tunc vanitates ſuas deſerere volunt, de pompa funeris, de vano honore cogitant. S. pun. 129. fol. 402.

Puella formoſiſſima cum ſibi moriendum eſſe cerneret, pompoſis veſtibus ſe ornari petiit, & identidem clamavit: Heu; moriar ego tam pulchra; moriar tam decora; moriar in ętate tam tenera; dein clamans dęmonibus ut ab iis auferretur, miſere expiravit. E. *Mors*. nu. 20.

In funere cujuſdam Principis Acatholici anno 1655. conſumpti ſunt 170. boves: 330. vituli: 800. vervece, & ſic alia, ita ut ſumptus omnes ad quinquaginta florenorum millia excreverint. T. num. 347.

Nobilis puella, de ſua venuſtate ultra omnes Veneres ſibi blandiens, cum a Medicis audiret, ſe lenta ęgritudine contabeſcere debere, confecit ſibi mirę articydarim, monilia, vittas, faſcias, pectoralia, alioſque ornatus. Monita, ut his nugis abſtineret, repoſuit, ſe velle his omnibus in tumba ornari, ut coram Divino Judice ſpecioſa, & amabilis compareret. Illuſtris Matrona generis ſui nobilitatem ſupra ſydera ęſtimans, dicere ſolebat, non poſſe ſe credere, quod Divinus Judex non majorem rationem habiturus ſit de illuſtri Domina, quam de ruſtica ancilla. Litteratus quidam ſe ſupra Salomonem ſapere arbitratus, cum mors illi obeunda denuntiaretur, ęger in lecto repoſuit, o quantum damnum patietur mundus, cum me ſibi eripi ſinit; Avarus toto corde divitiis agglutinatus, proximus morti, burſam auro plenam ſibi in feretrum ſuum reponi curavit. Quare? Ideo ajebat, ut cum neceſſitas exiget, in altero mundo habeam, quo victum & veſtitum mihi procurem. O nugę; o ſtultitię; o deliria etiam barbaris deteſtabilia; Quę cauſa, quod tam enormiter exorbitent miſeri; Quia fides illis deficit; in meris ſenſibilibus nati, & educati cæleſtia non plus æſtimare diſcunt, quam terrena; &c.

Mors juſtorum.

*175. Facilis eſt, quia mundo non ſunt alligati.*

SIcut arbor facile ab uno loco in alium transplantatur, ita homo juſtus facile ab hac in alteram vitam transfertur. S. punct. 129. fol. 401.

Jacob moriturus compoſuit manus, & pedes, hocque ex habitu anteactæ vitæ: ubi Carthuſianus: creditur mox, ne tacto quidem purgatorio, ad limbum delatus. S. pun. 128. fol. 399.

Peccatum ſolum nocere poteſt morituro; cum ergo hoc ab hominibus juſtis abſit, mirum non eſt felicem eſſe, ac facilem eorum mortem. S. pun. 128. fol. 400.

*Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: Apoc. 14.
cur dicuntur mortui mori; quia jam dudum mundo demortui ſunt, ideo ſine ulla difficultate moriuntur. S. punct. 129. fol. 403.

Inter mortem juſtorum & impiorum

magna

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magna eſt differentia, & quæ? Paoletti Fer. 5. poſt Dom. 4. Quadr.

S. Aug. ait: Sapiens eſt, qui tota vita mori didicit, cupit reſtitui pulverem pulveri ut amicus liber ad Patres, & ad Angelos, & Deum evolet. B. Thomas Morus capite plectendus, dum carnifex veniam peteret, oſculum ei, & aureum dedit, dicens: Tu mihi hodie id beneficii præſtas, quod hactenus nemo mortalium præſtitit, aut præſtare potuit, &c. C. in Gen. 25. v. 8.

Sancti in ipſa morte benefaciendo moriuntur, quaſi non ſuo, ſed aliorum bono vitam immolarent. Sic S. Petrus morti vicinus S. Proceſſum & Martinianum cum aliis quadraginta convertit. S. Stephanus pro lapidantibus ſe oravit, & ſic S. Paulum lucratus eſt. S. Andreas biduo in cruce pendens non intermiſit fidem prædicare. S. Ambr. commentationi Pſalmorum immortuus eſt. Sic multi Viri Religioſi rogarunt Deum, ut non in lecto, ſed in labore morerentur. C. Ep. 1. Pet. c. 4. in fine.

*176. Felix eſt, & plena conſolatione.*

*Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Hoc eſt honeſta, honorabilis, non enim per manum carnificis, ſed per manum Dei moriuntur. Facies Moyſis in morte non fuit immutata. S. pun. 129. fol. 401.

Moyſes, & Aaron in monte moriuntur; juſtus enim in valle, hoc eſt, in meritorum inopia non moritur. S. pun. 119. fol. 402. in fine.

Suarius moriturus plenus conſolatione dixit: Non putabam tam dulce eſſe mori. S. pun. 26. fol. 659. Idem dixit Robertus Cardinalis. D. 3. 16.

*Somno meo requieſcerem cum regibus, & conſulibus terræ*, ait S. Job: Cur mortem ſuam ſomno regio comparat? quia ſicut Rex dormiens militibus cuſtoditur, ita moriens juſtus Angelis, ait S. Greg. M. conc. 34. aſſ. 1. n. 12. ſeq.

S. Lucius Martyr ad mortem damnatus Urbicio præfecto gratias agit. S. Babylas cum cervicem carnifici præbuit dixit: *Revertere anima mea in requiem tuam &c.* Nam mors, ait Chryſoſtomus, eſt portus tranquillus, vera requies, & ad meliora migratio. C. Gen. c. 49. v. 32. in fine.

S. Nicolaus Tolentinas, Urſinus Presbyter, Spes Abbas aliique in morte exultant. Probus Reatis Epiſcopus Sanctos Martyres Juvenalem & Eleutherium, ſancta Galla Petrum Apoſtolum, Servulus paralyticus Angelos canentes in morte apparentes habent. Tarſilla in morte exclamat: *Recedite, JESUS venit, &c.* C. in Num. c. 23. v. 10.

Ludovicus Cordus Juriſperitus Patavii anno 1418. mortuus præcepit ſuum funus per quinquaginta Muſicos, ac fidicines ad ſepulcrum duci, atque cadaver per duodecim Virgines viridi habitu deportari, quas omnes largo ſtipendio coronavit. Ita mors eſſe poteſt juſtorum. D. 5. 33. W. Art. diſc. Font. 27. ex. 17.

Sancti inter pias aſpirationes, & documenta poſteris relicta emoriuntur, uti Moyſes, Joſue, David, S. Baſilius, Ambroſius, Aug. Chryſoſt. Bernardus, & alii. C. Corn. Gen. 50. v. 24.

Angeli cantantes adfuerunt in morte S. Benedicti: in morte S. Servuli paralytici; in morte S. Martini: in morte S. Nicolai: in morte Ven. Bedæ. H. ſerm. 6. in fine.

Multi Sanctorum in morte cantarunt, & jubilarunt, uti S. Ambr. S. Gerardus, S. Bernardus, S. Antoninus, & plurimi alii. C. in Eccli. c. 1. ver. 13.

S. Ambroſius moriturus dixit: Non ſic vixi, ut me vixiſſe pudeat, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. S. Gerardus frater S. Bernardi in morte jubilabat, laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Ven. Beda canens, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, ſic canens animam Deo reddidit. S. Franciſcus Seraphicus in morte jubilans, cum admoneretur, hoc tempus non eſſe jubilandi, ſed triſtandi, repoſuit: Non licet mihi triſtari, cum certus ſim, me brevi poſt cum Deo fore. S. Bern. primus S. Franciſci ſocius moriens ajebat: Nunc ſentio, quid ſit in Dei timore vixiſſe, nunc pro toto mundo nollem me aliam vitam inſtituiſſe. S. Petrus de Alcantara vir miræ auſteritatis, flexus genibus moriens exultabat: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus! C. in Eccli. 1. v. 13. Et 1. Petr. 4. v. 19.

*Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Quinam ſunt illi mortui? qui jam antea animo tenus mundo, ejuſque vanitatibus demortui ſunt, hi moriuntur in Domino, ideſt, in amore Domini. Sic Beatiſſima Virgo ex languore, & deſiderio videndi Chriſtum Filium ſuum mortua eſt. Sic Sancta Magdalena, quæ quotidie ab Angelis in aerem elevabatur, quadam die Dominica in templum translata, poſt ſumptam ſacram ſynaxin, ad Chriſtum dilectum ſuum evolavit. Sic S. Franciſcus Seraphicus, S. Catharina Senenſis, S. Carolus Borromæus, S. Stanislaus & alii inter ardentiſſimos amoris affectus demortui ſunt. C. in Apoc. c. 14. v. 13.



## Sepultura Sacra.

*177. Quanta cura curanda a fidelibus.*

ABraham, utut in vita domum, & agrum proprium habere noluerit, ſepulcrum tamen ſibi & ſuis elegit in valle Mambre: Par igitur eſt, ut fideles curam habeant ſepulturæ ſacræ, idque propter ſpem beatæ reſurrectionis. Ita Tobias officium ſepulturæ trucidatis a tyranno exhibuit: Diſcipuli Joannis Baptiſtæ ſtudioſe illum e carcere ad ſepulcrum extulerunt. Joſeph ab Arimathia corpus Chriſti a Pilato petit, & novo monumento condit. Antonius a Deo miſſus eſt ad S. Paulum primum eremitam, ut eum ſepeliret, cumque illi deficerent inſtrumenta, duo leones unguibus ſepulcrum effoderunt. C. Gen. c. 24. v. 7.

B. Jacobus de la Marca vidit fulgidam Angelorum cohortem, quæ ad ſepelienda martyrum corpora advenerat, quibus ab hominibus juſta perſoluta non ſunt. T. n. 75.

Patriarcha Abraham magnifice ſepelivit uxorem ſuam Saram. Jacob & Joſeph curam habuere ſui ſepulcri, petentes, ut oſſa ſua transferrentur in Chanaan. David gratias egit Viris Jabes Galaad, qui Saul, & filios ejus ſepelierunt. Tobiæ ſeniori, qui mortuos ſepeliebat, orationes, a Raphaele Archangelo oblatæ ſunt Deo. Judas Machabæus, & diſcipuli Joannis Baptiſtæ decollati in carcere, & Nicodemus ac Joſephus ab Arimathæa laudantur &c. H. ſerm. 6. fol. 49. & ſeq.

S. Ambroſius ad funus S. Martini raptus eſt: S. Antonius Sanctum Paulum Eremitam tumulavit: S. Honoratus Epiſcopus Vercellenſis ad funus S. Ambroſii ab Angelo vocatur. H. Ib. fol. 53.

*173. Ab omnibus pie affectatur.*

Navigantes in periculo naufragii aurum omne, quod habent, e collo pendent, ut cum corpora e mari in littus ejiciuntur, pro ea auri mercede ab inventoribus tumulo inferantur, nec avibus aut feris in prædam relinquantur. D. 1. 11.



Defunctorum ſpiritus apparent viventibus, & petunt exuvias ſuas inſepultas tumulo inferri, quo impetrato deſierunt viventium habitacula infeſtare. D. 431.

Veteres omnino erant ſuperſtitioſi in honorandis cadaveribus: puella, quæ in funus Eudoxiæ caſu ac imprudenter exſpuerat, una cum funere in rogo concrematur. Cum cadaver Arrii Macedonii a ruinoſa fornice in templum transferretur, populus Conſtantinopoli rebellionem ſuſcitavit, quia putabat nefas eſſe, mortuos commovere &c. D. 9. 54.

Primi fidei noſtræ Patriarchæ voluerunt oſſa ſua deferri in terram promiſſionis, quia ſciverunt, ibi frequentia fieri pro defunctis ſacrificia illis profutura. P. Car. Stengel. de Statu an. poſt mortem c. 12. n. 6.

Jacobus ante mortem adjurat filium Joſeph, ut ſe non in Ægypto, ſed in Chanaan ſepeliret. Quare? 1. Quia ibi ſolum futurus erat verus Dei cultus. 2. Ut poſterorum animos a vitiis & opibus Ægypti avelleret. 3. Ut apud poſteros ſuum, & patrum ſepulcra eſſent virtutis incitamenta. 4. Ut cum Chriſto ibi & cum Patribus ſuis reſurgere poſſit. C. Gen. 47. v. 29. & 30.

Deus ipſe exaudit deſideria Sanctorum ſacram ſepulturam deſiderantium, ideo illos ſæpe ab Angelis, ſæpe ab animalibus ſepeliri fecit. S. Maria Ægyptia a leone terram effodiente, S. Paulus primus Eremita a duobus leonibus ſepultus eſt. S. Luciani corpus in mare demerſum delphinus in littus extulit. S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis cadaver ab aquilis contra feras defenſum fuit. Corpus S. Catharinæ ab Angelis in Monte Sinæ ſepultum fuit, & ſic plures alii. C. in Eccli. 38. v. 16.

*179. Non fiat cum pompa ſuperflua & luxu.*

Quamquam *non ſunt contemnenda & abjicienda corpora defunctorum*, nihilominus fugienda eſt pompa & luxus, qui antiquitus erat in more: ſepulcrum Caroli Magni repletum fuit balſamo, & muſco, & theſauris multis. In ſepulcro Probi, & Probæ ſicut & aliorum collocata ſunt multa auri talenta, id quod dein prædonibus anſam dedit ſpoliandi ſepulcra &c. contra hunc luxum & abuſum invehitur S. Chryſoſtomus, & forſan ho- S. Aug. lib. 1. de civ. c. 13

hodiedum inveheretur ſi cerneret inutiles funerum pompas &c. D. 3. 13.

Vanæ, & ſumptuoſæ erant ſepulturæ veterum: Simon Machabæus Patri ſuo & fratribus altiſſimum Mauſolæum extruxit. Tumulus Mauſoli Regis ab Artemiſia erectus ſtructuram habebat centum quadraginta cubitis altam. Pyramides in Ægypto nil erant aliud niſi Veterum Regum tumuli &c. D. 3. 71.

*S. Aug. ſer. 15. de verb. Ap.* S. Auguſtinus ait, pompa funebris, copia lugentium, comitatus amplus, numeroſæ tædarum luces ſolatium ferunt viventibus, non auxilium mortuis. S. Chryſologus ait, pompoſa funera eſſe propolia, ubi exponuntur merces vanitatis, nullæ caritatis &c. D. 10. 26.

*Act. 8.* *Fecerunt planctum magnum ſuper eum*, id eſt, S. Stephanum, ex quo patet mos ſepeliendi corpora Sanctorum Martyrum, cum planctu, cum cereis, cum hymnodia Cleri, & populi. Simili proportionaliter ritu antiquitus ſepeliebantur corpora Chriſtianorum &c. C. in Act. 8. v. 2.

### 180. *Non competit peccatoribus.*

Hominem ſceleratum Epiſcopus pro pecunia ſepelivit in templo: S. Fauſtinus M. patronus Eccleſiæ apparuit Cuſtodi præcipiens, ut fœtens cadaver ejiceretur, alias Epiſcopum trigeſimo die moriturum. Non monuit Cuſtos Epiſcopum, & iſte mortuus eſt.

In Eccleſia S. Syri M. ſepultus eſt Valentinus impiiſſimus, nocte ergo proxima in templo auditæ ſunt voces, ac ſi quis violenter ex Eccleſia raperetur, viſique ſunt duo teterrimi ſpiritus, qui Valentinum ab Eccleſia extraxerunt. Altera die in ſepulcro non eſt inventum illius cadaver. E. *Sepultura* n. 2. & 3.

Tria obſequia competunt defuncto: 1. Moderatus & prudens amicorum luctus, ob perditam eorum converſationem, alloquium, auxilium &c. 2. Tegumentum, ſeu ſudarium & faſciæ, quibus cadaver pro more regionis involvitur. 3. Scrobs ſeu ſepulcrum, quo terræ commendantur uſque ad ultimam reſurrectionis diem. Nihil horum convenit peccatori; hinc homines facinoroſi, & publice ſceleſti, ex ſtatuto Eccleſiæ in ſepulturam aſininam abjiciuntur. C. in Eccl. 38. v. 16.

# PARS SECUNDA.

## BONA OPERA.

### 181. *In ſtatu peccati facta ſunt nullius meriti.*

Jechonias dicitur ſterilis, quia illius liberi coronam non ſunt adepti: ita etiam opera noſtra ſunt ſterilia, quæ coronam cæli non conſequuntur. B. ſer. 25. n. 18.

Deus primum quinta die benedixit mundo creato: Cur non jam antea? Reſpondeo, quia antea necdum productæ fuerunt creaturæ animatæ: vivere debuit, quod benedictionem Divinam meruit. Ita S. Ailredus: *Mentis noſtræ deſideria ad cæleſtia erigentes multiplices bonorum operum fructus, Deo benedicente reddamus.* *S. Ailr. ap. Tilm. in Gen. 1.* Ita opera noſtra vivant neceſſe eſt, ſi benedici a Deo mereantur. B. ſerm. 46. num. 22.

Qui Deo placere cupit in ſuis operibus, prius per ſeriam pœnitentiam peccata ex animo ejiciat. Nonne qui agrum prius ſeminare, dein a tribulis purgare vellet, imprudenter ageret? ita a pari: *Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Segn. Manna 6. Mart. n. 4. *Jerem. 4.*

Non tamen idcirco penitus ſunt omittenda. Nummus aureus diſtractus non valet, non tamen ideo duo fruſta penitus abjiciuntur, ſed aurifabro dantur; quia etſi nihil valeant in ratione nummi, valent tamen in ratione metalli. Ita licet opera in ſtatu peccati facta non promereantur cælum, tamen alias ferunt utilitates &c. P. p. 2. diſ. 13. n. 11. ſeq. Utilitates autem operum in ſtatu peccati factorum S. Thomas explicat his verbis: *Proſunt ad conſecutionem temporalium, ad diſpoſitionem ad gratiam, ad aſſuetudinem bonorum operum.* Ib. n. 14. 15. 16.

Noctambulones in ſomno varias actiones exercent, ſurgunt, laborant, digladiantur, & alia faciunt, quæ tamen actiones ad nihil proſunt: VV. art. diſc. font. 13. ex. 2. Ita proportionaliter opera in ſtatu peccati mortalis peracta vana ſunt; quia quaſi a dormientibus fiunt.

Quidam Patrem per triginta annos e purgatorio non liberat; quia in ſtatu peccati fuit. E. Verbo *Confeſſio* n. 28.

Nunquam vidiſti in ſpecioſo ædificio feneſtras omnino cæcas, ſeu pictas? ad quid proſunt? an domus per has illuminatur? nihil minus! ſunt enim murus, per quam ſolares radii non penetrant, interim tamen extrinſecus ad decorem, & ſym-



ſymmetriam domus ſerviunt. Ita opera in ſtatu peccati facta, licet lumen Divinum non mereantur, tamen ad modeſtiam, ad exemplum aliorum conducunt &c.

Tempore hyemali poſſunt per artem tepore hypocauſti, & radiis ſolis vitro collectis educi e terra flores & alia vegetabilia: ſed iſta ſunt prorſus infirma, pallida, & vix odorem aut ſaporem ſuæ ſpeciei ſpirant. Ita opera in ſtatu peccati.

Sicut aliquæ muſcæ, quas nitedulas noctilucas vocant, aut lignum putrefactum nocturno æſtatis tempore lucent, quæ tamen de die nihil penitus lucis habent; ita idem virtutibus impiorum accidit, quæ ſpeciem quidem virtutis habent, coram Deo tamen nullæ ſunt. S. Franc. Saleſ. in Regul. p. 5. c. 8. n. 4.

### 182. *Sæpe vitiantur ab amore proprio.*

Jacob miſſus eſt a Patre, ut uxorem acciperet de filiabus Laban: ad hoc præceptum implendum tam Lia, quam Rachel ſufficiebat: cur ergo Rachelem prætulit, & contra Liam conqueſtus eſt? nempe quia proprium appetitum potius, quam præceptum paternum reſpexit: ideo a Deo ſterilitate punitus fuit. Ita multa opera ſterilia ſunt, hoc eſt præmio carent, quia non tam ex obedientia erga Deum, quam ex amore proprio fiunt. B. ſerm. 26. n. 26. 27.

Multi virtutem amant, ſed quia amabilis & delectabilis eſt. Patientiam exercent, ſed quia mitigat cruces, & adverſitates. Humilitati ſtudent, ſed ut minus ſentiant contemptum. Proximum diligunt, ſed ut moleſtias præveniant. Sacram Communionem frequentant, ſed ut ſolatium capiant. Sacram lectionem, & Patrem ſpiritualem conſulunt, ſed non ſtudio proficiendi, ſed cor alleviandi in afflictione &c. B. ſerm. 26. n. 27.

Ut ſint meritoria, procedere debent
*1. Cor. 16.* unice, aut principaliter ex amore Dei: Sic Paulus monet: *Omnia veſtra in cari-*
*1. Cor. 10.* *tate fiant:* Item: *Sive manducatis ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Sicut nihil erat in Salomonis templo, quod non auro tegebatur; ita nihil in ſpirituali animæ templo eſſe debet, quod non auro caritatis veſtitur; bona quippe opera tanto majoris meriti ſunt, quanto purius, ab amore proprio defæcata, ad gloriam Dei fiunt: quantumvis ex ſe bona ſint, ſi non referantur ad gloriam Dei, grata Deo non ſunt.

### 183. *Sæpe ſunt coram Deo mendoſa.*

Malachias dicit: *Orietur vobis .... ſol juſtitiæ.* Si nix cadit, omnia ſunt alba, nec fimetum eſt, quod non ſit dealbatum: ſed veniat ſol & colliquata nive patebit, quot ſordes latuerint. B. ſerm. 25. n. 4. & ſeq.

Jehu extirpavit familiam Achab in campo Jezrael juxta præceptum Dei: & tamen poſtea Deus minitatus eſt: *Viſitabo ſanguinem Jezrael ſuper domum Jehu.* Quare? quia magis ambitione regni, quam obedientia præcepti Achabi familiam occidit. Ita hodiedum ſæpe ſub zelo latet vindicta &c. B. ſer. 25. n. 26.

Quare autem homo non agnoſcit hæc eadem menda? quia nimirum amor proprius cryſtallo propriæ cognitionis colorem illinit; ſicut qui per rubra perſpicilia videt, omnia putat rubeſcere. B. ſerm. 26. n. 6.

S. Anſelmus monet, ne propriis operibus nimium confidamus; multa enim quæ nunc velata ſunt velo ſanctitatis, nudata facie apparebunt ingentia peccata. S. p. 133. fol. 420.

De ſupremo Judice intelligendum eſt illud: *Purgabit aream ſuam*, ſicut purgatur triticum: O quot opera, quot coronæ, infulæ, cappæ, ſuperpellicea avolabunt, ut acera, & reprobabuntur! B. ſerm. 31. n. 42. & ſeq.

Pilatus decrevit, quod innocentem Jeſum velit dimittere; ſed opus hoc non fuit purum ſed cum magno malo mixtum: *Emendatum illum dimittam*, id eſt, flagellatum. Sic conſtituta ſunt opera peccatorum, non ſunt ſine nævo. Eleemoſynas dant ex bonis injuſtis: templum adeunt ex hypocriſi &c. Coſterus de Paſſ. Dom. Ned. 23.

### 184. *Poſſunt ſemper continuari, ſaltem in animo.*

Sicut mola aquarum impulſu agitata nullatenus quidem conſiſtere poteſt, & ceſſare ab opere, ſed utrum triticum vel hordeum comminuat, in ejus poteſtate eſt, qui molæ præeſt: Ita licet homo non poſſit nihil cogitare, tamen ut aliquid boni vel mali cogitet, liber eſt. S. punct. 14. fol. 55. & ſeq.

Sicut circini pes unus manet fixus in centro, alter vero circumductus circumſcribit periſpheriam ſeu circulum perfectiſſimum; quia enim unus pes hæret in

centro, hinc iſte alterum dirigit, ne exorbitet, ſed circulum exactiſſimum circumſcribat. Ita cor per caritatem affixum Deo movet pedes, manus, oculos, ita ut homo negotia externa perfectiſſime conficiat, quin tamen illud avellatur a Deo. Sic omnes ejus actus erunt opera caritatis non tantum proximi, ſed ipſius Dei, ita ut tota ejus vita ſit continua laus & amor Dei, ut, ſi comedat, bibat, dormiat, ſtudeat, non niſi ex amore Dei id faciat. C. Eccli. 47. v. 10.

Sic Sancti ex omnibus iis, quæ vident, audiunt, loquuntur, & agunt, doctrinam ſibi cæleſtem eruunt: v. g. cum vident floſculum, admirantur Omnipotentiam Dei! Cum audiunt nova de bello aut pace, adorant Providentiam Dei! cum audiunt converſionem peccatoris, mirantur Miſericordiam Dei! cum audiunt alterius pœnam aut damnationem, extimeſcunt Juſtitiam Dei! Cum legunt eruditum libellum, laudant ſapientiam Dei, & ſic ex omnibus creatis rapiuntur in amorem Dei, eamque in cælo, in terra, in aere, in corpore, & anima ſua, ejuſque actionibus intuentur. C. Eccli. 47. v. 10.

### 185. *Sæpe corrumpuntur ex motivo vano.*

Multi ſibi comparant theſauros ſcientiæ: quo fine? alii ut ſciant, alii, ut ſciantur, alii ut diteſcant. De his intelligendum eſt Davidicum illud: Nihil invenerunt in manibus ſuis. B. ſerm. 26. num. 15.

Scirpus *humellus videtur, antequam veniat ſol*, ſed orto ſole marceſcit: ita bona opera oriente olim ſole juſtitiæ mercede carebunt, quia motivum vanum ſub illis delituit. S. p. 111. fol. 330.

Gal. 6. *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem. Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu & metet vitam æternam.* Seminare in carne dicitur, qui operatur in commodum carnis, & in ſpiritu, qui operatur in utilitatem ſpiritus. Attende igitur, non ſufficit opera eſſe bona, inſuper ſeminanda ſunt in ſpiritu, quamprimum dirigis in utilitatem carnis: jam in carne ſeminas: v. g. ſi largiendo ſis liberalis, ſeminas ſemen bonum, at ſi expendis in crapulas, luxum, jam in carne ſeminas, quia pro ſenſualitate ipſius expenſas facis. Si prædices, ſeminas bonum ſemen, at ſi hoc facias ad quæſtum, aut gloriam, ſeminas in carne, quia pro avaritia, aut jactantia facis. Si patiaris, ſeminas bonum ſemen, at ſi patiaris, ut hominum gloriam referas, ſeminas in carne, quia pro ambitione pateris: hoc autem poſito non potes exſpectare, niſi meſſem peſtilentem &c. Segn. Manna 21. Aug. n. 2.

Quæſo, quæ cauſa eſt, quod multi ex ſuis operibus non emendentur? jejunant, orant, ciliciis corpus cingunt, & tam vitioſi remanent, quam antea! Quare? quia non ex puro Dei amore, ſed ex alio motivo hæc opera faciunt, v. g. ex mera conſuetudine, ex vana gloria, aut alio motivo inani. B. ſer. 26. n. 22.

### 186. *Sæpe corrumpuntur ex naturali propenſione.*

Origenes ait: *Fieri poteſt, ut habeat naturalem caſtitatem.* Eſau venatum exiit, patri eſcam attulit, non tamen benedictionem eſt conſecutus: Quare? quia non tam propter juſſa parentis, quam propter naturalem propenſionem venandi exiit. B. ſerm. 26. n. 20.

*In die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Ubi Bernardus: Non tale jejunium eligit ſponſus: idem ſe habet de aliis actionibus piis, quæ ſæpe vitiantur ex voluntate propria. S. Petrus dum lavari a Chriſto recuſat, nonne actum humilitatis exercuit, & tamen reprehenſus eſt; quia ſuberat voluntas propria. S. p. 117. fol. 368.

Multi in ariditate mentis deſolantur: ſignum eſt, quod ſe, non Deum quærant. Jacob non fuit contentus cum Lia, prætulit Rachelem, quia non patris obedientiam, ſed ſuam complacentiam, & delectationem quæſivit. B. ſer. 26. n. 26.

Sara Abrahami uxor quondam rogavit Maritum, ut ſecundariam uxorem Agar, una cum filio ſuo Iſmaele e domo ejiceret, quia petulans hic puer Iſaacum filium ſuum perverteret, & idololatrare doceret. Revera ingens videtur hic fuiſſe, & magni meriti zelus apud Deum. Verum forſan exiguum aut nullum fuit meritum hujus correctionis, quia connaturale eſt feminis altercari, forſan ſubfuit etiam zelotypia, qua metuebat Agar Ancillam a marito ſibi præhabendam eſse. Ita ſæpius contingit: multi videri volunt pro Dei gloria, & beneplacito laborare, qui revera laborant pro ſuo guſtu & delectatione. Amant patientiam propter pacem, quam in adverſis operatur: amant humilitatem, ut minus ſentiant contemptum. Amant amorem proximi, ut minus habeant moleſtiam, quam a proximo pertimeſcant, &c. B. ſerm. 26. n. 27. & ſeq.



### 187. *Fieri non poſſunt poſt hanc vitam.*

Patriarcha Jacob e ſomno evigilans exclamavit: *Terribilis eſt locus iſte.* Quare? quia ſcala in cælum non amplius apparebat: poſt vitæ hujus ſomnium non amplius datur ſcala aſcendendi in cælum, ait S. Baſilius. *Confeſtim, ubi de hac vita migraverimus, omnis benefaciendi facultas præciſa eſt.* B. ſerm. 6. n. 31. (*S. Baſil. in Lem. Reg. 1. c. 5.*)

In Tartaria loco pecuniæ tantum dantur papyraceæ monetæ: Mercatores alieni, dum pro ſuis mercibus papyrum recipiunt, illum ſtatim iterum pro aliis mercibus expendunt; quia in alia regione non valent. Ita in hac vita cum bonis operibus negotiandum eſt, in altera non valent. D. 12. 5.

Iſraelitæ ſex diebus colligebant Manna, non vero die Dominica. Sic nos in hac vita debemus colligere opera, de quibus in quiete cæleſti vivere poſſimus. C. Exod. 16. v. 5.

Et hæc eſt deſperatiſſima damnatorum afflictio, quod immenſo ſuo dolore, & lacrymis ne unius quidem peccati reatum extinguere poſſint: ſi in hac vita unicam lacrymulam amore Dei, & pœnitudine peccatorum fleviſſent, forſan ſalvi eſſent: nunc autem etſi maria lacrymarum profundant, nihil illis proſunt! Venit nox, in qua jam non licet operari, *tempus non erit amplius!* Deſiderabunt quidem cum Anachoretis in ſolitudine vixiſſe! optabunt Andreæ crucem, Pauli gladium, Stephani lapides, Laurentii craticulas pro ſalute ſuſtiniſſe! ſed hæc deſideria minus ipſi proſunt, quam nunc proſit unicum Ave Maria! ſunt palea ſine tritico, ſunt opera ſine merito; quia deſunt gratia Dei & merita Chriſti, quibus opera meritoria dignificantur &c.

### 188. *Sæpe Deo magis placent parva, quam magna.*

Propheta Samuel Juſſu Dei electurus Regem Iſrael non maximum natu Eliab, non Amminadab, non Samma, ſed minimum nempe Davidem ad ſolium evexit. Ita olim multa parva opera beatitudinis coronam conſequentur, & forſan heroica facta ob vanam gloriam depravata mercede carebunt. B. ſerm. 25. n. 10. & ſeq.

Quidam ruſticus Artaxerxi Regi vo-



lam aquæ frigidæ offert, & aureum poculum recipit. Berta Imperatrix oblatum rude filum a muliere ruſtica, tam amplo fundo remuneratur, qui poterat extenſo illo filo circumdari. Oppianus Poeta pro ſingulis verſibus ſingulos aureos accipit. Leo ad Imperatoriam dignitatem evehitur, quia cæcum aberrantem in viam reducit. Cyrillus quia S. Anaſtaſiæ Martyri in tormentis potum frigidæ porrigit, Martyrio coronatur. Petrus ob confeſſionem, *Tu es Chriſtus*, ad primatum extollitur, latro in cruce verbo unico Paradiſum obtinet &c. D. 7. 48.

Mulier quæ tantum duos obolos in Gazophylacium repoſuit præ omnibus aliis laudem retulit. S. Chryſoſtomus ait: *Multum & parum non menſura eorum, quæ dantur definit Deus, ſed facultate & copia ejus qui dat.* (*S. Chryſ. in c. 9. epiſt. ad Cor. 2.*)

Conformiter ad illud Ariſtotelis: *Deum non ſacrificiorum ſumptibus, ſed ſacrificantium pietate delectari.* D. 8. 33.

Quis alterutri præferendus? formica, vel Elephantus? ſine dubio formica; Ille enim inutili carnium mole gravatur, hæc corporis agilitate præſtat. Ille ingenio eſt languido, hæc incitata viget acrimonia. Ille a puero regitur, hæc nec Regis dominatum ferret. Ille muſcæ morſum ulciſci non poteſt, hæc muſcas & alia in ſuam prædam convertit. Ille ad onera ferenda ſerviliter cogitur, hæc regnat in pace &c. VV. art. diſc. font. 20. ex. 1. Sic ratio ſe habet cum operibus; parva ſæpe præplacent magnis.

### 189. *Sæpe fiunt ex malo fine.*

Abner ſemper adhæſit Isboſetho contra Davidem, ſed poſtquam Isboſeth illi exprobravit ſuam libidinem, Davidem ſecutus Isboſethum deſeruit, cur? an ex juſtitia? nihil minus, ſed ex rancore. B. ſer. 25. n. 25.

Jehu familiam Regis Achab extinxit, non tam ut obediret præcepto Dei, quam ut ſibi regnum ſtabiliret. B. ſer. 25. n. 26.

Sichem Princeps circumcidi ſe paſſus eſt, non amore veræ Religionis, ſed amore Dinæ Jacobi filiæ, quam deperibat. B. ſerm. 25. n. 30.

Diabolus a S. Fortunato ex energumeno ejectus, peregrinum induit, & conqueri contra Fortunatum cæpit, quod hoſpitio expulſus fuiſſet. Fuit ergo civium aliquis, qui eum reciperet; ſed dæmon mox filium ejus invaſit, & in prunas projecit. En! ſubſequens pœna prodidit, quod ſuſceptio peregrini ſine cul-

culpa non fuit, in odium Fortunati Epiſcopi id fecit, ut ejus ſanctitati derogaret. E. *Intentio* n. 2.

Deo non placuit Phariſæus jactabunde dicens: *Deus, gratias tibi ago, quia non* Luc. 18. *ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri.* Neque populus ille Judaicus in captivitate detentus, quem ſic alloquitur Propheta: *Cum jejunaſtis, & planxiſtis* Zach. 7. *in quinto & ſeptimo anno, nunquid jejunium mihi jejunaſtis? & cum comediſtis & bibiſtis, nunquid non vobis comediſtis & bibiſtis?*

Rex David Uriam venientem ex caſtris, & ex itinere fatigatum mirum in modum miſeratus, præcepit illi, ut domum concederet, dormiret & requieſceret. Quanta hæc caritas proximi! Verum non fuit caritas, ſed fraus Davidis, ut ſic ſuum adulterii ſcelus, quod cum Uriæ uxore commiſerat, tegeret.

### 190. *Occultari debent coram Deo.*

Vetula illa Evangelica duo minuta obtulit, & dein publicam gloriam reportat: Magdalena propter unguentum laudatur, *ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium.* De S. Paula ait Hieronymus, in urbe vix nota erat urbi, & nunc in tota Eccleſia celebratur &c. Econtra vanæ gloriæ cupidus, ſi aſcenderit uſque in cælum, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Sterquilinium nive coopertum pulchrum quidem eſt, ſed cito perdit candorem &c. S. p. 20. fol. 77. & 78.

Differentia tamen facienda eſt inter oſtentationem *operis*, & *operantis*. Chriſtus dicit: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ubi bene notandum, quod Chriſtus non carpat opus, ſi videatur ab hominibus, ſed operantem ſi ea intentione operetur. Quin imo prius illud ſæpe neceſſarium eſt, & utile, ſecundum nunquam &c. Segn. Manna 16. Sept. n. 1.

Ulterius notandum, duplicis generis ſunt opera: aliqua *ordinaria*, convenientia ſtatui, alia *extraordinaria*; prima illa expedit publice fieri ad ædificationem aliorum, item ut declares teipſum ad Dei ſervitium. Secunda illa, quæ pariunt admirationem, ſuadent Sancti in occulto fieri &c. Segn. Manna 16. Sept. n. 2.

Chriſtus Dominus occultat prodigium in Cana Galilææ, ut doceat nos bona opera humilitatis involucro tegere. Paoletti Dom. 1. poſt Epiphan.

Vana complacentia, jactantia, & amor proprius tineæ ſunt, quæ meritum operis exedunt, ſicut vermis nucleum nucis. Quis quæſo viator coram prædonibus explicat ſuas divitias? deprædari cupit, qui id agit. Sic homo Chriſtianus agit ſibi vane complacens, aut gloriabundus in ſuis operibus.

### 191. *Sæpe corrumpuntur ex vana gloria.*

Primum altare, quod ædificavit Saul, reputatum non eſt; quia non ex voluntate Dei, ſed ex ambitione ædificavit. Ita multa opera bona coram Deo pro nihilo habentur ob vanam gloriam. Eriguntur altaria, ſed cur affiguntur inſignia gentilitia? cur opus aliquod in publico ſolertius fit, quam in occulto? cur in privato oratorio magis parcitur genubus, quam in publico? cur eleemoſyna largius datur cum, quam ſine arbitro &c. nempe latet ſuperbia, latet vana gloria. B. ſerm. 26. n. 31. Et ibi. §. 5.

O quot opera fiunt ex ſolo motivo, quod mundus vocat, *reputationem*. Hæc tinea corrumpit conciones, ſtudia, orationes, officii adminiſtrationes &c. Interim cum deficit finis Divinæ gloriæ, hæc opera omnia mercede carebunt. B. ſerm. 26. n. 39. S. p. 20. *Ubi largitio arbitris caret, illic quoque largitio langueſcit*, ait Nazianzenus. S. p. 20. f. 78.

S. Eleutherius puerum a dæmone obſeſſum liberat, ſed dum id cum jactantia quadam aliis narrat, puer iterum obſidetur, & non niſi multis lacrymis denuo liberatur. Sanch. 7. p. c. 2. fol. 912.

Bene tamen attendendum, quando opus corrumpatur ex vana gloria; differentia enim facienda eſt, an ſit antecedens, an concomitans, an ſubſequens. Chriſtus dicit: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis:* non prohibet *opus* videri, ſed *operantem*, idque eo fine operantem, ut videatur &c. Segn. Manna 16. Sept. num. 3.

Gallina cum ovum parit, pipiendo & crocitando per totam viciniam id promulgat, & ſic ovum perdit: ita multi dum jactanter opus ſuum deprædicant, meritum perdunt &c.

### 192. *Sæpe corrumpuntur ex intereſſe proprio.*

Labores Judicum, Officialium, Patrum familias, Concionatorum nonnunquam reſpiciunt proprium intereſſe. *Ephraim*



*phraim vitula docta diligere trituram.* Cur hæc vitula non æque amat agriculturam, uti trituram? Reſpondet Cardinalis Hugo: Card. Hug. Oſea 10. *Libenter ad trituræ laborem redit propter triticum, quod terendo comedit.* Multi juſtitiam quidem adminiſtrant, quia crumenam ſaginant: ſomnolenter tractant cauſas, ubi nullum lucrum ſperatur &c. B. ſer. 26. n. 37.

Sanctus Auguſtinus ait: *Vix quæritur JESUS propter JESUM.* Intentio depravata eſt, ut ſaltem concomitanter, aut ſubſequenter aliquid aliud quæratur præter Jeſum. Iſaac tenerrime amabat filium Eſau, hominem vitioſum. Cur? ut illum ad Deum converteret? Minime, ſed propter cibos venationis. S. punct. 111. fol. 331.

Matth. 2. Herodes rogavit Magos, ut cum inveniſſent puerum, renuntiarent ei, ut & ipſe adoraret eum. Itane tam religioſus erat Herodes, ut cuperet adorare Chriſtum? Nihil minus! timebat a Nato Salvatore ſibi eripi regnum, ideo ſcire cupiebat, ubi natus eſſet, ut eum, adhuc puerum e medio tolleret, & ſibi ſceptrum, ac coronam firmaret.

Quidam ſequebantur Dominum, ut de panibus ejus manducarent. Alii ut ipſi, vel eorum amici a languoribus ſanarentur. Languidus ante templi porticum clamando venerabatur Chriſti Apoſtolos Joannem & Petrum, ut eleemoſynam acciperet. An omnia hæc bene ac meritorie? Minime, quia ſuum bonum, non Dei gloriam reſpiciebant &c.

Luc. 23. Herodes multo tempore videre cupiebat Jeſum, ſed non cauſa pietatis, verum ut ſignum aliquod ab eo videret, ex quo doceri poſſet, quod ſit miſſus a Deo Meſſias. En! non propter Chriſtum, ſed propter ſe!

### 193. *Sunt neceſſaria ad ſalutem.*

Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam: ubi Hugo: ſuam dixit, ne putares Chriſti crucem ſufficere ſine tua. S. p. 26. fol. 657.

S. Joannes Damaſcenus parabolam narrat de quodam regno, in quo Reges poſt unius anni regimen in exilium ejiciebantur: periere omnes; ſed unus prudentior de theſauris regiis ingentem ſummam præmittebat, de qua vivere poterat. Ita per bona opera providendum eſt futuro. D. 8. 42. E. *Mundus* n. 2.

Romani Belliduces, cum triumphos agebant, victos Reges ac Reginas, trophæa & urbium, quas ſuperarunt, imagines poſt ſe traxerunt: ita qui in cæleſte illud capitolium triumphaliter admitti cupit, neceſſe eſt, ut ſimiliter ſua opera poſt ſe trahat. Segn. Manna 14. Jul. n. 6.

*Quid proderit, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat*, ait S. Jacobus, quibus verbis probat neceſſitatem operum 1. Quia ſicut pauper non veſtitur, nec ſaturatur verbo, ſed opere eleemoſynæ, dando illi veſtem aut panem; ita animæ nuditas non veſtitur, nec ſaturatur fide, ſed bonorum operum exercitio. 2. Fides ſine caritate & opere eſt ſicut corpus ſine anima, id eſt, mortua: ergo non tantum inutilis, ſed & fœda eſt, ſicut cadaver. 3. Fides non niſi per opera ſe oſtendit, & communicat: ergo ſi deſint opera eſt inviſibilis, inſenſibilis, & conſequenter inutilis. 4. Fides ſine operibus eſt dæmoniaca; nam & dæmones credunt, & contremiſcunt. 5. Abraham fuit juſtificatus non ex fide ſola, ſed & ex operibus offerendo filium ſuum ſuper altare: atqui Abraham fuit Pater credentium, & norma juſtificandorum. C. in Ep. Jac. c. 2. v. 14.

### 194. *Externa non placent Deo ſine internis.*

Rex Ezechias laudat ſua opera: *Memento quomodo ambulaverim coram te in corde perfecto.* Et etiam Phariſæus laudat ſua: cur ergo hic reprobatur, Rex exauditur? Nempe quia Ezechias opera interna allegare poterat, Phariſæus ſolum externa, ait Eucherius. M. conc. 36. aſſ. 3. n. 4.

Chriſtus Dominus acriter reprehendit Phariſæos: *Vos eſtis, qui juſtificatis vos* Luc. 16. *coram hominibus, Deus autem novit corda veſtra; quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.*

Judæi illi dicebant ad Deum: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Reſpondit Deus: *In die jejunii veſtri invenitur* Iſa. 58. *voluntas veſtra!* Id eſt: Quando jejunaſtis, non meam voluntatem feciſtis, ſed veſtram: jejunatis ad inanem gloriam captandam: Deus autem non reſpicit opus mere externum, ſed internam voluntatem; hinc dicit Scriptura: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*, nempe prius ad animum offerentis, quam ad opus oblationis.

Ezechiel memorat, quod euntibus animа- Gen. 4.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nimalibus iverit etiam *rotæ*, etiamſi *hæ* non fuerint annexæ currui; nam ſpiritus vitæ erat in rotis. Ita bonus Chriſtianus recte quidem facit, ſi æmuletur actiones aliorum, ſed fieri id non debet ex alio motivo temporali, ſed ex ſpiritu vitæ: ſunt fundendæ preces, viſitanda templa, ſalutanda amici, & inimici, pure propter Deum. B. ſerm. 26. n. 16.

Apoc. 3. *Non invenio opera tua plena coram Deo.* Quomodo non erant plena? quia fuerunt ſicut arbor florida, ſed infructuoſa, ſine caritate, ſine pura intentione, mixta, & contaminata vanis motivis. C. Apoc. 3. v. 2.

195. *Sunt unicum ſolamen in judicio.*

Tribus Ephraim a Jephte bello victa Jordanem tranſmittere debuit: Jephte ripas milite cuſtodivit, & quoties quis ad ripam veniebat, quærebatur, an Ephratæus es? ſi negavit, juſſus eſt dicere *Scibolεth*: Ephratæi tantum dicere poterant *Sibolεth* omiſſo C. tunc occidebantur: Jordanes Judicium ſignificat, Scibolet ſpica, Sibolεth palea. Si in judicio Chriſtianus tantum afferet paleas, non ſpicas, occidetur, peribit &c. B. ſer. 27. n. 10.

Vallis Joſaphat velut area eſt tritici: *Ventilabrum in manu ejus.* O quot inania operum acera avolabunt. *Purgabit aream ſuam.* B. ſerm. 31. n. 42.

Quidam reus ob contracta debita citatus ad judicem invocat opem trium amicorum, quos habebat: primus excuſavit ſe, non poſſe ſe illi eſſe auxilio, velle tamen miniſtrare ephippium & frænum ut decenter veniret ad curiam, plura ſe non poſſe. Alter amicus etiam ſe excuſavit non poſſe ſe illi eſſe auxilio, velle tamen eum comitari uſque ad curiam. Tertius ſpopondit ſe auxiliaturum, & cauſam illius apud judicem ſuſcepturum. Primus amicus ſunt divitiæ, quæ præter mortuale linteum nil nobis miniſtrant. Alter ſunt uxor & liberi, qui comitantur ad tumulum, non ultra. Tertius ſunt bona opera, quæ ſola nobis proſunt apud Deum judicem. D. 8. 42. Sanch. 6. p. c. 4. fol. 700. E. Verbo *Amicus* n. 1.

Joan. 5. Bonorum operum pretium vel maxime deſumitur ex illis verbis: *Procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in reſurrectionem judicii.* Ex bonis operibus igitur dependet determinatio felicitatis, vel infelicitatis æternæ &c. Segn. Mann. 3. Aug. num. 4.

Sicut peccata vocantur opera tenebrarum; ita bona opera dicuntur lux; quia manant a luce prudentiæ, & ducunt ad lucem. C. ad Epheſ. 5. v. 8.

Accedit & illud, quod per bona opera redimatur reatus pœnæ reſiduus: Ninivitæ jejuniis & precibus placarunt De- Jona c. ult.
um, ut pepercerit civitati ab interitu. 2. Deus promiſit: *Si converſus populus de-* 2. Par. 7.
*precatus me fuerit, & egerit pænitentiam, ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum.* 3. Daniel ſuaſit Regi de- Dan. 14.
linquenti, ut peccata ſua eleemoſynis redimeret. 4. Joſias Rex ſanctiſſimus, quia juſſioni Jeremiæ non paruit, in pœnam inobedientiæ, ferro Ægyptii interfectus eſt, & ſic mors expiatio fuit peccati. 5. Tertul. l. de pæn.
Tertullianus ait: *Offendiſti Deum? reconciliari potes! ſatisfactio confeſſione diſponitur.* 6. Origenes: *Si quis a diabolo deceptus fuerit, . . . Pænitendo, flendo, ſa-* Origen. hom. 6. in Exod.
*tisfaciendo doleat, quod amiſſum eſt.* 7. Lactantius hortatur pœnitentes ad eleemoſynarum largitionem, per quas pec- Lactant. l. 4. de vera ſap. c. 7.
cata tollantur &c.

196. *Etiam parva magno præmio coronantur.*

Hauſtum frigidæ Deus non ſinit impræmiatum. S. Cyrillus Virgini Anaſtaſiæ, dum in martyrio calidiſſima ſiti ureretur, potum frigidæ porrexit, coronam martyrii conſecutus eſt. Sanchez 6. part. c. 4. fol. 690.

Senex in ſacra collatione ſeu inſtructione diſcipuli obdormiit, quo facto etiam diſcipulus ſepties a ſomno tentatus eſt, ſed ſepties reſtitit, & ſeipſum vicit. Evigilans deinde ſenex, & animo raptus vidit ſeptem coronas diſcipulo paratas &c. Sic Deus opera etiam exilia amore ſui facta præmiatur. E. *Obedientia* n. 6.

Fratrum quidam micas ex pane deciduas non auſus, finita citius menſa, comedere, vidit illas mutatas fuiſſe in margaritas. E. *Obedientia* n. 13.

Parva etiam opera magni æſtimanda ſunt, quia *ſemel dictum aut factum æternum eſt*; quod enim irrevocabile eſt, & infectum fieri nequit, in omnem manebit æternitatem. Ergo ſi bonum & excellens ſit illud, in æternum de illo gaudebis, ſi malum aut mancum, in æternum de illo dolebis. Ante ſingulas ergo actiones cogita: *Æternitati operor, æternitati vivo!* operabor ergo excellenter! Alter ſtimulus in operibus etiam minimis operandi excellenter tibi ſit ex-



cellentia, & immenſitas Majeſtatis Divinæ, cui non niſi eximia & præcellentia opera offerenda ſunt; quia Deus pluris facit unum opus eximium, quam decem vulgaria. Hic fuit ſemper ſenſus Sanctorum. S. Thereſia vovit Deo ſemper faciendi quod melius & perfectius eſt. S. Mechtildis tam attente, perfecteque loquebatur, ut non hominem, ſed Angelum loqui putares. Sic S. Baſilius, Auguſtinus, Dominicus, Franciſcus, aliique Sancti agebant omnia modo ſupra homines elevato: *Vivebant ut Numina, loquebantur ut oracula.* C. in Eccli. 33. v. 24.

197. *Voluntaria non placent Deo, ſi omittantur obligatoria.*

Deus ad Sponſam in Canticis: *Averte*
Cant. 6. *oculos tuos a me.* Quare? an ergo non opus ſanctum eſt contemplari Deum? Car-
Card. Hugo in Cant. 6. dinalis Hugo exponit: *Averte, ut curæ ſubditorum intendas.* B. ſer. 34. nu. 33. Vide Titulum: *Paterfamilias.*

In Veteri Teſtamento prohibuit Deus, ne quidquam mellis offerretur in ſacrificio. Quare non? Reſpondet Theodoretus: *Quia fructus apis a labore noſtro non procedit.* Ita Deo diſplicet ſi tempus illi offeramus, quod noſtrum non eſt, quod aliis negotiis ſublatum eſt, &c. B. ſerm. 25. §. 6.

Jacob ubi per totam noctem luctabatur cum Angelo, quam luctum Sancti Patres putant fuiſſe intenſiſſimam orationem, tamen oriente die dicebat: *Dimitte me, jam enim aſſurgit aurora!* Cur dimitti petiit Jacob? quia fuit Paterfamilias, cujus obligatio erat, non ſemper orare, ſed reverti ad negotia domus, iiſque non minus, quam orationi invigilare.

2. Reg. 11. Rex David eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, domi remanſit. Qua de cauſa & quem in finem? Ponamus quod ſanctis operibus vacaverit, & pro felicitate belli Deum oravit, hæc tamen devotio adeo non erat grata Deo, ut illum in turpiſſimum adulterii crimen prolabi permiſerit. Quare? quia debuiſſet belli ducem agere, & exercitum comitari.

Act. 20. S. Paulus Corinthi manebat cum Aquila & Priſcilla. Quid ibi agebat? operabatur cum illis, quia ejuſdem erat artis. Non ſemper orandum, non ſemper prædicandum, ſed etiam laborandum; *Si quis non vult operari, nec manducet, &c.*

198. *Summopere placent Deo.*

Ratio cur opera noſtra Deo adeo placeant, eſt quia pretium ſuum originaliter habent ex meritis Chriſti: ſicut ergo fontis aqua pretioſa fit, quia per aurifodinas transfluit: ita opera fiunt pretioſa, quia fluunt per vulnera Chriſti. P. p. 2. diſ. 13. n. 2.

Dein quia proveniunt a Chriſto tanquam cauſa exemplari: Jacobus per veſtes Eſau impetrat benedictionem, quam ſuis veſtibus non fuiſſet impetraturus. Quodlibet ergo opus etiam minimum ſuperat Ducum & Principum actiones in conſideratione politica nobiliſſimas. Ib. n. 4.

Etiam unicus greſſus amore Dei factus non erit ſine mercede; hinc Angelus numeravit greſſus illius ſenis aquam portantis. E. Verbo *Angelus* n. 4.

Puella gentilis hominem ob debita deſperabundum a laqueo liberat donans illi omnes ſuas opes. Dein cum diu in obſcœnis ſceleribus vixiſſet, morti proxima baptiſmi gratiam obtinuit. T. 132.

Ut autem placeant Deo, debent eſſe perfecta & ſine nævo; hinc olim ponderabuntur in ſtatera, qua opera Regis Balthaſar, item Petri Telonarii, Henrici Imperatoris, Caroli Magni aliorumque appenſa, & ponderata ſunt. C. in Dan. c. 5. v. 27.

Hinc dictum ſibi putet Chriſtianus
illud: *In omnibus operibus tuis præcel-* Eccli. 33.
*lens eſto.* Sicut Seraphim, ita opera tua ſex alas habeant: Memoriam Dei præſentis: Puram gloriæ Dei intentionem: Orationem: Fiduciam in Deum: Fortitudinem in arduis aggrediendis: Et perſeverantiam, in tolerandis quibuſcunque moleſtiis. C. Eccli. 33. v. 24.

Deus bona opera in occulto ſibi facta in die judicii coram toto mundo publicabit: *Illuminabit abſcondita tenebrarum, . . . tunc laus erit unicuique a Deo.* Eum in modum, quo Angelis dixit: *Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit.* C. Matth. 6. v. 4.

199. *Etiam ſupererogatoria frequentanda.*

Aſſurgendum eſt altius! Homo Chriſtianus non tantum iis contentus ſit, quæ præcepta ſunt, ſed ultra tendat, id quod
monet Apoſtolus: *Sic ambuletis, ut* 1. Theſſ. 4.
*abundetis magis.* Quiſquis theſaurum cuſtodit, non tantum claviculam ciſtæ, ſed etiam cubiculi cuſtodit: Ager non

tan-

tantum ſementem, ſed abundantiam reddit. S. David ait: *Quoniam non cognovi litteraturam, intraibo in potentias Domini:* Alii legunt: Quoniam non cognovi numerum. Vult dicere: ego non numeravi opera Deo exhibita. Quiſquis enim adeo illiberalis eſt cum Deo, ut quaſi cum illo licitetur, metuere debet, quod Deus eadem menſura remetiatur, & tenaciter etiam ſua dona tribuat, &c. B. ſer. 48. n. 19. ſeq.

[*Prov. 1.*] *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia.* Si tibi ſufficiat ſolum ea facere, ad quæ obligaris ſi multum tibi agere videris abſtinendo ab offenſa Dei &c. verſaris in periculo damnationis. An putas ſecuram fore civitatem, quæ mænibus contenta, nullis cingitur exterioribus munimentis, ſeu factis ad abundantiam præſidiis? imo hæc ſunt, quæ illam maxime defendunt, quia in his primi franguntur impetus inimici, qui plerumque majore furore ſæviunt initio, &c. Segn. Manna 2. Martii n. 3.

Solenne eſt Aſcetarum proverbium, merita noſtra non tam conſiſtere in *Verbis*, quam in *Adverbiis*: Verba ſunt: Orare, eleemoſynam dare, jejunare & ſimilia: Adverbia ſunt: Ardenter, devote, liberaliter, humiliter & ſimilia. Sic non eſt grande meritum orare, ſed devote, ardenter orare. Non eſt grande meritum eleemoſynam dare, ſed dare liberaliter, affectuoſe compaſſive. Non eſt grande meritum adverſa pati, ſed pati humiliter, patienter, &c.

Noe omnia fecit ex præcepto Dei, ſed ultra præcepta ædificavit altare: Ubi Ambroſius: Intellexit nimirum eam veram gratiarum actionem eſſe, quæ non jubetur, ſed defertur. S. p. 156. f. 504. [*S. Ambr. l. 1. de Noe & arc. c. 6.*]

Indecens eſt, hominem avarum fieri erga Deum, qui erga nos tam liberalis eſt! Quid enim fit? Etiam Deus in ſuis donis fit parcior! Quid ulterius? Homo fit infirmior! Quid ulterius? Tentationes reſpective fiunt graviores: Quid ulterius? Reſiſtentia contra tentationes fit difficilior! Quid ulterius? Homo denique labitur in grave peccatum. En; ex hac tenacitate erga Deum oriri poteſt animæ interitus, &c.

Conſidera, quod Divinus Redemptor fecerit; potuiſſet uno halitu, aut una ſanguinis guttula hominem redimere, & ſanguinem omnem effudit, mille vulnera, & mortem tulit, ut ſuo nos exemplo doceret, quid Deo rependere debeamus.

## Intentio bona.

### 200. *Quomodo influere debeat in bona opera.*

NOn *coronabitur, niſi qui legitime certaverit:* Ut autem opus aliquod legitimum, & corona dignum ſit, non ſufficit ut ſecundum ſe ſit bonum, nec ut operans ſit conſtitutus in gratia Dei; ſed ut ipſum opus ad Deum dirigatur: Albertus Magnus docet: *Multa fiunt in caritate, quæ tamen non ſunt meritoria, eo quod non fiunt ex caritate &c.* [*Alb. Magn. l. 5. comp. Theol.*] Utrum autem ad meritum operis ſemper requiratur actualis, aut etiam ſufficiat habitualis intentio, differunt Auctores. B. ſer. 26. n. 14.

[*Lev. 11.*] Mirabile eſt, quod Dominus Deus Judæis omne genus ciborum præſcripſerit, mundos permiſerit, immundos prohibuerit. Cur hoc fecit? nempe ut Judæi eſſent in continuo exercitio obedientiæ erga Deum: *Ut coercerentur ſervituri uni Deo*, ait Tertullianus. [*Tertul. l. de cib. Jud. c. 4.*] Nunc Deus hoc non urget, ſed vult ut libere ipſi noſtra opera conſecremus per bonam intentionem. C. Lev. 11. v. 1.

Intentio bona comparatur oculo; ſicut enim oculus primo intendit in id, ad quod deinde dirigit manus & pedes; ita anima ſancta primo omnium debet intendere in Deum ut finem, ac deinde ad illum omnes greſſus & actiones dirigit. C. in Cant. 1. v. 14.

Porro ſicut oculus immediate aſpicit rem, quam intendit, nec medium ullum admittit; ita anima intendens Deum illum unum ſpectare debet, non commoda, non honores, nec aliud intermedium, quidquid enim medium eſt, impetit intuitum, & intentionem in Deum. C. Ibid.

### 201. *Semper debet tendere ſurſum ad Deum.*

*Sapientis oculi in capite ejus:* ait Eccleſiaſticus. Et cujus oculi non ſunt in capite. S. Baſilius ait: *Ut ea contempletur, quæ in ſublimi ſunt.* B. ſer. 48. n. 15.

Homines ſancti in continuo verſantur præſentiæ Dei exercitio, & ex rebus quibuſque obviis mentem in Deum elevant. S. Ambroſius etiam in rana potentiam, & ſapientiam Dei contemplatur. S. Franciſcus in cantu cicadæ delectatur & laudat Deum. Vide Titulum *Sancti: Res omnes referunt ad Deum.*

In-



Intentio bona in eo fundatur, ut omnia dirigas ad Dei amorem: quamquam ergo in tuo ſtatu conquereris te non poſſe facere opera & pœnitentias a ſanctis factas, ſupple omnia per amorem. Id quod ſanctos ad tam eximiam ſanctitatem evexit, non tam fuerunt opera, quam amor quo facta ſunt. Magdalenæ remiſſa ſunt peccata, non quia *multum fecit*, ſed quia *multum dilexit*, &c. Segn. Manna 26. Jul. n. 1.

Quidam ex illo textu male intellecto: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*, [*Matth. 5.*] quodcunque bonum faciunt, coram aliis deprædicant, & quidquid Eccleſiæ donant, ſuis inſignibus notant: hi gloriam ſuam, non Dei quærunt, &c. Segn. Manna 15. Sept. n. 3. & 16. Sept. n. 1. & ſeq.

Cum Zeno Monachus in eremo contemplatione abſorptus circuiret, obviam [*Sanch. Reg. Dei p. 4. c. 6.*] illi factus eſt Macedonius Imperator, & quæſivit, quid ageret? cui Zeno, & quod tuum in hoc loco negotium eſt, cumque Imperator reſponderet: Venatio meum negotium eſt. Repoſuit Zeno: Et ego pariter conſector Deum, neque ceſſabo, donec apprehendero. Quo dicto tergum vertit Imperatori, & abiit.

Magdalenæ dixerunt Angeli Chriſtum reſurrexiſſe, & tamen, cum altera vice quæreretur ab Angelis: *Mulier quid ploras?* Reſpondit: *Tulerunt Dominum meum & neſcio ubi poſuerunt eum.* Eſt mirabile! cur neſcis? utique Angeli ſatis te inſtruxerunt, quod reſurrexerit? S. Bonavent. ait: Magdalenam fuiſſe a mente alienam, quia anima ejus non erat cum ipſa, ſed cum Magiſtro amato. [*S. Bonav. in Vit. Chr. c. 89.*] *Amor hoc faciebat, quia anima ſua non erat ibi ubi ipſa erat, ſed ipſa erat, ubi Magiſter ſuus erat.* Sic facere etiam debet bona intentio, ut animus hominis non tam ſit in negotiis, quibus vacat, quam apud Deum.

Opera quantumvis magna, ex ſe coram Deo æſtimabilia non ſunt, ſed ſolum ex intentione: [*Pſ. 44.*] *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus;* Deus enim non opus ſed voluntatem aſpicit, non manum ſed animum, [*Salv. ad Eccl. Cat.*] dicente Salviano: *Oblata Deo non pretio, ſed affectu penſantur.*

Non improbo ſi cum Davide opera tua facias propter retributionem, ſed dignus eſt Deus, qui altiori motivo ametur, & honoretur propter ſe; *Si gratiam tibi dedit Deus, ſicut dedit gratis, ita gratis ama*, [*S. Aug. ſuper Joa.*] ait Sanct. Auguſtinus: *Noli propter præmium diligere Deum, ipſe ſit tuum præmium.*

Deus ab æterno te prævidit, ibi jam curam tui habuit, & præparavit tibi media ſalutis: in tempore autem, quo vivis, ne momento quidem paternam ſuam ſolicitudinem a te avertit: dignum igitur, & æquum eſt, ut Dei tui frequenter recorderis, eumque per piam aſpirationem adores.

### 202. *Debet elevare opera in unione meritorum Chriſti.*

Jacob ut a patre impetraret benedictionem induit ſe veſtimentis primogeniti Eſau. Sic anima ſupplicans Deo induere debet merita Chriſti.

Artaxerxes ſic amavit Theridatem, ut eo mortuo nemini gratiam denegaret, qui in veſtibus Theridatis coram Regali ſolio comparens aliquid peteret. Id Regina Aſpaſia aliique fecerunt, qui gratiam a Rege impetraturi continuo in veſtibus amici ad Regem acceſſerunt. Sic induenda ſunt merita Chriſti. T. n. 370.

Aurifaber rude fruſtum glebæ, aut ſaxum ex aurifodina erutum magni æſtimat, quod aliis contemptibile videri poſſet; quia in eo auri venulas latere experitur; ita Deus opus ex ſe vile, & in oculis hominum contemptibile recipit; quia in eo per ſacram intentionem pretium Dominicæ paſſionis deliteſcere videt.

Intentio bona comparatur oculo; ſicut ergo oculus intendens in aliquam rem, ejus ſpeciem in ſe ſuſcipit, illique aſſimilatur; ita anima intendens in Deum, aut Chriſtum patientem formam illius in operando imbibit, fitque Divina, & quaſi Deus terreſtris. C. in Cant. 1. v. 6.

Pia ac ſancta opera ſunt lapides, quibus domum gloriæ nobis in cœleſti Hieruſalem ædificare debemus, fundamentum, & lapis angularis hujus ædificii ſunt merita Chriſti, de quo S. Gregorius ait: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod eſt Chriſtus JESUS:* [*S. Greg. in c. 38. Job.*] *tunc baſes in fundamento ſunt, cum intentiones noſtræ in Chriſto roborantur.*

### 203. *Opera etiam neceſſaria meritoria facit.*

Narrat Scaliger, apud Taprobanam dari ingentes teſtudines, ita ut ſcutum unius, prout ait Plinius, habitabilem caſam contegere poſſit. [*Laet. in ſua Americ. l. 1. c. 9.*] In Cuba non raro excreſcunt in tantam molem, ut quinque viros ſuſtineant. Iſtud mirabile eſt: Quidam itinerans ſub veſperam magnum

ſa-

ſaxum, ut opinabatur conſcendit, ne a venenoſis animalibus læderetur, ibi dormiit; cumque evigilaſſet, deprehendit ſe tribus fere paſſuum millibus a loco, quo ſaxum conſcenderat, translatum eſſe: rem melius explorans vidit teſtudinem eſſe quod ſaxum putabat, quæ interdiu immobilis perſtitit, noctu vero rependo pabulata fuit. VV. ar. diſc. font. 45. ex. 7. Sic illi, qui intentionis exercitio dediti ſunt, etiam dormiendo in meritis provehuntur, & tot greſſus, quot halitus faciunt.

Monachi comedentes viſi ſunt vel mel, vel panem, vel ſtercus manducare, juxta intentionem vel bonam vel malam. E. *Gula* n. 6.

*Lev. 3. v. 17.* Deus prohibuit Hebræis ne adipem de ſacrificio comederent: per adipem ſignificatur devotio & intentio, qua opera noſtra adipantur, ut Deo placeant. Quiſquis ergo in bono opere non Dei gloriam, ſed v. g. lucrum quærit, adipem Domino ſubtrahit. Notent hoc milites, ruſtici, mœchanici, ut opera ſua meritoria faciant. S. Gregor. ait: *Sicut fabrica columnis, columnæ baſibus innituntur; ita vita noſtra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima ſubſiſtunt.* C. Lev. 3. v. 17. ad fin. Adipe & pinguedine repleatur anima mea.

Nihil eſt uſitatius populo Chriſtiano illa excuſatione: Sum pauper & vilis opifex, non poſſum jejuniis & vigiliis corpus macerare, non poſſum prolixe orare, non poſſum grandes eleemoſynas facere, conſequenter nec grandia merita colligere! Erras, quiſquis ita ſentis; ipſa enim quotidiana artificii opera, alendæ familiæ neceſſaria, quamvis ex ſe vilia ſint, per ſacras intentiones ad tantum meritum coram Deo elevare poteſt, quantum eſt intenſiſſima oratio, aut profuſiſſima erga pauperes miſericordia. Dic mihi, quis major coram Deo, Moyſes, an Elias? quis dubitet, inquis, Moyſes magnus fuit magni exercitus Dux, Pharaonem miraculis terruit, radioſo vultu ſplendidus apparuit: Econtra Elias ignotus, & ignobilis, vili melote indutus in montibus, & ſilvis ſolitarius erravit. Et tamen in monte Thabor, non minus ac Moyſes, cum Chriſto glorioſus apparuit; En; opera in oculis hominum vilia adeo poſſunt dignificari, ut Deo non minus placeant, quam opera excellentiſſima in æſtimatione hominum, ait S. Ambroſius. *S. Ambr. l. 1. de Vit. Beat. c. 8.*

204. *Valde ditat hominem meritis.*

Pro miraculo habitum eſt, quod anno 1549. puer in agro Tigurino natus ſit, qui ſexto ætatis anno adoleſcentem quatuordecim annorum proceritate & craſſitudine ſuperavit. VV. art. diſc. font. 45. ex. 3. Verum in ſenſu ſpirituali id fieri poteſt per bonas intentiones, quæ hominem intra modicum tempus in meritis mire diteſcere faciunt. *Jacob. Pontan. in Attic. Bellariis.*

Seniculo Eremitæ fallaciter impoſuit dæmon ſub ſpecie boni Angeli, quod ejus diſcipulus eſſet damnandus. Continuo ergo flevit ſenex, & tandem diſcipulo id revelavit: ille nihil mutatus, repoſuit: Non ſervio Deo propter retributionem, ſed propter ejus bonitatem; tantoque ardentius nunc ei ſerviam, quo minus ipſum amare potero in æternum. His dictis, bonus Angelus revelavit ſeni, quod diſcipulus per hunc actum plus meruerit, quam antea per omnem vitam. T. 153.

Intentio ſacra comparatur oculo: ſicut ergo oculus plures res ſimul aſpicere poteſt lateraliter ſeu circulariter poſitas; ſic anima in opere ſuo poteſt plures intendere virtutum fines, v. g. ut dicat: Volo dare eleemoſynam, ut ſatisfaciam pro peccatis, & hic eſt actus pœnitentiæ. Item, ut placeam Deo amori meo, & hic eſt actus caritatis. Inſuper, ut honorem Deum, & hic eſt actus Religionis. Ad hæc, ut ſuccurram egeſtati proximi, & hic eſt actus miſericordiæ. Et quo plures virtutum fines intendit, eo melius, & magis meritorium eſt opus. Hoc eſt, quod Chriſtus ait: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* C. in Cant. 1. v. 14.

Quam deploranda igitur multorum Chriſtianorum negligentia, qui artem hanc ſpiritualiter diteſcendi inter ultimas curas reponunt. Sunt velut Equus fullonicus, qui truſatilem machinam perpoliendis telis lineis ducit, ſemper in circulo ambulans obligatis oculis putans ſe recta progredi, cum autem velamen oculorum removetur invenit ſe in eodem loco quo fuit. O quantum mirabitur Chriſtianus olim, cum mortalitatis velamen ab oculis ejus removebitur, quod ſit in eodem meritorum loco, quo fuit ante viginti & plures annos.

205. *Debet interdum interſeri negotiis.*

Non poſſumus ſemper ſedere ad pedes Redemptoris cum Magdalena, ſed aliqui debent



debent cum Martha miniſtrare: Nihilominus etiam Martha inter media negotia *ſtetit, & ait: Domine &c.* S. p. 58. fol. 207. Segn. Manna 17. Feb. n. 2.

Dicunt aliqui: Mea negotia, meus ſtatus, ac functiones ſunt in cauſa, quod pauca bona opera poſſim operari; ſum continuo impeditus; quin imo quotidie contraho multa peccata &c. ſed errant iſti! Conſidera viam regiam, quæ continuo itinerantium equis, curribus & carpentis teritur, & ſordida eſt, lacunoſa; cum tamen a dextris & a ſiniſtris fertiliſſimi agri, horti, & vineæ cernantur: jam ſi via hæc regia vellet etiam frumento, vino, & floribus eſſe fœcunda, nonne inepte hæc vellet? Quamquam enim nec unicum gramen proferat, tamen bono publico plus prodeſt, quam illi campi; ſervit ad legationes, ad mercimonia, ad commercia humana, ſine quibus mera eſſet miſeria, & confuſio in mundo. Parem in modum quamvis tu operum fructus non proferas, quos proferunt Religioſi, tamen quia tua negotia ad bonum publicum facis, ſi illa eleves per bonam intentionem, plus placere potes Deo, quam illi, &c.

Quamvis generaliter opera omnia in principio diei Deo offerri oporteat, tamen expedit, imo neceſſarium eſt, hanc intentionem interdiu renovari; quia ſicut virgula fumi vento, ita illa per peccatum ſaltem veniale facile deſtruitur. Et hoc eſt, quod monet Apoſtolus: *Omnia in Nomine Domini JESU Chriſti facite!* Ne putes hoc eſſe arduum! Vidi & audivi homines diſcolos, qui inter media negotia, ex impatientia in juramenta & blaſphemias ſubito eruperunt: Cur non poſſit homo Chriſtianus inter media negotia erumpere in piam erga Deum aſpirationem? Segn. Manna 17. Febr. n. 2.

206. *Opera facit meritoria.*

Sicut fruſtum argenti, quod effigie Principis non eſt ſignatum, ad mercandum non valet: ita opus, ubi effigies Dei per intentionem formata non eſt, ad mercandum cœlum inutile eſt.

Siquis operarius in alieno agro tota die ſudat, veſpere autem a te rogat mercedem, nonne dicis: Mi bone, a me nihil ſperandum habes, quia in alieno agro laboraſti, pete ſolutionem ab eo, cujus ager eſt, &c. Ita Deus dicet: tu laboraſti in agro non meo, ſed alieno, pete ſolutionem ab alio, &c.

Opera cuivis ſtatui, officio, & conditioni propria poſſunt per intentionem ad inſigne meritum elevari: imo opera naturæ neceſſaria uti comedere, bibere, dormire &c. in hoc ſenſu dicit S. Hieronymus: *Sanctis ipſe etiam ſomnus eſt oratio.* Certe S. Franciſcus Xaverius etiam dormiens auditus eſt invocare SS. Nomina JESU & Mariæ. Vide Segn. Manna 17. Febr. *S. Hier. ap. Albrit. in Feſt. S. Francl. Xav.*

Controverſia eſt inter auctores an poſſit arte fieri aurum: afferuntur variæ experientiæ hujus rei. D. 1. 97. Sed quidquid ſit de cryſopæia phyſica, in ſenſu morali optimum fieri poteſt aurum, quo cœlum emitur, per intentionem meritoriam, &c.

Per artificium bonæ intentionis multi ad majorem perfectionem pervenerunt, quam per opera prodigioſa, quæ mire in oculis hominum fulgent! Ecce; in firmamento videntur innumeræ ſtellæ: an ſtant aut currunt? plerumque currunt. An curſu æquali? Non, ſed prorſus inæquali: aliquæ in una hora faciunt ducenta, aliæ trecenta, aliæ adhuc plura milliaria. Sed nemo videt curſum? quamvis curſus non videatur, tamen ita eſt &c. Parem in modum multi Sanctorum ad inſignem ſanctitatem pervenerunt ſine operibus admodum mirandis: Quomodo? per internas intentiones, quæ non cadunt ſub oculos hominum.

Lapis Pantherus, ſic dictus a Panthera animali, habente pellem verſicolorem, eſt enim ex parte niger, viridis, pallens, purpureus, roſeus &c. mirabilem habet effectum; ſiquis in ortu ſolis hunc lapidem reſpicit, eo die imperterritus & ad res agendas optime diſpoſitus evadit. Parem in modum, ſiquis in ortu ſolis, Deum reſpicit per puram intentionem, ea die ad augenda merita ſit optime diſpoſitus. H. ſer. 20. f. 197.

Ven. Frater Benedictus ab Infante JESU Ord. Carmelit. a cultu Beatiſſimæ Virginis celeber, in opificio textrino occupatus illud identidem ſecum repetebat. Hoc pro Infante JESU; iſtud pro ejus Sanctiſſima Matre, &c. *Barry in Ann. Mar. 3. Jan.*

S. Baldomerus, dum artem fabrilem exercebat, non opus aliquod aggreſſus eſt, niſi in *Nomine Domini*, quod inter labores identidem repetiit. Pauperibus, dum nummos non haberet, etiam inſtrumenta artis ſuæ illis diſtribuit. *N. 27. Feb.*

Cocus in Monaſterio a B. Climaco interrogatus, quomodo in tanta rei culina- *S. Clim. grad. 18.*

linariæ occupatione, quæ ducentis triginta Religioſis alendis, præter externos & peregrinos ſufficeret, tam æquo ſemper eſſet animo, reſpondit: Id ex eo fieri, quod omnia tanquam Deo faceret.

## E C C L E S I A.

### 207. *Fundatur, & amatur valde a Chriſto.*

IN ædificatione templi Salomonis malleus non eſt auditus: lapides enim dolati ſunt ſanguine vermiculi. Sic lapides Eccleſiæ, id eſt Chriſtiani politi ſunt ſanguine Chriſti, qui ſeipſum vocat, *ego ſum vermis*. B. ſer. 3. n. 37.

Sicut Eva e latere Adami prodiit; ita, ait S. Auguſtinus, e latere Chriſti morientis Eccleſia prodivit. S. punct. 35. fol. 762.

Iſaac fuit figura Chriſti, & Rebecca Eccleſiæ. 1. Quia fuit egreſſus in agrum, Chriſtus in mundum. 2. Egreſſus eſt veſpere, Chriſtus in ultima ætate mundi. 3. Deambulabat ad puteum viventis & videntis. Chriſtus ſua peregrinatione tranſivit per Scripturam, nunc hoc nunc illud vaticinium implens. 4. Iſaac Rebeccam accepit non in famulam, ſed ſponſam, ſic Chriſtus Eccleſiam. 5. Illam induxit in tabernaculum Saræ Matris, ſic Chriſtus induxit Eccleſiam in locum Synagogæ Judæorum, &c. C. Gen. 24. v. 67.

*Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. De Eccleſia hic ſermo eſt, quam Deus ab æterno amavit, ait S. Athanaſius. M. conc. 17. §. 1. n. 5.

Sicut Abraham famulum Eliezer miſit, ut filio ſuo Rebeccam ſponſam adduceret. Ita Deus miſit Apoſtolos, ut Chriſto Filio ſuo Eccleſiam deſponſarent. C. Gen. 24. v. 67.

Deus Eccleſiam contra terribiles perſecutores, Imperatores, & hæreſiarchas mirabiliter conſervat. Vide infra: *Eſt inexpugnabilis*.

### 208. *Comparatur variis rebus.*

Eccleſia comparatur corpori; ſicut enim unum membrum pro altero ſolicitum eſt; ita unus pro altero curam habeat. B. ſer. 28. n. 6. Serm. 37. n. 8. Serm. 39. n. 2.

Comparatur Arcæ Noemiticæ, in qua quis tutus eſt a diluvio errorum. B. ſer. 37. n. 7. Item C. 1. Petr. 3. v. 20.

Comparatur domui Raab, in qua ſola invenitur ſalus. B. ſer. 37. n. 7.

Comparatur exercitui ordinato; ſicut enim, ſi bene in ſuo ordine perſiſtant milites, exercitus invictus eſt, ita Eccleſia, ait Gregor. *Si pacem tenet, terribilis hoſtibus eſt*. B. ſer. 37. n. 7.

Comparatur navigio, in quo quilibet ſuum officium adminiſtrare debet: ita quilibet in Eccleſia muneris ſui obligationem explere debet. B. ſer. 39. n. 1.

Comparatur Paradiſo: Quatuor flumina Nilus, Ganges, Tygris, & Euphrates ſunt quatuor virtutes cardinales. C. Gen. c. 2. v. 8. fol. 69.

Comparatur lilio inter ſpinas, ob *candorem* innocentiæ, *fragrantiam* boni exempli, & *puritatem* doctrinæ. Econtra hæretici ſpinæ ſunt, quia pungunt maledictis, vulnerant doctrinis, ſunt receptaculum ſerpentum, & tandem deſtinantur ad ignem. Faber conc. 9. Dom. 7. poſt Pent.

Comparatur Tunicæ inconſutili Chriſti ex Chriſtianis innumerabilibus per caritatem & fidei unitatem connexis contextæ, ita ut ſine grandi peccato diſſolvi nequeat. Hæretici autem diſcindunt hanc tunicam inconſutilem: ſic Chriſtus Dominus B. Petro Epiſcopo Alexandrino veſte diſciſſa apparuit, & cauſam interroganti reſpondit: Arius ita tunicam mihi dilaceravit. *Martyrol. 26. Nov.*

### 209. *In ea boni & mali permixti ſunt.*

Eccleſia Rebecca eſt, quæ Jacobum, & Eſau filios habet. Arca Noe eſt, in qua animalia munda, & immunda concluduntur. Ager eſt, in quo triticum, & zizania creſcunt. Area eſt, in quo frumentum & palea inveniuntur. Rete eſt, quo mali, & boni piſces capiuntur. Regnum eſt, in quo prudentes, & fatuæ Virgines reperiuntur. Vinea eſt, ubi fructiferæ, & aridæ palmites: Ovile eſt, in quo oves & hirci: convivium eſt, in quo induti, & non induti veſte nuptiali: domus eſt, in qua ſolertes, & otioſi famuli: Officina eſt, in qua & aurum, & ſcoria inveniuntur &c. B. ſer. 74. §. 1.

Eadem de cauſa in Eccleſia ſunt varii hominum ſtatus, nimirum, ut ait S. Thomas: 1. Ad perfectionem. 2. Ad neceſſitatem actionum. 3. Ad pulchritudinem Eccleſiæ. B. ſer. 39. num. 7. Vide Tit. *Status & officia hominum*.

In agro præter triticum Zizania conſervata ſunt: *Sinite utraque creſcere*! ſic peccatores in Eccleſia conſervantur propter juſtos. 1. Ut virtus juſtorum ex impie-



tate ſceleratorum, ſicut colores ex umbra magis eluceſcat. 2. Ut juſti per malorum perſecutiones exerceantur, & merita augeant. 3. Ut in ultima illa die impii agnoſcant, ſe vitam multaque alia bona in hoc mundo juſtis debuiſſe. 4. Ut juſti impios verbo, & exemplo a via perditionis revocare, & ad pœnitentiam convertere ſtudeant.

### 210. *Sancta eſt in ſe, & ſuis membris.*

Primo, quia omnia dogmata Eccleſiæ promovent ad ſanctitatem. 2. Quia quotidie in Eccleſia celebratur Sacrificium, quod eſt Omnium Sanctorum operum ſanctiſſimum. 3. Quia quotidie in Eccleſia agitur memoria innumerabilium Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum. In ſola urbe Romana quotidie Reliquiæ, Natales, & martyria Sanctorum celebrantur; hinc multi Reges ac Principes, ut Sanctorum exemplis ad piam mortem excitentur, relictis regnis Romam conceſſerunt, viri & feminæ, &c. C. in Iſa. 66. v. 23.

Tanta eſt multitudo Martyrum, qui pro vera Chriſti Eccleſia ſanguinem fuderunt, ut quotidie 3000. Martyrum memoria celebrari poſſit. C. in Apoc. 7. v. 9. Tit. Ss. Martyres.

1. Petr. 2.

Chriſtiano-Catholicis proprie convenit titulus: *Gens ſancta*: 1. Quia ſicut olim Synagoga, ita nunc Eccleſia ex omnibus gentibus Deo ſegregata, & ſanctificata eſt. 2. Quia plurimos habet Sanctos, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines. 3. Quia omnes ad ſanctitatem, juxta ſuam vocationem dirigit. 4. Quia ejus Fides, Doctrina, Sacramenta, Sacrificia ſancta ſunt. 5. Quia ejus auctor Chriſtus Dominus eſt Sanctus Sanctorum, ejuſque Rector Spiritus Sanctus. 6. Quia nullibi extra Eccleſiam invenitur ſanctitas. C. in Ep. 1. Petr. c. 2. v. 9.

Eccleſiæ dogmata omnia promovent ad inſignem ſanctitatem: nihil illa ſubtrahit Deo debitum, nihil attribuit diſſonum, dum econtra Judæi in nugis Talmudicis abſurdiſſima fingunt de Deo, & hæretici, Calvinus & Lutherus terribiles blaſphemias contra Deum evomunt, &c. Segn. Incred. non excuſ. p. 2. c. 23.

### 211. *Non poteſt infici ab hæreſum erroribus.*

Chriſtus comparatur aquilæ, quæ provocat ad volandum pullos ſuos. Sanctus Hieronymus ait: Aquila in altis rupibus nidificare ſolet, quo ſerpentes ad pullos ſuos nequeunt aſcendere. Nidus Eccleſia eſt, quæ propter altiſſima myſteria tam alte evecta eſt, ut hæreſum ſerpentes eo aſcendere nequeant. B. ſer. 26. n. 12.

Eccleſia Dei ſchola eſt, ſchola Dei errare non poteſt: Omnis alia ſchola, Platonis, Socratis, Ariſtotelis, & aliorum omnium erroribus obnoxia eſt, aquæ eorum e terra veniunt, & facile turbantur, doctrina autem Eccleſiæ eſt aqua cœleſtis, quæ nunquam non eſt puriſſima: *Principium verborum tuorum veritas*. Qui magiſtri in terris eſſe volunt, quanto doctiores ſe eſſe putant, tanto magis omnia dubia faciunt; ſic Zeno dubitavit etiam, an de loco in locum progrediamur, an vigilemus aut dormiemus: Quin etiam aliud non agunt, quam ut inter ſe pugnantia tradant, ſic etiam de hoc diſceptarunt, quis ſit finis ultimus hominis? Nemo ergo veritatem quærat apud turbulenta hæc ingenia, ſed apud Eccleſiam ſolum, ubi Deus docet, dicente S. Auguſt. *Diverſæ doctrinæ perſonant, diverſæ hæreſes oriuntur. Curre ad tabernaculum Dei, id eſt, Eccleſiam Catholicam, ubi protegeris a contradictione linguarum*. Segn. Incred. non excuſ. p. 2. c. 2. n. 8.

Præterea Dominus Deus ſoli Eccleſiæ dedit intelligentiam interpretandi Scripturas. Errarunt omnes hæretici, qui ſibi arrogarunt Scripturas interpretandi facultatem. Eodem ex ſolo eruuntur terræ gleba, & metalla, medicamenta & venena. In hoc autem ita proviſum eſt Eccleſiæ, ut Auguſtinus dicere audeat: *Ego Evangelio non crederem, niſi me commoveret Eccleſiæ authoritas*. Segn. ibid.

### 212. *Ex peccato fidelium damnum patitur.*

Multi unum corpus ſumus in Chriſto: ſi unum membrum officium ſuum negat, totum corpus infirmatur: ideo Chryſoſtomus ait: *Unius peccato Eccleſia læditur univerſa*. B. ſer. 37. n. 7. 8.

Eccleſia comparatur exercitui: ſi unus militum ſtationem deſerat, jam imbecillior eſt exercitus: Hinc Albertus Magnus: *Ipſis viatoribus nocet peccatum pro eo, quod acies illorum contra dæmones minuitur in eo, qui peccatum perpetrat*. B. ſer. 37. n. 7. & Ibid. §. 5. per totum.

Certum eſt, quod Eccleſia ab infidelibus propter vitia fidelium contemptui ha-

linariæ occupatione, quæ ducentis triginta Religioſis alendis, præter externos & peregrinos ſufficeret, tam æquo ſemper eſſet animo, reſpondit: Id ex eo fieri, quod omnia tanquam Deo faceret.

## E c c l e s i a.

### 207. *Fundatur, & amatur valde a Chriſto.*

IN ædificatione templi Salomonis malleus non eſt auditus: lapides enim dolati ſunt ſanguine vermiculi. Sic lapides Eccleſiæ, id eſt Chriſtiani politi ſunt ſanguine Chriſti, qui ſeipſum vocat, *ego ſum vermis*. B. ſer. 3. n. 37.

Sicut Eva e latere Adami prodiit; ita, ait S. Auguſtinus, e latere Chriſti morientis Eccleſia prodivit. S. punct. 35. fol. 762.

Iſaac fuit figura Chriſti, & Rebecca Eccleſiæ. 1. Quia fuit egreſſus in agrum, Chriſtus in mundum. 2. Egreſſus eſt veſpere, Chriſtus in ultima ætate mundi. 3. Deambulabat ad puteum viventis & videntis. Chriſtus ſua peregrinatione tranſivit per Scripturam, nunc hoc nunc illud vaticinium implens. 4. Iſaac Rebeccam accepit non in famulam, ſed ſponſam, ſic Chriſtus Eccleſiam. 5. Illam induxit in tabernaculum Saræ Matris, ſic Chriſtus induxit Eccleſiam in locum Synagogæ Judæorum, &c. C. Gen. 24. v. 67.

*Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. De Eccleſia hic ſermo eſt, quam Deus ab æterno amavit, ait S. Athanaſius. M. conc. 17. §. 1. n. 5.

Sicut Abraham famulum Eliezer miſit, ut filio ſuo Rebeccam ſponſam adduceret. Ita Deus miſit Apoſtolos, ut Chriſto Filio ſuo Eccleſiam deſponſarent. C. Gen. 24. v. 67.

Deus Eccleſiam contra terribiles perſecutores, Imperatores, & hæreſiarchas mirabiliter conſervat. Vide infra: *Eſt inexpugnabilis*.

### 208. *Comparatur variis rebus.*

Eccleſia comparatur corpori; ſicut enim unum membrum pro altero ſolicitum eſt; ita unus pro altero curam habeat. B. ſer. 28. n. 6. Serm. 37. n. 8. Serm. 39. n. 2.

Comparatur Arcæ Noemiticæ, in qua quis tutus eſt a diluvio errorum. B. ſer. 37. n. 7. Item C. 1. Petr. 3. v. 20.

Comparatur domui Raab, in qua ſola invenitur ſalus. B. ſer. 37. n. 7.

Comparatur exercitui ordinato; ſicut enim, ſi bene in ſuo ordine perſiſtant milites, exercitus invictus eſt, ita Eccleſia, ait Gregor. *Si pacem tenet, terribilis hoſtibus eſt*. B. ſer. 37. n. 7.

Comparatur navigio, in quo quilibet ſuum officium adminiſtrare debet: ita quilibet in Eccleſia muneris ſui obligationem explere debet. B. ſer. 39. n. 1.

Comparatur Paradiſo: Quatuor flumina Nilus, Ganges, Tygris, & Euphrates ſunt quatuor virtutes cardinales. C. Gen. c. 2. v. 8. fol. 69.

Comparatur lilio inter ſpinas, ob *candorem* innocentiæ, *fragrantiam* boni exempli, & *puritatem* doctrinæ. Econtra hæretici ſpinæ ſunt, quia pungunt maledictis, vulnerant doctrinis, ſunt receptaculum ſerpentum, & tandem deſtinantur ad ignem. Faber conc. 9. Dom. 7. poſt Pent.

Comparatur Tunicæ inconſutili Chriſti ex Chriſtianis innumerabilibus per caritatem & fidei unitatem connexis contextæ, ita ut ſine grandi peccato diſſolvi nequeat. Hæretici autem diſcindunt hanc tunicam inconſutilem: ſic Chriſtus Dominus B. Petro Epiſcopo Alexandrino veſte diſciſſa apparuit, & cauſam interroganti reſpondit: Arius ita tunicam mihi dilaceravit. *Martyrol.* 26. *Nov.*

### 209. *In ea boni & mali permixti ſunt.*

Eccleſia Rebecca eſt, quæ Jacobum, & Eſau filios habet. Arca Noe eſt, in qua animalia munda, & immunda concluduntur. Ager eſt, in quo triticum, & zizania creſcunt. Area eſt, in quo frumentum & palea inveniuntur. Rete eſt, quo mali, & boni piſces capiuntur. Regnum eſt, in quo prudentes, & fatuæ Virgines reperiuntur. Vinea eſt, ubi fructiferæ, & aridæ palmites: Ovile eſt, in quo oves & hirci: convivium eſt, in quo induti, & non induti veſte nuptiali: domus eſt, in qua ſolertes, & otioſi famuli: Officina eſt, in qua & aurum, & ſcoria inveniuntur &c. B. ſer. 74. §. 1.

Eadem de cauſa in Eccleſia ſunt varii hominum ſtatus, nimirum, ut ait S. Thomas: 1. Ad perfectionem. 2. Ad neceſſitatem actionum. 3. Ad pulchritudinem Eccleſiæ. B. ſer. 39. num. 7. Vide Tit. *Status & officia hominum*.

In agro præter triticum Zizania conſervata ſunt: *Sinite utraque creſcere*! ſic peccatores in Eccleſia conſervantur propter juſtos. 1. Ut virtus juſtorum ex impietate ſceleratorum, ſicut colores ex umbra magis eluceſcat. 2. Ut juſti per malorum perſecutiones exerceantur, & merita augeant. 3. Ut in ultima illa die impii agnoſcant, ſe vitam multaque alia bona in hoc mundo juſtis debuiſſe. 4. Ut juſti impios verbo, & exemplo a via perditionis revocare, & ad pœnitentiam convertere ſtudeant.



### 210. *Sancta eſt in ſe, & ſuis membris.*

Primo, quia omnia dogmata Eccleſiæ promovent ad ſanctitatem. 2. Quia quotidie in Eccleſia celebratur Sacrificium, quod eſt Omnium Sanctorum operum ſanctiſſimum. 3. Quia quotidie in Eccleſia agitur memoria innumerabilium Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum. In ſola urbe Romana quotidie Reliquiæ, Natales, & martyria Sanctorum celebrantur; hinc multi Reges ac Principes, ut Sanctorum exemplis ad piam mortem excitentur, relictis regnis Romam conceſſerunt, viri & feminæ, &c. C. in Iſa. 66. v. 23.

Tanta eſt multitudo Martyrum, qui pro vera Chriſti Eccleſia ſanguinem fuderunt, ut quotidie 3000. Martyrum memoria celebrari poſſit. C. in Apoc. 7. v. 9. Tit. Ss. Martyres.

Chriſtiano-Catholicis proprie convenit titulus: *Gens ſancta*: 1. Quia ſicut olim Synagoga, ita nunc Eccleſia ex omnibus gentibus Deo ſegregata, & ſanctificata eſt. 2. Quia plurimos habet Sanctos, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines. 3. Quia omnes ad ſanctitatem, juxta ſuam vocationem dirigit. 4. Quia ejus Fides, Doctrina, Sacramenta, Sacrificia ſancta ſunt. 5. Quia ejus auctor Chriſtus Dominus eſt Sanctus Sanctorum, ejuſque Rector Spiritus Sanctus. 6. Quia nullibi extra Eccleſiam invenitur ſanctitas. C. in Ep. 1. Petr. c. 2. v. 9.

1. Petr. 2.

Eccleſiæ dogmata omnia promovent ad inſignem ſanctitatem: nihil illa ſubtrahit Deo debitum, nihil attribuit diſſonum, dum econtra Judæi in nugis Talmudicis abſurdiſſima fingunt de Deo, & hæretici, Calvinus & Lutherus terribiles blaſphemias contra Deum evomunt, &c. Segn. Incred. non excuſ. p. 2. c. 23.

### 211. *Non poteſt infici ab hæreſum erroribus.*

Chriſtus comparatur aquilæ, quæ provocat ad volandum pullos ſuos. Sanctus Hieronymus ait: Aquila in altis rupibus nidificare ſolet, quo ſerpentes ad pullos ſuos nequeunt aſcendere. Nidus Eccleſia eſt, quæ propter altiſſima myſteria tam alte evecta eſt, ut hæreſum ſerpentes eo aſcendere nequeant. B. ſer. 26. n. 12.

Eccleſia Dei ſchola eſt, ſchola Dei errare non poteſt: Omnis alia ſchola, Platonis, Socratis, Ariſtotelis, & aliorum omnium erroribus obnoxia eſt, aquæ eorum e terra veniunt, & facile turbantur, doctrina autem Eccleſiæ eſt aqua cœleſtis, quæ nunquam non eſt puriſſima: *Principium verborum tuorum veritas*. Qui magiſtri in terris eſſe volunt, quanto doctiores ſe eſſe putant, tanto magis omnia dubia faciunt; ſic Zeno dubitavit etiam, an de loco in locum progrediamur, an vigilemus aut dormiemus: Quin etiam aliud non agunt, quam ut inter ſe pugnantia tradant, ſic etiam de hoc diſceptarunt, quis ſit finis ultimus hominis? Nemo ergo veritatem quærat apud turbulenta hæc ingenia, ſed apud Eccleſiam ſolum, ubi Deus docet, dicente S. Auguſt. *Diverſæ doctrinæ perſonant, diverſæ hæreſes oriuntur. Curre ad tabernaculum Dei, id eſt, Eccleſiam Catholicam, ubi protegeris a contradictione linguarum*. Segn. Incred. non excuſ. p. 2. c. 2. n. 8.

Præterea Dominus Deus ſoli Eccleſiæ dedit intelligentiam interpretandi Scripturas. Errarunt omnes hæretici, qui ſibi arrogarunt Scripturas interpretandi facultatem. Eodem ex ſolo eruuntur terræ gleba, & metalla, medicamenta & venena. In hoc autem ita proviſum eſt Eccleſiæ, ut Auguſtinus dicere audeat: *Ego Evangelio non crederem, niſi me commoveret Eccleſiæ authoritas*. Segn. ibid.

### 212. *Ex peccato fidelium damnum patitur.*

Multi unum corpus ſumus in Chriſto: ſi unum membrum officium ſuum negat, totum corpus infirmatur: ideo Chryſoſtomus ait: *Unius peccato Eccleſia læditur univerſa*. B. ſer. 37. n. 7. 8.

Eccleſia comparatur exercitui: ſi unus militum ſtationem deſerat, jam imbecillior eſt exercitus: Hinc Albertus Magnus: *Ipſis viatoribus nocet peccatum pro eo, quod acies illorum contra dæmones minuitur in eo, qui peccatum perpetrat*. B. ſer. 37. n. 7. & Ibid. §. 5. per totum.

Certum eſt, quod Eccleſia ab infidelibus propter vitia fidelium contemptui ha-

habeatur: Sic Tertullianus ait, Chriſtum per vulnus Malchi plus ipſo Malcho fuiſſe læſum. Quare? quia credi potuiſſet, ſuos diſcipulos non ad manſuetudinem, ſed ad vindictam inſtituiſſe. Si Chriſtiani luxurioſe vivant, nonne dicent infideles, eorum legem ita eſſe conſtitutam, ut ad luxuriam, & impietatem inſtituat? B. ſer. 37. n. 43.

Strabonicus venit ad puteum, quærens an ſalubris, & bona ſit aqua? ruſticus reſpondit eſt bona: cui ille: cur ergo tam pallidi, & decolores eſtis? Ita gentiles ex noſtris moribus judicant legem Chriſtianam. B. ſer. 37. n. 43.

Sanctus Chryſoſtomus de infidelibus affirmat: Pro eo, qui peccavit, Chriſtianos omnes calumniis inſectantur. B. ſerm. 37. n. 41.

De Eccleſia dicit Sponſus cœleſtis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Hæc pulchritudo, ait S. Thomas conſiſtit in *Integritate omnium membrorum.* 2. *In amœnitate colorum*, id eſt, bonorum operum. 3 *In proportione partium, &c.* Hæc pulchritudo autem fœdatur per maculam peccati; hinc ipſa Eccleſia conqueritur: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*: hęc verba Regis Ezechię tribuit S. Bernardus Eccleſiæ, quæ tres amaritudines paſſa eſt: 1. *Amara prius in nece Martyrum.* 2. *Amarior poſtea in conflictu hæreticorum.* 3. Sed in pace amaritudo amariſſima ex ſceleribus impiorum Chriſtianorum. B. ſer. 37. n. 12.

In Abbatia Clarevallenſi Vir Sanctus, qui frequenter rapiebatur in extaſin, Petro Senonenſi Archiepiſcopo narravit: Vidi Dominam quamdam ſpecioſiſſimam, auro, & gemmis ornatam, ex me interrogantem: quam putas me eſſe? reſpondi: Videris mihi eſſe Beatiſſima Virgo! tum illa: Reſpice me a tergo: cumque viderem, vidi eam putridam, & vermibus ſcaturientem. Nunc vides, inquit illa, me Beatam Virginem non eſſe! Sum Eccleſia, quæ primo ſtatu, quaſi anteriori parte in Apoſtolis, in Martyribus, in Confeſſoribus fui pulcherrima. Sed a tergo, id eſt poſtremo tempore ſum putrida, & ſordibus plena ob peccata Chriſtianorum. Lohner in Appendice n. 57.

### 213. *Mirabiliter crevit per orbem.*

Jacob cum duodecim filiis ingreditur Ægyptum, & hi per 215. annos adeo multiplicati ſunt, ut ex Ægypto exierint ſexcenta virorum millia, non computatis parvulis & mulieribus. Parem in modum Chriſtus ingreſſus orbem cum duodecim Apoſtolis innumerabilem credentium multitudinem in Eccleſiam adduxit. C. Exod. 1. v. 7.

Eccleſia ab initio terribiles perſecutiones paſſa eſt: ſolus Diocletianus ſingulis menſibus ultra 30000. Chriſtianos excarnificari præcepit; hinc etiam Romæ ſibi Statuam erigi juſſit, cum inſcriptione: *Extirpatori Chriſtianorum.* Sed vicit hæc omnia Eccleſia, ſub Conſtantino ædificatis ubique templis mirabiliter propagata: ideo hodiedum in Feſtis Dedicationis vexillum ſuſpenditur in turri, in ſignum victoriæ.

Deus mirabiliter ſemper defendit Eccleſiam contra perſecutores, quos luculentis pœnis exterminavit: ſic Hunnericus, Herodes, Antiochus, Maximinus Imp. Arnulphus Imp. Calvinus & alii a vermibus devorati ſunt. C. Num. 25. v. 8.

*Suges lac gentium*, ait Iſaias, quibus verbis prædicit, quod Reges & Reginæ erunt nutrices & nutritii Eccleſiæ. Hi enim licet in mundi divitias demerſi, coronis & ſceptris ſuis exaltarunt Eccleſiam: Sic in ipſis Eccleſiæ incunabilis Chriſtiani omnia ſua ad pedes Apoſtolorum offerebant. Carolus, Dagobertus, aliique Reges Francorum quot Eccleſias & monaſteria ædificarunt & dotarunt? ſic Reges in Hiſpania, Gallia, Hungaria, Anglia & alibi mirum in modum liberales fuerunt in Eccleſiam, &c. C. in Iſa. 60. v. 16. n. 15.

Sicut in domo Laban oves Jacob ex decorticatis virgulis creverunt: ita ab exemplo Martyrum, qui vitam & ſanguinem pro fide dederunt, Chriſtiani ex gentiliſmo converſi, & multiplicati ſunt. Lohner v. Exemplum §. 13. n. 19.

### 214. *Eſt Catholica, ſeu univerſalis.*

Merito S. Bernardus inter ſumma prodigia numerat intellectus humani cum fide concordiam: quid enim difficilius, quam quod ſenſus & judicium hominis alteri ſe ſubjiciat? Quamquam autem hæc intellectus, & voluntatis ſubjectio prodigio ſimillima ſit, magis adhuc admiranda eſt in iis, qui litteris exculti ſunt; his enim nihil pronius, quam nova ſectari, imo nec iſto contenti tam propendent ad contradicendum aliis, ut difficilius ſit, invenire Doctum, cum alio Doctore in omnibus opinionibus conſentientem, quam globum ſuper alterius

globi



globi ſuperficiem ita collocare, ut illius puncto immotus perſiſtat. Hoc tamen conſenſionis prodigium invenitur inter Doctos, & Doctores Catholicos, quod tanto mirabilius eſt, quod credenda tam ſint ſublimia, ut omnes naturæ terminos longe tranſcendant. Hæc concordia inter doctos & rudes provenit ex ſubjectione omnium erga ſupremum fidei Magiſtrum, Romanum Pontificem, quem quia ſectarii non venerantur, in mille nugas, & contradictiones diffunduntur. Segneri Incred. non excuſ. p. 2. c. 19. n. 2. & ſeq.

Hæc credendi concordia a primitivo Apoſtolorum tempore per omnia ſæcula ad nos uſque deſcendit, ita, ut quæ hodie dogmata credimus, illa ipſa ſint, quæ primis quatuor ſæculis fuerunt credita. Quod ſi ajant ſectarii, Eccleſiam in errores, & idololatrias defeciſſe, oſtendant, qui ſint illi errores? quis eorum auctor? ſub quo Pontifice? an nemo ſe illis oppoſuit? an nullus Doctorum calamum ſtrinxit contra novum hoc monſtrum? certe ſomniant iſta, non probant. Segn. ibid. n. 7. & ſeq.

Sicut ergo æterno Deo religio omnium temporum reſpondit; ita immenſo Deo debetur religio per omnes mundi provincias propagata. Et talis fuit Religio Catholica jam tempore S. Pauli ſcribentis: *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Hoc ſignum eſt Eccleſiæ, quo a falſis Sectis diſcernitur. Sectæ heterodoxorum præterquam quod in aliis mundi partibus omnino ignorentur, paullo poſt in ſeipſis deficiunt: ſic Arianis factum eſt, qui totum mundum inundare velle videbantur: ſic Marcioniſtis, Montaniſtis, Manichæis, Donatiſtis, Pelagianis, aliiſque Sectariis evenit, ſicque reliquis, quæ hodiedum alicubi exiſtunt eveniet. Propterea etiam nullus Sectariorum ſuæ Eccleſiæ arrogare audet titulum *Catholicæ*; ſi petas, ait S. Cyrillus, *ſi petas Eccleſiam Catholicam, nullus hæreticus ſuam Eccleſiam oſtendet.* Si autem ne nomen quidem ſibi arrogare audent, quomodo veritas ipſa convenire illis poterit? Vere igitur doctrina Romana cunctarum gentium linguis loquitur, quæ ſub utroque Polo jacent. Hæc igitur eſt vera Eccleſia Catholica, extra quam tam parum, quam extra Arcam Noemi ſalus ſperari poteſt. Et hæc tam ampla, tam magna debebatur Sanguini Chriſti Redemptoris: *Fortium dividet ſpolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam.* Segn. Incred. non excuſ. p. 2. c. 19. n. 8. & ſeq.

### 215. *Eſt inexpugnabilis contra inimicos.*

Dum Chriſtus Dominus Petrum ut caput Eccleſiæ conſtituit, dixit illi: *Tu es Petrus!* ſicut enim petra, ſeu cautes in medio mari immobilis eſt contra proccelloſas maris undas, juxta emblema: *Frangit, non frangitur.* Ita Apoſtolorum Princeps & ipſa Eccleſia opponere ſe debuit exurgentibus perſecutionum procellis! ad hunc ſcopulum fractæ ſunt vires Paganorum, Mahometanorum, Hæreticorum, aliorumque hujus farinæ hoſtium: *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra!* Lohner Tit. Fides §. 13. num. 15.

Dominus Deus Eccleſiam ſua Providentia, & potentia inter millenas perſecutiones mirabiliter defendit: inimicis hæreticis a quibus Eccleſia oppugnabatur manifeſte ſe oppoſuit; omnes enim infelicem plerumque mortem obierunt, ut oſtenderet Deus, ſibi eorum tam perſonas, quam doctrinam, & molimina odio eſſe.

Maneti, Manichæorum progenitori, pellis fruſtatim crudeliter detracta eſt, tanquam perpetratæ cædis reo; cum enim Perſarum Regi ſuperbe promiſiſſet, ſe ſuis artibus laboranti filio reſtituere, pro ſanitate mortem illi accerſivit.

Arius Arianorum anteſignanus, cum faſtu ſuo tumens Conſtantinopolim venit, ut cauſam ſuam cum Alexandrino Patriarcha diſceptaret, tanto terrore oppreſſus eſt, ut cum illi levando ſecretum locum petiiſſet, ſimul cum excrementis animam effuderit.

Neſtorio, omnium primo lingua præmortua eſt, a vermibus corroſa, ne moriens, aliorum hujuſce furfuris more, Juſtitiæ Dei punientis diras dicere poſſet.

Lutherus, cum veſperi lætus cœnaſſet, nocte inſequente ſuffocatus eſt, incertum, ſuiſne manibus, an vi mali apoplectici: id certe affirmavit domeſticorum aliquis, qui poſtea agnitis magiſtri ſui erroribus ad Eccleſiæ ovile rediit.

Non diſſimile fatum fuit Oecolampadii, & Carolſtadii, qui ambo noctu & ipſi ſtrangulati ſunt, incerto etiamnum auctore.

Triſtior exitus Buceri fuit, cui moribundo ater apparuit ſpiritus, qui lecto extractum, attonitis ſpectaculo præſentibus, tamdiu atrociter per terram raptavit, donec viſceribus per cubiculum diffuſis mortuum relinqueret.

Calvinus poſt dolores Hemicranii,

Arthritidis, Aſthmatis, Nephritidis, Colicæ, & plures alios, quibus quatuor annis excruciatus eſt, tandem, ut olim Antiochus, vivus, videnſque vermibus in pabulum ceſſit. Ultimis vitæ momentis dæmonem in opem vocavit, & mala ac dira omnia imprecatus eſt horæ, qua diſcere, ac ſcribere orſus eſt. Segneri Incred. non excuſ. p. 2. c. 15. n. 2. & ſeq.

A Nerone uſque ad Julianum Apoſtatam Eccleſia octodecim numeravit Imperatores hoſtes acerrimos, ex his ſolum quinque obierunt morte non cruenta: Quaterni ſuimet carnifices occubuere: Nero in ſua viſcera adegit ferrum: Maximinus laqueo ſpiritum interclusit: Aurelius & Adrianus famem ſpontaneam malorum ſuorum remedium elegerunt. Novem vis aliena ſuſtulit. Juliano occulta manus letalem plagam inflixit, &c. Segn. Ibid. a n. 8. ſeq.

## Eccleſiæ ſeu templa.

### 216. *Quid, & cui bono ſint?*

DEus in mundum veniens nullibi ædificavit domum juſtitiæ, ait Oleaſter, verum *domum propitiatorii inſtituit, ſed non unicam, ſed pene infinitas, quot enim ſunt Eccleſiæ, tot ſunt propitiatoria.* M. conc. 7. aſſ. 3. n. 1. Sunt ergo Eccleſiæ aſyla Miſericordiæ, ad quæ peccatores, contra promerita Divinæ Juſtitiæ ſupplicia, humiliter confugere debent.

S. Carolus Borromæus ait: ſi homines in negotiis mundanis cum prudentia ſe gubernant, attendentes, ut eam operi induſtriam adhibeant, quam operis momentum requirit, quanto magis neceſſarium eſt, ut, cum ad Eccleſiam accedimus, conſideremus, quid facturi ſimus. Eccleſiæ eo præcipue fine frequentamus, ut tremendo altaris ſacrificio adſimus, ut fructum mortis & paſſionis Chriſti participemus, ut pſalmodiam & hymnos Divinæ Majeſtati cantemus, ut preces noſtras cum orationibus Sacerdotum conjunctas Deo offeramus, ut per Sanctorum interceſſiones miſericordiam de peccatis conſequamur, ut contra tentationes robur & auxilium obtineamus, qua ratione igitur fieri poteſt, ut ob prædictos fines Eccleſiam adeuntes, nullam detis operam, ut reverenter, devote, & animo recollecti Divinis officiis aſſiſtatis? *Lohner h. tit.*

Accedimus ad adorandum Deum, ut curas ſæculares ex animo evacuemus; ideo Moyſi mandatum eſt: *Ne appropinques huc, ſolve calceamenta de pedibus tuis.* Exod. 6.

Accedimus, ut bona tam corporalia, quam ſpiritualia, a Deo omnium bonorum fonte emendicemus: *Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum.* Pſal. 64.

Accedimus, ut peccatorum veniam, & pœnitentiæ, veræque converſionis gratiam exoremus: *Si depricati te fuerint in loco iſto, dimitte peccata ſervis tuis, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur.* 2. Par. 6. Teſtis eſt S. Maria Ægyptia. Lohn. h. t. §. 4. n. 23.

### 217. *Magnifice extruuntur.*

Rex David ad Nathan Prophetam: *Videſne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita eſt in medio pellium?* 2. Reg. 7. Ex illo tempore adjecit animum ædificandi templum. Incredibile autem eſt, quantos theſauros ad id opus congeſſerit. Contulit enim centena millia talentorum auri, millena millia talentorum argenti, metalli & ferri non erat numerus. Præterea ad templi ſtructuram populus contulit quinque millia talentorum auri, decem millia talentorum argenti, octodecim millia talentorum æris, & centies mille talenta ferri. Omne aurum, ſi computus fiat, excurrit, ad ſexcentas tres milliones, octingenta & duodecies millena ſcutatorum Romanorum. Omne argentum aſſurgit ad mille, ducentas, & octo milliones, centum & nonaginta ſex ſcutatorum Romanorum. Totam ſummam contrahendo, facit ejuſdem monetæ bis millenas milliones, & inſuper octies mille, trecenta, & ſeptuaginta quinque. Lorinus multiplicat hanc ſummam, aitque theſaurum Davidis, quem templi ſtructuræ præparaverat, ad ter mille, ducentas, & ſeptuaginta quinque milliones, & ultra, &c. D. 3. 29.

Sumptus Davidis ad templum collati faciunt bis mille viginti quatuor milliones, quæ pecuniæ ſumma defacto reperibilis non eſt in tota Europa. Id quod magis clareſcit ex numero operarum: ad portanda onera aderant ſeptuaginta millia, ad dedolandos lapides octoginta millia, præfectorum operis ter mille trecenti &c. D. 4. 36. in medio. Lohner in Bibl. *v. Templum* §. 4. n. 1.

Anteriori ſæculo ab anno ſeptuageſimo in ſolo regno Mexicano, ubi Chriſti fides vix tum illuxit, ſeptuaginta templorum millia a Regibus Caſtellæ condita ſunt, in quibus quadraginta ampliſſimi, & ditiſſimi Epiſcopatus fuere erecti. *Scriban. in polit. præfat.*



Jacobus Rex duo templorum millia Beatiſſimæ Virginis honori ædificavit. Reges Hiſpaniæ in ſolo occidente ſupra ſeptuaginta templorum millia ditiſſima pietate extruxerunt. *Barry in Para. 4. 3. t. 6. de de Vit.*

Templum S. Sophiæ Conſtantinopoli ea erat majeſtate, ut cum ejus dedicatio primo celebraretur, exclamaſſe feratur Juſtinianus Imperator: *Superavi te Salomon!* unde & in templi pariete quaſi victus, & mœſtitia perfuſus pictus erat Salomon, quaſi victum ſe a Juſtiniano doleret. Vide Lohner. Bibl. h. t. §. 5. & ſeq.

### 218. *Sunt reverenter honorandæ.*

Suevi tempore gentilitatis non habebant templa ſed lucos, quos diis ſuis conſecrabant: in ea non intrabant niſi ligati funibus, ut ſuam erga Deos obligationem teſtarentur. Dagon in templo Azoti ab Arca proſtratus ſuo lapſu limen delubri tetigit, & deinceps nulli hominum licitum erat in ingreſſu limen pede tangere. Seneca de reverentia gentilium ita teſtatur: *Intramus templa compoſiti, ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* *Senec. l. 7. q. natur. c. 30.* Milites ad cuſtodiam Regum deputati nunquam cum armis intrabant templum: idem fecit Theodoſius junior, qui non ſolum arma, ſed & diadema ante Eccleſiam deponere ſolebat. D. 4. 69.

Dagon ab arca proſtratus ad limen portæ decidit, ex illo tempore nemini licuit limen illud pede terere, ſed ſaltu ſuper illud tranſibant: quanto magis honoranda Eccleſia. D. 6. 77. in fine.

In Abiſſinia nemo niſi exutis calceis templum ingredi permittitur. VV. art. diſc. font. 40. ex. 6.

Faber murarius in Eccleſia S. Petri in Vaticano laborans, & turpem cantilenam modulans, cum a Sacerdote haud procul adſtante moneretur, & non deſiſteret, ex machina illa, ubi ſtabat delapſus, & miſere comminutus occubuit. J. 111.

Moyſes accedens ad Rubum, in quo latebat Angelus, juſſus eſt calceamenta exuere: ſic & Sacerdotes Aaronici nudis pedibus in templo miniſtrabant. Idem fecerunt gentiles idolorum Sacerdotes. Quanto ergo magis omnis immunditia exuenda & cavenda eſt in templo coram Deo? C. Exod. 3. v. 4.

Templum aditurus, te cælum ingredi cogita! nihilque in Eccleſia loquere, aut age, quod terram ſapiat, ait S. Nilus.

Deus in monte Sina præcepit per Moyſen populo, ut nemo præſumat montem tangere, ſecus qui fecerit lapidibus obruetur. Quare? propter ſanctificationem montis ex præſentia Dei. Quanto magis Deus puniet irreverentiam Eccleſiæ illatam. C. Exod. 19. v. 12.

Magna reverentia debetur locis ſacris, 1. quia juſſu Dei extructa ſunt. 2. Quia ſunt habitaculum Dei. 3. Domus orationis. 4. Reis & ſontibus aſylum. 5. Sanctuarium omnipotentis. 6. Quia Deus graviter vindicat inhonorationem templi. 7. Quia ibi conſtituit oraculum & propitiatorium. 8. Quia etiam gentes ſua fana colunt. 9. Quia inſignibus exemplis Sanctorum id edocemur, v. gr. Davidis, Jacobi, Iſaiæ, S. Helenæ, S. Ambroſii, S. Chryſoſtomi, & aliorum. C. Exod. 25. v. 9.

Dum in altari holocauſtorum immolabantur victimæ, aderant ſeptingenti fere miniſtri, & offerentium libamina ingens multitudo, & tamen tantum erat ſilentium, ut ne unum quidem hominem ibi verſari putaretur; ſumma enim veneratione & pietate omnia peragebantur. C. Exod. 27. v. 7. Quanto magis id obſervari debet in Eccleſia Dei?

Puer ſacrificanti Alexandro lumen tenens a flamma candelæ aduſtus non ſe movet, tantam habens pro ſacris reverentiam, ut naturam vinceret: *S. Ambr. l. 3. de Virgin.* Quid nos ad vera ſacra? Sacerdos præcepit ranis coaxantibus, ut tacerent ſub ſacris, & mox tacuerunt. Et homines non ſilebunt? ait S. Ambr. C. Lev. 1. v. 17.

Deus etiam ab elementis honorari voluit Eccleſias: Cum fluvius Atheſis anno 589. in urbe Veronenſi adeo exundaſſet, ut ad Eccleſiam S. Zenonis uſque pertigerit, etiamſi portæ paterent, & aqua uſque ad feneſtras intumeſceret, ipſum tamen templum auſa non eſt ingredi. *Cæſar. Sigon. l. 1. ann. 589. de Italia.* Sic etiam mons, qui fabricam Eccleſiæ impediebat, jubente S. Gregorio Taumaturgo, loco ceſſit, & Eccleſiæ ædificandæ ſpatium dedit.

S. Clemens teſtatur ſe cum Sancto Petro viſitaſſe ſepulcra civitatis Jeruſalem, quorum in uno duo fratres erant Martyres ſepulti, quod per ſingulos annos ipſo die natalis eorum mirabiliter ſua ſponte dealbatur. *Jo. Bapt. Sigonus de SS. Reliq. c. 25.*

### 219. *Non ſunt inhonorandæ.*

In Eccleſia abſint joci, colloquia, & riſus! Quidam Fratres ex Ord. S. Franc. in ſacro loco, ubi crucifixi imago pendebat,

debat, inſolentius ridebant. Et ecce! Crucifixus horrendum clamare, & facie exardeſcere cœpit. Aliqui præ horrore paullo poſt mortui, alii modeſtiores facti ſunt. T. nu. 130. Nota! in Eccleſia eſt crucifixus, ſpectaculum timoris, & doloris, non riſus.

Mater S. Gregorii in Eccleſia nullum verbum loquebatur, niſi cum Deo inter lacrymas, Venerabili nunquam tergum vertit, nec ſolum conſputando inquinavit. Lohner h. t. §.4. n.2.

S. Baſilius vix unquam Sacrificium celebravit, quin cæleſti viſione fuerit fruitus: aliquando miniſter aliquis ad aram ſerviens, impudentes oculos in feminam conjecit, & ſtatim Angelica viſio diſparuit. Lohn. ibid. n.5.

Dum Philippus II. Rex Hiſpaniæ ſacris in templo intereſſet, duo Magnates Aulici familiarius invicem confabulabantur, quibus Rex in aulam redux indignabundo vultu edixit: Vos ſub conſpectum meum non amplius veniatis! quo fulmine illi perculſi, alter ad inſaniam redactus eſt, alter lento mœrore contabuit. Quid fiet, cum Divinus Judex Chriſtiano ob peccata in templo commiſſa dicet: Tu recede, non videbis gloriam meam! Lohn. ibid. n.7.

Sub Conſtantio Imp. Ariano petulantes juvenes templum Catholicorum inſolentiſſimis injuriis inhonorabant, & unus præ ceteris impudentior Sedem Epiſcopalem deſtruebat: verum a fruſto ligni deciduo in ventrem percuſſus inteſtina ſua cum vita effudit.

*Thomas Mar. de Chriſt. in templo aſt.*

Cum Miſſionarius quidam e Societate JESU Tullit conciones faceret, incidit in Turcam ibi captivum, qui ob ſingularem humanitatem & fidelitatem omnibus erat carus. Pater, qui multos hæreticos ad fidem converterat, aggreditur Turcam civilitate, qua poterat, maxima, interrogans, an non vellet fidelium numero accenſeri, pollicitus libertatem, ſi Chriſto ſe adjungeret. At iſte modeſte reſoſuit, ſe jam prope ſtatuiſſe fieri Catholicum: ſed poſtquam in templis Chriſtianorum, tam impudentem vidit irreverentiam, certum ſibi nunc eſſe, eam Religionem non ſectari, ubi Deus cæli & terræ ita viliſceret. Si (addebat) in noſtris Moſchæis adeo in modeſtiam, & reverentiam loci peccaremus, nemo noſtrum non graviſſime puniretur. Ex quo concludo noſtram Religionem eſſe ſanctiorem & Deo gratiorem, quam Catholicorum. En! gentiles, & hæretici averſantur fidem Catholicam ob irreverentiam viſam in noſtris Eccleſiis!

## Aſylum ſacrum.

### 220. *Non eſt violandum.*

HEliodorus aurum e templo ſpoliaturus ab Angelo arcetur. Sanctus Auguſtinus Bonifacium Comitem reprehendit quod maleficum in Eccleſiam confugientem extrahi juſſiſſet. *2. Mach. 3. S. Aug. Ep. 6. in App.*

Nicanor Deum ſpernens, & jurans ſe templum Domini Libero patri dicaturum, niſi traderetur Judas, qui ibi erat, interficitur. *2. Mach. 14.*

Aſpar, & Ardaburius repoſcebant Joannem quemdam, qui confugit ad Monaſterium Sancti Marcelli: miſerunt ergo milites, qui per vim eum extrahebant, ſed orante Sancto Marcello fulgura in milites miſſa eos repreſſerunt.

Veremundus Rex capi præcipit Gudeſteum Epiſcopum Ovetenſem, & facta eſt ſiccitas magna in terra, ita ut populus gravi fame premeretur: Veremundo autem pœnitentiam agente factæ ſunt pluviæ, & plaga ceſſavit.

Sancius Rex Hiſpaniarum aprum in venatione ad aram Sancti Antonini confugientem confodere volens, punitur torpedine brachiorum.

Eutropius Arcadii Eunuchus ab Imperatore legem extorquet, qua omnis immunitas abrogaretur, & poſtea criminis reus ab Ara retrahitur, ac capite punitur.

Sanctus Juſtus Epiſcopatum Lugdunenſem relinquens in eremo penitentiam agit; quia hominem, qui ad Eccleſiam confugerat, ejecit ut populi ſedaret furorem accepta prius fide a Magiſtratu, quod nullum illi homini periculum immineret, &c. C. in Num. 35. v. 33.

Cum Fulcus Andegavenſis Comes inſigni victoria contra Henricum Anglorum Regem potiretur, captivi milites in proxima Eccleſia concluſi ſunt, id adeo indigne tulit Fulcus, ut re comperta, captivos liberaliter habitos in libertatem dimiſerit.

Etiam gentiles honorarunt Eccleſias Catholicorum: Alaricus Viſigothorum Rex, poſt biennalem obſidionem Roma potitus, publica lege ſuis militibus præcepit, ut omnibus iis, qui ex Romano populo ad Eccleſiam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli confugerent, ab omni injuria parcerent. *Fulgoſus & alii.*

Antiquitus conſtitutæ ſunt ſex civitates



tates refugii, in quibus defendebantur, qui fortuitum, non vero, qui deliberatum homicidium commiſerunt. Idem jus aſyli datum eſt altaribus, imo etiam Statuis, & numiſmatis Cæſarum, &c. D.10, 79. D.12, 75.

## Aqua luſtralis.

### *Miram habet virtutem.*

SI aqua cineralis vitulæ combuſtæ populum mundabat, ait Alex. I. Pont. Max. quanto magis aqua luſtralis precibus Divinis ſacrata? hinc aqua iſta, cujus origo S. Matthæo Apoſtolo adſcribitur, multa miracula facta ſunt. S. Chryſoſtomus ægrum repente ſanat. S. Quintianus e domo Hortenſii Senatoris febrim expellit. S. Fortunatus cuidam Gotho coxam fractam integritati reſtituit. S. Malachias filium Regis Scotiæ, & mulierem cancro laborantem ſanat. S. Odilo lunaticum curat. S. Anſelmus viſum cæco reſtituit. S. VVillibrordus domum a vexatione dæmonum liberat. S. Marcellus dæmonem, qui demolitionem fani impediebat, in fugam agit. Hinc Leo VI. Imperator voluit ut omnes milites pridie ante pugnam aqua benedicta aſpergerentur. C. Num. 19. v.9.

Aquæ benedictæ, qua populus ſingulis Dominicis aſpergitur, & cujus portio aliqua etiam domum aſportatur, antiquiſſimus eſt in Eccleſia uſus; jam enim tempore Alexandri I, qui fuit quartus poſt Sanctum Petrum Pontifex, viguit, ſic loquentis: *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea aſperſi ſanctificentur, & purificentur.* Habet ſaluberrimos effectus, & utilitates.

1. Per illam memores reddimur baptiſmi, in quo ab omni labe fuimus mundati ad ſerviendum Deo. 2. Per illam a peccatis venialibus expiamur; habet enim ſpecialem hanc vim per merita Eccleſiæ. 3. Per illam dæmonis inſidiæ, & vexationes depelluntur; hinc pia conſuetudo eſt, ut in ſingulis habitationibus aſſervetur, & Chriſtiani ſeſe mane ac veſpere hujus aſperſione contra diaboli nequitias obmuniant. 4. Per illam mala etiam corporalia ſeu magica ſeu maligna pelluntur: Sic S. Chryſoſtomus ægrum filium Matri ſanum per aquam benedictam reſtituit. S. Anſelmus cæco viſum reſtituit. S. Bernardus mulierem in partu laborantem liberavit. S. Eligius ſuperſtitiones aſperſione aquæ benedictæ, fugatis ſpiritibus extinxit, &c. Marchant. tr. de Baptiſ. Lect. 1. prop. 3.

## Campanæ.

### 222. *Quomodo, ubi, ob quam rationem inventæ.*

CErtum eſt, campanas Nolæ in Campania fuiſſe primitus inventas, unde etiam nomenclaturam Nolarum ab initio ſortitæ ſunt. Putat Stephanus Durante eas tempore S. Anaſtaſii Martyris circa annum Chriſti 627. necdum fuiſſe in uſu; quia dum corpus hujus ſancti Martyris Cæſaream delatum fuiſſet, narratur incolas obviam effuſos *ligna ſacra pulſaſſe*, quæ ligna ſacra fuerant ad modum tintinnabulorum, quæ in hebdomade majore uſurpantur. Quamquam autem pro tunc necdum fuerint in uſu in Eccleſia Orientali, fuerunt tamen in Occidentali, exceptis temporibus perſecutionum, in quibus ob vim tyrannorum populus non niſi occultis ſignis poterat ad officia Divina convocari. D. 1. 24. *Stephan. Durant. l. 1. de Rit. Eccl. c. 22.*

Alphonſus Rodriquez S. J. Janitoris officio fungens, quoties campanulæ ſignum audiebat, cogitare aſſuevit, illam a Chriſto pulſari, ideoque ſine mora ad portam feſtinabat. Hæc promptitudo adeo placuit Chriſto, ut ipſe non raro aſpectabili forma, cum Sanctiſſima Matre, aliiſque Sanctis, Collegium ingredi ſit dignatus. Ita aſſueſcat Chriſtianus audito campanæ ſonitu mentem elevare ad Deum, & Divina. *Nadaſi An. Euch. hebd. c. 6.*

Ricordi in Brutiis campanula fuit, quam pulſabat quiſquis contra ingratum litem movere cogitabat. Accidit, ut aliquando moveretur campanula, adfuerunt mox conciti Senatores, & invenerunt in Sacello equum cæcum, & ſtrigoſum, quem Dominus ob ſenectutem e ſtabulo ejecerat. Diſcuſſerunt ergo Senatores cauſam equi, ſtatueruntque, cum nemini fas ſit eſſe ingratum, Dominum obligari, ut equum, etiam poſt labores inutilem recipiat, & alimentet. Aſſueſcat Chriſtianus, audito campanæ pulſu, ſuam recordari ingratitudinem erga Deum, & hominem. *Majol p. 4. Coll. 5.*

### 222. *Mirabiles, & valde raræ.*

In vita S. Meinolphi mentio fit de campana, quæ ultro ſeipſam pulſat, cum e monialibus una moritura eſt. In Hiſpania in urbe Vililla campana eſt, quæ

ultro ſonat, cum reipublicæ Chriſtianæ grave infortunium impendet. Quidam campanam furto abſtulit, quæ tamen ſonum nullum pulſata edidit, donec in locum ſuum fuit reſtituta. Idem legitur de campana a Clothario Rege Pariſios avecta invito S. Lupo Epiſcopo Senonenſe. Campanæ tempore interdicti a S. Eligio impoſiti ſonum nullum reddunt. D. 6. 42.

Campana S. Furſei ab Angelo illi allata tempeſtates omnes mirabiliter fugat; quamquam grando omnem viciniam devaſtaret, nec minimum tamen damnum factum eſt, quouſque ſonus illius campanæ audiebatur. R. cent. 2. par. 1. mir. 3.

Nadaſ. in ann. Mor. hebd. 7. n. 7. Meminiſſe hic juvat, mirabilis campanæ Ramiri Hiſpaniarum Regis, qui proceres primi nominis in rotundo circum gyro appendi juſſit ceu totidem velut trophalos ſeu malleos, dein ad ſpectandam hanc campanam alios optimates invitavit. Hæſere illi attoniti, dum inaudito ſpectaculo præſtantiſſimos primi ordinis viros in ferali patibularis campanæ ſpectaculo intuebantur. Sonabat nimirum, Ramiro pulſatore, illa campana in procerum animis, ita ut totum regnum audiret, intelligeretque, neminem contra regem quidquam facinoris impune auſurum.

222. *Prægrandes & artificioſæ.*

Campana maxima Moſcoviæ appendit 336. centenarios: pulſatur tantum ſummis feſtivitatibus, aut in adventu peregrinorum legatorum. Lugduni in Gallia campana eſt 250. centenariorum, quam viginti ſex viri pulſare ſolent. Toloſæ campana 500. centenariorum, cujus craſſities 12. ſpithamarum, periſpheria interior 36. pedum. Rothomagi in Gallia in turri, quæ vocatur butyracea, pendet campana 36000. librarum, cum malleo 710. librarum. Pariſiis in templo B. V. campana par eſt Erfurtenſi. Campana autem Erfurti in templo B. V. fuſa eſt a Gerardo VVoie de campis cujus & nomen in ea legendum eſt, anno 1497. & vocatur *glorioſa*. Appendit 252. centenarios, craſſities eſt ſeſqui quadrantis ulnæ, altitudo quinque ulnarum, diameter continet quatuor & dimidiam ulnas, ambitus exterior quatuordecim & dimidiam ulnas. Malleus habet altitudinem quatuor ulnarum, appendit undecim centenarios: pulſatur a 24. viris: ſonus illius Gothæ & Vinariæ (utraque urbs tribus milliaribus Germanicis diſtat) commode exauditur, &c. VV. art. diſc. font. 45. ex. 14.

Sacræ Congregationes, Confœderationes &c.

223. *Ingentibus fruuntur emolumentis.*

PErcuſſi ſunt viri Lais, eo quod cum nullo hominum haberent ſocietatem: hinc congregati habent ſublevantem ſe, ſi ceciderint. Ideo Goliath provocavit ad ſingulare certamen; ſtudium enim inimici eſt ſeparare a caſtris. S. punct. 61. fol. 215.

Dives Epulo non obtinet guttulam frigidæ: Quare? quia eam digito Abrahæ, non ſuo obtinere voluit. M. conc. 36. aſſ. 2. num. 9. Cur autem Abraham non ſuccurrit Epuloni? Quia ad eum nulla ratione pertinebat.

Pharao, & Nabuchodonoſor uterque gravis peccator erat: iſte tamen ſalvatur, ille damnatur: Quare? quia Pharao in oratione Moyſis & Aaron confidit: *Orate pro me.* Alter ipſummet pœnituit, ait S. Auguſtinus. M. conc. 36. aſſ. 2. n. 10. Quilibet operam ſuam conferre debet, &c.

Ludovicus Landgravius præcepit cadaver ſuum poſt mortem habitu Ciſterciensi veſtiri: hoc tamen non obſtante, quia tyrannus fuit, miſere damnatus eſt. Jocabatur ſuper hoc habitu miles, inquiens: Meus herus fuit in omnibus egregius! dum vixit fuit generoſus miles, & ecce! nunc quam inſignis Monachus, ſervat ſilentium, & jejunium &c. E. *Habitus* n. 1.

*Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe*: Minæ ſunt æternæ Veritatis. Iſtud tamen *Væ* non tangit ſodalem ſeu confœderatum; quia, ſi ceciderit (quod Deus avertat) habet ſublevantem ſe; habet exempla confœderatorum, habet pias exhortationes, habet indulgentias, aliaque remedia. Sicut in exercitus bene ordinati acie unus fortis alterum fortiorem reddit: ita fit in Sacris confœderationibus, unus confortat alterum, ita ut vere dici poſſit: *Vis conjuncta fortior!*

*Ubi duo, aut tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quanto magis ſi plures convenerint, ait Gregorius. S. punct. 61.

Sanctus Bernardus alloquitur Thomam Apoſtolum extra cœtum Apoſtolorum verſantem: Falleris Thoma, falleris, ſi Dominum videre ſperas ab Apoſtolorum collegio ſeparatus. S. punct. 62. fol. 216.



In creatione mundi Deus ſingulariter aquarum ſeu maris curam habere viſus eſt. Congregavit illud in unum locum, dedit illi ſalſuginem tum ut putredinem non contraheret, tum ut naves facilius ſuſtineret, & nutrimentum pro piſcibus haberet. Unde tanta beneficia? quia *congregationes* aquarum vocavit maria. C. Gen. 1. v. 9.

Sacræ Fundationes.

224. *Laudabiles & gratæ Deo.*

BEata Aja Comitiſſa poſt mortem apparet, & ratam habet donationem factam Eccleſiæ Montenſi. C. Deut. 19. v. 19.

Carolus Magnus fundavit tot Abbatias, quot ſunt litteræ alphabeti: ſingulis Abbatiis unam litteram loco nominis aſſignavit. T. n. 27.

Reges Hiſpaniarum in ſolo occidente ultra ſeptuaginta templorum millia ædificarunt. Jacobus Rex Aragoniæ bis mille templa Dei Matri extruxit. T. n. 250.

Deus ipſe nonnumquam animabus purgantibus facultatem concedit, apparendi ſuis amicis, eoſque monendi de executione ultimarum ſuarum voluntatum. Mater pro defuncta filia hebdomadatim aliquot ſacra fieri curabat. Filius autem ex his ſtipendiis ad Eccleſiam deportare ſolitus, dimidiam ſibi partem clepſit. Filia apparens Matri accuſavit filium, rogavitque ut defectum ſuppleret. S. Malachias Epiſcopus indignabatur ſuæ ſorori propter mundanas vanitates, quibus inhiabat. Interim obiit ſoror, & poſt triginta dies apparens fratri pulſabat dormientis cubiculum: exhorreſcens ille audiit lamenta & hanc vocem: Eheu! amantiſſime frater, triginta dies ſunt, ex quo nullo pabulo paſta, famem patior! recordabatur ille, quod per triginta dies, defunctæ ſororis in ſacrificio memor non fuiſſet: compenſavit igitur, quod omiſit, & paullo poſt rediit defuncta, eumque ſuæ ſalutis certiorem reddidit. O! quot hujuſmodi monita animarum, ab omni memoria excluſarum, hodiedum fiunt! quot piæ fundationes obliterarentur, niſi ab ipſis defunctis vindicarentur!

225. *Male obſervantur.*

Hildulphus Archiepiſcopus Colonjenſis rogabatur a Monachis Sancti Nicolai, ut ſibi pagum vi aut errore ablatum reſtitueret: Recuſante Archiepiſcopo Monachi rem ad Summum Pontificem Gregorium VII. detulerunt, qui Hildulpho reſtitutionem præcepit. Verum ne Pontifici quidem morem geſſit accuſatus. Interea Abbas Hermannus videt in ſomno S. Nicolaum magno cum comitatu ire Coloniam, intrare in cubiculum Archiepiſcopi, eumque ferula percutere. Hermannus perterrefactus expergiſcitur, quid rei ſubſit indagat, & certior fit, ea hora Hildulphum ſubita ægritudine correptum paullo poſt exſpiraſſe. D. 3. 77.

Quandiu in regionibus viniferis vineta florent, quælibet vitis habet ſuam fuſtem tanquam fulcimentum: quamprimum autem adveniente autumno vites ſuos botros & folia deperdunt, fuſtes omnes ſeu fulcimenta in unum cumulum abjiciuntur. Parem in modum quamdiu fundator floret & vivit, aut unus ex illius familia ſupereſt, ſacræ fundationes obſervantur; cum autem ille & ejus agnati e vivis exceſſerint, in unum cumulum cum ceteris abjiciuntur, & pereunt.

Loca ſacra ſeu peregrinationes.

226. *Eorum Viſitatio mos antiquiſſimus.*

HElcana Pater Samuelis ter ſingulis annis juxta præceptum Domini peregrinationem inſtituit. Abſalon petit peregrinandi licentiam in Hebron. Maria & Joſeph aſcendunt in Jeruſalem: ita & eunuchus Reginæ Candacis, qui in itinere lumine fidei fuit illuſtratus. Alexander Epiſcopus in terram ſanctam peregre venit, & a Chriſtianis, qui ejus adventum divinitus præſciverant, perhumane excipitur. S. Chryſoſtomus ardentiſſime deſiderat ire Romam, & ibi venerari catenam Sancti Petri, qua erat vinculatus in carcere, &c. D. 2. 51.

Probatur ex Scriptura, quod Deus certis in locis velit honorari: ſic Jacob in Meſopotamiam itinerans, cum dormiens vidit myſterioſam ſcalam, evigilans exclamavit: *Terribilis eſt locus iſte!* quaſi diceret, non eſt locus communis, ſed talis, in quo beneplacitum eſt Deo habitare &c. ex quo patet, quod jam tempore Abrahami, & Jacobi Deus certa loca apparitione, & beneficiis illuſtrarit. Quid ergo mirum, quod in peregrinationibus B. V. Lauretanæ, Hallenſis, Aſpericollenſis &c. ſe beneficum exhibeat? C. Gen. 28. v. 17.

Verum intentio ac finis peregrinandi in loca ſancta purus, ac ſanctus ſit; ſæpe enim ſub hoc prætextu, vanitas, curioſitas, libertatis ſtudium, aut alia vitia deliteſcunt: Abſalon ut rebellia conſilia effectui daret, ſimulavit peregrinationem in Hebron: ita hodiedum fit, multa vitia executioni dantur ſub prætextu peregrinationis. Sanctus Baſilius graviter invehitur in eos, qui in locis ſacris propolia, & mercaturas inſtituunt. Quid nunc diceret? &c. D. 2. 51.

### Cenſura Eccleſiaſtica.

#### 227. *Excommunicatio terribilis pœna.*

JUdæi olim delinquentes e Synagogis ejiciebant, eratque hæc pœna apud Eſſenos tam terribilis, ut excommunicati nullam victus alimoniam poſſent vendito impetrare, ideoque herbas comedere coacti miſere interibant. In primitiva Eccleſia excommunicati ordinarie a dæmone obſidebantur. Theodoſius Imperator ab aliquo Monacho licet invalide excommunicatus nolebat cibum ſumere, donec ab illo ipſo Monacho fuerit abſolutus. Joannes Epiſcopus Ravennatenſis a Concilio Lateranenſi excommunicatus a nemine recipitur, nullibi etiam refugium invenit, donec a Pontifice Miſericordiam exoravit. Robertus Rex Galliarum excommunicatus ab omnibus ſubditis deſeritur. Pius quidam Abbas in ſepulcro collocatus, in quo antea Hæreticus Epiſcopus erat tumulatus, & ſine intermiſſione auditur clamare. *Recede a me, ne me tange Hæretice! &c.* D. 3. 58.

Quidam Navigans mortuus & in mare ejectus eſt, proxima nocte terribilis pulſus in fundo carinæ auditus, & cadaver viſum eſt navi in infima parte adhærere: abſolutus & ſepultus pacem dedit, nec amplius moleſtus fuit. D. 12. 57.

In Veteri Lege Judæi excommunicati non poterant cibos etiam oblatos acceptare; unde ordinarie gramen comedere inſtar bruti, & inedia contabeſcere debebant. D. 12. 37. Daveroult. c. 1. Tit. 14.

Epiſcopus a Summo Pontifice in regnum Congo miſſus eſt, Congenſes inſtinctu Batavorum eum non receperunt, & a littore ſagittis abigere voluerunt. Epiſcopus minitatus eſt illis excommunicationem (jam enim fuerant ad fidem converſi) utque ejus pœnæ vim edocerentur, ſententiam Excommunicationis ſupra arborem in littore ſtantem pronunciavit. In momento exaruit arbor, & Congenſes Epiſcopum territi receperunt. R. cent. 3. p. 2. mir. 22.

#### 228. *Operatur terribiles effectus.*

VVilhelmus Epiſcopus Ultrajectenſis adhæſit Henrico Imperatori, quem Gregorius VII. excommunicaverat, eumque e cathedra defendit, impactis Gregorio impudentiſſimis calumniis. Quid fit? paullo poſt deſperabundus moritur, clamitans ſe videre gehennam apertam, & una cum complicibus abſorberi. Udo Archiepiſcopus Trevirenſis repentina morte extinguitur. Burckardus Miſniæ Gubernator ex equo delapſus cervicem frangit. Godefredus Dux ſine Sacramentis ſubito decedit &c. Nobilis quidam in Excommunicatione mortuus & a militibus in cœmeterio ſepultus tamdiu a terra ſacra ejicitur, donec in loco profano tumulatur. Princeps quidam Germaniæ a Cæleſtino III. excommunicatur, & quia non reſipiſcit, illius regio ſterilitate, exundationibus, morbibus miſere devaſtatur, ipſe crus frangit, & inſanabili dolore tamdiu affligitur, donec ſe Eccleſiæ ſubjecit. Interfectores S. Thomæ Cantuarienſis hominibus & pecudibus odio ſunt, ita ut nec famelici canes ab ipſis bolum panis reciperent: coriphæus eorum nomine Tracius vivus computreſcit. D. 3. 59.

S. Archiepiſcopus Antoninus rogabatur a quibuſdam vindictæ cupidis, ut certos delinquentes excommunicaret. Sanctus Vir ut illis oſtenderet, gravitatem hujus pœnæ ſupra panem pronunciavit maledictionis ſententiam, & panis velut carbo denigratus fuit: pronunciavit abſolutionem, & panis iterum dealbatus eſt. Sanchez 6. part. c. 11. 875.

S. Hugo quoſdam excommunicavit, & illi ſtatim diſparuerunt, non amplius deinceps viſi: alia vice divitem Mercatorem excommunicationi ſubjecit, & iſte de die in diem depauperatus eſt, donec ſe ſiſtens Epiſcopo pœnitentiam, & veniam impetravit. Sanchez part. 7. c. 4. fol. 989.

Cum S. Bernardus dedicationem alicujus Eccleſiæ celebrare vellet, innumerabiles muſcæ eam occuparunt, ita ut timeretur, eam ſolemnitatem impeditum iri. S. Bernardus omnes muſcas excommunicavit, & illæ una nocte omnes perierunt. E. *Excommunicatio*, num. 5.

Ab excommunicato neque canes panem acceperunt. Et ab alterius domo ciconiæ nudum tranſtulerunt. E. *Excommunicatio* num. 6. & 7.



Duo conjuges ex rapto vivere ſueti, dum excommunicati in rus exeunt, repente mortui concidunt. J. 86.

Cardinalis ante prandium manus lavans annulum detraxit & arbori inſeruit. Poſtea oblitus, ubi annulum collocaſſet, & ſuſpicans furem in familia, cenſuram dixit in eum, quiſquis annulum haberet. Et ecce! arbor exaruit, & inventus eſt annulus. J. 87.

Monachus refractarius & propterea excommunicatus martyrium quidem pro fide ſuſtinet; cum autem ejus ſacrum corpus Eccleſiæ inferretur, ibique ſub Miſſa diceretur: *Catechumeni egrediantur!* tumba ſecum tracta cum ſtupore omnium extra templum conceſſit. T. n. 122. Daveroult. c. 1. tit. 14.

Henricus Imp. a Summo Pontifice excommunicatus adeo perdidit omnem reſpectum, ut Ermenoldus Abbas illi fores Eccleſiæ, & Monaſterii in faciem occluſerit. *Nadaſi 6. Jun.*

S. Eligius Epiſcopus Noviodunenſis cum Diœceſin ſuam viſitaret, Eccleſiam aliquam ex delicto Paſtoris interdixit. Non parere volens Paſtor ſignum ad res Divinas dari præcipit, & ecce! campanæ omnes nullum ſonum reddiderunt. D. 6. 42. N. 1. *Decemb.*

*Ex l. de Viris illuſt. Ord. Ciſterc.* Abbas quidam Ciſtercienſis habebat corvum, qui furtis aſſuetus, quondam annulum, quem Abbas e digito detraxerat, furatus eſt & in nidum ſuum aſportavit. Indagatum eſt diu de annulo inter domeſticos, fure autem non comparente Abbas in illum excommunicationem tulit; & ecce! corvus ſtatim ab arbore quaſi fulmine decidit. Quæſitus ergo eſt annulus in nido corvi & ibi inventus, atque ſic corvus ſtatim iterum convaluit, plumæque antea deplumatæ denuo ſuccreverunt. Alii dicunt corvum paulatim exaruiſſe, & poſtquam annulus inventus & ille abſolutus eſt, reconvaluiſſe. E. *Excommunicatio* n. 4.

Nempe Eccleſia duplicem habet poteſtatem contra peccata, & peccatores. *Ecce! duo gladii hic!* unus gladius eſt poteſtas ſpiritualis cenſurarum: alter eſt brachium ſæculare, & auxilium Principum. B. Serm. 64. n. 14. Vide Daveroult. c. 1. Tit. 14.

### Verbum Dei.

#### 229. *Eſt efficax ad converſionem peccatorum.*

SAnctus David ait: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* *Pſ. 118.* Jeremias Propheta comparat malleo, *quaſi malleus conterens petram.* *Jer. 23.* S. Paulus *penetrabilius omni gladio ancipiti* vocat. *Hebr. 4.* Pſalmiſta lucernæ comparat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Chriſtus Dominus ipſa æterna veritas fiſtulæ paſtorali: *Oves meæ vocem meam audient, &c.* *Joan. 10.* B. Serm. 11. n. 1.

*Vox Domini præparantis cervos*: *Pſ. 28.* Vatablus ait cervas reprimere partum, ſed auditu tonitrui parere: *Vatabl. ap. Pinedam in Job. 39.* O quam arduum videtur peccatori parere, peccata in confeſſionali prodere: Quid conſilii? tonitru opus eſt, ait Lorinus: *Qui leniori doctrinæ non acquieſcunt, territos minis ad pœnitentiam converti.* Ita Paulus cum Athenienſibus pœnitentiam prædicaret hoc tonitru uſus eſt: *Eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem &c.* B. Serm. 31. nu. 4.

Cur dicitur Verbum Dei *penetrabilius omni gladio ancipiti?* quia una acie inſtruit intellectum, altera movet voluntatem, adeoque duas victorias reportat. Segn. Manna 1. April. n. 4. in fine.

S. Franciſcus Solanus urbem Limanam, quæ erat ſentina omnium ſcelerum, una concione adeo convertit, ut mirabiles in omni populo facti ſint animorum motus. R. cent. 3. mir. 7.

Verbum Dei eſt efficax, ut audientibus conferat ſalutem. Paoletti Dom. Sexageſ.

In hoc mundi exilio quaſi in tenebris ambulamus, pauci ſunt, qui non ceſpitant, aut impingant. Quid ergo remedii? Lucerna ſeu luce opus eſt, ut pericula prævidere, & cavere poſſimus. Talis lux, & lucerna eſt Verbum Dei, juxta illud Davidis: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* *Pſ. 118.*

*Canite tuba in terra, clamate fortiter.* *Jerem. 4.* Quænam eſt hæc tuba? Hugo Cardinalis ait: *Tuba prædicationis.* Sed cur Verbum Dei comparatur tubæ? cur non citharæ, qua ſpiritus malus in Rege Saul compeſcebatur? S. Auguſtinus dat rationem, quia *tuba non tam oblectationis eſt, quam terroris.* *S. Aug. Ser. 106. de temp.* Tuba ad bellum concitat, animoſum facit, quia ſanguinem commovet, &c. B. Serm. 31. n. 1. ſeq.

Sicut tubarum ſonitu mœnia Jericho everſa ſunt: ita verbo Dei muri ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ ſternuntur. M. conc. 24. aſſ. 1. n. 5.

Cibi

Verum intentio ac finis peregrinandi in loca ſancta purus, ac ſanctus ſit; ſæpe enim ſub hoc prætextu, vanitas, curioſitas, libertatis ſtudium, aut alia vitia deliteſcunt: Abſalon ut rebellia conſilia effectui daret, ſimulavit peregrinationem in Hebron: ita hodiedum fit, multa vitia executioni dantur ſub prætextu peregrinationis. Sanctus Baſilius graviter invehitur in eos, qui in locis ſacris propolia, & mercaturas inſtituunt. Quid nunc diceret? &c. D. 2. 51.

### Cenſura Eccleſiaſtica.

#### 227. *Excommunicatio terribilis pœna.*

JUdæi olim delinquentes e Synagogis ejiciebant, eratque hæc pœna apud Eſſenos tam terribilis, ut excommunicati nullam victus alimoniam poſſent vendito impetrare, ideoque herbas comedere coacti miſere interibant. In primitiva Eccleſia excommunicati ordinarie a dæmone obſidebantur. Theodoſius Imperator ab aliquo Monacho licet invalide excommunicatus nolebat cibum ſumere, donec ab illo ipſo Monacho fuerit abſolutus. Joannes Epiſcopus Ravennatenſis a Concilio Lateranenſi excommunicatus a nemine recipitur, nullibi etiam refugium invenit, donec a Pontifice Miſericordiam exoravit. Robertus Rex Galliarum excommunicatus ab omnibus ſubditis deſeritur. Pius quidam Abbas in ſepulcro collocatus, in quo antea Hæreticus Epiſcopus erat tumulatus, & ſine intermiſſione auditur clamare. *Recede a me, ne me tange Hæretice! &c.* D. 3. 58.

Quidam Navigans mortuus & in mare ejectus eſt, proxima nocte terribilis pulſus in fundo carinæ auditus, & cadaver viſum eſt navi in infima parte adhærere: abſolutus & ſepultus pacem dedit, nec amplius moleſtus fuit. D. 12. 57.

In Veteri Lege Judæi excommunicati non poterant cibos etiam oblatos acceptare; unde ordinarie gramen comedere inſtar bruti, & inedia contabeſcere debebant. D. 12. 37. Daveroult. c. 1. Tit. 14.

Epiſcopus a Summo Pontifice in regnum Congo miſſus eſt, Congenſes inſtinctu Batavorum eum non receperunt, & a littore ſagittis abigere voluerunt. Epiſcopus minitatus eſt illis excommunicationem (jam enim fuerant ad fidem converſi) utque ejus pœnæ vim edocerentur, ſententiam Excommunicationis ſupra arborem in littore ſtantem pronunciavit. In momento exaruit arbor, & Congenſes Epiſcopum territi receperunt. R. cent. 3. p. 2. mir. 22.

#### 228. *Operatur terribiles effectus.*

VVilhelmus Epiſcopus Ultrajectenſis adhæſit Henrico Imperatori, quem Gregorius VII. excommunicaverat, eumque e cathedra defendit, impactis Gregorio impudentiſſimis calumniis. Quid fit? paullo poſt deſperabundus moritur, clamitans ſe videre gehennam apertam, & una cum complicibus abſorberi. Udo Archiepiſcopus Trevirenſis repentina morte extinguitur. Burckardus Miſniæ Gubernator ex equo delapſus cervicem frangit. Godefredus Dux ſine Sacramentis ſubito decedit &c. Nobilis quidam in Excommunicatione mortuus & a militibus in cœmeterio ſepultus tamdiu a terra ſacra ejicitur, donec in loco profano tumulatur. Princeps quidam Germaniæ a Cæleſtino III. excommunicatur, & quia non reſipiſcit, illius regio ſterilitate, exundationibus, mortibus miſere devaſtatur, ipſe crus frangit, & inſanabili dolore tamdiu affligitur, donec ſe Eccleſiæ ſubjecit. Interfectores S. Thomæ Cantuarienſis hominibus & pecudibus odio ſunt, ita ut nec famelici canes ab ipſis bolum panis reciperent: coriphæus eorum nomine Tracius vivus computreſcit. D. 3. 59.

S. Archiepiſcopus Antoninus rogabatur a quibuſdam vindictæ cupidis, ut certos delinquentes excommunicaret. Sanctus Vir ut illis oſtenderet, gravitatem hujus pœnæ ſupra panem pronunciavit maledictionis ſententiam, & panis velut carbo denigratus fuit: pronunciavit abſolutionem, & panis iterum dealbatus eſt. Sanchez 6. part. c. 11. 875.

S. Hugo quoſdam excommunicavit, & illi ſtatim diſparuerunt, non amplius deinceps viſi: alia vice divitem Mercatorem excommunicationi ſubjecit, & iſte de die in diem depauperatus eſt, donec ſe ſiſtens Epiſcopo pœnitentiam, & veniam impetravit. Sanchez part. 7. c. 4. fol. 989.

Cum S. Bernardus dedicationem alicujus Eccleſiæ celebrare vellet, innumerabiles muſcæ eam occuparunt, ita ut timeretur, eam ſolemnitatem impeditum iri. S. Bernardus omnes muſcas excommunicavit, & illæ una nocte omnes perierunt. E. *Excommunicatio*, num. 5.

Ab excommunicato neque canes panem acceperunt. Et ab alterius domo ciconiæ nu-



nidum tranſtulerunt. E. *Excommunicatio* num. 6. & 7.

Duo conjuges ex rapto vivere ſueti, dum excommunicati in rus exeunt, repente mortui concidunt. J. 86.

Cardinalis ante prandium manus lavans annulum detraxit & arbori inſeruit. Poſtea oblitus, ubi annulum collocaſſet, & ſuſpicans furem in familia, cenſuram dixit in eum, quiſquis annulum haberet. Et ecce! arbor exaruit, & inventus eſt annulus. J. 87.

Monachus refractarius & propterea excommunicatus martyrium quidem pro fide ſuſtinet; cum autem eius ſacrum corpus Eccleſiæ inferretur, ibique ſub Miſſa diceretur: *Catechumeni egrediantur!* tumba ſecum tracta cum ſtupore omnium extra templum conceſſit. T. n. 122. Daveroult. c. 1. tit. 14.

Henricus Imp. a Summo Pontifice excommunicatus adeo perdidit omnem reſpectum, ut Ermenoldus Abbas illi fores Eccleſiæ, & Monaſterii in faciem occluſerit. *Nadaſi 6. Jun.*

S. Eligius Epiſcopus Noviodunenſis cum Diœceſin ſuam viſitaret, Eccleſiam aliquam ex delicto Paſtoris interdixit. Non parere volens Paſtor ſignum ad res Divinas dari præcipit, & ecce! campanæ omnes nullum ſonum reddiderunt. D. 6. 42. N. 1. *Decemb.*

*Ex l. de Viris illuſt. Ord. Ciſterc.* Abbas quidam Ciſtercienſis habebat corvum, qui furtis aſſuetus, quondam annulum, quem Abbas e digito detraxerat, furatus eſt & in nidum ſuum aſportavit. Indagatum eſt diu de annulo inter domeſticos, fure autem non comparente Abbas in illum excommunicationem tulit; & ecce! corvus ſtatim ab arbore quaſi fulmine decidit. Quæſitus ergo eſt annulus in nido corvi & ibi inventus, atque ſic corvus ſtatim iterum convaluit, plumæque antea deplumatæ denuo ſuccreverunt. Alii dicunt corvum paulatim exaruiſſe, & poſtquam annulus inventus & ille abſolutus eſt, reconvaluiſſe. E. *Excommunicatio* n. 4.

Nempe Eccleſia duplicem habet poteſtatem contra peccata, & peccatores. *Ecce! duo gladii hic!* unus gladius eſt poteſtas ſpiritualis cenſurarum: alter eſt brachium ſæculare, & auxilium Principum. B. Serm. 64. n. 14. Vide Daveroult. c. 1. Tit. 14.

### Verbum Dei.

#### 229. *Eſt efficax ad converſionem peccatorum.*

SAnctus David ait: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* *Pſ. 118.* Jeremias Propheta comparat malleo, *quaſi malleus conterens petram.* *Jer. 23.* S. Paulus *penetrabilius omni gladio ancipiti* vocat. *Hebr. 4.* Pſalmiſta lucernæ comparat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Chriſtus Dominus ipſa æterna veritas fiſtulæ paſtorali: *Oves meæ vocem meam audiunt, &c.* *Joan. 10.* B. Serm. 11. n. 1.

*Vox Domini præparantis cervos*: *Pſ. 28.* Vatablus ait cervas reprimere partum, ſed audito tonitrui parere: *Vatabl. ap. Pinedam in Job. 39.* O quam arduum videtur peccatori parere, peccata in confeſſionali prodere: Quid conſilii? tonitru opus eſt, ait Lorinus: *Qui leniori doctrinæ non acquieſcunt, territos minis ad pœnitentiam converti.* Ita Paulus cum Athenienſibus pœnitentiam prædicaret hoc tonitru uſus eſt: *Eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem &c.* B. Serm. 31. nu. 4.

Cur dicitur Verbum Dei *penetrabilius omni gladio ancipiti?* quia una acie inſtruit intellectum, altera movet voluntatem, adeoque duas victorias reportat. Segn. Manna 1. April. n. 4. in fine.

S. Franciſcus Solanus urbem Limanam, quæ erat ſentina omnium ſcelerum, una concione adeo convertit, ut mirabiles in omni populo facti ſint animorum motus. R. cent. 3. mir. 7.

Verbum Dei eſt efficax, ut audientibus conferat ſalutem. Paoletti Dom. Sexageſ.

In hoc mundi exilio quaſi in tenebris ambulamus, pauci ſunt, qui non ceſpitant, aut impingant. Quid ergo remedii? Lucerna ſeu luce opus eſt, ut pericula prævidere, & cavere poſſimus. Talis lux, & lucerna eſt Verbum Dei, juxta illud Davidis: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* *Pſ. 118.*

*Canite tuba in terra, clamate fortiter.* *Jerem. 4.* Quænam eſt hæc tuba? Hugo Cardinalis ait: *Tuba prædicationis.* Sed cur Verbum Dei comparatur tubæ? cur non citharæ, qua ſpiritus malus in Rege Saul compeſcebatur? S. Auguſtinus dat rationem, quia *tuba non tam oblectationis eſt, quam terroris.* *S. Aug. Ser. 106. de temp.* Tuba ad bellum concitat, animoſum facit, quia ſanguinem commovet, &c. B. Serm. 31. n. 1. ſeq.

Sicut tubarum ſonitu mœnia Jericho everſa ſunt: ita verbo Dei muri ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ ſternuntur. M. conc. 24. aſſ. 1. n. 5.

Cibi

Matthiol. de febr. peſt.

Cibi liberius ſale conditi præſervant a febribus putridis. VV. Art. diſc. font. 48. ex. 3. Verbum Dei comparatur ſali, quia a peccatis præſervat.

Richer in præfat. l. de ſenic. cond.

Exercitus Caroli V. in obſidione Tunetana periiſſet fame & ſiti, niſi quilibet militum aliquot ſalis grana linguæ ſuppoſuiſſet. VV. Art. diſc. font. 48. ex. 3. Sic multi in peccata lapſi fuiſſent, niſi de Verbo Dei aliquam ſententiam in animo retinuiſſent.

Cuidam conqueſto, quod ex Verbo Dei nihil memoria retineat, præcepit ſenior, ut afferret duo vaſa, & unum lavaret, non autem alterum. Facto hoc quæſivit, quodnam eſſet mundius? reſpondente diſcipulo, lavatum. Subintulit: ſic etiam anima mundior eſt, quæ audit Verbum Dei, etſi nihil memoria teneat. E. *Verbum Dei*, n. 1.

Verbum Dei non tantum operatur converſionem peccatorum, ſed etiam præſervat a relapſu, id quod expertus David ait: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* (Pſ. 118.)

230. *Audire eſt neceſſarium ad ſalutem.*

Corpus indiget nutrimento: hoc ſi deſtituatur, deficiunt omnes ſenſus corporis. Ita ſi anima non paſcatur Verbo Dei; Verbum enim Dei, teſte Gregorio *cibus eſt mentis*, deficiunt omnes potentiæ animæ: memoria non amplius recordatur beneficiorum Dei: intellectus non amplius cogitat cæleſtia: voluntas non amplius ardet caritate, &c. (S. Greg. hom. 15. in Lu.)

Caritas Dei comparatur igni: Sicut ergo ignis ſi lignis non nutriatur, & follibus animetur, in cineres ſubſidet & extinguitur: ita caritas tepeſcit & deficit, ſi non Verbo Dei identidem inflammetur.

Dives epulo periit, quia pauperem non pavit: Quid ergo timendum illi, qui famelicam animam non paſcit, & id ſæpe ob futiles cauſas, propter ſomnum, propter otium, propter jentaculum, metu frigoris, aut modicæ incommoditatis?

Famulus qui cum talento non negotiatus lucrum non fecit, ejectus eſt in tenebras: ita Chriſtianus non ſolum damnari metuat ob peccata commiſſa, ſed etiam propter bona omiſſa: ſcimus mirabiles converſiones per Verbum Dei factas: forſan & Deus tales converſiones in te operatus fuiſſet, ſi Verbum Dei non neglexiſſes: igitur Deus de omiſſione hujus converſionis, & multorum operum rationem a te exiget.

Verbum Dei non tantum conducit ad ſalutem, ſed eſt ſignum æternæ ſalutis, ſeu prædeſtinationis. S. Auguſt. ait: *Nullum majus ſignum æternæ prædeſtinationis, quam libenter audire Verbum Dei.* (S. Aug. l. de prædeſt. c. 25.) Qui libenter audit de urbe Romana, Romanus eſt: ita qui de cæleſti patria, cæleſtis eſt. B. Serm. 48. n. 13. & ſeq.

Salomon ut flores naturales ab artificioſis diſcerneret, per apes effecit: quibus apes inſederant, veri flores, quibus fuci, ficti erant. Tempore concionis concionator apes, dæmon fucos & muſcas emittit; Qui apes admittunt in animam, boni ſunt: qui muſcas, mali Chriſtiani. B. Serm. 61. n. 2. & ſeq.

S. Patres & Spiritus Magiſtri non poſſunt ſatis exprimere grande periculum illius hominis, qui Dei vocationem negligit, aut illi temerarie reſiſtit. Quid eſt autem Verbum Dei niſi vox Dei vocantis, qua peccatores a ſemita perditionis revocantur, & ad vitam meliorem convertuntur? multi ex una concione animitus mutati, & Sancti facti ſunt, uti S. Antonius Eremita, S. Nicolaus Tolentinas, & alii.

Si hora conſtituta eſſet ad diſtribuendos nummos argenteos & aureos, quantus eſſet hominum accurſus! ſibi ipſi pauper imputare deberet ſuam paupertatem, qui ex mera negligentia comparere, & oblatum aurum acceptare nollet. Quid fit in concione? diſtribuuntur cæleſtia chariſmata! væ illi, qui acceptare oblata recuſat.

231. *Eſt valde utile ad ſalutem.*

Multi peccatores dormiunt ſomnum ſuum, & in tenebris ambulant: putant ſe non male vivere, & tamen in periculoſiſſima perditionis via progrediuntur; quia non agnoſcunt ſuas paſſiones, pravos habitus & affectus, aut ſaltem neſciunt, quomodo vitam ſuam ad Dei beneplacitum, & ad Chriſtianam perfectionem coordinare debeant. Quid aliud remedii miſeris ſupereſt, quam frequens auditio verbi Divini? *Omnis* enim *Scriptura Divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* (1. Tim. 3.) Multa opera videntur bona, quæ tamen ſunt defectuoſa.

Non ſolis precibus regnum cælorum expugnatur, ſed maxime per tolerantiam adverſitatum, & injuriarum: unius injuriæ patiens concoctio pro Deo facta majorem conſolationem in animo relinquit, quam decem deproperata Roſaria. Ubi autem, in qua ſchola addiſcitur hæc ſacra ars vincendi ſeipſum? in ſchola Verbi Divini: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* (Rom. 15.)



Præcipue curent parentes, ut parvulis, quamprimum ad diluculum rationis pervenerint, æternæ veritates de fine hominis, de æterna mercede bonis deſtinata, de gravitate peccati, ejuſque pœnis, aliaque explicentur, ut agnoſcant, quare vivant, quem in finem in hunc mundum venerint, alias non aliter vivent, quam bruta, quæ nihil ſciunt, niſi quod vident aut ſentiunt. Hac de cauſa dicit Pſalmiſta: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* (Pſ. 118.)

Verbum Dei conſervat hominem in Dei gratia, & præſervat a peccatis, & periculis peccatorum. Vir eruditus dicere ſolebat, tria hominum genera ſe non inveniſſe in mundo: Laborioſum, qui pane egeret: Abſtemium, qui brevis vitæ fuiſſet: Sedulum Divini Verbi auditorum, qui ſcelerate vixiſſet. Citius album corvum invenies, quam ſedulum Verbi Divini auditorem, qui malus ſit. (Hartun. conc. Abl. Dom. 3. Quadr. 9. 1.)

232. *Apud multos peccatores nihil efficit. Cur?*

Pluvia vepres & flores producit: ſol indurat lutum, ceram emollit: Hæc vox: *Ego ſum*, convertit Paulum, Judæos induravit, nimirum pro varietate diſpoſitionis. B. Serm. 51. n. 21.

Petrus, quia non ex alio fine, quam curioſitate intrat atrium pontificis, turpiter cecidit, ita enim docet S. Laurentius Juſtinianus: *Fortaſſe ideo corruit, quoniam non ut pugnaret, ſed ut finem videret, acceſſit.* (S. Laur. Juſt. Ac. c. 58.) M. conc. 44. aſſ. 1. n. 10.

Poſſunt ſæpe ſacri Præcones dicere: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata. Cecinimus vobis & non ſaltaſtis*, id eſt non elevaſtis vos a terra dum miſericordiam prædicavimus. *Lamentavimus & non planxiſtis.* B. Serm. 61. n. 12. ſeq.

Sicut olim Judæi, ita etiamnum illi Chriſtiani velant faciem Chriſti, qui veritati reſiſtunt, ait Cardinalis Hugo. S. punct. 12. fol. 584. in fine. (Cardin. Hugo in Luc. 22.)

O quot ſunt, qui claudunt aures *ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures*, quæ non ſinit ſe ab incantante e latibulo in lucem educi, ait Auguſtinus: hi & ſimiles dicunt: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* S. punct. 98. fol. 296. punct. 101. fol. 303.

*Poſuerunt cor ſuum adamantem.* Adamas, ait Hieronymus tam durus eſt, ut omnia metalla confringat, ipſe vero a nullo frangatur, & tamen ſanguine hirci facile diſſolvitur: ita ſunt multi, qui ad vocem Dei adamantini, & duriſſimi ſunt, ad vocem autem unius ſirenis molles: hi habent aures incircumciſas; quia omnia verba indifferenter excipiunt, inhoneſta, turpia, blaſphema &c. ſed Verba Dei non audiuntur. S. punct. 98. fol. 297.

Dicit aliquis: Ego fructum nullum ſentio ex concionibus! ille, & ille concionator non eſt ad meum guſtum! &c. Crediderim, culpa eſt penes te! Legitur in hiſtoriis, fuiſſe homines, qui calcem vivam, alii goſſipium & lanam, alii lacertas, alii fila ex veſtibus, alii ſtercora libentius, quam opiparas dapes comedebant. An defectus erat ex parte ciborum? Nihil minus! ſed ex parte palati; poſt mortem enim horum hominum inventum eſt, quod nervi, qui ad guſtum pertinent, non ad linguam, & palatum, ſed retro ad occipitium ſe reflexerint. Ita tibi non ſapit Verbum Dei, quia palatum animi vitiis corruptum eſt. VV. Art. diſc. font. 27. Ex. 2.

233. *Debet attente ruminari, ut fructum ferat.*

Sicut granum ſinapis vim ſuam non exerit, niſi bene maſticetur; tunc enim ſolum ſtomacho prodeſt: ita Verbum Dei, ut proſit attente in mente volvi debet. B. Serm. 30. n. 1.

Venerabilis Beda cæcus erat, aliquando illuſorie rogatus eſt concionari; adeſſe multitudinem hominum, qui cuperent ſacra doctrina imbui. Ille fecit concionem zeloſiſſimam, cumque ita concluderet, *per omnia ſæcula ſæculorum*, lapides, quorum acervus aderat, reſponderunt, *Amen.* Quid mirum quod hodiedum exiguus fructus hauriatur ex concionibus? multi ſunt, qui plus non capiunt, quam iſti lapides, nempe *Amen.* D. 3. 1.

S. Epiſcopus Hermes per ſimilitudinem ait: ab arbore excuſſos eſſe Ramos, & variis hominibus traditos, ut illos ſedulo implantarent: factum, ut præceptum. Verum aliqui rami aruerunt, aliqui ſolum folia, aliqui etiam fructus tulerunt. Arbor eſt S. Evangelium, Rami ſunt Verbum Dei, qui varie fructificant: ſed gravis

vis ratio danda erit, ſi non ſolicite curentur. Sanchez 5. part. c.4. fol.452.

Eo ipſo quod Verbum Dei ſit vulnerum noſtrorum medicina, item quia exigit Dei loquentis Majeſtas, & audientis utilitas attente debet auſcultari. Paoletti Dom. Sexageſ.

Dominus Deus inter animalia munda, quibus Judæis veſci licuit, præcipue numeravit illa, quæ ruminant. Quid per hęc intelligitur? Intelliguntur Viri Sancti, qui Verbum Dei, quod aure percipiunt, in ventre memoriæ recondunt, & ſæpe ad os cordis revocant. C. Levit. 11. v. 3.

*Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* (Jac. 1.) Suſcipere verbum in aures non ſalvat animas; debet ſuſcipi in memoriam, intellectum, voluntatem, & in manus, ut operetur effectum. Hinc dicitur *inſitum*: inſitio poſt ſe trahere debet florem, & fructum.

234. *Non fiat ad delectationem, ſed ad terrorem.*

Horret quidem æger, ſi chirurgus ſemper cauteria protrahat, ſed ſi vulnus id exigit, ille crudelis foret, ſi parceret, ait Sanctus Auguſtinus: Ita etiam *orationis jucunditas alieno tempore uſurpata reipſa detrimentoſa fit*, effatum eſt Demoſthenis. (Demoſt. Phil. 1.) B. Serm. 37. n. 1.

Sanctus Chryſoſtomus ait: (S. Chryſ. hom. 1. ad pop.) *Non eſt theatrum Eccleſia, ut ad delectationem audiamus: — quæ mihi plauſus utilitas, & tumultuum? laus mea eſt per opera vos omnia, quæ dicuntur, exhibere.* M. conc. 28. aſſ. 2. n. 5.

Fontes, qui verſus ſolem orientem e terra ſeu petra ſcaturiunt, aquam habent ſaluberrimam, qui vero verſus ſeptentrionem, dant inſalubrem. VV. art. diſc. font. 49. ex. 2. Parem in modum, ſi Verbum Dei ad alios fines quam ad gloriam Dei fiat, vel ob alium finem v. g. delectationem, curioſitatem audiatur, nihil proderit, ſed potius nocebit.

Errant ſacri Prædicatores, qui blandiuntur auditoribus, aut nugis ac fabulis illos exhilarant. Alia præcepit nomine Dei Iſaias Propheta: (Iſa. 58.) *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam*! cur autem *quaſi tuba*; quia tuba non ad popiſmum ſervit, ſed rauco ſonitu ſanguinem, ipſumque cor commovet; hinc ad promulgandas leges, ad animandos milites adhibetur. *Annuntia populo meo ſcelera eorum.* Non blandiendo propter res bene geſtas, ſed terrendo propter Dei offenſas. Errant proinde Sacri Oratores, & Divino Judici graviſſimam rationem dare debebunt, qui jocis & fabulis utuntur ad capiendos auditorum riſus: errant, qui criſpata eloquentia ad oſtentationem ingenii ſuperbiunt: errant, qui ex obvio quovis auctore concionem declamant, auditorio ſuo minime proportionatam: errant, qui pure in panegyricis Sanctorum ſine doctrina morali detinentur, & quæ ſunt ſimilia. Studeant autem, ut auditoribus ad emendationem vitæ veritates æternas inculcent, v. gr. de fine ultimo hominis, de obſervatione mandatorum, de fuga peccati mortalis, de vera pœnitentia, de præparatione ad mortem, de judicio Divino, de præmio æternæ beatitudinis, & inferni ſuppliciis, aliiſque, quæ excitant ad Dei amorem, & morum correctionem, &c.

Si auditores ex concione redeant cum riſu & hilaritate ſignum eſt, quod concio fuerit vana ſine fructu. Si vero revertantur compuncti cum lacrymis, tunc credendum, quod concionator fecerit officium ſuum. Sic fuerant conciones S. Vincentii Ferrerii, S. Antonii, & aliorum. C. Prologo in Threnos.

235. *Non vileſcat ob vitia prædicatoris.*

Sunt nonnunquam maledici homines, qui Verbum Dei minus curant, ſi unum aut alterum vitium in Sacerdotibus intueantur, dicunt: ecce! noſtri popæ ſuadent, quod ipſi non faciant, detonant contra avaritiam, & ipſi avari ſunt: fulminant contra intemperantiam, & ipſi guloſi ſunt, &c. Verum mi bone, hoc utut ſit, Verbo Dei non officit. In viis (Simile.) Regiis nonnunquam collocantur columnæ quæ exporrecto brachio oſtendunt viam verſus Ulmam, verſus Norimbergam: an credis? utique credis, etiamſi columna non tecum eat, aut anteambulet: ita fidere oportet ſacro Oratori monſtranti viam cæli, etiamſi hanc ipſam viam ille non terat. Ideo præcepit Deus: *Supra cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis, facite, ſecundum opera autem eorum nolite facere, &c.*

Cera ſi calida ſit, etiam a frigente ſigillo figuram recipit: cum igitur tu reſpuis doctrinam, quæ a tepido, aut frigido Sacerdote venit, ſatis prodis, quod ipſe nullum caritatis calorem habeas, &c.

Nuntii ſeu tabellarii ſæpe inculti & bardi



bardi immundis manibus litteras afferunt, quæ tamen quia a parentibus aut amicis veniunt magno cum gaudio, & reverentia accipiuntur. Ita Verbum Dei cum veneratione accipiendum eſt, etſi a Sacerdote minus virtuoſo proponatur. Beata Franciſca a JESU magna anima exultatione cum lacrymis Verbum Dei excipiebat, interrogata, quomodo conciones tam ineptas cum voluptate audire poſſet? repoſuit: Peregrini, & exules, qui litteras de patria, aut amicis accipiunt, parum curant de eleganti elocutione nunciorum, dummodo gratiſſimam audiant narrationem. Quidni ergo nos, qui peregrinamur a Domino, etiam minus diſertas narrationes de cæleſti patria libenter audiamus?

Fuerunt Sancti, uti S. Simeon Salus & alii, qui inter facetias, & ridiculas nugas peccatoribus ponderoſiſſimas veritates inculcarunt, eoſque ad pœnitentiam commoverunt, &c.

236. *Quare a multis ſine fructu audiatur.*

Ex ipſo modo comedendi ſtatim deſumitur fames, & appetitus: ſi comedens lente maſticet, prolixe garriat, circumſpiciat &c. facile conjecturatur eum non habere famem. Verbum Dei eſt cibus animæ: ex ipſo modo audiendi facile deſumitur an audiens habeat appetitum: ſi garriat, dormiat, circumſpiciat ſignum eſt nullius famis. Qui ſtomachum habet vitioſis humoribus plenum non ſentit orexin ciborum: ita cum nullam quis Verbi Divini orexin habet, ſignum eſt cor pravis terrenarum rerum appetitibus refertum eſſe.

Nunc paſſim non ex alio fine itur ad concionem, quam eodem quo itur ad muſicam: ſicut enim in muſica nihil aliud quæritur niſi oblectatio aurium, ita & in concione: hac finita dicitur fuit pulchra oratio, & de cetero nullus ſentitur fructus, non compunctio animi, non emendatio morum, &c.

Nunquam obſervaſtis quid in convivio fiat? eſt aliquis, qui dividit, & cum continuo diſtribuit, ſæpe ſibi nihil reſervat. Ita fit in concione: dicta omnia aliis imputantur, nulla ſibi: fit ſermo contra ſuperbiam? & ecce! dicit aliquis maritus, hodie egregie perſtrictæ ſunt mulieres vanæ, comptæ, nimis ornatæ: interim ipſe non vult advertere, quod illa capitoſitas, maledicentia, & jactantia ſuper proximum ſit effectus ejuſdem ſuperbiæ. Fit ſermo contra avaritiam, & ecce! dicit aliquis opifex, hodie egregie perſtricti ſunt illi euctiones qui parce & jejune vivunt: interim non vult advertere, quod illæ fraudes, & circumventiones, quibus utitur in emendo & vendendo ſint effectus ejuſdem avaritiæ. Fit ſermo contra luxuriam, & ecce! dicit aliquis Paterfamilias, hodie egregie perſtricti ſunt petulantes juvenes & puellæ: interim non vult advertere, quod ille, dum famulos & famulas plena libertate inobſervatas vagari permittit, ad eandem luxuriam cooperetur. Fit ſermo contra immiſericordiam erga pauperes, & ecce! dicit aliquis Superior: hodie egregie perſtricti ſunt Patresfamilias, qui famulos dure tractant, interim ille non vult advertere, quam tyrannidem ipſe in ſubditos exerceat, &c. Et ſic pergendo de ceteris vitiis, nemo vult auditam doctrinam in medicinam ſuæ infirmitatis convertere, hinc nulla fit emendatio, &c. Vide Titulum: *Sacer Prædicator*: Quare nullum fructum faciat.

S. Antonius prædicavit piſcibus, qui tamen poſt auditum Verbum Dei denuo ſe in profundum maris demerſerunt. Aſellus marinus manſit aſellus, lupus marinus perrexit prædari, cancer perrexit retro ire, anguilla perrexit laſcivire, &c. ita fit apud peccatores, manent, qui ante fuerunt, nec ſe ad dicta ſacri Oratoris emendant.

Verbum Dei non fructificat, quia non æſtimatur, ſed pure pro verbo humano, aut cæremonia habetur. Quæſo, ait S. Auguſtinus, ſi hora illa, qua Verbum (S. Aug. Tom. 10. hom. 26.) Dei in Eccleſia proponitur, nummi argentei vel aurei, aut inaures aliaque ornamenta diſtribuerentur, quantus eſſet concurſus innumerabilis multitudinis hominum? Nunc autem cum diſtribuuntur ornamenta & monialia virtutum, quibus non corpora ſed animæ exornantur, nemo eſt, aut pauciſſimi, qui cum guſtu & aviditate compareant!

237. *Cauſat repentinas converſiones.*

Juvenis quidam a propoſito dudum concepto ingrediendi Religionem remiſerat: cum aliquando illi in Conventu ſacræ ſodalitatis Sanctus Menſtruus diſtribueretur, ſimul hæc gnome ex S. Bernardo illi prælecta eſt: *Quid tardas ipſum, quem jam dudum conceperas, ſpiritum concipere: quomodo vivere potes, ubi mori non audes*: His auditis animo tactus ſtatim ſan-

ſanctum propoſitum operi dedit. Ita unica ſæpe ſententia in concione prolata miros effectus protulit, &c. D. 6. 23.

S. Nicolaus Tolentinus audiens ex Cathedra illud: *Nolite diligere mundum*, ac ſi hæc verba ſibi ſoli dicta eſſent, mundum reliquit, & Religionem S. Auguſtini amplexus eſt. *N. 10. Sept.*

Generatio perlarum ac unionum in mari aſſcribitur ſali undæ marinæ. *VV.* ar. diſc. font. 48. ex. 3. Sic Verbum Dei, quod comparatur ſali, ſolet eſſe cauſa nobiliſſimarum virtutum, ipſiuſque converſionis & gratiæ Dei. Ex Verbo Dei oritur fides, ex fide ſpes, ex ſpe caritas, & caritatis opera, quibus regnum cælorum debetur. *Didac. Stella in Lucam.*

S. Franciſcus Seraphicus ex Evangelio audiit: Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, & ſtatim eam ſibi regulam ſequendam propoſuit. S. Antonius Eremita audiit illud: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, &c. Et ſtatim relictis omnibus, mundo valedixit.

Sicut ignis ſemper calefacit, ſicut lux ſemper illuminat, ſicut cibus bonus ſemper nutrit: Sic Verbum Dei, ut ſemen bonum in terra bona ſemper bonos fructus affert.

Lazarus ad vocem illam: *Veni foras* ſtatim e ſepulcro prodiit. Petrus & Andreas ad illam: *Venite poſt me*: ſtatim ſecuti ſunt eum.

238. *Non fructificat propter indignitatem auditoris.*

*Operarii pauci.* Quare ergo? an enim non proſunt tot conciones? Sanctus Thomas ait: *Gratia ſermonis quandoque ſubtrahitur propter auditoris culpam, quandoque propter culpam ipſius loquentis.* Sanctus Job ait: *Qui præcipit ſoli, & non oritur*: Supra quæ verba Sanctus Gregorius: *Oriri ſolem ei noluit, a quo prædicantium animum divertit.* Deus præcepit Ezechieli: *Includere in medio domus tuæ & linguam tuam adhærere faciam palato tuo.* Ubi Gaſpar Sanchez: *Contumacis populi durities propheticæ vocis officium retardabat.* Sanctus Chryſoſtomus: *Hoc doctor accipit, quod meretur auditor.* B. Serm. 37. §. 3. ſeq.

Prophetæ cum apud populum Iſrael miraculis, minis, & exhortationibus nihil efficerent, adempta ſunt illis oracula, & miſſi ſunt ad gentes. A. 1. lect. 3. num. 2.

En! quid fructus ex qualibet concione colligere valeas! Dicis ſæpe: Iſte concionator omnino mihi non placet: Nihil poſſum ex ejus dictis colligere! Age! ſaltem hoc fructus collige, humilia te, & crede te ex eorum auditorum numero eſſe, propter quorum indignitatem Deus non meliores conceptus ſuggeſſit concionatori.

Rex Pſalmographus inter alia dicit: *Declinate a me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Pſ. 118. Quid hoc rei? an ergo David mandata Dei ſcrutari non poteſt, niſi recedant maligni? Non ita poteſt; quia Deus ob præſentiam unius peccatoris toti communitati orantium ſubtrahit ſuas gratias, & dona Sancti Spiritus. Jam notate a pari! ſi Deus ob præſentiam unius peccatoris ſubtrahit toti communitati orantium gratias, & lumina cæleſtia, etiam metuendum eſt, ne Deus ob præſentiam unius peccatoris ſubtrahat ſacro Oratori ſuam aſſiſtentiam, & utilitatem, ac efficaciam ſermonis, &c.

239. *Impeditur a diabolo.*

In terra Iſrael aliquando nullus erat faber ferrarius, id enim cavebant Philiſtæi, ne arma cuderentur contra ſe. Verbum Dei eſt gladius, hunc auferre, deſtruere ſatagit dæmon. B. ſerm. 69. n. 11. A. 1. lect. 1. n. 1.

*Venit diabolus, & tollit verbum de corde.* Luc. 18. Sicut corvi illi caniſtrum piſtoris evacuarunt: ita aves infernales tollunt bonas cogitationes. Hinc quidam dæmones vocantur præcurſores, ut ſtatim primitias diei, aut primitias bonarum cogitationum præoccupent. S. punct. 16. fol. 58.

Satellites dæmonis in hoc ſemper vigilant, ut Verbum Dei, & ſacra doctrina impediatur. Nabuchodonoſor expugnata Solyma ſtatim ſacros Codices comburit: Antiochus per totam Judæam ſacros libros exurit: Diocletianus mandat, ut omnes Chriſtianorum Scripturæ flammis traderentur. Julianus Apoſtata ſcholas Chriſtianorum prohibet. Martinus Lutherus ſacros Canones comburit. Mahometes omnem litteraturam prohibet. A. 1. lect. 1. n. 1.

Cum Abbas Magnetes ad fratres verba faceret, iſti obdormierunt: narravit fabulam, & ſtatim evigilarunt: quam fraudem diaboli dein Sanctus Vir illis ſevere exprobravit. Sanchez 5. part. c. 3. fol. 438.

Sanctus Jordanus Ordinis Prædicatorum Generalis ex energumeno volebat ejicere dæmonem: dæmon promiſit ſe abiturum, ſi ille deinceps non amplius ad populum



dicere promitteret. Recuſavit ſanctus conditionem, tum dæmon poſtliminio ſtuduit veneno & vi ſanctum interimere. Id cum efficere non valuit viribus, efficere aſtu laboravit. In gravi morbo ter angelum lucis indutus ter perſuaſit Jordano, ut relicto lecto humi cubaret. Tandem comperta fraude deceptor in fugam actus eſt. R. cent. 2. part. 1. mir. 48.

Quidam a malo dæmone inſtigatus Conſtantiæ ſacrum Prædicatorem jocis & nugis turbat, cui Sacer Præco: tu impunitus non abibis. Et ecce! joculator ſtatim in rabiem actus eſt. Ephem. Dom. 15. Mart.

240. *Leniter propoſitum plus movet quam auſterum.*

Cardinalis Damiani fabulam proponit, litem fuiſſe inter ſolem & aerem, quis eſſet fortior: aer viatori pallium adimere non potuit violento flatu, ſed ſol calore. *Promeruit palmam, qui leniter egit, non qui vincere furendo tentavit.* B. ſerm. 52. num. 1. ſeq.

Plinius l. 12. Nat. hiſt. c. 25. Illæ vites, quæ balſamum ſtillant in vineis Engaddi, ferro ſcindi non debent, alias exſiccantur, ſed manibus, & oſſeis cultellis tractari debent, teſte Plinio: ita &c. A. 1. lect. 2. n. 17.

Nicolaus Bobadilla turmam latronum obviam habet: illis ſermonem proponit, quo eos comparat ridicule cum Chriſto, qua re omnes convertit. *Difficile dictu eſt, quantopere conciliet hominum animos comitas affabiliteſque ſermonis.* Cicero l. 2. de off. R. cent. 2. part. 1. mir. 34.

S. Philippus Nerius ubi ex ſenio dicere ad populum non amplius poterat, domeſticis collocutionibus utebatur: frequentabatur illius cubiculum a ſummis Principibus, & infimis civibus, quos ſolita exceptos hilaritate, jactiſque ſacræ confabulationis ſeminibus, demum plenos Divinis cogitationibus a ſe dimittebat, meſſem animarum hac methodo colligens ampliſſimam.

Eccli. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Cauſam dat Palacius: quia verbum eſt vehiculum mentis: igitur in verbo dulci mens vadit, & illabitur inſtar ſacchari in animum audientis, eumque dulcedine ſua replet, & in ſui amorem allicit. Ratio a priori eſt, quod ſuavitas & dulcedo in omni rerum genere naturæ ſit gratiſſima, & melleum ejus oblectamentum. Sic dulces ſapores palato, dulces melodiæ auribus, ſuaves colores oculis ſunt gratiſſimi. David Regem Saul, Abigail Davidem dulci alloquio mitigavit. C. Eccli. c. 6. v. 5.

241. *Non ſolum audiri ſed opere expleri debet.*

Dominus Deus ſcripſit decem præcepta digito, non calamo: Quare? ut operemur & opere expleamus, quod ſcripſit, M. conc. 28. aſſ. 2. n. 1.

Illi milites eliguntur ad prælium, qui manu aquam ad os projiciunt. M. conc. 28. aſſ. 2. num. 2.

Paulus luget, quia *ſpectaculum facti ſumus*, tanquam mimi coram populo, ſine fructu, &c. M. conc. 28. aſſ. 2. n. 5.

*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Cur Verbum Dei dulce faucibus? quam relationem habet verbum ad fauces? nempe quia in cor intus ſumi, & iterum per ruminationem reaſſumi debet. Super mel ori meo: Mel confortat, & miram habet efficaciam ad valetudinem conſervandam. Ita Verbum Dei, &c.

*Beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: Luc. 11. Audire ſolum non facit beatum, ſed cuſtodire. Ad quid prodeſt cuſtodia militum ante portam? arcet hoſtes, & inquilinos ac cives ſecuros reddit. Parem in modum Verbum Dei ab anima Chriſtiani peccatum & ſuggeſtiones diaboli arcere, & in corde virtutes protegere, ac operativas facere debet. *Eſtote factores Verbi, non auditores tantum.* Jac. 1. *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores.* Rom. 2.

Triplices ſunt Verbi Dei Auditores, ait Petrus Bleſſenſis, Petrus Bleſſ. Serm. 51. Pigri, contemplativi, & activi: Pigri ſunt, qui de morte, judicio, & inferno cogitantes compunguntur quidem, ſed ad curas terrenas converſi cito omnia obliviſcuntur. Contemplativi, qui Verbum Dei ſolo intellectu, non voluntate percipiunt. Activi denique, qui audita in praxin deducunt, & virtutes, quas edocentur, opere exequuntur: Et hi ſunt gratiſſimi Deo. C. Jac. 1. v. 24.

242. *A variis varie excipitur.*

Non inepte comparatur Verbum Dei cibo: nam ait Chryſoſtomus: S. Chryſ. Op. imperf. Sicut ſtomacho ſubminiſtrante unumquodque membrum ſuſcipit nutrimentum & convertit ipſum in ſe ſecundum ipſam ſuam naturam; ut puta quod ſuſcipit jecur totum

fit

fit ſanguis, quod autem ſuſcipit fel, bilis efficitur totum, quod autem aſcendit in pulmonem phlegma fit, quod in mamillas, totum efficitur lac. Sic in Eccleſia ſacerdotibus loquentibus verbum omnes ſuſcipiunt, unuſquiſque autem convertit illud ſecundum proprium cor, ita, ut unum quidem in cordibus rectis procedat ad vitam, in cordibus autem perverſis ſuſcitatur ad iracundiam, quaſi bilis, in aliis autem operatur dilectionem dulciſſimam quaſi lac, in aliis vero odium quaſi phlegma nocivum, & expuendum &c. M. conc. 28. aſſ. 2. n. 7.

Verbum Dei comparatur ſemini, quod pro varietate terræ, in quam incidit, varium fructum parit, terra enim pinguis, ſi bene colatur, ex uno grano profert centum grana: alia minus pinguis ſexaginta: alia ſterilior triginta. Sic Verbum Dei, ſi cadat ſupra petram; id eſt, in cor durum, aut inter ſpinas, id eſt, in cor, curis ſæcularibus diſtractum, aut ſecus viam, id eſt, in cor malis cogitationibus arefactum, nullum, aut modicum fructum affert. C. in Matth. 13. v. 8. & 18.

Quod temperamenta ſunt in corpore, hoc habituatæ paſſiones ſunt in animo: Cholerici etiam dulcia in bilem convertunt: Melancholici etiam gaudioſa faſtidiunt: Phlegmatici etiam ſuccos ſalutares in pituitam, humoreſque nocivos commutant. Par ratio ſe habet de malignis paſſionibus animi, quibus, ſi cor induruit, doctrinas ſaluberrimas in ſenſum ſiniſtrum detorquent! putant eſſe venenum, quod eſt medicina! &c.

### 243. *Ejus defectus quæ mala poſt ſe trahat.*

Deus punitурus populi malitiam dixit ad Amos: *Ecce! . . . mittam famen in terram. Non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Quid autem ſequetur? *In die illa deficient Virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.* Ubi deficit Verbum Dei, ibi deficit virginitas, & regnat libido, ait Hieronymus. Certe in illis locis, ubi Verbi Dei penuria eſt, abundant impudicitiæ, & morum diſſolutiones. A. 1. l. 1. n. 25.

Oſea 4. Oſeas ingemiſcit: *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Alii legunt, *& peccatum peccato unitur.* Unde tanta malorum lerna? nempe ex hoc antecedente: *Non eſt ſcientia Dei in terra.* A. 1. l. 1. n. 26.

Inveniuntur Chriſtiani in rebus fidei tam rudes & inculti, ut in iis, quæ ad ſalutem pertinent, prorſus ignari cæcutiant, & hallucinentur. Unde tanta ruditas? nempe ex eo, quod nullam omnino orexin habeant ad Verbum Dei, illique rariſſimo interſint: unde fit, quod ſicut e rimoſo dolio vinum effluit, ita illi rerum cæleſtium, quas una vel altera vice tantum audiunt, facile obliviſcantur: ideo deplorans ait Eccleſiaſticus: *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Eccli. 21.

Sicut deficiente pluvia in campis & hortis fructus exareſcunt: Ita Verbo Dei deficiente omnes virtutes langueſcunt. Diſcipulus, ſi Magiſtrum & ſcholas declinet, rudis & incultus permanet: Verbum Dei eſt ſchola Spiritus Sancti. Ignis in furno fabrili niſi follibus animetur, extinguitur: Verbum Dei eſt follis excitans ignem amoris Dei. Vecors aſinus, niſi continuis ſtimulis urgeatur, ſtertit & pigritatur in via. Verbum Dei ſtimulus eſt pungens, & urgens in via ſalutis &c.

## Sacra Scriptura.

### 244. *Eſt communis conſiliarius in omnibus neceſſitatibus.*

*SEmel loquitur Deus, & ſecundo idipſum non repetit.* Id eſt, non ad omnes particulares hominum caſus reſpondet, ſed Scripturæ caſus tot, tamque varii ſunt, ut omnibus quæſtionibus ſatisfaciat &c. S. Gregorius ait: Diſcant Eccleſiæ Doctores, diſcant arrogantes, quia Deus ad verba omnia non reſpondet, ſed ita ordinavit, ut per Scripturam, & voces Patrum ſpiritualium Scripturæ conformes nos dirigat &c. S. p. 98. f. 299. ſeq.

S. Ludovicus Rex hæſitans, an homicidæ juſtitiam, aut vitæ gratiam facere deberet, aperiens Scripturas incidit in illud: *Feci judicium, & juſtitiam*, mox reum ad mortem condemnavit &c. A. 1. l. 1. n. 9. C. in Iſa. c. 8. v. 21.

Major eſt hujus Scripturæ Auctoritas, quam omnis humani ingenii perſpicacitas, ait S. Aug. Et iterum: tanta eſt, ac talis Divinæ Scripturæ ſublimitas, ut non ſolum verba, quæ a Sanctis, vel a Domino dicta referuntur, ſed etiam circumſtantiæ, quæ ſimpliciter poſitæ videntur, ſpiritualibus plenæ ſint myſteriis. S. Aug. 22. cont. Fauſtum.

*Ibi bonum conſilium*, ait S. Ambroſius, *ubi bonum Dei Verbum. Miſit Deus* S. Ambr. in Pſ. 45.

ver-



*verbum ſuum, ut ſanaret hominem, non ut perderet. Hoc verbum medicina eſt.*

Vix eſt excogitabilis caſus ſive in proſpera, ſive in adverſa fortuna, qui non ſit invenibilis in Scriptura; ex facto igitur præterito, quid in præſenti faciendum ſit, colligi poteſt. Sicut cum de pulchritudine faciei, aut deformitate lis

S. Hier. in ep. ad Demetriad. Virg.

eſt, ad ſpeculum recurritur: ita, ait S. Hier. Scriptura ſpeculum eſt, quo fœda corriguntur, pulchra conſervantur, & pulchriora redduntur.

S. Aug. de doctr. Chr. c. ult.

Et S. Aug. ait: Quidquid homo extra didicerit, ſi noxium eſt, hic damnatur, ſi utile eſt, hic invenitur, & cum ibi quiſque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet, quæ nuſquam alibi invenire potuit.

### 245. *Non eſt faſtidienda propter humilem ſtylum.*

S. Aug. ab initio nauſeabat legere Scripturas propter humilitatem ſtyli, & magis placebat ei Tullius. S. in Præfatione fol. 4.

Quid? quod Scriptura non careat ſua eloquentia, tropis, ac figuris, epiphonematis ac acclamationibus, proſopopæis, ac æthopæiis, quas omnes in medium proferre longum foret. Quid in Scriptura uſitatius metaphoris; nam recte ait Tullius: Metaphoram primo genuit neceſſitas, poſt autem jucunditas, delectatioque celebravit: nam ſicut veſtis frigoris pellendi cauſa reperta primo, poſtea adhiberi etiam cœpta eſt ad ornatum corporis: ſic verbi translatio inſtitura eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis: ita enim gemmare vites, lætas ſegetes, etiam ruſtici dicunt. S. in Præf. fol. 6. Vide D. 1. 26.

Ezechieli volumen in ore viſum eſt ut mel: ita Scripturam nemo, qui bene guſtaverit, faſtidiet. M. conc. 7. aſſ. 2. n. 11.

S. Chryſ. in illud Pſalmi adſtitit Regina &c.

S. Chryſ. Scripturam amœniſſimo horto comparat. Suave eſt pratum, & hortus, utroque tamen ſuavius multo ſpirat ſacræ Scripturæ lectio. Illic ſiquidem flores invenire eſt, ſed qui tempore marceſcunt, hic autem occurrunt ſententiæ in nativo vigore perennantes: Illic aſpirat favonius, hic afflat aura Spiritus ſancti, &c. Attenti igitur ſimus lectioni Scripturarum, ad hanc etenim attentus ſi fueris, anxietatem a te depellet, cordi tuo inferet incredibilem voluptatem, &c. S. Præf. fol. 7. M. conc. 7. aſſ. 2. n. 1.

### 246. *Multos convertit ad vitam meliorem.*

S. Juſtinus Philoſophus mirabili circulo Sectas Philoſophorum illuſtriores pervagatus tandem in aliquem ſeu hominem, ſeu Angelum incidit, qui ei perſuaſit, ut relictis Philoſophorum dementiis prophetas legeret: obſecutus conſilio per hanc Chriſtianam Ethicam veritatis ſectator; martyrque factus eſt. C. Gen. Procem. v. 8. A. 1. lect. 1. n. 13.

Illa verba: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia &c.* commoverunt Antonium, ut relicto ſæculo monaſticam vitam profeſſus fuerit. Victorinum ſuperſtitioſum, ac faſtuoſum urbis Rhetorem ſacra Scriptura ad Chriſtianam humilitatem adduxit. S. Aug. e fœdiſſimo Veneris barathro ope Scripturæ eluctatur. Simeon Stylita audito illo: *Beati pauperes ſpiritu* convertitur, eoque ſanctimoniæ provehitur, ut octoginta continuos annos perdius, & pernox in columna ſteterit, &c. C. Gen. Procem. n. 11.

Doctor Pariſienſis Guerricus cum veterum Patrum vitam legit cum addito ſemper epiphonemate: *Et mortuus eſt.* Valedicit mundo, & Religionem S. Dominici ingreditur. A. 1. lect. 1. n. 5. Chron. FF. Prædicat. 1. p. l. 2. c. 69.

Præfectus Reginæ Candacis, S. Antonius Magnus, Columbinus, Ignatius ex lectione ſacra convertuntur. Andreas Avellinus, cum illi cauſam clientis ſui propugnanti repente mendacium excidiſſet, & domi Scripturam recludens incideret in illud: *Os quod mentibus occidit animam*, valedicit ſæculo, & ordinem Theatinorum ingreditur. A. 1. lect. 1. n. 5. Sap. 1. 11.

S. Baſilius ex lectione Scripturæ e gentili Philoſopho fit columna Eccleſiæ. A. 1. lect. 1. n. 6.

S. Juſtinus poſt decurſas fruſtra Philoſophorum omnium Sectas, duce Angelo, ad ſtudium Philoſophiæ convertitur, & fit Doctor & Martyr. C. in Gen. Procem. n. 8.

### 247. *Qua diſpoſitione legenda ſit?*

Prima diſpoſitio ad intelligentiam Scripturarum neceſſaria & crebra lectio, auditus creber, & in his conſtantia: Eapropter Eccleſia, ut noſtram memoriam juvet, ordinavit, ut cum in Sacrificio Miſſæ tum in Breviario quotidie Biblia verſaremus, & per annum abſolveramus, &c.

Secunda diſpoſitio eſt humilitas, ait

S. Aug. ep. 56. ad Dioſc.

S. Aug. *Sicut Demoſthenes in eloquentia pronuntiationi primas, ſecundas, tertias dedit: Ita ego in Chriſti ſapientia primas, ſecundas, & tertias dabo humilitati.* Ideo hæretici tam turpiter errant, quia faſtuoſe legunt: S. Gregor. enim docet:

S. Greg. præf. in lib. Mor. c. 4.

*Sermo Sacræ Scripturæ eſt fluvius planus, & altus, in quo Agnus ambulet, & Elephas natet, &c.* D. 9. 76.

Tertia diſpoſitio eſt puritas animi: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* Si Deum, ergo & Dei verba. Et e contrario: *In malevolam animam non introibit Spiritus ſapientiæ.* S. Antonius apud Athanaſium: Siquis ſciendi etiam futura tenetur deſiderio, habeat purum cor, quia credo animam Deo ſervientem, ſi in ea perſeveraverit integritate, qua renata eſt, plus ſcire poſſe, quam dæmones, &c.

Quarta diſpoſitio eſt ſtudium orationis, Chriſtus enim eſt Magiſter noſter, eſt via, veritas, & vita, ad veritatem autem non multiplex, ſed una via eſt. Prophetarum omnium ſcientia Divina fuit &c. C. Gen. Procem. 39. & ſeqq. D. 9. 76.

Ad lectionem Scripturæ requiritur ſapientia, quæ eſt filia memoriæ. 2. Humilis animi modeſtia, hic enim agnus ambulat, elephas natat. 3. Puritas animi, in cor enim impurum non intrat ſpiritus veritatis. 4. Eſt oratio, quam Sancti omnes Doctores intelligendis Scripturis adhibuerunt: S. Bernardus, Daniel, Gregorius, Chryſ. Ambroſius, S. Thomas & alii. C. Gen. Procem. n. 39. & ſeq.

### 248. *Non eſt clara, ſed indiget expoſitione.*

Multi textus Scripturæ poſſunt habere duplicem ſenſum, uti hæc verba: *In principio creavit Deus cælum & terram:* Et: *In principio erat verbum.* In primo textu per τὸ *in principio* ſignificatur: *in tempore.* Et in altero textu: *ab æterno*; ſi enim utrinque æqualiter ſignificarent, manifeſta hæreſis eſſet in alterutro textu, &c. Hæc ſola vox: *In principio* novies exponitur. C. Gen. 1. ver. 1.

In hoc ſyllogiſmo: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam:* ſed *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam:* ergo qui diligit iniquitatem, in vitam æternam cuſtodit animam ſuam &c. In hoc inquam ſyllogiſmo, qui ex textibus Scripturæ conſtat, neceſſario adhibenda eſt diſtinctio: ubi adhibenda eſt diſtinctio, ibi non eſt omnimoda claritas: ſed duplicitas ſenſus: ubi eſt duplicitas ſenſus, ibi opus eſt expoſitione: ergo &c.

Obſcuritatem Scripturæ quondam objecit Ruffinus S. Hieronymo, quaſi aliquid fidei Divinæ derogaret: verum Sanctus Doctor confutavit hunc ſciolum ex eo, quia Hebrææ voces ſæpiſſime habent multiplicem ſenſum. S. in Præf. fol. 10.

Scriptura habet quadruplicem ſenſum, litteralem, allegoricum, tropologicum, & anagogicum, ex his vix unum genuinum ſæpe aſſequimur, quomodo ergo tres reliquos tam facili temeritate nobis promittamus? hinc tam immenſum ſtudium & defatigatio Sanctorum Patrum ac Interpretum. C. Gen. Procem. v. 23.

Ipſa Scriptura in multis locis indicat ſuam obſcuritatem, uti in Apocalypſi de libro ſeptem ſignaculis clauſo quem nemo poterat aperire. Item: *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum.* Si clara eſſet, utique labor tot interpretum eſſet inutilis &c. D. 1. 8. Et quidem tam variorum interpretum. D. 12. 99.

Apoc. 5.

Dan. 12.

S. Hier. Ep. 2. ad Paulinum.

S. Hier. ait: Tam profunda eſt abyſſus Scripturæ, ut ſi a prima pueritia uſque ad decrepitum ſenium illi ſtudeam, ſemper aliquid novi addiſcam. D. 7. 68. C. 2. Petr. 1. v. 19.

### 249. *Non intelligitur ſine ſtudio orationis.*

S. Chryſ. 1. x. de or.

S. Chryſ. aſſerit: *Cum videro quempiam non amantem ſtudium orationis . . . continuo mihi palam eſt, eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere, &c. &c.* S. in præfat. fol. 13.

*Unus veſter magiſter eſt Chriſtus*, ſupra quæ verba S. Auguſt. docet neceſſitatem orationis ad intelligentiam Scripturarum. Certe Sancti profundiſſima Scripturæ arcana nonniſi per orationem edocti ſunt, uti de ſe fatetur S. Bernardus, &c. C. in Gen. Procem. v. 45.

Exigit dignitas loquentis, ut lectio Scripturarum non ſit ſicut aliorum librorum, ſed potius attenta meditatio: hinc S. David nunquam uſurpat ſolum nomen lectionis, ſed meditationis: *Legem tuam meditatus ſum. Meditabor in mandatis tuis &c.* Ad detegendas auri venas non ſufficit aratro leviter obire terram, neceſſe eſt ligonibus interiora viſcera penetrare. Neque deſpondeas animum, ſi initio non ſtatim intelligas, quia Eunuchus Reginæ Candacis non intellexit primo, ſed Deus modum invenit explicandi. Segn. Manna 1. Apr. n. 5.



S. Aug. 21. contr. Fauſtum.

Mare eſt ſacra Scriptura, habens in ſe ſenſus profundos, ait S. Aug. Quis mare hoc rimabitur ſine ſtudio orationis?

Scriptura intellectu difficilior eſt, quam ceteri quivis libri; quia non unum ſed multiplicem ſenſum habet, litteralem, qui refert hiſtoriam: Allegoricum, qui vaticinatur myſteria de Chriſto: tropologicum, qui mores informat: Anagogicum, qui cæleſtia Sacramenta ſpeculanda proponit. Quis aſſequetur hanc ſenſuum abſtruſionem ſine lumine Spiritus ſancti continuis precibus exorato? C. Gen. Procem. ſſ. 23. & ſeq.

### 250. *Dat materiam uberem ad quoſvis diſcurſus.*

S. Chryſ. ait: Sive de rege loqui voles ſive de militibus, ſive de re familiari ſive de publicis, civilibuſque negotiis; videbis in Scripturis horum omnium magnam copiam: hujuſmodi commemorationes magnam afferunt utilitatem: impoſſibile eſt enim, animum hoc genus hiſtoriarum verſantem a cupiditatibus ſuperari. S. pun. 30. fol. 713. Vide Titulum: *Pia colloquia.*

S. Aug. ep. 5. ad Volaſ.

Audiamus S. Auguſtinum de S. Scriptura diſſerentem: Hic, ait, Philoſophia, quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in Deo Creatore ſunt. Hic Ethica, quoniam bona vita & honeſta non aliunde formatur, quam ex iis, quæ diligenda ſunt, uti eſt Deus & proximus. Hic Logica, quoniam Veritas, lumenque animæ rationalis nonniſi Deus eſt. Hic Reipublicæ ſalus, quia optime cuſtoditur civitas fundamento & vinculi fidei & firmæ concordiæ, &c.

Si ſermo incidat de Regibus, de Principibus, de Nobilitate, de populo, de proſperis, & adverſis, de bello & pace, de virtutibus & vitiis, omnia hæc inveniuntur in Scriptura. Vix eſt diſcurſus, in quo non affertur eruditio ſive ex nova, ſive ex veteri Lege: *Solent &*

S. Hier. in Pſal. 133.

*viri, ſolent & Monachi*, ait S. Hieron. *ſolent & mulieres hoc inter ſe habere certamen, ut qui plus ediſcunt Scripturas in eis ſe putent eſſe meliores.*

Sancti Patres, Eccleſiæ Doctores ampliſſima ſcripſerunt librorum volumina, de Deo uſque ad infimam creaturam, de virtutibus & vitiis ad eruditionem, converſionem, & ſanctificationem populorum. Ex quo fonte hauſerunt tam admirabilem ſcientiam? Certe ex Sacra Scriptura. Vid. C. in Gen. Procem. &c.

### 251. *Ejus lectio ditat Virtutibus.*

*Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Quemadmodum arbor plantata ſecus decurſus aquarum floreſcit: ita anima Scripturæ Divinæ fluentis irrigata virtutibus impinguatur, ait S. Joannes Damaſcenus. M. conc. 7. aſſ. 2. n. 2.

Diſcipuli euntes in Emmaus in fide vacillarunt, ſed per expoſitionem Scripturæ confortati ſunt. M. conc. 7. aſſ. 2. num. 3.

Matt. 13. S. Chryſ. hic.

*Simile eſt theſauro abſcondito:* ubi Chryſoſt. *Merito theſauro confertur Divinarum Scripturarum lectio; nam in Sacra Scriptura indicibiles divitias invenire licet, &c.* M. conc. 28. aſſ. 3. n. 4. C. in Gen. Procem. n. 20.

Regius vates beatum vocat, qui in lege Dei meditatur die ac nocte; quia Divinum Eloquium nobis propoſitum eſt, ut eſſet lucerna pedibus, & lumen ſemitis noſtris: ſicut enim inter viridaria nemo ambulare poteſt, quin odore afficiatur: nemo in ſolis radiis verſari poteſt, quin calefiat: ita Divinas litteras legentium mentes, moreſque veluti quodam Divinitatis colore tingi, ſanctiſque affectibus accendi neceſſe eſt, &c. C. Gen. in Procem. v. 9.

De S. Epiphanio refert Ennodius, quod æmulatus ſit quidquid virtutum in Scriptura legiſſet. In ipſo videri poterat zelus Phinees, Abrahami caritas, Jacobi vigilantia, erat pacificus ut David, prudens ut Salomon, Religioſus ut Ezechias, miſericors ut Tobias &c. &c. A. 1. lect. 1. n. 12.

Pſal. 118.

*In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus divitiis:* Divitiæ in cenſus elocatæ pariunt divitias: ita lectio S. Scripturæ poſt ſe trahit cenſus variarum virtutum.

S. Iſid. l. 3. de Summ. Bon.

*Geminum confert donum lectio Scripturarum*, ait S. Iſidorus: *intellectum erudit, & voluntatem a vanitatibus mundi abſtractam ad amorem Dei perducit.*

### 252. *Ejus lectio dedocet ſcelera.*

Caligula, Heliogabalus, Totila non tam brutales fuiſſent, ſi legiſſent pœnas ſuis ſceleribus in aliis irrogatas: tu detractor non ita maledicus fores, ſi de

Maria ſorore Moyſis: tu mulier non ita vana fores, ſi de infelici morte Jezabelis: tu Mercator non ita rapax fores, ſi de ſupplicio Ananiæ & Saphiræ legiſſes, &c. M. conc. 7. aſſ. 1. n. 4.

Laſcivia tentaris? quomodo vinces ſi in profanis Scriptis legas impudicitiam Semiramidis? vindictæ cupiditate inflammaris? quomodo vinces, ſi in profanis legas Thomyrim hoſtem ſuum Cyrum crudeliter occidentem? &c. &c. ſed in ſacris libris vitia deſerendi, vincendique cauſas ubertim habebis. M. conc. 28. aſſ. 3. nu. 7.

Plinius diſcurrit, cur natura ſpecula quædam naturalia procuxerit, uti ſunt aqua, & lapides quidam pellucidi, reſpondetur, ut homo ſeipſum cognoſcat, ut admiretur ſtructuram ſuæ faciei, & creatorem laudet. Sacra Scriptura tale ſpeculum eſt, in quo homo ſe videre, & ſuam deformitatem agnoſcere poteſt, ait Greg. *Scriptura ſacra mentis oculis*
S. Greg. l. 2. mor. c. 1. *quaſi quoddam ſpeculum opponitur, ut interna facies noſtra in ipſa videatur*. A. 2. lect. 1. n. 7.

Qui prævidet ſe cogendum ad cibos venenatos, præſervativo ſe munit. Ita Regius Vates, prævidens intoxicatas Mundi, Dæmonis, & Carnis menſas ſe
Pſal. 118. præmunit: *In corde meo abſcondi eloquia tua ut non peccem tibi*. A. 1. lect. 1. num. 14.

Maria conſervabat omnia Verba Filii in corde, quid mirum, quod draconis caput contriverit? Ibid.

S. Hier. Ep. 4. ad Ruſt. Mon. S. Bern. Ser. 35. S. Hier. Ruſticum Monachum monet: *Ama ſcientia Scripturarum, & vitia carnis non amabis*. Sic & Bernardus ſororem: Ama Scripturas, & contemnes vitia carnis. A. 1. lect. 1. n. 22.

S. Greg. l. 1. Mor. c. 22. *Arcus eſt Scriptura*, ait S. Gregor. *de qua ad corda hominum, ſicut ferientes ſagittæ ſic terrentes ſententiæ veniunt*.

### 253. *Detegit fraudes dæmonis, eaſque vincit.*

*Oculi tui columbarum ſuper rivulos*
Carpat. in Cant. 5. n. 2. *aquarum*. Columba in aquis tralucidis umbram venientis milvi obſervat: ita fideles in ſacrarum Scripturarum fluentis inſpiciant ſupervenientes dæmonum rapinas, eaſque declinent, ait Carpatius. M. conc. 7. aſſ. 2. n. 5.

Chriſtus Dominus tentatorem veritate Scripturarum repellit, *ut nos vincere crimina Scripturarum præſidio diſceremus*, ait Ambr. M. conc. 7. aſſ. 2. n. 7. ſeqq. Huc ipſum in modum de Chriſto tentato ſcri- Burg. in Pſal. 90.
bit Burgenſis: *Quamlibet tentationem contra eum commiſſam evacuavit per auctoritatem Sacræ Scripturæ, quæ eſt veritas æterna*. M. conc. 28. aſſ. 3. n. 7.

Chriſtus in paſſionem ſuam iturus gladios requiſivit: *Qui non habet emat &c.* Diſcipuli ajebant: En duo gladii hic ſunt, & Chriſtus reſpondit ſatis eſt. Quales ſunt hi gladii; S. Ambr. ait: S. Ambr. in Luc. 22.
Duos gladios diſcipuli obtulerunt, unum novi, alterum veteris Teſtamenti, quibus adverſus diaboli armatur inſidias. M. conc. 7. aſſ. 2. n. 6.

Quin imo etiamſi Scriptura non intelligatur, tamen fugat dæmonem: ita S. Arſenius ſuaſit fratri conquerenti inſidias diaboli: ſicut incantatores ſerpentum non intelligunt verba, quæ proferunt, & tamen aſpides virtuti verborum obediunt: ita, inquiebat, in fugam agitur dæmon, etſi non intelligas Scripturam, &c. A. lect. 1. n. 18.

### 254. *Prohibetur plebi, & cur?*

Cardin. Bellarm. ait: *Populus non caperet fructum ex Scripturis, ſed detrimen-* Bellarm. l. de Verb. Dei c. 14.
*tum: acciperent enim indocti occaſionem errandi tum in fide, tum in moribus, nam ex Scriptura non intellecta natæ ſunt hæreſes*. M. conc. 28. aſſ. 1. n. 9.

Quamquam eruditioribus de ſæculo non ſolum non diſſuadetur, ſed omnino ſuadetur: ſicut enim navigantes indigent magnete & mappa, prælantes armis, ita inter tot mundi pericula, & afflictiones valde utilis eſt homini laico, & neceſſaria Scriptura, &c. A. 1. lect. 1. n. 20.

De cetero non eſt conſultum, ut promiſcue omnes ex plebe legant Scripturas, quia ſi ſenſui ſuo inhærere vellent, facile in errores inducerentur in iis, quæ ſine interprete intelligere non valent: audiamus S. Hieronymum: *Agricolæ, cæmentarii, fabri, metallorum, lignorumque cæſores, lanarii quoque, & fullones . . . abſque Doctore non poſſunt eſſe, quod cupiunt. Quod Medicorum eſt promittunt Me-* S. Hier. ad Paulin. Epiſt. 103.
*dici, tractant fabrilia fabri, ſola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcunt*. D. 1. 8.

Variæ ſunt rationes, cur Scriptura prohibeatur plebi. 1. Quia nullum fructum capit ex lectione, quam non intelli-



telligit. 2. Quia anſam ſumeret in multis errandi, omnes enim hæreſes ortæ ſunt ex Scriptura male intellecta. 3. Quia ſæpe ſcandalum pateretur in iis quæ videntur minus verecunda, uti in Canticis, &c. 4. Quia cum ſingulæ linguæ ſingulis fere ſæculis notabiliter varientur, Scriptura continuo deberet aliter, aliterque transponi. 5. Quia ſublimitas myſteriorum exigit, ut non a lixis & tonſoribus inſtar quotidianæ næniæ circumferantur. Coquus coram S. Baſilio textum Scripturæ citavit: cui ſtatim Sanctus: Tuum eſt de pulmentis cogitare, non dogmata Divina decoquere. D. 1, 58.

### 255. *Inſtruit omnes ſtatus in norma vivendi.*

S. Chryſ. de Scripturis docet: *Omnibus ſingularia vivendi documenta largitur*. Studioſis, pauperibus, divitibus, ſenibus, adoleſcentibus, Regibus, principibus, belliducibus, gregariis militibus, nobilibus, plebeis, peccatoribus, Sanctis, viris, feminis, nuptis, virginibus, Judicibus, mercatoribus, patribus, filiis, Epiſcopis, ſacerdotibus, civibus, paſtoribus, debilibus, robuſtis, Dominis, ſervis, doctis, indoctis, infirmis, ſanis, peregrinantibus, navigantibus, verbo, omnibus theſauros virtuoſæ doctrinæ ſuppeditat, &c. &c. M. conc. 28. aſſ. 3. nu. 5.

2. Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum*. Speculativa utilis eſt ad corripiendum, & ad erudiendum, practica ad corripiendum, & erudiendum in bono, &c. Segn. Manna 1. April. n. 2.

S. Aug. l. 22. cont. Fauſt. c. 85. Scriptura Sacra ſpeculum eſt, ait S. Aug. nulli adulatur, ſed laudanda, vel vituperanda hominum facta indicat, aut judicanda proponit. Item alibi: Scriptura Sacra ſic loquitur, ut altitudine ſu-
S. Aug. l. 1. de Trin. perbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos paſcat, affabilitate parvulos nutriat.

Jac. 1. *Siquis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum ſuum in ſpeculo &c.* S. Aug. Scripturam dicit eſſe ſpeculum, quia in eo quilibet colligit ſententias morales de virtutibus & vitiis, ut in eo *credens ſe inſpiciat, quantum in bonis moribus, & operibus profecerit, & quantum ſibi deſit*. C. in Iſa. 1. v. 23.

### 256. *Aſſidue volvitur a Sanctis.*

S. Dominicus tam vetus, quam novum teſtamentum aſſidue verſabat, Romæ & alibi plures ejus libros publice docuit, fratres ad prædicandum miſſos monuit, ut ſola ſacra Biblia ſecum deferrent. S. Vincentius Ferrerius Italiam, Galliam, Germaniam peragrans, & ad minimum centum hominum millia convertens ſolum Breviarium, & ſacra Biblia circumferebat. S. Jordanus a Prædicatoribus quæſitus, utrum foret melius orationi, an ſtudio Scripturæ inſiſtere, facere reſpondit: utrum ſit melius ſemper comedere, aut ſemper bibere: ſicut enim alternatim utrumque competit, ita orare, & ſtudere Scripturæ viciſſim oportet. S. Franciſcus ſtudium Scripturæ ſuis indulſit ea lege, ut orationis & devotionis ſpiritum non extinguerent, ac primus ex ejus familia S. Antonius vivente adhuc Franciſco ſacras litteras docuit, a Romano Pontifice Arca teſtamenti nuncupatus. S. Bernardus quidquid loquebatur fere verbis Scripturæ loquebatur. S. Edmundus perdius & pernox ſacras litteras volvit, & quoties eas aperuit, prius oſculo veneratus eſt, &c. C. Gen. Proœm. n. 36. & ſeq.

S. Melania ſingulis annis ter perlegit ſacras litteras. S. Cæcilia librum Evangelii conſtanter ſecum defert. S. Antonius Paduanus memoriter callet totam Scripturam. Imperator Theodoſius in ſeras noctes occupatur lectione Scripturæ. Alphonſus Rex Arragonius quatuordecim vicibus Scripturam una cum expoſitionibus evolvit, &c. D. 9. 76.

Abbas Ammonius vetus & novum Teſtamentum memoriter tenebat. S. Chryſoſtomus Epiſtolas S. Pauli memoria tenet, multaſque expoſitiones ab ipſo S. Paulo accipit. Sanchez 5. part. c. 4. fol. 443.

S. Carolus Borromæus nudo capite, & flexis genibus ſacra Biblia lectitare conſuevit.

### 257. *Eſt magnæ dignitatis & æſtimabilitatis.*

Sacra Scriptura eſt oraculum, quo non Apollinem ex tripode, ſed ipſum multo certius, quam e veteri Arca & Cherubim proloquentem audire poſſumus. Hinc Sacra Biblia olim in templis juxta Ss. Euchariſtiam aſſervabantur, ut indi-

indicaretur, poſt Ven. Sacramentum nihil eſſe in Eccleſia ſanctius, nihil venerabilius, quam Scriptura. Judæi hodiedum illam reponunt in tabernaculo, caventque, nequis illam illotis manibus tangat. C. in Gen. Procem.

Scriptura fons eſt, & fundamentum Theologiæ, hæc enim ſcientia eſt, quæ concluſiones ſuas ex principiis fide certis deducit, ideoque ſcientiarum omnium auguſtiſſima eſt: principia autem fidei & veritatis Scriptura complectitur. Unde qui Scripturam a Theologia avellere cuperet, matrem ſine prole, domum ſine fundamento, aquæductum ſine ſcaturigine, deluſoria levitate ſperaret. C. in Gen. Procem. n. 5.

Nec minus Philoſophiæ moralis, ac Ethicæ fons & origo eſt, itaut illi elogia Tullii de Philoſophia optime conveniant: *Eſt lux vitæ, Magiſtra morum, animi medicina, bene vivendi norma, juſtitiæ altrix, fax Religionis*. C. Ibid. n. 6.

Scriptura eſt ſcientiarum omnium univerſitas, complectitur notitiam rerum naturalium, ſupernaturalium, Divinæ eſſentiæ cum ſuis attributis: hanc qui neglexerunt, inciderunt in turpiſſimos errores Platonis, Pythagoræ, Ariſtotelis, Democriti, aliorumque. C. Gen. Procem. num. 13.

Porro Scriptura docet Ethicam, Phyſicam, Logicam, Metaphyſicam, Hiſtoriam, Chronologiam: Omnes ſcientiæ ancillantur Sacræ Scripturæ. C. Gen. Ibid. n. 17. & ſeq.

*258. Solatur in omnibus adverſitatibus.*

Turbulentus eſt mundus & plenus miſeriis: a rege uſque ad mancipium omnes male contenti vivunt. Quis tot calamitates æquo ferre poterit animo? Scriptura ipſamet innuit: *Vade piger ad formicam*, ſupra quæ verba S. Aug. annotat: *Sicut formica æſtate colligit, unde in hyeme paſcatur, ſic unuſquiſque Chriſtianus in rerum tranquillitate colligat Verbum Dei, ut in adverſitate, & tribulatione habeat, unde ſpiritualiter vivat*. Exemplo eſt David, qui in plurimis adverſitatibus ſcuto Scripturæ ſe muniit. Exemplo eſt Job, qui in innumeris malis ac infirmitatibus conſtantiſſimus fuit, ex meditatione Divinorum oraculorum, ait Aug. Exemplo eſt Joſephus in perſecutionibus fratrum, & tentationibus ſemper invictus. A. 1. lect. 1. n. 15.

*S. Aug. l. contr. adim. Mapiii.*

In Scriptura Sacra, ait S. Chryſoſt ignorans invenit quod diſcat; contumax quod timeat: laborans præmia, puſillanimis medicinam, peccator ſalutem per pœnitentiam.

*S. Chryſ. ſup. Matt. c. 24.*

Occulta vitia, & infirmitates animæ major ſunt, magiſque deploranda infelicitas, quam morbi corporis: *Scriptura autem*, ait S. Chryſ. *eſt theſaurus omnium medicinarum: ſive ſtultitiam exuere, ſive affectus ſedare, ſive pecuniarum cupiditatem expellere, ſive dolores contemnere, ſive fortem animum induere, ſive adverſa æquo animo tolerare velimus, plurima hic remedia invenire poſſumus*. Lege, de his omnibus invenies exempla.

*S. Chryſ. Hom. 63. de ira.*

Adverſitates in hac vita ſunt plurimæ, in corpore, in anima, in fortunis, in honore: In corpore per infirmitates & dolores: in anima per anxietates & triſtitias: in fortunis per paupertatem & infortunia: In honore per diffamationes & opprobria. Omnibus his malis medetur Scriptura: *Si quidquam eſt, quod in hac vita virum ſapientem teneat*, ait S. Hieron. *& inter preſſuras & turbines æquo animo manere perſuadeat, id eſſe primum reor meditationem Scripturarum*.

*S. Hier. in Ep. ad Eph. l. 1.*

*259. Ejus textus in ſenſu accommodatitio ingenioſe uſurpantur.*

Nicephorus Calliſtus narrat, illa verba Davidis: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem*, ab aliquibus applicata fuiſſe imperatrici Eudoxiæ, quæ ſua liberalitate multa ſacra loca, & urbem Jeruſalem reparavit; nomen Eudoxia enim interpretatur *Bona voluntas*, ideo putant multi, Davidem in ſpiritu locutum fuiſſe de hac Imperatrice.

*Niceph. l. 14. c. 50.*

Cum Proſper Vatinanzius in Ducem Reipublicæ Genuenſis electus fuit, P. Julius Mazarinus S. J. in oratione gratulatoria uſus eſt hoc themate. *Proſpere procede, & regna*. D. 1. 7.

Cum aliquot primæ Nobilitatis Viri contra Ludovicum Regem conſpirationem facerent, ejus conſpirationis conſcius fuit Auguſtus de Thou, nec tamen illam Regi prodidit: Quare inſtinctu Cardinalis Richelii decapitatus fuit. Poſtliminio cum Matrona de Ponſack, ſoror illius de Thou aliquando ſepulcrum Cardinalis præteriret, ſcitiſſime uſurpavit illa verba: *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Theatr. Trag. hiſt. 36. in fine.

Quam-



Quamquam autem hoc diſſimulandum utcumque ſit, improbum tamen eſt, Scriptura inepte ad quaſvis garritiones, facetias & nugas abuti, id quod graviter improbat S. Hieron. inquiens: *Tractant fabrilia fabri, ſed ſolum Scripturarum eſt ars, quam ſibi paſſim omnes vendicant: hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt lacerare, docent antequam diſcant*.

*S. Hier. in Prolog. bibl.*

Sancti Patres, ac Interpretes Scripturæ.

*260. Inſigniter utuntur arte Rhetorica.*

Bene Erudiriſſimus Joſephus Speranza de facundia Sanctorum Patrum diſſerens ait: Quis, amabo, non ſuſpiciat, quis non admiretur Nazianzeni, Baſilii, Chryſoſtomi, ceterorumque Græcorum Patrum flumen aureum eloquentiæ! Quis Cypriani, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Leonis, Gregorii, Chryſologi facundiam non obſtupeſcat: nihil boni, pulchrive, ut dici ſolet, reperire eſt, quod Patrum non ſit. Quis me hercule Nazianzeno in ſuo fonte lucidior, dulcior, ſuavior, ſimulque profundior? Chriſtianus hic certe Demoſthenes, Divinus hic Plato. Orationes illius veluti catenæ ſunt, quæ cor meum, ac eorum omnium, qui eas legunt, devinciunt, & quoquoverſum trahunt: Quatuor hic ſolum verba excipe ex elegantiſſima illa oratione de Machabæis: *Ibi*, ait, *generoſi ac magnanimi pueri, generoſæ matris nobilis proles, non minus animis fratres, quam corporibus inter ſe mutuæ mortis æmuli, o rem admirandam! tormenta quaſi theſauros præripientes pro magiſtra lege pericula ſubeuntes, quæ non magis illata formidabant, quam relicta requirebant, unum illud veriti, ne tyrannus a pœna deſiſteret, nequis ipſorum ſine coronæ præmio diſcederet, ne inviti fratres alii ab alio ſejungerentur, & ne eo diſcrimine ſupplicia non ferentes mala victoria ſuperarent, &c.* S. in Præfat. fol. 7.

S. Cypr. de Sanctis Martyribus: Steterunt torti tortoribus fortiores, & pulſantes, ac laniantes ungulas pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viſcerum torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutoris extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. Brev. in Feſto S. Georgii Mart.

Lactantius de S. Cypriano ait: *Magnam ſibi gloriam ex artis oratoriæ profeſſione quæſierat . . . Erat ingenio facili, copioſo, ſuavi, & quæ ſermonis eſt maxima virtus, aperto, ut diſcernere nequeas utrumne ornatior in eloquendo, ac facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit*. D. 11. 95.

*Lactant. lib. 5. Inſt. c. 1.*

*Lingua ſapientum ornat ſcientiam*, ait Sacer Proverbiaſtes, ideſt, eloquentia Ss. Patrum tam Græcorum quam Latinorum ornat ſapientiam Chriſtianorum. Sic S. Baſilii doctrina plena eſt præceptis ſanctitatis. Nazianz. in altiſſima myſteria ſeſe inferens magno verborum pondere valet. Athanaſius lenior, ſed multa cum auctoritate docens. Epiphanius contra hæreticos acer, Theodoretus in Scriptura interpretanda diligens Damaſcenus Doctiſſimus: Chryſ. pleno eloquentiæ flumine auditores in omnem partem impellens. Cyprianus oratione copioſa redundans. S. Hier. inſtar fontis puriſſimi dulcis. S. Ambroſius ſententiarum ubertate refertus. S. Aug. uberrimus, copioſiſſimus, leniſſimus. S. Leo gravis, & majeſtate plenus, &c. C. Prov. 15. ver. 2.

*Prov. 15.*

*261. Illorum ſententias uſurpare laudabile eſt.*

S. Hier. laudat Nepotianum, quod in ſuis ſcriptis libenter Patrum teſtimonia afferret, quia illorum ſcripta uſurpare non eſt furtum, ſed hereditas. S. in præfat. fol. 12.

Sicut qui pecunias populo diripiendas publice projiciunt, volunt, ut pecunia ſit occupantium; ita cum Sancti Patres ſcripta ſua juris publici faciunt, volunt, ut ſint propria uſurpantium. S. Hilarius in expoſitione libri Job maximam partem excerpſit ex Origene. Hexaemeron S. Ambroſii fere nihil aliud eſt, quam partus S. Baſilii. S. Hier. fatetur, quod expoſitionem Prophetæ Micheæ ex antiquis Patrum ſcriptis collegerit, pro exculpatione autem hujus ſui facti ait, etiam Ennium, Maronem, Plautum, Cæcilium alioſque eruditos Viros culpandos eſſe, qui totos libros, & apologos aliorum ſibi appropriaverint, &c. D. 7. 58.

Erudiriſſimi Scriptores, & Interpretes S. Scripturæ ingentia volumina, & complures Tomos poſt ſe reliquerunt: quid



aliud

aliud per hoc fecerunt, quam ut ſcripta ſuorum anteceſſorum uſurparint, & ſuæ poſteritati utiliter uſurpanda reliquerint.

Alphonſus Toſtatus dictus Abulenſis ſupra Evangelium S. Matthæi ſeptem Tomos ſcribit, & tamen non ad finem perducit. Fuit tam fuſus, ut ex unico capitulo centum ſexaginta quæſtiones eruerit.

Henricus Langeſtenius multis annis laborat in expoſitione libri Geneſis, & tamen quarto anno vix ad quartum capitulum pervenit.

Thomas Haſelbach in exponendo primo capite Iſaiæ viginti & uno annis deſudat, viginti quatuor libros ſcribit, & tamen non abſolvit.

Aſcanius Martinengus duobus Tomis vix ad tertium Geneſeos caput pertingit. Franciſcus Mendoza tribus Tomis tantum quindecim capita ex primo libro Regum explanat. Joannes Philippeus ingenti volumine quatuor non amplius capita Oſeæ explicat, &c. D. 7. 68.

## Lectio Sacra.

*262. Affert magnam legenti utilitatem.*

REx Salomon docet, etiam in prudentia atque doctrina dolorem, & afflictionem inveniri. Quis, qualis dolor? nonne ſcientiæ ex natura ſua ſunt delectabiles? Reſpondet Salonius Epiſcopus Viennenſis: *Quia quanto amplius cæleſtia, & æterna homo cognoſcit, tanto magis dolendo, & flendo laborat, ut errorum laqueos evadere poſſit, & liberari valeat de hujus ſæculi miſeria.* A. 1. lect. 1. n. 4.

S. Chryſoſt. enunciat: *Non poteſt fieri,*
S. Chryſ. conc. 3. de Laz. *ut quiſquam ſalutem conſequatur, niſi perpetuo verſetur in lectione ſpirituali.* Ergo lectio ſpiritualis neceſſaria eſt ad ſalutem. Hac de cauſa S. Carolus Borromæus reformaturus urbem Mediolanenſem primam curam ſpiritualium librorum habuit. S. Ignatius reformaturus orbem commendat omnibus Thomam Kempenſem, &c. A. 1. lect. 1. n. 24.

Homines laici ſe excuſant propter negotiorum multitudinem, ſed plus aliis indigent lectione ſacra, ſicut plus magnete, & mappa opus habet, qui fluctibus in mari jactatur, quam qui in littore ſecurus ſtat. Plus armis indiget, qui in prælio verſatur, quam qui in pace, &c. A. 1. lect. 1. n. 20.

Etiam Reges in ſummis regnorum negotiis, uti Theodoſius junior, Carolus Magnus, Alphonſus Arragonicus, aliique ſolertiſſimi erant lectione ſacra. A. 1. lect. 1. n. 24. O quot ſunt homines mundani, qui Ovidium, nova, aliaque profana volvunt, ſi volverent libros ſacros, mirum in virtute proficerent. A. 1. lect. 1. n. 24.

Piæ lectioni ſapientia Dei ſe immiſcet, illuminando intellectum, & inflammando voluntatem. S. Antonius legendo illud: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia,* mundo valedicit. Sic Simeon Stylites, Joannes Columbinus & alii convertuntur. C. Prov. 8. v. 12.

*263. Prodeſt ad emendationem vitæ.*

Guerricus Pariſienſis cum veterum Patrum vitas legi, & eodem ſemper epiphonemate concludi audiret: *Mortuus eſt,* mundo valedicit. A. 1. lect. 1. n. 5.

S. Aug. fatetur, ſe ex lectione ſacra ſuperbiam depoſuiſſe, hæreſes deviciſſe, humilitatem amplexum fuiſſe. Quomodo conſecuti ſunt ſuam converſionem & ſanctitatem Præfectus Reginæ Candacis, S. Antonius, Columbinus, Ignatius, Andreas Avellinus aliique niſi ex lectione ſacra? A. 1. lect. 1. n. 5.

S. Eugenia ex Epiſtolis S. Pauli ad fi- Menolog. græcum.
dem convertitur, & una cum Proto, & Hyacintho ſuis inſtructoribus martyrium conſequitur, &c. A. 1. ibid. S. Aug. dubitans audit vocem: *Tolle, lege:* ſuſtulit, legit Scripturam, & ad baptiſmum feſtinavit. A. 1. lect. 1. n. 8.

Duo Aulici Imp. Theodoſii in eremi- S. Aug. l. 8. conf. c. 6. & 7.
torium ex aula progreſſi, & per otium vitam S. Antonii legentes, caducitatem rerum terrenarum agnoſcunt, & non amplius Imperatori terreno, ſed cæleſti ſervire ſtatuunt. T. n. 14.

Multa ſunt, quæ confidenter Deo conquerendo exponere debemus, & hoc fit per orationem. Multa ſunt, in quibus a Deo interna locutione inſtrui debemus, & hoc fit per lectionem, juxta illud: cum oramus Deo loquimur, cum ſacræ lectioni vacamus, Deus loquitur nobiſcum. C. Exod. 30. v. 1.

Eunuchus Reginæ Candacis per lectionem Iſaiæ converſus ad Baptiſmum feſtinat. Sic Spiritus Sanctus lectioni Scripturæ pias cogitationes intellectui, & affectiones voluntati inſtillat. Romæ lectio vitæ S. Antonii, quam ſecum tulit S. Athanaſius, multos Nobiles & cives, viros & feminas, ſpreto mundo ad vitam Religioſam trahit, inter quos prima fuit S. Marcella, prout teſtatur S. Hier. C. in Act. c. 8. v. 32. Et Prov. 8. ver. 12.

Con-



## Conſilium Patris Spiritualis.

*264. Eſt neceſſarium, ac utile cuique.*

VEri ſapientis eſt bonorum ſuaſioni aſſenſum præbere, ait Beda. *Audiens ſapiens ſapientior erit.* Ubi Hieronymus. Oſtendit Salomon neminem in hac vita ſapientem fieri poſſe, cujus ſapientia nequeat augeri.

David utut Spiritum Dei habuerit, ſemper tamen Prophetas Gad, & Nathan conſiliarios adhibuit. S. punct. 121. fol. 378. & punct. 122. fol. 379.

Moyſes, etſi Deo plenus, tamen a Jethro Sacerdote Madian conſilium accepit. S. punct. 122. fol. 380. Vide Tit. Prudentia.

Oſ. 10. *Confundetur Iſrael in voluntate ſua.* Quid ita? ſi ſermo eſſet de Ephraim, qui fuit ſimplex, perverſus, *non habens cor.* At Iſrael *videns Deum* homo tam ſublimis, tam ſanctus, etiam ipſe confundentur. Ut ſcias etiamſi perfectus eſſes, etiamſi raptus cum Paulo ad tertium cælum, in nulla re te ſequi debere proprium ſenſum, ſed recurrere ad aliquem Ananiam. Hæc eſt praxis perſonarum Deo dilectarum. Eſther, quæ typus eſt
Eſth. 2. animæ excellæ, *obſervabat, quidquid Mardochæus præcipiebat.* Segn. Manna 29. Mart. n. 3.

Tantæ utilitatis eſt conſilium Patris ſpiritualis, ut ſecurius ſit, quam ipſæ revelationes Dei.

S. Thereſia diu rogans Dominum, ubi ordinem ſuum inchoare deberet a Deo reſponſum tulit, Madriti id faceret. Sed conſulens deſuper Confeſſarium juſſa eſt Hiſpali remanere: & remanſit. Quæſita quomodo hoc facere potuerit non obſtante ſuo voto ſemper faciendi perfectiora, repoſuit, per revelationes ſe poſſe decipi, cum Sathanas multoties ſe transformet in angelum lucis, non poſſe vero decipi per conſilium Patris ſpiritualis. A. lect. 6. n. 23.

Conſilium Patris Spiritualis eſt inſtrumentum Dei, quo dirigit animas ad ſalutem: Deus dum Samuelem vocavit, de induſtria vocem ſenis ſimulavit, ut Samuel ad illum utut jam reprobatum, recurreret. Paulum non per ſe, ſed per Ananiam veritatem edocuit. S. punct. 122. fol. 382. ad finem. ſeq.

Prohibitum eſt medicis ægrotantibus, ut ſibi ipſis medicinam præſcribant: ita nemo debet ſeipſum dirigere, ſed alterius directioni ſe ſubjicere. &c. A. lect. 6. num. 26.

Conſidera artificioſum fontem, ubi ex una aut pluribus ſtatuis aqua ſalit in puteum. Res mira! an hæc aqua ſaliens provenit ex ſtatua? Non ita. Statua non capit tantam aquarum abundantiam. Unde ergo! per ſubterraneos canales aqua truditur, & a longe venit. Ita conſilium Patris ſpiritualis non ex illo fluit, ſed a longe ab ipſo Deo per arcanas ſuggeſtiones venit. Ideoque æſtimandum eſt tanquam vox Dei ad ſalutem neceſſaria vel valde utilis.

## Pia colloquia.

*265. Suadenda tanquam incentivum Virtutis.*

SAnctus Chryſoſtomus poſtquam manſuetudinem Davidis fuſe laudavit, addit: Hæc in conſeſſibus aſſidue inter nos loquamur: has apud uxores, has apud liberos frequenter renovemus narrationes: Etenim ſive de Rege loqui voles, ecce Rex: ſive de militibus, ſive de re familiari, ſive de publicis, civilibuſque negotiis: videbis in Scripturis horum omnium magnam copiam &c. S. punct. 30. fol. 713.

Cum inter aliquos ſacra colloquia haberentur, quidam Monachus ſellam in medio eorum collocavit: quæſitus rationem repoſuit: ſe id facere in obſequium Chriſti, qui promiſit, quod ubi duo vel tres in nomine ſuo eſſent congregati, ille in medio eorum eſſe velit. Et ecce. Chriſtus viſibiliter apparuit, & ſe in illa ſella collocavit. Sanchez 5. part. c. 4. fol. 455.

Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſuam cum Diſcipulis in Emaus cænatus, expoſuit illis ſacram Scripturam, & hoc colloquium tam ſancte erat efficax, ut cor Diſcipulorum amore Divino inflammaret. C. Prov. 8. v. 12.

Colloquia profana, ſtulta, impura, detractoria, aliaque hujus furfuris, animam audientis variis ſceleribus corrumpunt: ita a contrario colloquia ſancta ædificant, & corda audientium amore cæleſtium accedunt; hinc ejuſmodi collectationes, & conferentiæ olim inter anachoretas, & hodiedum inter Religioſos frequentantur, & præcipiuntur. Sic S. Paulus viſitatus a S. Antonio cum eo non niſi ſermones Dei loquebatur. Et S. Thomas Aquinas dicere ſolebat: Viro Religioſo non niſi cum Deo, aut de Deo loquendum eſſe. David Anachoreta utut fuerit mutus, eam tamen gratiam habuit, ut de Deo loqui poſſet. C. 1. Petr. c. 4. v. 11.

Præ-

Præcipue vero Sacerdotibus conveniunt pia colloquia; ſicut enim ſtomachus concoquit cibum, eumque in ſingula membra dividit; ita illi quod ex Scriptura Sacra, & ſtudio ſacro hauſerunt, inter membra Chriſti utiliter diſpartire debent. S. Ambroſius comparat illos apibus: ſicut enim apes, ita & illi de Divinarum Scripturarum floſculis ſuavia mella conficere, & quidquid ad animarum medicinam pertinet, oris ſui arte componere debent. C. 1. Petr. 4. v. 11.

S. Barlaam fingens ſe gemmarium colloquio pio de æternitate convertit Joſaphat filium Regis, eumque relicto mundo in ſolitudinem trahit. &c. S. Abrahamus Neptem ſuam Mariam lapſam in fornicationem, fingens ſe mercatorem reduxit in viam ſalutis. C. in Act. Apoſt. c. 17. v. 2.

## MUNDUS EJUSQUE VANITAS.

### 266. *Non ſatiat cum omnibus delitiis.*

OLeum viduæ Sareptanæ affluebat, fatuis Virginibus deficiebat. Cur? Reſpondet Hugo a Sancto Victore: *Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præſentium.* B. ſerm. 3. n. 10. ſeq.

Sicut pulli gallinacei inter ſe rixantur propter vermiculum, ita homines mundani diſceptant & ſibi invident propter meum, & tuum. B. ſerm. 53. n. 21.

Mundana felicitas habet *calicem in manu ſua*: Quid mirum ſi mundani non ſatiantur? quomodo enim poſſibile eſt ex uno calice omnes ſatiari? M. conc. 34. aſſ. 2. n. 8.

Ratio autem cur mundanorum ſitis nunquam ſatietur, eſt, quia deliciæ mundi non penetrant ad animam. David clamat: *Sicut deſiderat cervus ad fontes aquarum.* Quid ſitis, o David, an delicias, victorias, divitias? habes hæc omnia. Nempe, ſicut ſi febricitanti aqua tantum oſtenditur, ſitis non extinguitur, quia aqua non penetrat ad locum ſitis: ita mundana omnia non ſatiant, quia ad animam non penetrant, ait S. Vincentius Ferrerius. B. ſerm. 3. n. 11.

Demon impedit, ne ſatientur peccatores voluptatibus, ſed ſemper famelici ſint, ſicut filius prodigus, ut nunquam perveniant ad ſaturitatem. M. conc. 34. aſſ. 2. n. 9.

Sicut aer & ventus, cum non ſint cibus proportionatus corporis, non illud poſſunt nutrire: ita quia omnia creata ſunt vanitas, nequeunt hominis animam exſatiare. Lohner tit. *Reſignatio* §. 8. n. 11.

Mundi creaturæ omnes vaniſſimæ 1. Quia reſpectu Dei ſunt purum nihilum. 2. Quia non ſatiant deſiderium hominis. 3. Quia illarum abuſus facile ſervit ad interitum. C. Eccleſ. 1. v. 2.

### 267. *Contrarius Deo in ſuis judiciis.*

Mundus contradicit Deo in ſuis principiis! nempe, Nemo læditur niſi a ſeipſo per peccatum; cetera enim mala omnia mala non ſunt; quia poſſunt eſſe occaſio ad bonum. Paupertatem mundus malum vocat, ſed aliter loquuntur Apoſtoli, & mille generoſæ animæ, quæ mundum deſeruerunt. Morbos mundus malum vocat; ſed loquatur Lazarus quid illi profuerit ægrum fuiſſe. Perſecutiones mundus malum vocat; ſed per perſecutionem Joſephus fuit, ad ſolium promotus, & innumeri Martyres ad coronam. &c. B. ſerm. 5. §. 1.

Sicut ſidera in ſe pulcherrima nihilominus notantur nomine urſi, leonis, capri, cum tamen nihil minus ſint, quam urſus, leo, caper: ita adverſitates malum dicuntur, dum tamen nihil minus, quam malum ſint.

Econtra honores, divitiæ hujus mundi non vera bona ſunt, ſed imaginaria, & illuſoria. S. punct. 64. fol. 221.

Mundus ſæpe honorat impios, juſtos contemnit: Sic Joſephus innocens in carcere gemit, adultera quæ illum perſequebatur, domi in honoribus vivit. Sæpe laudabile, aut ſaltem ſine culpa eſt, quod carpitur. Martha prodit fœtorem ſui fratris, tam tenere a Chriſto amati, ut iſtum a mortuis reſuſcitarit. M. conc. 20. §. 1. n. 9. & ſeqq.

Ratio eſt, quia non rationis ductum, ſed conſuetudinem, aut voluptatem, non legem ſequitur. Sic Seneca mundanos, ac evanidos pecoribus comparat, *pergentes non quo eundum eſt, ſed quo itur.* Et iterum: *inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur.* B. ſerm. 41. n. 1.

Sanctus Auguſtinus de ſeipſo fatetur, non rationis ductum, ſed morem apud ſe valuiſſe; puduit enim eum inter impudentes non eſſe impudentem. S. punct. 30. fol. 79.

268. Ten-



### 268. *Tendit ad cælum per aliam viam quam Sancti.*

Vide Titulum: *Sancti.* Sponſa clamat: *Trahe me poſt te*, ſcilicet per cruces; & labores: Ubi S. Bernardus: Quam pauci poſt te Domine JESU ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo ſit, qui nolit. S. punct. 47. fol. 182.

Elias igneo curru ad cælum rapitur: mundus autem molli lectica illuc pervenire cupit. S. punct. 48. fol. 185.

S. Bernardus miratur miſericordiam Chriſti erga latronem, aitque ideo fuiſſe ſuſceptum ad gloriam, quia fuit ſo-
S. Bern. Serm. 1. de Verb. JESU. cius crucis: deinde ſubjungit: *Omnes conregnare cupiunt, ſed non compati, non curant quærere, quæ tamen deſiderant invenire, cupientes conſequi, ſed non ſequi.* M. conc. 43. aſſ. 1. n. 10.

Nicodemus noctu venit ad Chriſtum, ut non offendat Judæos, & ſuo principatu deponatur: ita mundani volunt ſervire Deo, ut non offendant diabolum. &c. M. conc. 14. aſſ. 2. n. 2.

Mundani dupliciter cupiunt eſſe beati, volunt hic terrenis, & ibi æternis bonis frui: ſed fruſtra! Deus exprobrat illis:
3. Reg. 18. *Uſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi Baal* (id eſt mundus) *ſequimini iſtum!* utrumque ſimul poſſidere, nemo poteſt.

Sancti, prout enarratur in omnibus vitis Sanctorum, amaverunt paupertatem, contemptum, carnis mortificationem, jejunia, vigilias, aliaque opera pia amore Dei exercita. Econtra mundanus homo quærit, & amat divitias, honores, voluptates, omniaque carnis commoda, & tamen ſe ſalvandum ſperat? Verum
S. Cypr. de 12. abuſ. fruſtra, & inaniter! ſicut oculus, ait S. Cyprianus, ſimul ac ſemel cælum & terram aſpicere nequit: ita mundi amor & Dei ſimul in uno corde habitare non poſſunt. Et S. Hieronymus: Impoſſibile eſt, ut præſentibus quis, & futuris fruatur bonis, atque hic ventrem, & ibi mentem impleat.

### 269. *Inhæret ſenſibilibus, non curat inſenſibilia.*

Patriarcha Iſaac, dum cæcus benedictionem primogenito dare vellet, a Rebecca deceptus ſecundo-genito dedit: ajebat: *Vox quidem Jacob, manus autem Eſau.* Cur ergo non potius voci credidit, quam manui? audi Sanctum Antonium Patavinum: *Quidam excæcantur longa conſuetudine peccatorum, & iſti figurati ſunt per Iſaac.* Fidei quidem vocem audiunt, ſed manu utraque apprehendunt vanitates: Evangelium verum eſſe credunt, ſed vivunt ac ſi falſum eſſet. De his Iſaias: *Quis cæcus niſi ſervus meus?* B. ſerm. 14. n. 4.

Dux Albanus inſigni victoria Saxonem profligans, per Galliam itinerans Franciſcum Regem ſalutavit, a quo quæſitus verumne eſſet, in eo prælio duos ſoles in cælo viſos eſſe, repoſuit, ſe tunc ita fuiſſe occupatum in terris, ut non videret, quid ageretur in cælis. Sic multi occupantur terrenis negotiis, ut non attendant ad cæleſtia. T. n. 371.

Nolite effici parvuli! ſicut pueri fruſtum vitri magis amant, quam unionem, & luteam domum magis quam palatium regis; ita mundani avidius inhiant perituris mundi nugis quam bonis cæleſtibus. Percurramus omnes hominum ſtatus, luſtremus Aulas, Curias, Arces, Mercatorum tabernas, opificum officinas, ruſticorum mapalia, & pauperum etiam caſas, videbimus omnis generis homines centies potius de ſuis negotiis, curiſque temporalibus, quam una vice de Deo, rebuſque cæleſtibus cogitare. Talpæ ſunt mundani amatores, in tenebroſis ſcrobibus ſubtus terram latent, & cæli faciem nunquam aſpiciunt!

### 270. *Plenus eſt falſitatibus & deceptionibus.*

Propheta ille ſemper falſa prædixit, 3. Reg. 13.
de quo in libris Regum legitur: Ubi S. Antonius Paduanus ait: *Propheta ſenex eſt* S. Ant. ſerm. 6.
*mundi vanitas, quæ ſemper falſa prophetat.* Dom. Paſch.

S. Bernardus ait: *Mundus eſt, ubi malitiæ plurimum, ſapientiæ modicum: ſophiſticando enim ſuas viles merces occultat onera ſub honoribus, pericula ſub dignitatibus, dolores ſub deliciis, languores ſub divitiis.* S. Bern. apud S. Bonav. ſerm. de animab.

Inter ſomnia & bona hujus mundi eſt maxima ſimilitudo: ſicut enim ſomnia ſolum æſtimantur a dormientibus, a vigilantibus vero ridentur, ita contingit, in bonis miseræ hujus terræ: dormientes, id eſt mundani, qui habent intellectum vaporibus obfuſcatum, æſtimant illa: Sancti vero, qui juxta mandatum Chriſti vigilant, o quam parvi illa faciunt! *Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed vigilemus.* Dæmon conatur quidem animo tuo conciliare ſomnum, ideo procurat,

Præcipue vero Sacerdotibus conveniunt pia colloquia; ſicut enim ſtomachus concoquit cibum, eumque in ſingula membra dividit; ita illi quod ex Scriptura Sacra, & ſtudio ſacro hauſerunt, inter membra Chriſti utiliter diſpartire debent. S. Ambroſius comparat illos apibus: ſicut enim apes, ita & illi de Divinarum Scripturarum floſculis ſuavia mella conficere, & quidquid ad animarum medicinam pertinet, oris ſui arte componere debent. C. 1. Petr. 4. v. 11.

S. Barlaam fingens ſe gemmarium colloquio pio de æternitate convertit Joſaphat filium Regis, eumque relicto mundo in ſolitudinem trahit. &c. S. Abrahamus Neptem ſuam Mariam lapſam in fornicationem, fingens ſe mercatorem reduxit in viam ſalutis. C. in Act. Apoſt. c. 17. v. 2.

## Mundus ejusque Vanitas.

### 266. *Non ſatiat cum omnibus delitiis.*

Oleum viduæ Sareptanæ affluebat, fatuis Virginibus deficiebat. Cur? Reſpondet Hugo a Sancto Victore: *Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præſentium.* B. ſerm. 3. n. 10. ſeq.

Sicut pulli gallinacei inter ſe rixantur propter vermiculum, ita homines mundani diſceptant & ſibi invident propter meum, & tuum. B. ſerm. 53. n. 21.

Mundana felicitas habet *calicem in manu ſua*: Quid mirum ſi mundani non ſatiantur? quomodo enim poſſibile eſt ex uno calice omnes ſatiari? M. conc. 34. aſſ. 2. n. 8.

Ratio autem cur mundanorum ſitis nunquam ſatietur, eſt, quia deliciæ mundi non penetrant ad animam. David clamat: *Sicut deſiderat cervus ad fontes aquarum.* Quid ſitis, o David, an delicias, victorias, divitias? habes hæc omnia. Nempe, ſicut ſi febricitanti aqua tantum oſtenditur, ſitis non extinguitur, quia aqua non penetrat ad locum ſitis: ita mundana omnia non ſatiant, quia ad animam non penetrant, ait S. Vincentius Ferrerius. B. ſerm. 3. n. 11.

Demon impedit, ne ſatientur peccatores voluptatibus, ſed ſemper famelici ſint, ſicut filius prodigus, ut nunquam perveniant ad ſaturitatem. M. conc. 34. aſſ. 2. n. 9.

Sicut aer & ventus, cum non ſint cibus proportionatus corporis, non illud poſſunt nutrire: ita quia omnia creata ſunt vanitas, nequeunt hominis animam exſatiare. Lohner tit. *Reſignatio* §. 8. n. 11.

Mundi creaturæ omnes vaniſſimæ 1. Quia reſpectu Dei ſunt purum nihilum. 2. Quia non ſatiant deſiderium hominis. 3. Quia illarum abuſus facile ſervit ad interitum. C. Eccleſ. 1. v. 2.

### 267. *Contrarius Deo in ſuis judiciis.*

Mundus contradicit Deo in ſuis principiis! nempe, Nemo læditur niſi a ſeipſo per peccatum; cetera enim mala omnia mala non ſunt; quia poſſunt eſſe occaſio ad bonum. Paupertatem mundus malum vocat, ſed aliter loquuntur Apoſtoli, & mille generoſæ animæ, quæ mundum deſeruerunt. Morbos mundus malum vocat; ſed loquatur Lazarus quid illi profuerit ægrum fuiſſe. Perſecutiones mundus malum vocat; ſed per perſecutionem Joſephus fuit, ad ſolium promotus, & innumeri Martyres ad coronam. &c. B. ſerm. 5. §. 1.

Sicut ſidera in ſe pulcherrima nihilominus notantur nomine urſi, leonis, capri, cum tamen nihil minus ſint, quam urſus, leo, caper: ita adverſitates malum dicuntur, dum tamen nihil minus, quam malum ſint.

Econtra honores, divitiæ hujus mundi non vera bona ſunt, ſed imaginaria, & illuſoria. S. punct. 64. fol. 221.

Mundus ſæpe honorat impios, juſtos contemnit: Sic Joſephus innocens in carcere gemit, adultera quæ illum perſequebatur, domi in honoribus vivit. Sæpe laudabile, aut ſaltem ſine culpa eſt, quod carpitur. Martha prodit fœtorem ſui fratris, tam tenere a Chriſto amati, ut iſtum a mortuis reſuſcitarit. M. conc. 20. §. 1. n. 9. & ſeqq.

Ratio eſt, quia non rationis ductum, ſed conſuetudinem, aut voluptatem, non legem ſequitur. Sic Seneca mundanos, ac evanidos pecoribus comparat, *pergentes non quo eundum eſt, ſed quo itur.* Et iterum: *inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur.* B. ſerm. 41. n. 1.

Sanctus Auguſtinus de ſeipſo fatetur, non rationis ductum, ſed morem apud ſe valuiſſe; puduit enim eum inter impudentes non eſſe impudentem. S. punct. 20. fol. 79.

268. Ten-



### 268. *Tendit ad cælum per aliam viam quam Sancti.*

Vide Titulum: *Sancti.* Sponſa clamat: *Trahe me poſt te*, ſcilicet per cruces; & labores: Ubi S. Bernardus: Quam pauci poſt te Domine JESU ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo ſit, qui nolit. S. punct. 47. fol. 182.

Elias igneo curru ad cælum rapitur: mundus autem molli lectica illuc pervenire cupit. S. punct. 48. fol. 185.

S. Bernardus miratur miſericordiam Chriſti erga latronem, aitque ideo fuiſſe ſuſceptum ad gloriam, quia fuit ſo-
S. Bern. Serm. 1. de Verb. JESU. cius crucis: deinde ſubjungit: *Omnes conregnare cupiunt, ſed non compati, non curant quærere, quæ tamen deſiderant invenire, cupientes conſequi, ſed non ſequi.* M. conc. 43. aſſ. 1. n. 10.

Nicodemus noctu venit ad Chriſtum, ut non offendat Judæos, & ſuo principatu deponatur: ita mundani volunt ſervire Deo, ut non offendant diabolum. &c. M. conc. 14. aſſ. 2. n. 2.

Mundani dupliciter cupiunt eſſe beati, volunt hic terrenis, & ibi æternis bonis frui: ſed fruſtra! Deus exprobrat illis:
3. Reg. 18. *Uſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi Baal* (id eſt mundus) *ſequimini iſtum!* utrumque ſimul poſſidere, nemo poteſt.

Sancti, prout enarratur in omnibus vitis Sanctorum, amaverunt paupertatem, contemptum, carnis mortificationem, jejunia, vigilias, aliaque opera pia amore Dei exercita. Econtra mundanus homo quærit, & amat divitias, honores, voluptates, omniaque carnis commoda, & tamen ſe ſalvandum ſperat? Verum
S. Cypr. de 12. abuſ. fruſtra, & inaniter! ſicut oculus, ait S. Cyprianus, ſimul ac ſemel cælum & terram aſpicere nequit: ita mundi amor & Dei ſimul in uno corde habitare non poſſunt. Et S. Hieronymus: Impoſſibile eſt, ut præſentibus quis, & futuris fruatur bonis, atque hic ventrem, & ibi mentem impleat.

### 269. *Inhæret ſenſibilibus, non curat inſenſibilia.*

Patriarcha Iſaac, dum cæcus benedictionem primogenito dare vellet, a Rebecca deceptus ſecundo-genito dedit: ajebat: *Vox quidem Jacob, manus autem Eſau.* Cur ergo non potius voci credidit, quam manui? audi Sanctum Antonium Patavinum: *Quidam excæcantur longa conſuetudine peccatorum, & iſti figurati ſunt per Iſaac.* Fidei quidem vocem audiunt, ſed manu utraque apprehendunt vanitates: Evangelium verum eſſe credunt, ſed vivunt ac ſi falſum eſſet. De his Iſaias: *Quis cæcus niſi ſervus meus?* B. ſerm. 14. n. 4.

Dux Albanus inſigni victoria Saxonem profligans, per Galliam itinerans Franciſcum Regem ſalutavit, a quo quæſitus verumne eſſet, in eo prælio duos ſoles in cælo viſos eſſe, repoſuit, ſe tunc ita fuiſſe occupatum in terris, ut non videret, quid ageretur in cælis. Sic multi occupantur terrenis negotiis, ut non attendant ad cæleſtia. T. n. 371.

Nolite effici parvuli! ſicut pueri fruſtum vitri magis amant, quam unionem, & luteam domum magis quam palatium regis; ita mundani avidius inhiant perituris mundi nugis quam bonis cæleſtibus. Percurramus omnes hominum ſtatus, luſtremus Aulas, Curias, Arces, Mercatorum tabernas, opificum officinas, ruſticorum mapalia, & pauperum etiam caſas, videbimus omnis generis homines centies potius de ſuis negotiis, curiſque temporalibus, quam una vice de Deo, rebuſque cæleſtibus cogitare. Talpæ ſunt mundani amatores, in tenebroſis ſcrobibus ſubtus terram latent, & cæli faciem nunquam aſpiciunt!

### 270. *Plenus eſt falſitatibus & deceptionibus.*

Propheta ille ſemper falſa prædixit, 3. Reg. 13.
de quo in libris Regum legitur: Ubi S. Antonius Paduanus ait: *Propheta ſenex eſt* S. Ant. ſerm. 6. Dom. Paſch.
*mundi vanitas, quæ ſemper falſa prophetat.*

S. Bernardus ait: *Mundus eſt, ubi malitiæ plurimum, ſapientiæ modicum: ſophiſticando enim ſuas viles merces occultat onera ſub honoribus, pericula ſub dignitatibus, dolores ſub deliciis, languores ſub divitiis.* S. Bern. apud S. Bonav. ſerm. de animab.

Inter ſomnia & bona hujus mundi eſt maxima ſimilitudo: ſicut enim ſomnia ſolum æſtimantur a dormientibus, a vigilantibus vero ridentur, ita contingit, in bonis miſeræ hujus terræ: dormientes, id eſt mundani, qui habent intellectum vaporibus obfuſcatum, æſtimant illa: Sancti vero, qui juxta mandatum Chriſti vigilant, o quam parvi illa faciunt! *Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed vigilemus.* Dæmon conatur quidem animo tuo conciliare ſomnum, ideo procurat,

curat,

curat, ut omittas orationem, exoſa tibi facit opera pœnitentiæ, invitat ad comeſſationes, & oblectamenta &c. Tu non ita! ſed fac oppoſitum illi quod ſuadet dæmon. Segn. Manna 23. Aug. n. 1.

Deus produxit mundum ex aquis: ergo melius conſiderari non poteſt mundus niſi in aquis, elemento ſemper inſtabili. Accede ad lacum ſtagnantem, dirige oculos ſubtus ripam citeriorem, videbis reverſa omnia: homines capite deorſum pedibus ſurſum ambulant, ædificiorum infima pars eſt tectum, ſuprema fundamentum, arbores etiam radicem in altis, ramos in profundo habent, &c. Sic in mundo paradoxa ſunt omnia; virtus deprimitur, vitium exaltatur, pauperes contemnuntur, divites laudantur, terrena & peritura præ æternis æſtimantur.

Labanus fugienti Jacobo exprobrat: *Quare ita feciſti?* En iterum in his verbis ingenium mundi! 1. Licet ſciret ſe ſua perfidia cauſam dediſſe juſto fugiendi, tamen culpam in juſtum reiicit: ſic Achab Eliam criminabatur, quod turbaret Iſrael. 2. Laban fingit ſe amicum, cum eſſet adverſarius, 3. Prodit ſuam ſtultitiam, & impietatem in colendis Diis, qui ſe a furibus cuſtodire non poterant. 4. Ait: *Stulte egiſti!* ſic mundo ſtultum videtur, quidquid pii agunt, aut loquuntur. &c. C. in Gen. 31. v. 26.

*Præterit figura hujus mundi.* Ubi Bernardus ait: *Noli amare præſentia, quia poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant.* Sicut navigans ſive ſtet, ſive ſedeat, ſive dormiat, ſive vigilet; ſemper vadit, quia impulſu navis vehitur; ita nos, ait S. Gregorius ſemper ad finem tendimus. Mundus eſt inſtar ſcenæ, in qua peracta fabula perſonæ intrant, & abeunt. Seneca interrogat: Dic o Villa, o domus, o pecunia, quot Dominos habuiſti? quos adhuc habitura es? ubi nunc Salomon? ubi Samſon? ubi Abſalon? &c. C. in Ep. ad Cor. 7. v. 31.

1. Cor. 7.

Romanus Cato tria deplorabat: 1. Quod ſuum ſecretum revelaſſet mulieri. 2. Quod vel unum diem ſine fructu neglexiſſet. 3. Quod mari ſe commiſiſſet in itinere, quod pedibus conficere potuiſſet. Mare comparatur inſido mundo, o quot mundani dolebunt, quod illi fidem habuerint. C. Act. Apoſt. 27. v. 44.

### 271. *Eſt inimicus Deo.*

Jac. 4.

*Quicumque voluerit amicus eſſe hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituitur.* Ubi nota 1. Sæculum eſſe menſuram longiſſimi temporis, quo bona hæc terrena poſſidentur. Imo quis hodie invenitur, qui tamdiu illis fruitur. Sæculum ergo vel ex ipſo nomine contemptibile fit: econtra Deus eſt immortalis, incommutabilis. Nota 2. Licet bona ſæculi ſint caduca, ſperat tamen cor humanum illis magis adhæſurum quam Deo, qui pollicetur bona æterna. Ex una igitur parte offert mundus voluptates, honores, divitias, ex altera Deus bona æterna: æſtima, quid oporteat amplecti? Via qua mundus ducit, eſt quidem amœna, *via peccantium complanata lapidibus*, ſed quid in fine? *In fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ:* econtra via Dei quidem initio arcta, ſed in fine felix eſt. Cui e duabus viis te committis? ſæculi, an Dei? ſed dictum tibi puta: *Quicumque voluerit amicus eſſe hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituitur.* Ecce! conſtituitur, non, conſtituetur; nam idem eſt partibus mundi, ejuſque principiis ſe addicere, ac ſe pro inimico Dei declarare. &c. Segn. Manna 23. Mart.

Eccli. 21.

Hinc etiam fit, quod mundus odio habeat Sanctos: 1. Propter diſſimilitudinem morum: mundani enim habent mores mundanos, Sancti cæleſtes. 2. Propter invidiam, quia enim mundani ob concupiſcentias ſuas non poſſunt aſſurgere ad virtutem, econtra Sancti magnis paſſibus tendunt ad beatitudinem, ideo illos oderunt, & perſequuntur. 3. Propter diſſenſionem converſationis, cum enim mundani vident, quod Sancti ſe ſeparent ab eorum conſortio, ideo illos deſpiciunt. 4. Propter contradictionem ſenſuum & morum; cum enim Sancti carpunt, & redarguunt pravos mores mundi, imo ipſa vita Sanctorum mera eſt reprehenſio, & refutatio mundanorum; hinc offenſi mundani ajunt: Circumveniamus juſtum, quia contrarius eſt operibus noſtris &c. C. in Ep. 1. S. Jo. c. 2. v. 13.

Et tamen mundana mens amat, quod odiſſe deberet: O quam bene exclamat S. Bernardus: *Mundus clamat, ego deficiam! Caro clamat, ego inficiam! Diabolus clamat, ego decipiam. Chriſtus vero dicit, ego reficiam! Et tamen ſuperbamens magis vult ſequi deficientem quam reficientem!*

S. Bern. in Epiſt.

### 272. *Eſt plenus vitiis, & peccatis.*

Percurramus officinas, tabernas, plateas, & compita, inveniemus plura juramenta



ramenta quam lapides: Senatores in curia, Judices in tribunalibus quantas committunt injuſtitias, impunia ſunt ſcelera, ab omnibus vivitur, prout volupe eſt. Milites ſunt pleni petulantia, mercatores falſificant merces, & augent pretia, ſuperiores non publico, ſed proprio commodo invigilant, in pactis & contractibus quantæ fraudes, uſuræ, ſimoniæ, omnes avaritiæ ſtudent: in templis mera irreverentia, officium Divinum non frequentatur decentius, quam theatrum, in cathedris quæritur delectatio, non fructus, feſta videntur potius Adonidi, & Baccho, quam Deo ſacra: Quanta in populo fideli rerum fidei ignorantia, denique plenis furiis bacchatur vitium luxuriæ, a procis & illecebris nec templa ſecura ſunt &c. &c. B. ſerm. 40. §. 5.

S. Cypr. ep. 1. ad Donat.

S. Cyprianus ad amicum ſuum Donatum: *Pauliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, ſpeculare inde rerum infra jacentium facies.* Videbis terra, marique, in compitis, tribunalibus, & officinis, mendacia, injurias, fraudes, furta, perjuria, invidias, adulationes & oblivionem Dei, ac ſalutis. Videbis plurimos homines inſtar brutorum vivere abſque legis reverentia, & intuitu ſalutis. Videbis juſtos ac innocentes opprimi, ſceleratos in honore haberi. Videbis jura eſſe venalia, veritatem tegi, pudicitiam eliminari. Videbis dominari pecuniam, quemlibet ſtudere commodo proprio, & magnorum beneplacito: tandem *conſenſere jura peccatis, & cæpit eſſe licitum, quod publicum eſt &c.* B. ſerm. 47. n. 25.

S. Cypr. ibid.

Sicut in Arca Noe plures fuerunt pecudes, quam homines, ita in Eccleſia plures ſunt juſtis peccatores, qui more belluarum vivunt. B. ſerm. 47. n. 36.

Cauſæ ſeu radices, quæ mundum vitiis replent, ſunt duodecim abuſiones, quas S. Auguſtinus enumerat. 1. abuſio eſt, Sapiens ſine operibus, 2. Senex ſine Religione. 3. Adoleſcens ſine obedientia. 4. Dives ſine eleemoſyna. 5. Femina ſine pudicitia. 6. Dominus ſine virtute. 7. Chriſtianus contentioſus. 8. Pauper ſuperbus. 9. Rex iniquus. 10. Epiſcopus negligens. 11. Plebs ſine diſciplina. 12. Populus ſine lege. C. Prov. c. 13. v. 7. Et c. 30. v. 14.

### 273. *Decipit ſuis promiſſionibus.*

S. Aug. Serm. 11. ad Frat. in Erem.

S. Auguſtinus exclamat: *O munde proditor! cuncta bona promittis, cuncta mala profers: promittis gaudia, ſed largiris amarorem: promittis quietem, ſed ecce turbatio: promittis florem, ſed brevi evaneſcit: promittis ſtare, ſed cito cadis.* B. ſerm. 49. n. 9.

Sicut Antiochus promiſit ſe juvenem illum felicem facturum, ita mundus ſemper minus dat, quam promittit. S. p. 3. f. 24.

Puer Amalecita dum ægrotabat, a Domino relictus eſt: O inanem ſpem mundanorum! Jacob poſt multos labores a Labano decipitur.

I nunc, ſervi, cole, adora, ante cubiculum cum Amman, dum alii dormiunt vigilia, decipieris &c. S. p. 29. f. 129.

Carolus IV. iis, qui illi Philippum Auſtriacum prodiderant, non niſi adulteram monetam pro mercede ſolvi juſſit: conquerentibus repoſuit: Falſam fidem falſa moneta juſte compenſari. Conviv. appar. fol. 265.

Mahometi I. cum quis pro nuptiis illius filiæ urbem Conſtantinopolim prodidit, & pretium poſtea repeteret, Mahometes repoſuit: cum Chriſtianus ſis, & filiam cum dote petas, cutem veterem te exuere oportet, & ſic vivum excoriari juſſit. Lohner Tom. 3. fol. 592.

Mundus eſt domus mendacii, & omnis mundi opulentia ac felicitas præſertim inique acquiſita mendacium eſt, de qua merito Pſalmiſta: *Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Sic hæretici, cum a Catholicis premi ſe putant, implorant auxilium Turcarum, ſed poſtea ſentiunt ſe decipi, cum poſt victoriam ſubjugantur ſervituti Turcicæ. Sic Sagæ, Magi & alii deſperatæ fortunæ invocant dæmonem, ſed poſtea ſentiunt ſe decipi, cum corpus, & animam perdunt. Sic multi ſectantur vitam aulicam, ſed poſtea ſentiunt ſe decipi, dum poſt multorum annorum ſervitia ſe ventos, & fumos captaſſe experiuntur. Sic multi ſperant in Principe, aut amico, ſed poſtea ſentiunt ſe decipi, cum Princeps aut amicus ſpe citius moritur, aut levi delicto offenditur, & ſic tota ſpes illius in terram concidit. Confidis in filiis, quod futuri ſint baſes & columnæ familiæ, ſed mox hunc rapit bellum, illum peſtis, altum furca, quartus deneger fit, & rebellis &c. O quam vanæ, & inanes ſunt mundi ſpes! C. in Michæ. c. 1. v. 15.

Carolus Craſſus Imperatoria dignitate exutus, adeo deſpectui habitus eſt, ut triduana fame periiſſet, niſi a Luitberto Moguntino Archiepiſcopo fuiſſet refectus. Aven. l. 4. Annal. Boic.

Bo-

Mirchov. l. 4. rer. Polon. c. 20.

Boleslaus Poloniæ Rex poſt interfectum S. Stanislaum e regno profugus, in Monaſterio tandem Oſſiacenſi in Carinthia nutritus, ibi miniſteria culinæ obiit.

*274. Eſt peccatorum periculis plenus.*

Sicut noſocomium peſtilentibus ægrotis plenum fugis, ne peſte inficiaris; ita mundus morbis animæ plenus fugiendus eſt: Ita monet æterna veritas: *Exite de illa, Populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.*

Apoc. 18.

Sicut impoſſibile fere eſt in domo carbonarii inter ollas & cacabos verſari, & non denigrari; Ita fere impoſſibile eſt, in mundo cum mundo ſentire, & non peccare: hinc monet Deus per Prophetam: *Recedite, exite hinc, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini qui fertis vaſa Domini.*

Iſa. 52.

In mundo ſunt vanitates, honores, divitiæ, & voluptates: & quis inter has ſecurus erit contra peccatum? Ne cautiſſimus quidem! ideo monet S. Auguſtinus: O amatores Mundi, cujus rei gratia militatis? major non poterit eſſe ſpes veſtra, quam ut amici mundi ſitis, & ibi quid niſi plenum periculis, & per quot pericula pervenitur ad majus periculum! Dimittamus hæc vana & inania! conferamus nos ad inquiſitionem eorum, quæ finem non habent.

S. Aug. in lib. confeſſ.

S. Antonius Anachoreta in viſione conſpexit mundum plenum laqueis, exclamavitque: Domine, quis evadet?

Latinæ linguæ auctores grandem fecerunt ſolecyſmum, quod *Bellum, bellum* vocarint; Quid enim fœdius bello? Verum æqualis & major eſt eorum error, quod *Mundum mundum* nuncuparint; quid enim immundius mundo, qui plenus eſt immunditie omnium vitiorum.

*275. Vitia palliat nomine virtutum.*

Adulator dicitur urbanus, prudens vocatur ſtultus, garritor politicus, taciturnus moleſtus, vindictæ cupidus, generoſus, manſuetus timidus, prodigus liberalis, providus tenax, laſcivus ingenioſus, modeſtus melancholicus, ita, ait Sanctus Baſilius, *Vitia vicinis virtutibus honeſtare contendunt*, verum minatur Deus: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. &c.* B. ſerm. 17. n. 5. & ſeq.

Herodes occiſionem Joannis putabat Religioſam obſervationem juramenti. B. ſerm. 23. n. 15.

Abner dum Isboſethum a throno dejecit, quem prius evexerat, juſticiam ſe facere contendit, quæ tamen nil niſi vindicta erat. B. ſerm. 25. n. 25.

Jehu grande quid ſe feciſſe exiſtimabat, dum Regem Achab interemit, & tamen non tam ſcelerum punitio, quam regni ambitio fuit. B. ſerm. 23. n. 26.

Tanta eſt mundi depravatio, ait Sanctus Auguſtinus, ut *jam nequitia ſit juſtitia, & prohibitor potius reprehenditur, quam factor.* B. ſerm. 40. n. 30.

S. Aug. ſer. 44. de Verb. Dom. in Jo.

*Sanctificant bellum, canonizant odium*, ait Propheta, ita mundus agit, dilaudat ſcelera tanquam bene facta. &c. S. pun. 20. fol. 78. & ſeq.

Sanctus Gregorius ait: Antiquus hoſtis tanta ſe arte palliat, ut plerumque vitia virtutes fingat, & vel ipſa capitalia pallio virtutis obtegat: Gulam, & avaritiam pallio neceſſitatis tegit, ut fami ſatisfiat, ut pauperibus conſulatur &c. acediam velat pallio defatigationis, ut neceſſarium ſuum natura levamen habeat. &c. S. punct. 35. fol. 151.

S. Greg. Mor. l. 37. c. 17.

Caſſiodorus: Adulatio blanda omnibus applaudit, prodigos vocat liberales, avaros parcos & ſapientes, laſcivos curiales, garrulos affabiles, obſtinatos conſtantes, pigros maturos & graves &c. M. conc. 40. aſſ. 3. n. 3.

*276. Premit graviori jugo, quam Chriſtus.*

Pambus Monachus dum in urbe Alexandria feminam videt compte veſtitam, & ornatu ſuo moleſtiſſime oneratam, flevit: cauſam rogatus repoſuit, fleo, quia tot ac tanta non facio pro Deo, quanta facit hæc mulier pro mundo. &c. B. ſerm. 24. n. 41. ſeq.

Eſt aliquis iracundus, qui ait ſe genium proximi ſufferre non poſſe, verum ingrediamur tabernam luſoriam: ibi qui ſiniſtra fortuna ludit, in varias blaſphemias, & injurias erumpit: tolerantur iſta? omnino; quia ſi non tolerarentur, luſus interrumperetur: diſſimulantur omnia lucri ſtudio. Econtra qui fortunam faventem habet, intumeſcit, & variis ſarcaſmis, imperiis, ac vexationibus alterum cruciat; Tolerat alter? omnino, lucri & luſus cauſa. O ſi tanta pati deberet pro Chriſto. &c. B. ſerm. 24. n. 38.

Sanctus Petrus cum, & pro Chriſto non poterat una hora vigilare, & dum adhuc piſcator erat, potuit tota nocte inſomnis laborare pro lucro.

Quid non ſuſtinet evanida mulier propter vanitatem. Nonne moleſtum eſt denudare collum, & hyemis, ac frigoris injuriis exponere? Nonne moleſtum eſt corpus conſtringere fere, uſque ad ſuffocationem halitus? nonne moleſtum eſt identidem lavare, ac fricare manus, ut perpoliantur, ungere & criſpare crines, famem & ſitim pati, ut ſumptus ad ornatum impendantur, ſomnum interrumpere, ut habeatur prolixius tempus ad ornamenta. &c. B. ſerm. 24. num. 25.



Quæſo, an unquam mundus ſuis promiſſis ſtetit? Quam mercedem dedit ſuis amatoribus pro tot ſerviciis, moleſtiis, & laboribus? memoratu digna eſt Sancti Cyrilli parabola: Navarchus ingentem cetum pro inſula habuit: deſcendens autem e navigio ſenſit inſulam moveri, & deluſus a piſce audire debuit: quare fidem mihi habuiſti, qui nihil habeo ſtabilitatis? Ita mundus illudit ſuis.

Circumſpice, o homo, & vide, quam turpiter mundus deceperit: quot bona terrena, quot honores, quot dignitates perierunt? Jacob quatuordecim annis pro Rachele ſerviens decipitur Lia: Amaſa Joabum tanquam amicum optimum complectens pugione confoditur. &c. En bella merces mundi? quis mundo fidat? &c. B. ſerm. 49. n. 10.

In aula magni cujuſdam principis diebus antecineralibus ſaltatur per viginti fere horas: altera die, cum magni Nominis Epiſcopus ſacrum facturus, & perſonas Principes ſacris cineribus conſperſurus quæreret, ubi aula eſſet? reſpondebatur, eſſe adhuc in choreis. Tandem comparuerunt ſudore, & pulvere perfuſi, languidi, ſomnolenti, fracti viribus &c. una erat omnium interrogatio, an prolixum ſacrum faceret Epiſcopus. O ſi tantos labores debuiſſent ſuſtinere pro Deo, pro cælo! viginti horis erant in choreis, & unicum ſacrum nimis illis erat prolixum. &c.

Puer Amalecita ægrotus deſeritur, Jacob a Labano decipitur: quis ſimilia a Chriſto experitur? S. punct. 29. fol. 129.

Amman ambitioſus ille aulicus dum alii dormiunt, noctu vigilat, ne quis ſibi vel de nocte gratiam Regis furetur: ita multi immenſis laboribus, ac moleſtiis favorem magnatum aucupantur: & qua mercede? Non alia, quam, velut ille dixit, cruore ventos emimus. S. punct. 110. fol. 326.

*Gemunt gigantes ſub aquis*, ubi Gregorius: elati omnes, dum aſſequi honorum celſitudinem cupiunt, ſub ponderibus populorum gemunt; & Bernardus: o ambitio ambientium crux. &c. S. punct. 110. fol. 326. Vide Titulum: *Ambitio.*

Quam intolerabile tormentum eſt mala conſcientia? Sanctus Bernardus ait: Nulla pœna major mala conſcientia: ipſa eſt delictorum teſtis, ipſa Judex, ipſa tortor, ipſa carcer, ipſa judicat, ipſa punit, ipſa damnat. Et Pacatus: Magis lancinant, & torquent vitia, quam cruces, quam verbera, quam tormenta. S. punct. 160. fol. 516. & 518.

Deliciæ mundi amariores ſunt, quam cruces Chriſti, ait Sanctus Thomas de Villanova: crux blanda, crux dulcis, crux non crucians; econtra datur etiam crux diaboli, crux ſiniſtri latronis, in qua pendent ſuperbus, avarus, impurus. &c. S. punct. 27. fol. 660.

Duo illi Aulici apud Sanctum Auguſtinum ajebant unus ad alterum: Dic quæſo, omnibus laboribus noſtris quo ambimus? majorne eſſe poteſt ſpes noſtra quam ut amici Imperatoris ſimus? & ibi quid non fragile, & plenum periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? & quamdiu iſtud erit? amicus autem Dei, ſi voluero eſſe, ecce nunc fio. &c. S. punct. 31. fol. 735. in fine.

Propter unicum errorem mundus obliviſcitur maxima beneficia præcedentia. M. conc. 20. aſſ. 1. n. 12.

Rex Joakim in honorem idolorum ſibi vulnera incidit: o ſi tale quid facere deberet Chriſtianus pro vero Deo! &c. Coutinno in Feſt. S. Bened. §. 4. n. 6.

S. Chryſoſtomus ait: *Quamvis diabolus imperet moleſta, & horum mercedem ponat gehennam ac inimicus ſalutis noſtræ ſit, magis illi obtemperamus, quam Chriſto, qui ſalvator eſt, ac benefactor taliaque dicit, quæ & utiliora, & ſuaviora ſunt.* A. lect. 6. n. 15.

S. Chryſ. Hom. 6. in Act.

Chriſtus Dominus vult quidem ut mortifices paſſiones, ſed his mortificationibus paulatim ita vales aſſueſcere, ut dulces videantur: econtra dum vult mundus ut concupiſcentiæ & ſenſibus indulgeas, an ſimul tribuit, ut illis ſatisfacias? neutiquam! qui eos magis fovet, magis reddit inſatiabiles ſicut ignem: hoc non eſt reddere felicem, ſed inquietum.

Dein ſi Chriſtus aliquid præcipit, quod repugnat nativæ propenſioni, dat talia auxilia ut opereris etiam ſupra naturam. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Econtra mundus, quamvis te jubeat vivere in luxu, non idcirco dotes & media ti-

tribuit, ſed facit ut Pharao, qui præcepit Iſraelitis opera fabrilia, & tamen materia, non ſuppeditavit: *Colligite, ſicubi invenire poteritis.* Exod. 5.

Denique etiam conſilia Evangelica Chriſti alleviant præcepta, faciuntque majorem in his obſervandis perfectionem, hinc ſunt onus ſicut alæ columbarum, quæ quidem ex ſe habent aliquam gravitatem, nihilominus ſerviunt ad faciliter librandum corpus in aera: econtra illa peccata, quæ Mundi amore facis, ferunt afflictionem incomparabilem, & paulatim enervant ſpiritum, ut ad bonum omnino inhabilem reddant. &c. Zegn. Manna 19. Aug. n. 2, 3. ſeq.

*277. Contemnendus cum omnibus ſuis bonis.*

Prudenter ac merito Sancti omnes deſpiciunt mundum 1. Quia vanus & tranſitorius eſt! Ponamus, quod viginti triginta, aut centenis omnino annis omnia mundi bona poſſideas, tandem finis adveniet, & quid ſunt centeni anni ad cæleſtia bona, quæ æternum durant, Momentum ſunt, & minus momento! Jam interrogat S. Auguſtinus: *Quid vis? an amare temporalia, & tranſire cum tempore, aut amare Chriſtum, & in æternum vivere.* Et S. Bernardus ait: *Ubi ſunt amatores mundi, qui pauca ante tempora nobiſcum fuerunt. Nihil ex eis remanſit. niſi cineres & vermes.* S. Aug. ſuper Ep. Joan.

2. Quia fallax eſt mundus, nullum gaudium dat ſine dolore, nullum ſaccharum ſine abſynthio: propinat mel, & ſicut apis ſimul aculeum figit: imitatur factum Joabi, qui dum Amaſam amice ſalutavit, & manu dextera mentum ejus quaſi oſculans tenuit, ſiniſtra gladium ejus lateri infixit. Sic Mundus facit: ubi eſt valetudo corporis, quæ non tandem deſinit in morbum letalem? divitiæ migrant in paupertatem, honores in contemptum, voluptates in terribilem conſcientiæ remorſum. Quis unqoam felicior fuit Salomone? poſſedit omnia, quæ mundus habet, & tandem faſſus eſt, quod hæc omnia ſint vanitas vanitatum, & meriſſima vanitas.

3. Quia inconſtans eſt mundus, velut mare, quod hac hora tranquillum, & malacia amœnum, poſt horam millenis fluctibus turbulentum eſt ad perniciem navigantium. Sic Mundus, multos in altum elevat, ut lapſu graviore illos cadere permittat. Quis fuit Sejanus? ſub Tiberio Imperatore tantæ fuit authoritatis, ut illo abſente Romæ Imperatorem ageret, aureoque in curru veheretur. Sed ſubito in vincula conjectus, capite plexus, & in Tiberim projectus eſt. Quis fuit Belliſarius? poſt ingentes de barbaris reportatas victorias, a Juſtiniano Imperatore oculis orbatus, ad eam miſeriam devenit, ut ad templum S. Sophiæ ſtipem mendicare ſit coactus. &c. O munde proditor, cuncta bona promittis, & cuncta mala profers.

*278. Eſt ingratus beneficiis.*

Rolandus Petri II. Siciliæ Regis frater ab hoſtibus capitur, ſed a Camilla Thuringa caro pretio redimitur ea conditione, ut ſibi nuberet. Promiſit: ſed liber factus renuit, obtendens, ſibi vilem nimis eſſe hanc ſponſam. Illa ingratitudinem mundi contemplata Monaſterium ingreſſa eſt. F. 3. l. 7. fol. 301.

Thomas Morus ajebat: Bene, ac laudabiliter facta pro merito compenſare mundus hic nec ingratus ſolet, nec gratus poteſt. C. Exod. 1. v. 10. Vide, Principum favor, quam fluxus: Supra lib. 5.

Delicta, ajebat nonnemo, mundus ſculpit in marmore, merita ſcribit in pulvere. Beneficiorum cito, injuriarum nunquam obliviſcitur. Ibid.

Quidam artifex præſentavit Tiberio Cæſari phialam vitream, quam malleolo confecerat. Cæſar phialam in pavimentum projecit, & artifex mox illam refecit. Sed Cæſar illum decapitari juſſit, ne ars iſta propagaretur. VV. Art. diſc. font. 24. Ex. 3. Sic Mundus merita coronat.

Deus mundum e nihilo creavit, per plurima ſæcula conſervavit, humanum genus liberaliter nutrivit, Filium ſuum de cælis miſit, qui in humana carne frigus, æſtum, paupertatem, contemptum & perſecutiones paſſus, tandem vitam & ſanguinem in cruce dedit, ut mundum redimeret! & quid gratitudinis pro tot beneficiis a mundo recepit; nil niſi accuſationes, calumnias, verbera, ſputa, flagella, ſpinas ipſamque mortem.

S. Arſenius Arcadium Theodoſii Imperatoris filium a teneris fideliſſime inſtruxit. Quid gratitudinis recepit; inſidias mortis. Quare ex aula in eremum fugiens adeo deſpexit mundum, ut etiam pecuniam ex paterna hereditate allatam non acceptarit, inquiens: Ego prior Patre mortuus ſum.





*279. Deſerit ſuos in afflictione.*

Judas in extrema deſperatione remedium quæſiturus apud Phariſæos, & Sacerdotes Synagogæ retulit pretium ſanguinis, ſed nihil aliud audivit, quam illud: *Quid ad nos? tu videris!* Ita mundus agit, cum ei diu ſerviiſti, in ultima mortis afflictione inſultat: *Quid ad nos. &c.* A. lect. 6. n. 18.

Malum citrinum, quamdiu ſuccoſum eſt, premitur, & exprimitur, cum autem expreſſum eſt, & ſuccum non amplius reddit, in ſterquilinium abjicitur. Ita agit ſæpe amicitia mundana: quamdiu ab amico ſervitia, & beneficia exſpectare poteſt, blanditur, & obſequia defert, cum autem amicus exhauſtus, & emunctus eſt, aut infortunio ad inopiam reducitur, tunc contemnitur, & deſeritur.

Non poteſt mundus ſuos tueri, & conſtantiam dare rebus proſperis, quia ipſe ſibi non conſtat; tranſit enim cum tempore, annus annum, dies diem, hora horam trudit, & ſic mundus ad finem vergit. Bene S. Cyprianus: Defecit in agris agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocentia in foro, juſtitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus diſciplina. C. in Ep. 1. S. Joan. c. 2. v. 17.

Petrus Conſalvus ſuperbe per urbem equitans, cum ab equo in lutum excuſſus a pueris & plebe ludibrio haberetur, ſibi iratus dixit: O Munde cui tam fideliter ſervivi, ſic a te tractor? Ego quoque, prout mereris, tractabo! Et ſic in Sacrum Ordinem S. Dominici receſſit.

## Mundani honores.

*280. Sunt fluxi & inconſtantes.*

Num. 17. SUmmum Sacerdotium fuit Aaroni propoſitum ſub ſymbolo floris, ait Ambroſius, *ut ſummam haberet humilitatem ſciens commiſſum ſibi florem poteſtatis.* Multi a regiis dignitatibus ad infimam ſortem delapſi ſunt.

Joſephus noluit proregis dignitatem Patri ſignificare, quia dubitabat, an non citius gratia & honore regis excideret, quam nuntius ad Patrem pertingeret. B. ſer. 14. n. 18.

Nihil potentius eſt ad retundendam mundi ſuperbiam, quam cineres mortuorum: abi ad ſepulcra diſcerne inter cineres divitis & pauperis, Alexandri, & Diogenis, &c. B. ſer. 17. §. 2. 3.

*Velut ſomnium ſurgentium* ſunt mundani honores, in momento enim mortis magni & potentes hujus mundi quaſi ſomniaſſe ſibi videbuntur. B. ſer. 18. n. 13. Pſ. 72.

Navigium illud ab Ezechiele viſum ad omnem ornatum erat inſtructiſſimum, ſed anchora carebat: ita honores mundani carent firmitate. S. p. 29. f. 128.

*Circumrotatio concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum:* Eſt alluſio ad luſum puerorum, qui circumgyrant ſe, & cadunt: ita magni, ac potentes omnes hujus mundi denique cadunt &c. S. p. 64. f. 222.

Deus oſtendit Joſepho futuræ celſitudinis ſigna ſolem, lunam, manipulos. Sed hæc omnia etiam humilitatis monita ſunt, ſol, luna occidunt, manipuli falce demetuntur, &c. S. p. 125. f. 389.

*Pertranſierunt quaſi naves poma portantes:* Quid velocius navigio diſparet, &c. S. punct. 126. f. 394.

Chriſto Domino modico temporis intervallo acclamatum eſt: *Benedictus, qui venit in nomine Domini:* Et: *Non hunc, ſed Barrabam.* S. p. 17. f. 609.

Præpoſitus pincernarum ſomnium habuit ſe ad priſtinum honoris gradum rediiſſe: Ubi Ambroſius: Bene ſomnium habuit, quia omnis regum potentia ſomnium eſt. Reges in Apocalypſi dicuntur quaſi Reges, quia velut in ſomniis regnant, ait Auguſtinus. Siquis in Germania conſulatu fungitur, non ideo honoratur ſi ad barbaras nationes venerit: ergo honoribus nihil ſolidum ineſt, ait Boethius, alias ſicut ignis non perdit calorem, ſic nullibi perderent reverentiam. S. p. 10. f. 626.

Urbanus VII. tantum duodecim diebus, Marcellus II. viginti duobus, Leo XI. viginti ſeptem regnarunt. D. 6. 56.

Carolus V. Imperator Ruſticum Gandavi in trivio præ temulentia ſtertentem in aulam ſuam perferri regioque in lectulo collocari juſſit: cum edormiſſet crapulam, aderant famuli, qui ſplendidis veſtibus adhuc dormitantem induebant, & tanquam Regem venerabantur. Ruſticus deterſis oculis, rei novitate obſtupeſcens, & vigilantem ſe ſomniare exiſtimans mox præſtigiis ſe decipi credens adjurationibus & obſignationibus cacodæmones abigere conabatur. Verum cum tandem & menſa regio apparatu inſtruebatur, præſentem felicitatem amplectens, nec qua ratione eam adeptus eſſet ulterius perpendens, regio ſupercilio a famulis miniſteria exigere cœpit. Porro ubi vino obrutus in ſomnum

mnum rurſus incidit, veſtibus ſuis indutus, & in eodem trivio repoſitus eſt. Cumque ebrietatem diſcuſſerat, ſomnianti ſibi ea accidiſſe conſtanter aſſeverabat. VV. ar. diſc. font. 32. ex. 1. Vix melioris conditionis ſunt mundanæ dignitates, diſparent velut ſomnium: Reges, Principes, & magni Domini quondam in æternitate ſe ſomniaſſe putabunt.

Lapis Topacius olim majori fere in pretio fuit habitus, quam adamas; hinc in tiaris Præſulum, & coronis regum præ adamante fulgebat: Puto hoc ſymbolicum aut morale fuiſſe; quamvis enim clariſſima gemma ſit, & alias claritate ſuperet, tamen hoc habet ſpeciale, quod imaginem, quam recipit, inverſam repræſentet. O quam cito honorum mundanorum inverſæ cernuntur imagines! Rex qui modo in throno ſedet, paulo poſt in ſepulcro jacebit. Arma & inſignia gentilitia ſupra tumbam inverſa collocabuntur, &c. H. ſer. 20. f. 299.

Zeno Imperator audita ſuorum clade dixit: *Ludibrium Dei eſt homo!* Alexand. Magnus cum fulmine pictus, quo inſtar fulguris in triumphis apparuit, veneno & morte inglorius diſparuit, cui unus non ſuffecit orbis poſtea ſarcophago contentus jacuit. Homo vitæ commodatus, non donatus eſt, ait Seneca, ſi mundus punctum eſt, quid erunt regna & reges? *Hoc punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur! O quam ridiculi ſunt mortalium termini, &c.* C. Eccleſ. 1. v. 2.

Audi quomodo Philoſophus definierit mundum! Quid eſt Mundus? *Eſt ſchola vanitatis, forum impoſtorum, ſcrinium dolorum!* C. Iſa. 24. v. 10.

Vanitas mundani honoris exprimitur per ſolem: licet enim ſol ſit *cæli oculus, temporum rector, ſyderum dux, animantium pater*, ut ait Nazianzenus, tamen 1. inſtabiliter rotatur, oritur, & occidit. 2. Singulis momentis regionem, & locum mutat. 3. Lumen paulo ante altiſſimum in occaſu perdit. Ita parem in modum mundani honores vani & inſtabiles ſunt. C. Eccleſ. 1. v. 6.

281. *Raro non mutant mores.*

Joſephus Ægyptius exul, & iniqua fortuna, fratrumque invidia oppreſſus, ubi ad ſummum Proregis apicem aſcendit, adeo non mutavit virtutem & mores, ut fratres, a quibus graviſſime fuit offenſus, amiciſſime habuerit. Sicut fuit in domo Patris innocens, patiens in adverſis, fidelis in ſervitio, caſtus in tentatione, ſapiens in occultorum reſeratione, prudens in futurorum proviſione, juſtus in fratrum caſtigatione, ita dein fuit pius in eorum ſuſceptione.

Villegiſus ex Patre Rhedario natus ab Othone III. ad Epiſcopatum promotus, & inter S. R. I. Electores primus adoptatus, ne ſe efferret, crebro ſibi ipſi ingerebat: *Vide quis ſis, memento quis fueris!* unde & rotam ſuo muſæo appingi curavit, quæ poſtea Archiepiſcopatus Moguntini inſigne, cum approbatione Henrici II. Imperatoris fuit.

Bened. XI. ex paupere creatus Pontifex Matrem a Matronis Romanis ſplendida veſte exornatam, diſſimulavit ſe agnoſcere: cum vero Mater depoſitis ſericis veſtibus ſuas pannoſas induit, tum Pontifex eam amplexatus eſt, inquiens: Hoc habitu Matrem reliqui, hæc ita mea eſt.

Franciſcus Galliarum Rex a Carolo V. captus in pariete ſcripſit: *Hodie mihi, cras tibi*, quibus ſubſcripſit Carolus æquali humilitate: *Homo ſum, nihil humani a me alienum puto*. C. Gen. 43. v. 23.

Sed hæc prodigio ſimillima, & albo corvo rariora ſunt. Honores mundani vel ideo amore & affectu indigni ſunt, quia virtutis inimici ſunt. Pauci inveniuntur, qui dum ad honoris apicem eluctantur, non amicitiam, modeſtiam, manſuetudinem, humilitatem aliaſque virtutes perdunt: Hinc adagium: *Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum, &c.*

282. *Tandem deſinunt ſæpe in miſeriam.*

Balvæus Cardinalis idolum Galliæ, Regis intimus tandem æmulorum invidia gratia Regis, excidit, & miſere in carcere moritur. F. 3. l. 6. f. 219.

Comes a S. Paulo antea Regis pupilla, de crimine conjurationis ſuſpectus, profugus ab amico proditur, & decapitatur. F. 3. l. 6. f. 222.

Gilimer VVandalorum Rex a Belliſario victus, captuſque in triumphum ductus eſt, juſſuſque publice adorare thronum Juſtiniani Imperatoris, ubi edixit, & repetiit illud: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. C. Eccleſ. 1. v. 2.

Ipſe Belliſarius poſt victorias ac triumphos, juſſu Theodoræ Imperatricis violentas manus in S. Silverium Pontificem injiciens, juſta Numinis vindicta eo miſeriarum redactus eſt, ut excæcatus, & bonis omnibus ſpoliatus mendicare coactus ſit. Ibid.

Lo-



Lotharius Imper. Caroli Magni ex Ludovico Patre Nepos, conſiderata rerum vanitate, depoſita corona in humile Monaſterium receſſit.

Eutropius Patritius Conſtantinopolitanus & Arcadii Imper. Tutor, ex invidia Ducum Exercitus accuſatus, ad Eccleſiæ aſylum confugit, ſed quoniam ipſe Eutropius paulo antea jus Aſyli Eccleſiæ abrogare voluit, extractus, & S. Chryſoſt. nequicquam contra nitente, Chalcedone decapitatus eſt. Ibid. &c. &c.

Henricus Friderici II. filius in viginti annorum captivitate Bononiæ moritur, pro cujus liberatione Pater auream catenam mœnia urbis ambientem dare voluit. VV. ar. diſc. font. 23. Ex. 9

Donradinus Dux Sveviæ, Regiæ ſtirpis, publice Neapoli decapitatur. *T n.* 320.

Henricus Imperat. a Summo Pontifice excommunicatus tam viliter habitus eſt, ut Ermenoldus Abbas illi fores Eccleſiæ, & Monaſterii in faciem occluſerit. *Nadaſi 6. Jan.*

Sebaſtianus Rex Portugalliæ a Mauris prælio captus, tandem in carcere inedia, & ærumnis conficitur. *Theatr. Trag. Hiſt.* 36.

Andronicus Imper. e throno dejectus, ſævienti populo expoſitus, manu & oculis orbatus, miſere obtruncatur. *D.* 3. 83.

Carolus Stuardus Rex Angliæ a ſuiſmet ſubditis neci adjudicatus capite plectitur. *D.* 12. 59.

Henricus IV. Galliarum Rex Pariſiis in publica platea a ſicario confoditur. *Theat. Trag. Hiſt.* 7. *n.* 17. *& ſeq.*

283. *Prudenter, & merito contemnuntur.*

1. Quia avocant animum a Deo, & cœleſtibus. S. Gregorius Magnus e ſolitudine ad Pontificatum vocatus lamentabiliter conqueſtus eſt, ſe non poſſe amplius vacare Deo propter ſtrepitum negotiorum. *Me miſerum; alta quietis meæ gaudia perdidi*. A. lect. 7. n. 1. *In Epiſt. ad Theodiſtam.*

2. Quia ordinarie mutant mores: habetur ab experientia, eos qui ad altiora promoti ſunt, totos alios fuiſſe factos: Nero & Caligula initio principatus ſpem maximam de ſe faciebant, dein facti ſunt tyrannorum primipili. Similiter Triphon & Tiberius erant ante regnum manſuetiſſimi, dein ſæviſſimi. D. 11. 5.

3. Quia ſunt mutabiles, ac valde periculoſi: Cum antiquitus Imperatores pecuniam, aut alia munera in ludis inter populum projiciebant, ingens erat tumultus & compreſſio populi, fuere plurimi, qui loco munerum verbera, & cruentum verticem reportarunt: illi ergo, qui vere erant ſapientes, e multitudine ſe ſubducebant, nec intuitu incertæ ſpei volebant ſe periculis exponere. *Seneca Ep. 74. ad Lucil.* Sicut Imperatores, ita fortuna diſtribuit ſuas dotes, o quanta multitudo & ambitio candidatorum, quilibet vult a fortuna beari. Verum qui ſapiunt, perpendunt, quod multi miſere decepti ac ſupplantati ſint & ideo ſe ſubducunt, ac fugiunt, ne in miſeros caſus more aliorum incidant. D. 7. 1.

4. Quia ſunt ingentes moleſtiæ, & onera: Apoſtoli de majoritate litigabant *in via*. Quare in via? quia honor ſeu majoritas iſta, laborioſa itineratio eſt, &c. Diabolus ad Chriſtum ajebat: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me! Ecce; antequam quis regnet, aut præſit, prius cadere debet. M. conc. 13. §. 3. nu. 1. Salomon Rex ungitur in *Gihon*, quod interpratur, *Luctatio*; regnare enim nemo poteſt ſine lucta, luctu, & luctatione. M. conc. 15. §. 3. n. 3.

5. Quia honores mundani in comparatione ad cœleſtia vanitas, & purum nihilum ſunt. Iſaias ait: *Attenuati ſunt oculi mei ſuſcipientes in excelſum*. Quid vult dicere? Suſpice in altum, intuere ſolem, dein reflecte oculos in terram. Quid vides? Nihil! non amicos, non domos, non fontes, non palatia! hebetati ſunt oculi! Ita ſiquis æternam cœli gloriam conſiderat, omnes mundi honores pro umbra, & pro nihilo reputat.

Mundana Amicitia.

284. *Non diu durat, inſtabilis eſt.*

SAnctus Diadochus ait: *Amicitia ſecundum carnem, quia non alligatur ſenſu ſpiritus perfacile quavis occaſione inventa diſſolvitur*. M. conc. 35. aſſ. 1. n. 3. *S. Diad. de perfect. Spirit.*

*Meliora ſunt ubera tua vino.* Uva ſemel expreſſa, quomodocunque deinceps prematur, non amplius reddit liquorem; verum ubera ſemper lac fundunt: ita mundana amicitia tantum ſemel fert opem, ſi altera vice redieris, jam ſiccata erit uva. M. conc. 35. aſſ. 1. n. 14.

Quam fluxus & inſtabilis eſt favor principum: *Surrexit in terra Rex novus qui non noverat Joſeph*. Ecce! Joſephus ſervavit in fame Ægyptum, & innumera beneficia regno contulit, ſed *verum beneficium* ait Pindarus, *oblivioni, &* *Exod. 1.*

 quaſi

*quaſi ſomno traditur.* Ita conqueſtus eſt Volſæus, qui Henrico VIII. Angliæ Regi divortii cum Catharina cauſa fuit, & poſtea Regis indignationem incurrit: *Ego, quia non Dei, ſed Regis favorem quæſivi, hinc gratiam Dei amiſi, & regis non acquiſivi, &c.* Sanctus Bernard. exclamat: *O ſæculum nequam, quod ſolos tuos ſic ſoles beare amicos, ut Dei facias inimicos. Invenit Aman gratiam apud Regem Aſſuerum, hæc illi gratia crucem peperit: invenit gratiam apud Abſalonem Achitophel, hæc illi ſuſpendium attulit.*

S. Ber. Ep. 107.

Quamdiu Chriſtus miracula fecit, omnes diſcipuli illum ſecuti ſunt. Cum autem in horto captus & ligatus fuit, omnes fugerunt.

Magnes tenaciſſime ferro adhæret, cum autem adamas illi offertur, ferrum relinquit, & adamantem adamat. Ita multi cum ad pinguiorem fortunam aſcendunt, aut amicum potentiorem ſortiuntur, amicitiæ priſtinæ valedicunt.

285. *Sæpe deſinit in odium benefactoris.*

Sara commendavit Abrahamo ancillam Agar, ut eam aſſumpſerit in uxorem ſecundariam. Quam gratitudinem retulit Saræ? peſſimam; nam identidem vexabatur ab Agar. Ecce; etiam illos adverſarios experimur, quos commendavimus, & promovimus. C. Gen. c. 16. v. 5.

Vapor terræ ab imo ſurſum elevatur, & nubibus aſſociatur: ſed ecce; ingratiſſimus vapor in alto tempeſtates ciet, fulgura & grandines in terram, a qua originem traxit, dejicit: Ita multi cum promoventur, in ipſos promotores ſuos ſæviunt.

Sanguiſuga tenaciſſime adhærens ſanguinem illius ſugit, parum curans ſi ſanguinem illi omnem exſugere poſſet. Ita multi utuntur beneficiis amici, parum curantes illius ruinam, aut pauperiem, modo ſibi bene ſit.

Sicut ſpecula concava magnas faciunt rerum imagines, interim dum ſolis radios excipiunt, ignem concipiunt, & res vicinas inflammant: Ita amici mundani tegentes inimicitiam, curvat ſeſe, ut amicum honorent, ſed ſub curvitate dolos abſcondunt, ignemque colligunt, quo amicum exurant, & perdant. C. Eccli. 12. ver. 10.

Saul pepercit Agag Regi Amalec, a quo poſtea deſcendit Aman ille impius, qui Hebræum nomen delere ſub Aſſuero ſtuduit, ſed prohibitus eſt a Regina Eſther. C. Eccli. 12. v. 10.

Ingratitudinem amici quam optime habiti expreſſerunt veteres hoc emblemate: Pinxerunt capram, quæ lactabat juvenem lupum, cum hac epigraphe: *Mea me poſt ubera paſcet*, quo inſinuare volebant, ſæpe amicum a juventute nutriri, educari, & optime haberi, qui ad apicem fortunæ elatus benefactorem deſpicit, & perſequitur.

286. *In adverſitate deſerit.*

Cum Chriſtus in horto, militibus proſtratis facultatem dedit ſe capiendi: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, cumque illi Domino vincula & funes injicerent, *Tunc diſcipuli relicto illo omnes fugerunt.* Nota; *Tunc*, cum oportuiſſet maxime ſtare; *Tunc* cum debuiſſent ſuam amicitiam & fidelitatem maxime oſtendere; In ultima cœna adfuerunt omnes diſcipuli: cum cœpit pavere & tædere, remanſerunt tres; cum captus & ligatus eſt, tunc omnes fugerunt; ſic conſtituta eſt mundi amicitia; cum fortuna arridet amico, amat & blanditur; cum ſiniſtra ſors, & adverſitates ingruunt, amici omnes fugiunt, præſertim in morte, &c. Stanihurſt. de Paſſ. Dom. §. 22.

Matt. 26.

Volucres illæ transfugæ, quæ in alienas terras migrant, ſunt ſymbolum falſæ amicitiæ, uti hirundines, ciconiæ, aliæque tempore æſtatis, quamdiu hæc durat, cantillant, vorant, lætantur; cum autem hyems advenerit, in aliam mundi partem avolant. Sic mundani paraſiti; quamdiu apud amicum fortunarum pabulum ſui marſupii, ventriſque inveniunt, illi adulantur & adhærent: cum autem fortuna amicum deſeruerit, factum ex divite pauperem deſpiciunt, ac derelinquunt. De his enuntiat Sapiens: *Eſt amicus ſecundum tempus, & non permanebit in die tribulationis.* C. Eccli. 6. v. 7.

Eccl. 6.

Bene cecinit Poeta: Donec eris felix multos numerabis amicos! tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris; Hydrargyrus, ſeu argentum vivum eſt auro amiciſſimum: verum cum hoc crematur in fornace, avolat, & diſparet. Sic Amicitia. C. Eccli. Ibid.

287. *In morte aut poſt mortem deſinit.*

Rara erat amicitia Davidis erga Regem Saul, utut inimicum ſuum: cum illi nuntiata fuit mors illius, præ luctu

2. Reg.

fere



fere ſui impos juſſit nuntium trucidari. Viris autem Jabes Galaad, qui ſepelierunt corpora Saul & filiorum, gratias egit. Jam non amplius ſic; amicitia, utut antea ſincera, per mortem extinguitur, imo mors amici ſæpe deſideranter exſpectatur, uti filii exſpectant mortem parentum, heres cognati, cliens patroni &c. tunc clam gaudent, exultant, & defuncti non amplius recordantur.

Engelgr. p. 2. Luc. Evang. Dom. 13. §. 3.

In Belgio Vir opulentus in extrema lucta uxorem, filios & filias in opem vocat, rogans ut vitam ſibi una hora prolongarent. Reſponderunt illi, hoc non eſſe in ſua poteſtate! Tunc æger lamentans ajebat: Me miſerum! ego vitam, valetudinem, corpus & animam vobis impendi, & jam non impetro tantillum obſequium! O utinam Deo, non vobis ſerviiſſem! Sic multoties & fere ſemper fit, mors amicitiam, & paulo poſt etiam memoriam tollit.

Sicut argentum vivum licet auro arctiſſime ſit copulatum, in igne tamen illud deſerit; ita amicus mundanus, licet viventi amico fortiſſime adhæreat, in morte illum deſerit: imo etiam poſt mortem in igne, dum emortui diſpoſitiones, & ultima voluntas non datur executioni.

Vulneratus Rex Saul luctabatur cum morte, metuens, ne vivus adhuc in manus hoſtium deveniret, vidit haud procul ſtantem Virum Amaleciten (fuerunt autem Amalecitæ gentilis populus, cui Rex Saul contra mandatum Domini pepercit) hunc ergo cum vidit, advocans illum rogavit, ut ſeſe cum morte luctantem novo vulnere interficeret: *Stans ſuper me interfice me!* Et morem geſſit roganti ſceleratus Vir! Regemque, cui vitam debebat, vitam novo vulnere ademit. Hæc amicitia eſt mundi! Multi, qui amicis & patronis vitam ſuſtentationemque debent, demum illis tædiis, faſtidiis, inobedientia, perſecutione omnique ingratitudinis genere vitam decurrant, & tandem perimunt.

1. Reg. 13.

Non immerito moriens benefactor in morte edixit: Si nunquam amico benefeciſſem, nunquam amicus mihi maledixiſſet.

Joſeph Ægypti Prorex totam regionem tempore famis ab interitu præſervavit, ideo inſtar ſemi-Dei fuit a populo adoratus, a Rege etiam in intimam amicitiam receptus. Poſtquam autem Joſeph fatis conceſſit, Ægyptii ejuſque poſteros, totamque cognationem internecino odio perſequentes, omnes Iſraelitas ex Ægypto expulerunt. O quam cito poſt mortem amici oblivioni traduntur beneficia ab eo recepta, &c.

288. *Tantum utilitatem propriam quærit.*

Ad Jobum pauperem in ſterquilinio recubantem venerunt tres amici, & per ſeptem dies cum illo verſati, nec verbulum locuti ſunt. Cur ita muti fuerunt? Quia Job pauper erat, in ſtercore jacens! ſi domi in pretioſa lectica, cum periſtromatis ſericis, auro, argentoque intextis jacuiſſet, certe illi eloquentes, in cauſam ſuam fuiſſent, rogantes, ut in tabulas teſtamenti inſcriberentur, &c.

Multi amant amicum ſicut mala citrina, cum optimus ſuccus expreſſus eſt, abjiciuntur in ſterquilinium; ita multi deſerunt, aut contemnunt amicum, cum deſinit eſſe beneficus & liberalis.

Nutrices in domibus nobilium ad lactandum infantem conſtitutæ opiparis & delicatiſſimis cibis nutriuntur, non propter ſe, ſed propter infantem, ut illi delicatum lac præparetur: ita multi honorantur, non propter ſe, ſed ut ſibi ſuiſque proſint.

Seneca ait: *Iſte, quem beatum credis, ſæpe dolet, ſæpe ſuſpirat; Multi illum comitantur, mel muſcæ ſequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ; prædam ſequitur iſta turba, non hominem.* Et Iſocrates ait: *Multi pecuniæ, non hominis cognati ſunt.* C. in Ep. S. Jac. c. 5. v. 2.

Senec. lib. de Remed. fortuit. Iſocr. in Æginetico.

Vitis amat ulmum ſeque totam illi implicat, ut altius arrepat: ita multi amant amicum, ſeu patronum, ut ad altius, pinguiuſque munus promotionem acquirant. En; blandiens amicus non tibi, ſed ſibi ipſi prodeſſe cupit.

O peſſimus mundi amor! ſi amicus depauperatur, ſi formoſa facies emarceſcit, ſi conſanguineus adverſis premitur, evaneſcit amicitia. Fortunæ, & menſæ plurimi amici numerantur, virtutis, & perſonæ pauci. Ignis extinguitur aqua, ſed amicitia ſæpe extinguitur defectu vini, ait Petrarcha. *Nec eſt quod mirari debes, vaſe exhauſto illos abſcedere, qui ſolam vini dulcedinem ſequebantur; adverſitas ſimulatorem abigit, fæx potatorem.*

Franc. Petr. l. 1. de remed. utr. Fort. dial. 50.

Hanc amavit Eſau præ Jacobo: cur hominem incultum, a virtute alienum? Theodoretus ait: amore ciborum: *Auxit amoris occaſionem, quod officioſus erat patri, venatio enim illius erat ei in cibum.* Sanctus Engelbertus a conſan-

Theodoret. q. 77.

guineis interficitur, quia ditare eos noluit. A. 1. lect. 2. n. 9.

*Ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris ſuæ, & turba civitatis multa cum illa.* Cur S. Evangeliſta dicit, *cum illa*? cur non *cum illo*, nimirum defuncto? Reſpondet Petrus Damianus: *Non ibant cum illo, quem deſerere potius cogitabant, ſed cum illa, quæ dives vidua erat.* Apud Deding. Dom. 7. Pent. n. 2. *Petrus Dam. in Luc. 7.*

*Jo. 7.* Amici Chriſti hortabantur illum, ut relicta Galilæa in urbe Jeruſalem ſua ſigna, ac miracula faceret. Quare? quia ſperabant illum ex applauſu populi ad ſublimes dignitates promotum iri, & ſic etiam ſe tanquam amicos, & conſanguineos ad magnam nominis gloriam aſcenſuros. D. 7. 16. in fine.

Vultur ut immunda volucris ab eſu & altari reprobatur: Quare? quia cadavera affectat, & denotat eos, qui principibus adhærent, ut aliorum opes exſpolient: Seneca ait: Qui amico ægro aſſidet hereditatis cauſa, vultur eſt, cadaver exſpectat. C. Levit. 11. verſ. 19. fol. 665. a. 2. *Seneca Epiſt. 56.*

*289. Non eſt ſincera.*

Verus & ſincerus amicus olim pingebatur forma *adoleſcentis*; amicitia enim ſemper debet floreſcere. Adoleſcens erat *hirſuta veſte* indutus, ut ſignificetur amicum ſemper debere eſſe paratum ad toleranda adverſa pro amico. *Capite detecto*, ut indicetur amicum nunquam eſſe negandum. *Latere aperto* uſque ad cor, ut ſignificetur amicum non tantum ore ſed corde eſſe amandum. Cum inſcriptione *Hyems & æſtas*, id eſt amandum eſſe tam in proſperis, quam adverſis. *Longe & prope* id eſt in abſentia ſicut in præſentia. VV. art. diſc. font. 79. ex. 3. Sed ubi nunc inveniuntur hæ qualitates?

Signa autem falſæ amicitiæ ſunt: 1. Quod ſimulatores, qui odium tegere ſtudent, compoſita quadam verborum mollitie utantur. 2. Solent eſſe inconſtantes in verbis. 3. In faciem laudant, a tergo vituperant. 4. Odium non ita tegere poſſunt, ut non per verba amarulenta, aut nutus ebulliat. 5. Annuunt omnibus dictis aut factis amici, eumque ad cœlos extollunt, cum verus amicus laudanda moderate laudet, & amicum libere ſui vitii admoneat. C. Prov. 26. v. 24.

Laban obſtrictiſſimum ſe agnoſcebat Jacobo, cujus intuitu ſe, ſuamque rem domeſticam a Deo benedici, ac locupletari ſentiebat, & tamen cum tempus pactæ mercedis advenit, loco formoſæ Rachelis, deformem illi Liam pro ſponſa adjunxit. Unde tanta impoſtura? Quia amicitia Labani erga Jacobum non fuit ſincera, ſed fucata, & in animo nulla, &c. Ne credas, mi Bone, amicum tantam ſinceritatem gerere, quantam exterius erga te ſpirat! in præſentia quidem laudat, blanditur, promittit: verum in abſentia mille nævos de te enarrat, famam tuam denigrat, nimis credulum, ſimplicem, & ineptum deridet.

Amicus rogabat Periclem, ut falſum pro ſe teſtimonium diceret, & iſte reſpondit: Amicus tuus ſum quidem, ſed tantum uſque ad aras. Sic hodiedum fit, amicus ideo tantum amat, ut opera tua, & auxilio ad nefas uteretur. Si operam illi præſtes, deprædicabit te, etiamſi Deus offendatur, & anima pereat. Si neges, cito amicitiam in odium convertet. *Plutarch. in Apopht.*

Si amicus non obſervet monitum illud: Altiora te non quæſieris, & amicitiam contrahat cum fortiori, & potentiori, non diu durabit amicitia: ſuperior volet dominari, & inferiorem deſpiciet. C. Eccli. 13. ver. 2. Vide Tit. Sapientia: *Non immiſceat ſe alienis negotiis.*

Mundana Sapientia.

*290. Confunditur per ſimplicitatem juſtorum.*

DEus ad converſionem mundi non fortes, non ingenioſos, ſed rudes piſcatores elegit. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, infirma mundi elegit Deus,* idque hac ex cauſa, ut videat mundus, converſionis opus non humanæ prudentiæ, aut potentiæ, ſed ſolum Divino conſilio adſcribi poſſe, ait S. Ambroſius: *Ne traduxiſſe potentia, ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ nobilitatiſque authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur.* B. ſer. 39. n. 14. *1. Cor. 1.* *S. Ambr. l. 5. in Lucam.*

Cur Gedeon ſolum per trecentos illos victoriam obtinuit, qui lambebant aquas? quia hi erant omnium timidiſſimi, ait Theodoretus, ut tanto magis omnibus eſſet perſpectum auxilium Divinum. B. ſer. 39. n. 15.

Philoſophus Arii aſſecla in Concilio Nicæno acutiſſime defendit hæreſin contra 318. Epiſcopos: omnibus hærentibus ad objectiones Sophiſtæ, Sanctus Spiridion ſimpliciſſimus, nude propoſuit ve-





ritatem fidei, inquiens: Audi, mi Philoſophe, Deus unus creavit cœlum, & terram per Verbum, & Spiritum Sanctum, & hoc Verbum Incarnatum, ac paſſum eſſe credimus, & cum tempore judicaturum vivos & mortuos. Mirum dictu; Philoſophus, qui antea plenus erat argutiis, ad ſimpliciſſimam hanc dogmatizationem obmutuit, faſſus, ſe non habere amplius verba, quibus veritati reſiſteret. B. ſer. 39. n. 3. ſeq. R. 1. cent. 2. par. mir. 6.

*291. Eſt contraria legi & ſapientiæ Chriſti.*

Chriſtus docet: *Beati pauperes*: mundus autem tenet illos eſſe infelices. Chriſtus beatos mites pronuntiat, mundus vocat languidos, meticuloſos: Chriſtus beatos dicit, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, mundus ſitit honores, & divitias, &c. B. ſer. 40. n. 21.

Sicut Michol Davidem veſtitum Ephod lineo, & Chriſtum Herodes indutum veſte alba deriſit, ita mundus deridet juſtos: *Deridetur juſti ſimplicitas, &c.* S. punct. 16. f. 603.

Quid huic mundo ſtultius, quam amiſſa non quærere, poſſeſſa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo adjunctis aliis patientiam præbere: quaſi ſycomorum nos aſcendere Dominus jubet, cum dicit: *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Et rurſum: *Siquis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, &c.* S. punct. 16. fol. 604. Vide Brev. in Feſto S. Petri Cœleſtini in ſecundo Nocturno decimanona Maji.

Chriſtus docet amandam eſſe crucem, mundus vult eſſe fugiendam. Chriſtus docet amandam paupertatem, mundus ait eſſe declinandam, & procurandas eſſe opes. Chriſtus docet diligere abjectionem, mundus quærit honores, ac pompas, &c. Segn. 26. Maji n. 1.

Deus docet, jubetque ſuos ſtulteſcere mundo, ideo imperavit eis paradoxa, & a communi vitæ uſu abhorreſcentia, ut eos doceret perfectum mundi contemptum. Sic Ezechiel ritu furentis barbam gladio raſit, Iſaias ſeminudus regiam urbem percurrit. Ita Veteres Monachi ſuos paradoxa obedientia exercuerunt: Antonius Paulum ſimplicem jejuniis vix non interfecit. Joannes Abbas diſcipulo præcepit, ut truncum aridum quotidie irrigaret. Simeon Salus fatuum ſe ſimulavit ut vilipenderetur a mundo. C. Ezech. 5. in fine.

Herodes & Pilatus non poterant a Chriſto extorquere unicum verbum, quia, ut ait Cyprian. Chriſtus contempſit faſtigia eorum. S. p. 15. f. 598.

*Accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, id eſt, elongabitur Deus. M. conc. 28. aſſ. 3. n. 8. *Pſ. 63.*

*Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*, ait S. Paulus. Sicut ergo mundus ſimplices & juſtos contemnit, ita Deus ſapientes hujus ſæculi. S. p. 16. f. 603.

*292. Non valet contra conſilium Domini.*

Judæi putabant Chriſtum opprimi per crucifixionem, & exaltatus eſt, ait Sanctus Fulgentius: *Venit Chriſtus non ut pugnet vivus, ſed ut triumphet occiſus.* M. conc. 38. aſſ. 2. n. 9.

Joſephus venditur ut pereat, & per ipſam hanc venditionem elevatur. M. conc. 8. aſſ. 1. n. 6.

Longinus, ut vitæ reliquias ex corde Chriſti expelleret, ſanctiſſimum cor vulnerat, & ex ipſo hoc vulnere ſanguis & aqua fluit ad noſtram ſanctificationem, & ſalutem. M. conc. 8. aſſ. 3. &c.

Protoparentes ex eſu pomi Divinitatem ſibi promittentes, miſere decepti, & ſeipſos, & totam humani generis poſteritatem in infelicitatis abyſſum præcipitarunt. *Gen. 3.*

Poſt mortem Salomonis Roboam contra mandatum Dei & conſilium ſeniorum, regnum ſibi per auſteritatem regnandi ſtabilire voluit, ſed a ſubditis exoſus, potiore parte regni privatus eſt. *3. Reg. 12.*

Amman ſupremus in aula Aſſueri Aulicus, ut favorem Regis ſibi magis, magiſque devinceret, toti Judæorum genti excidium machinatus, & Mardochæo furcam in ſuo palatio extruxit. Verum Regina Eſther ſe machinationibus illius opponens id effecit, ut Amman in furca, quam Mardochæo ſtruxerat, fuerit ſuſpenſus. *Eſther 5.*

Invidi Satrapæ contra Danielem Prophetam perſuaſerunt Regi Dario, ut decreto ſtatueret eum, qui peteret quid a Deo, vel homine, niſi ab ipſo Rege, mittendum eſſe in lacum leonum. Sic Daniel quidem Propheta, qui deprehenſus eſt invocaſſe Deum demerſus eſt in lacum leonum, ſed non Danielis ſed ſatraparum malo; cum enim leones innocenti Prophetæ pepercissent, ſuſurrones loco illius in lacum projecti, a feris dilaniati ſunt. *Dan. 5.*

Duo Senes accuſantes Suſannam con-

fuſi & condemnati ſunt. Non eſt conſilium contra Dominum! Dominus irridebit eos, & ſubſannabit eos, &c.

293. *Suis conſiliis ſibi ipſi contraria eſt.*

Rex Ezechias oſtendit legatis theſauros, ut Babyloniorum amicitiam acquireret, & per hanc ipſam oſtenſionem theſaurorum illos excitat ad arma movenda, & invadendum regnum. C. Gen. 16. verſ. 5.

Pilatus condemnavit Chriſtum, ne perderet amicitiam Cæſaris. Sed tamen poſtea perdidit, in exilio miſere mortuus. *Coſterus*.

Phariſæi & Sacerdotes tradiderunt Chriſtum Pilato occidendum, ut a ſe infamiam Chriſti ex invidia occiſi amolirentur. Item, ut ſic Chriſti honorem plane opprimerent, diceretque orbis, eum a Gentili judice condemnatum non fuiſſe Chriſtum, ſed pſeudo-Chriſtum. Sed contrarium utrumque evenit, &c. C. in Matth. 27. v. 2.

Mundani, qui mundana ſapiunt, comparantur talpis: 1. Quia oculos quidem habeant, ſed pellicula obductos, ut illis uti non poſſint: ſic mundani ad terrena ſunt lynces, ad cæleſtia talpæ. 2. Talpæ, quia non vident, hinc acutius audiunt: ita mundani ſunt auriti, ut audiant nova, curioſa, ſecreta, quæ proximi famam lædunt, &c. 3. Talpæ ſua antra habent ſubtus terram, in quibus radices, & annonam coacervant: ita mundani terrenis ſubmerſi ſunt, opibus, delitiis, & honoribus ſtudent. 4. Talpæ nonnunquam integras urbes ſuffodiunt, & in ruinam dant: ita mundani ſuis cupiditatibus integras urbes conficiunt. C. in Ep. 2. Petr. c. 1. v. 9.

294. *Tantum tendit ad terrena, ſtulteſcit ad cæleſtia.*

*Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*. Mundani ſunt prudentes in rebus
1. Cor. 3. levis momenti, ſtulti in gravibus. Prudentes in cumulandis temporalibus, ſtulti in perdenda anima. Prudentes in acquirenda hominum benevolentia, ſtulti in perdenda Dei, & Angelorum amicitia. Prudentes in quærendis voluptatibus, ſtulti in non curandis æternis cruciatibus, &c. A. 1. lect. 4. n. 19.

Antiquitus Minervæ noctua conſecrabatur: noctua de luce non videt, ita multi ſapientes mundani ad lucem hal-
S. Ambr. l. 5. Hexa. c. 2. lucinantur. S. Ambroſius ait: *Oculos habent ſapientes mundi, & non vident: in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant: aperiunt os, quaſi ſapientes omnia, acuti ad vana, hebetes ad æterna.*

Cur *ſapientia hujus mundi ſtultitia* dicitur, & non potius, ignorantia, malitia, &c. Reſp. Quia ſemper agit contrarium illi, quod cupit; ſtulti enim ſunt illi, qui conſequi finem aliquem volunt, & tamen ad eum obtinendum contraria adhibent remedia. Ita mundus vult felicitatem, & fugit cognitionem Dei, amorem Dei, quæ tamen ſunt media ad veram felicitatem. Econtra amplectitur voluptatem, divitias, quæ tamen ſunt impedimenta veræ felicitatis, &c. Segn. Manna 26. Maji n. 2.

Sapientia mundi potius eſt aſtutia, & tendit ad deceptiones: Cain decipit fratrem Abel, Rachel ſimulata ægritudine occultat idola patris. Thamar aſſumit alienas veſtes ut decipiat Judam. Amon fingit morbum, ut ſororem ſupplantet. Abſalon peregrinatur, ut populum pervertat. David Uriam morti exponit, ut tegat adulterium. Roboam nova idola fingit, ut impediat peregrinantes in Jeruſalem, &c. Sanch. 6. par. c. 10. f. 836.

295. *Excuſat peccatum variis modis.*

Mira res, Pontifices & Phariſæi fuerunt interfectores Chriſti, & tamen nullus vult eſſe reus: Judas excuſat ſe inquiens: ego quidem vendidi, verum monui Phariſæos, quod erraverim, *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*. Synagoga ſe excuſat, inquiens nos quidem conſilium inivimus, ſed poſtea tradidimus Præſidi Pilato: *Nobis non licet occidere quemquam*. Pilatus ſe excuſat, inquiens: ego quidem ſententiam tuli, ſed omnem movi lapidem ut ei vitam conſervarem, lavi manus, *Innocens ego ſum a ſanguine juſti hujus*. Dæmon ſe excuſat inquiens, ego quidem Judæos inflammavi, ſed poſtea mortem illius impedire ſtudui per ſomnium Uxoris Pilati, &c. ita hodiedum mundus excuſat peccata &c. B. ſer. 50. n. 34.

Rex Saul juſſus eſt a Deo Amalecitas internecione delere. Paruit Saul, ſed imperfectiſſime: deletis enim ignobilioribus, meliora reſervavit. Qua audacia? prætextu Religionis! factus enim ex milite ſacerdos, pinguiora animalia ſacrificavit, putans, hoc gratius obſequium fore Deo, quam ſi juſſa exequeretur. Quamobrem authoritate Dei nuntiatum illi eſt, quod ſtulte egerit. Sic hodiedum fit: contra mandata Dei excogitantur frivolæ excuſationes, etiam ſub ſpecie honeſtatis, & pietatis. Sapientia hæc mundi ſtulta eſt coram Deo &c. S. Franc. Saleſ. Direct. p. 3. c. 4. §. 7.



296. *Stulteſcit ſine Dei gratia.*

Achitophel in conſiliis perſpicaciſſimus, quia una vice conſilium ſuum ab Abſalone non acceptari videt, deſperabundus ſe ſuſpendit. Quid ſtultius? A. 1. lect. 4. n. 22.

Homerus Poeta feliciſſimus, quia piſcatorum ænigma ſolvere nequit, præ tædio moritur. Quid ſtultius? Ariſtoteles Philoſophorum Princeps, quia Euripum ſeu fluxum, & refluxum maris capere non valet, ſe aquis ſubmergit. Quid ſtultius? A. 1. l. 4. n. 23.

*Homo ſanctus in ſapientia permanet ut ſol, ſtultus ut luna mutatur*. Cur ſapientia mundana, ſeu mundanus comparatur lunæ? 1. Luna variat luminis vices, nunc cornuta, nunc ſemiplena, nunc orbicularis apparet: ſic mundanus, lunaticus, & inconſtans eſt, velut Mahometes, qui in Alcorano fabulatur, ſe partem lunæ deciduam cælo reſtituiſſe. 2. Luna, qua cælum reſpicit, non lucet, quia non ſuperiori, ſed ſolum inferiori parte illuminatur: ita quæ pulcra nobis videntur, in ſupremi Numinis conſpectu obſcura ſunt, & qui nonnunquam Sancti videntur, coram Deo impuri ſunt. 3. Luna ſuis mutationibus infirmitates facit inſtabiles & inconſtantes; ita & mundana ſagacitas hominem facit fallacem, inconſtantem, voluptuoſum, & vitioſum &c. C. Prov. 27. v. 12.

Quodſi ſagacitas naſutuli mundi a Viris Sanctis & timoratis ſæpiſſime falſitatis, & mendacii convincitur, quanto magis verum veriſſimum eſt, quod ſapientia mundi ſtultitia ſit coram Deo!

Mundanæ voluptates.

297. *Sunt moleſtiæ, & magni labores.*

Pſ. 37. REx David poſt deguſtatas voluptates fatetur: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*. Ubi S. Baſilius: *Illu-*
S. Baſil. in Pſ. 37. S. Chryſ. in c. 6. ad Eph. *ſio, & vanitas eſt carnis concupiſcentia.* Et S. Chryſoſtomus: *Res enim hæc non eſt voluptas, ſed umbra voluptatis.*

Certe mundus imaginationibus ſatiatur, quod pœnam credit, pœna non eſt, nec voluptas, quod voluptatem. In mundanis delectationibus innumerabiles ſunt moleſtiæ. Bene nobilis ille Rolandus dum tota die haſtiludio, & equorum curſui tempore æſtivo vacaret, dixit: quando incipiemus recreari, & quieſcere? &c. B. ſerm. 14. n. 34. & ſeq.

Eſau poſt venditam primogenituram *abiit parvi pendens* jacturam: ſed poſtmodum *irrugiit clamore magno*: Tu o peccator nunc non ſentis damnum, quod incurris per peccata, ſed in fine irrugies tuo detrimento: ſicut bos alligatus non ſentit funem, niſi abiturus: ita ait S. Bonaventura, *Peccator non ſentit vinculum peccati dum perpetrat, ſed tunc vincula ſentit, dum anima infelix a corpore recedit*. B. ſerm. 18. n. 27. S. Bonav. Diæt. Sal. c. 2.

Siſara a blandiente Jahele clavo configitur, ita peccator a voluptate perimitur: *Talis mulier*, ait Berchorius, *eſt diabolus, vel caro, vel mala mulier &c.* B. ſerm. 24. n. 37.

Lyſimachus Rex, teſte Plutarcho, regnum pro hauſtu frigidæ vendidit, & poſtea exclamavit: *Quam brevis voluptatis gratia ex rege me ſervum feci*. B. ſerm. 17. n. 31.

Voluptates mundi ſunt *velut ſomnium ſurgentium*. Somnium dormientium delectant ſaltem quamdiu durant, ſed ſomnia ſurgentium nihil ſunt, niſi inaniſſima res, & afflictio. B. ſerm. 18. n. 13.

Præterea terrena voluptas intrinſecam ſuam moleſtiam, & faſtidium habet; ideo a S. Gregorio comparatur tineæ, conformiter ad illa verba S. Job: *Conſumentur* S. Greg. in Job 4. v. 19.
*quaſi a tinea*: Nam 1. Tinea corrodit pannum ſine ſonitu: ita carnales innocentiam, veritatem & continentiam perdunt, & tamen grandia hæc detrimenta ignorant, & non agnoſcunt. 2. Tinea ſibi domum corrumpendo ædificat, & tandem ſeipſam conſumit: ita gula & luxuria carnem, in qua exoritur, corrumpit, ac tandem conſumit &c. C. in Oſ. 5. v. 12.

*Riſus dolore miſcetur, & extrema gau-* Prov. 14.
*dii luctus occupat*. Cauſa eſt, quia voluptates mundi comitem habent malam conſcientiam, quæ ſemper voluptuoſos cruciat. Item voluptates mundanorum conſiſtunt in gula, crapula, libidine, quæ nauſeas, & morbos creant. Sic mel a ſtomachis biloſis in fel convertitur, & aquæ fluviorum dulces deſinunt in amarum mare. Voluptas & dolor coram Jove litigabant, cumque pace componi non potuiſſent, catena colligati ſunt in mutuam pœnam. Hinc non eſt voluptas ſine dolore, nec dolor ſine voluptate. C. Prov. 14. v. 13. Item C. Eccl. 2. v. 8.

298. Do-

### 298. *Deſinunt in miſeriam.*

Compertum habetur, quod caro humana, quanto delicatius nutritur, tanto poſt mortem turpius fœteat. Sophia Reinerii Marchionis filia in Monaſterium ſepulta tantum fœtorem exhalavit, ut fratres ex illa parte Monaſterii per annum habitare non potuerint. E. *Deliciæ* n. 1.

Ipſa mundana voluptas in ſe jam miſera, & contemptibilis eſt: 1. Quia exigua ſeu modica eſt, omnis enim creatura modicum eſſe accipit a Deo. 2. Quia vilis eſt, id eſt, carnalis, terrea, ſordida. 3. Quia inſatiabilis eſt; titillat enim, non ſatiat animam. 4. Quia brevis eſt, caduca & momentanea. 5. Quia inſtabilis eſt, & fluxa inſtar fluentis aquæ. 6. Quia falſa eſt, nunquam ſincera, pura, & liquida, ſed multis moleſtiis mixta. 7. Quia inſenſibilis eſt intus, tantum enim corpus perſtringit, non ad animam penetrat. 8. Quia infidelis eſt, & ſpem quam promittit non præſtat. 9. Quia incerta eſt, & facile a malo contrario v. g. a fure, ab incendio, a mari everti poteſt. 10. Quia fallax eſt, & facile ſe ab amante per mortem ſeparat. 11. Quia infirma eſt, & ſicut pulchritudo a morbo facile evertitur. 12. Quia pernicioſa eſt, ducitque ad dolores præſentes, & æternos. C. Eccleſ. c. 1. v. 2.

Quid infelicius, quam deceptiones, curæ, timores, & pericula, quibus voluptuoſi decipiuntur; pathetica eſt parabola S. Joannis Damaſceni hanc in rem: Quidam a facie furentis unicornis fugiens in ſcrobem incidit: ibi e ramo ſe tenens, utut in barathri fundo draconem conſpexerit, melle tamen, quod e ramo ſudabat, contentus, ſecurum ſe putabat. E. *Delitiæ* n. 4.

Urſi dum apum melli inhiant, cuſpidibus ferreis, quas venatores circa arborem occultant, vulnerantur, & capiuntur. Scarabæi vivunt in ſtercoribus, moriuntur in roſis. Septempagani mel colligunt ex foliis arborum, quod homines inſanos facit; dum enim hoc Pompeji militibus propinaſſent, tres eorum cohortes trucidati ſunt. Sirenes ſuperius formoſæ mulieris ſpeciem gerunt, inferius in horridam draconis caudam deſinunt, qua accedentes implicant, & necant. Panthera cute variegata, & odore ſuaviſſimo allicit hinnulos, capras, & dorcades, appropinquantes autem capit & devorat. Ita in omnibus ſe habet deceptrix voluptas: blanditur, ut perimat! hinc veriſſime S. Chryſoſtomus: *Voluptas brevis eſt & temporanea, dolor autem perpetuus, & fine carens*. C. Apoc. 18. v. 7. S. Chryſ. hom. 1. in Gen.

### 299. *Infelicem exitum poſt ſe trahunt.*

*Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Job 21. Feſtiva gaudia impiorum in eo conſiſtunt, quod fræna laxent ſuæ cupiditati ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, gulæ, iræ, acediæ. Et quid fit? in puncto, hoc eſt in momento ad inferna deſcendunt, ubi loco ſuperbiæ erunt mancipia Satanæ catenis vinculata; loco avaritiæ patientur miſerabilem egeſtatem; loco luxuriæ corrodentur a bufonibus & ſerpentibus tartareis. Loco iræ inſultabunt illis implacabiles inimici. Loco gulæ patientur famem & ſitim. Loco acediæ hærebunt merſi in alta deſperatione. Et hæc tormenta tanto erunt graviora, quia in momento venientia, cum in hoc ſæculo felices in puncto tranſeunt ab uno extremo ad aliud. Segn. Manna 18. Febr.

Luctuoſiſſimum quondam convivium fuit Leodii. Comes Vvarfuſeenſis ad menſam invitavit Conſulem Ruellium una cum aliis magni Nominis Viris. Ab initio hilariter editur & bibitur, dein in cubiculum intrant quinquaginta armati milites, juſſu Comitis Ruellium abripiunt, confeſſionem cito peragere jubent, & gladiis illum confodiunt. Par forte ſors fuiſſet cæterorum convivarum, niſi rumore evulgato cives ad arma concurriſſent, qui in domum armati irruentes Comitem aſcia obtruncarunt. Sic voluptates mundi terminantur. Theat. Trag. hiſt. 38.

Lacus eſt in Burgundia, ſupra cujus aquam fit limus, qui adeo dureſcit, ut continens eſſe videatur: pedites ſuper illum ſecure ambulant, ſed equites, curruſque merguntur. Limus pluvio & nebuloſo cælo non emergit, ſed ſi ſerenitas eſt futura. VV. art. diſc. Font. 28. ex. 16. Tu voluptates mundi putas eſſe continentem: aliquandiu te fert, ſed ſi licentioſius tanquam equis & curribus ſuper eum petulcire voles, eheu! mergeris. *Quomodo enim bibiſtis? bibent omnes gentes, & bibent, abſorbebunt, & erunt, quaſi non ſint*. Abdiæ v. 16. Peccator, qui bibit calicem voluptatis, bibiturus ſimul eſt calicem afflictionis; calix enim iſte, qui mel voluptatis continet, in fel tribulationis deſinit. Fluvius Hypanis initio Herod. lib. 4. dulcis, & amænus fluit, paulo poſt autem amariſſimam aquam fundit. Ita voluptas carnalis: deliciæ cito deflorescunt & amaritudinem relinquunt, ait Cicero. Et merito! æterna Dei lege ſancitum eſt, ut illicita voluptas pariat tædia, angores, & ultricis conſcientiæ furias. Deus illam vindicat, & caſtigat non tantum in hoc, ſed & in altero ſæculo, juxta illud: Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum! Apoc. 18. C. *in Abdiæ* v. 16.



## Mundana pompa & luxus.

### 300. *Eſt inimica Chriſto.*

Magdalena Angelos apud ſepulcrum non quæſivit, *ubi poſuiſtis eum*, ſicut quæſivit hortulanum: Quare? Angeli erant compti & elegantes juvenes: propterea non credebat Magdalena, quod Chriſtus ſe apud ipſos detineat, ſed apud humilem hortulanum. B. ſerm. 41. n. 15.

Chriſtus Dominus ab infantia humilis averſatus eſt humanos applauſus: in ſtabulo natus, in officina fabrili uſque ad virilem ætatem delituit, cum populus illum ob viſa prodigia in regem eligere vellet, fugit in montem ipſe ſolus, Pilato interrogante ſe regem eſſe diſſimulavit, & præcipue in aula Herodis hanc humilitatem demonſtravit: gaviſus eſt ille viſo Chriſto, ſperabatque ab eo videre miraculum, hinc de diſcipulis, & doctrina ejus multis illum interrogavit. Verum Dei Filius nec verbulo illi reſpondit: Quare? quia deſpexit faſtigia eorum &c. Potuiſſet authoritate regia, & armatis exercitibus mundum convertere, ſed noluit, quia hoc ſine pompa & plauſu fieri non potuit. Potius ad fundandam Eccleſiam duodecim viros, rudes & humiles elegit. Ideo interrogatus repoſuit, regnum meum non eſt de hoc mundo &c.

Chriſtus Dominus ad Pilatum dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*! Quare non? quia mundus eſt luxuoſus, ſuperbus, jactabundus, pompoſus, & ſuperciliosus: econtra percurre vitam Chriſti univerſam, a ſtabulo nativitatis uſque ad mortem crucis, & non invenies, niſi ſtigmata paupertatis, & humilitatis, ait S. Ambroſius &c.

### 301. *Quanta vanitate & ſumptibus conſtet.*

Quid inſanis infelix, & vana luxuries decurris ad Indos, Erithræi maris undas velo, remoque ſollicitas: pelago te credis, infido monſtro: ventorum ludibrio te committis, e profundo mari tibi expiſcatura materiam, & candidas baccas detractura conchis quaſi manubias pretioſas: ſcilicet adeunda ſunt vitæ pericula, undoſa regna luſtranda, ſcrutandi receſſus intimi ſcopulorum, aquarum penetralia veſtiganda, ut pendeant ex auribus pretia prædiorum, ut appendantur cervicibus feminarum integra patrimonia quaſi trophæa luxuriæ triumphantis &c. S. p. 10. fol. 578.

Quantus fuit luxus & ſuperbia Neronis in ædificando palatio! *In nulla re fuit damnoſior*, ait Suetonius, *quam ædificando*. Sueton. in Vit. Ner. c. 31. Domus ejus tota Roma, & Roma domus ejus videbatur: Coloſſum ſtatuit, ſuam effigiem centum viginti pedum. Tanta fuit ædium laxitas, ut porticus triplices millenarias haberet. Idem luxus fuit Caligulæ, Tarquinii & aliorum, qui poſtquam ſubditos tributis emunxerunt, tandem ad rapinas converſi ſunt &c. C. Jerem. 22. v. 13.

Julius Cæſar ingens palatium ſumptuoſe ædificat, ſed quoniam ædificatum haud bene placuit, funditus deſtrui & de novo erigi juſſit. Cajus Caligula navim ex cedro ædificat, puppim pretioſis unionibus ornat. Cleopatra aurata navi invehitur, vela erant ex purpura, remi ex argento, qui ad concentum muſicum regebantur, illa ut altera Venus erat ornata, ut ſic animum Antonii caperet. D. 10. 72.

Majeſtas principum ex ſe ſimilis eſt ciphræ, quæ vocatur *Nulla*, ex ſe enim eſt inanis circulus o nihil numerans, niſi aliis numeris adjungatur. Ita Majeſtas terrena ex ſe nihil eſt, niſi ſplendorem ex regnis, & militibus, & famulitio ſibi accerſat. O quanto molimine agunt Principes, ut hunc ſplendorem ſibi augeant! Rex Xerxes conflavit exercitum, continentem ſeptendecim centena militum millia, & tamen e ſpecula contemplans hunc exercitum dicitur fleviſſe, cogitando, quod poſt centum annos ex his omnibus nec unus futurus ſit in vita ſuperſtes. C. Eccleſ. 1. v. 2.

### 302. *Eſt tranſitoria, & vaniſſima.*

Seneca ait: Quid ſtupes huius mundi divitias? pompa eſt: oſtenduntur res iſtæ, non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt &c.

Auguſtus moriturus ad amicos: An non perſonam meam in hac mundi fabula

bula commode egi? en! hæc mundana, non vera, ſed fabula ſunt. S. punct. 22. fol. 640. ad finem.

Rex Salomon erat ditiſſimus: ab exteris regibus pro tributo annuatim recipiebat ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri: a Rege Hiram centum viginti talenta: a tribubus Judæorum mille quadringenta quadraginta talentorum &c. D. 3. 30. Et tamen exclamavit: vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Pſ. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſupra Cedros Libani, tranſivi & ecce non erat.* Impius eſt *ſuperexaltatus*, quoad ſplendorem externum, eſt *elevatus* quoad tumorem internum, & quidem *ſupra Cedros Libani;* quia putat ſe eſſe immortalem: ita amat mundi applauſus, pecunias, dignitates, corporis voluptates, quaſi nunquam eſſet moriturus: & quid fit? *Tranſivi, & ecce non erat.* Hoc eſt, vix unum vel alterum greſſum feci, diſparuit cum omni pompa, nempe cum ſpecioſis rhedis, quæ plus auro coruſcant, quam altaria: cum famulorum grege, quibus alendis ſubtrahuntur pauperibus eleemoſynæ: cum equis & ſtabulis, quorum mundities plus curatur, quam templorum &c. Addit David: *Quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus:* quia non ſolum deficiunt Principes, ſed ipſi principatus. Ubi nunc eſt decantata illa Monarchia Romanorum, Medorum, Macedonum, Aſſyriorum? diſparuerunt, nec civitas una, nec domus una ſupereſt. Segn. Manna 28. April. n. 1. & ſeq. Vide Auguſtinum Paol. Dom. 5. poſt Epiph.

Mundana pompa comparatur mari; ſicut affluxum maris paulo poſt ſequitur refluxus; ita rerum caducarum affluentiam mox ſequitur refluentia, ait Philo. C. Exod. c. 2. v. 14.

P. Bartholomæus Buſtamantius S. J. de vanitate hujus mundi & fallacia ſæpe cum gemitu dicebat: Quid de tot Proceribus, tot Principibus, quos novi, actum eſt? ubi ſunt? Novi Carolum V. tanta cum majeſtate, novi tot Pontifices, Cardinales, Antiſtites, Doctores, Viros celeberrimos, & jam non ſunt! &c. hæc cum lacrymis & ſingultibus, quibus in omnium animis contemptum mundi reliquit. T. n. 205.

Eccl. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* exclamat Eccleſiaſtes, hæc vanitas conſiſtit in rei inanitate, brevitate, mutabilitate, interitu, fallacitate, fraude & mendacio. Creaturæ omnes reſpectu creatoris ſunt vaniſſima 1. quia ſunt quaſi non ens, & nihilum: *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* 2. Quia nulla creatura poteſt hominem beare, aut illius deſiderium ſaturare. 3. Quia homo ſua ſtultitia rebus creatis abutitur ad vanitates, v. g. ad explendas concupiſcentias, quibus interitum ſibi accerſit. C. Eccleſ. 1. v. 2. & 8.

Ubi Nini inclytum nomen? ubi Aſſueri ſupra centum viginti ſeptem provincias dilatata ſedes? ubi Cyri tot laboribus comparata gloria? ubi Cræſi immenſum aurum? ubi Darii regnum &c. C. Eccl. 1. v. 2. & 6.

Nihil ſub cælo ſolidum, omnia ſunt inania, mutationi perpetuæ obnoxia, brevia, caduca, euntia, & abeuntia. Sicut ciphra o (dicta Nulla) ſi a numero ſolido ſeparetur, nil efficit, nec eſt numerus ſed inanis circulus, etſi decies, centeſies multiplicetur: ita pompa mundi, omniſque creatura inanis eſt, niſi Deo adhæreat. C. Eccli. 1. v. 2. & 6.

## Mundana Proſperitas.

### 303. *Plena eſt amaritudine.*

Zeuxes uvas tam artificioſe pinxit, ut volucres cæli advolaverint: omnibus ſpectatorum applaudentibus ipſe ſibi ſuccenſuit, quod puerum, qui botrum tenebat, non adeo vivaciter expreſſerit, ut volucres advolare formidarent: quod Zeuxes incurius prætermiſit, hoc de induſtria omittit dæmon: proſperitatem hujus mundi amæniſſimam proponit, ſed pericula, ac amaritudines comites omni ſtudio abſcondit. B. ſerm. 4. n. 3. ſeq.

Ille, qui ex calice mundi bibit, gemebundus exclamavit: *Inebriavit me abſynthio, felle & labore.* (Thren. 3.) O miſeros, qui eo amplius ſitiunt! S. p. 65. f. 223.

Nihil eſt in mundo abſque triſtitia, roſa habet ſpinas, conjugium viduitatem, vitæ ſplendor poſt ſe trahit ignominiam, deliciæ ſatietatem, ſanitas infirmitatem, &c. Ait S. Baſilius. C. Gen. c. 3. v. 17.

In mundo omnia ſunt mixta & turbulenta: non creſcit felicitatis granum ſine zizaniorum immixtione: ſicut nulla roſa ſine ſpinis, ita nulla voluptas ſine dolore: quidquid humanum eſt, variis agitatur vicibus, & continuis ſubjacet mutationibus. Paoletti Dom. 5. poſt Epiph.

Lia eſt fœcunda ſed deformis, Rachel formoſa ſed ſterilis. C. Gen. 29. v. 31.

Sultanus Regis Galliarum captivus, nunquam ridere viſus, niſi unica vice,



quæſitus cauſam riſus, repoſuit, ſe conſideraſſe mutabile fortunæ ludibrium. Hoc reſponſo, Rex utriuſque fortunæ memor Sultanum dimiſit. T. num. 211.

Seſoſtris Rex Ægypti adeo ambitioſus, ut quaternis regibus devictis ad trahendum currum ſuum uteretur, cum ab uno regum admoneretur, ut in volubili currus rota inſtabilitatem fortunæ conſideraret, manſuetior & humilior factus, regibus ſubactis pepercit. C. Iſa. 24. v. 10.

### 304. *Merito timenda ut ſuſpecta.*

Quadruplex hominum eſt genus, ait Chryſoſtomus, aliqui culpas ſuas & in hac, & in altera vita ſolvunt, ut Judæi: alii ſolum in altera, ut Epulo: alii ſolum in hac, ut impurus Corinthius, alii nec in hac, nec in alia, ſed ut innocentes affliguntur, ut Job, & Joannes Baptiſta: quapropter homo in proſperitate nec lætari, nec in adverſitate triſtari debet, cum neſciat, ex quo genere ſit. B. ſer. 32. n. 36.

Gaudent quidem & tripudiant peccatores dum omnigena felicitate fruuntur: verum S. Auguſtinus ait: (S. Aug. ep. 5. ad Marc.) *Nihil eſt infelicius felicitate peccantium.* B. ſerm. 52. num. 12.

Bos, qui diu in pinguibus paſcuis ſaginatur, brevi poſt ad macellum ducitur. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 4.

Favores hujus mundi revera ſunt odia, quia nocent. Paoletti Fer. 5. poſt Dom. 2. Quadr.

Ugolinus factionis Guelphorum Princeps die natali omnes ſuos ad convivium convocat: ibi unum interrogat, quid devictis Gibellinis jam ſibi deeſſet: Et ille audacter reponit: *Ira Numinis!* & vero vaticinium fuit! nam repente a Gibellinis armatis in domo ſua occupatus in turrim cum duobus filiis conjicitur, ubi fame contabuit, ne ultimis quidem morientium ſubſidiis, uti rogabat, impetratis. C. Ex. 32. v. 6. f. 578. c. 2.

Dantur pueri immorigeri, qui auſteritate pœnarum aut verberum non emendantur, ſed obſtinatiores fiunt. Quid agit parens? Utut filius pœnam delicto commeruerit, illi blanditur, & dona largitur, ut illum manſueſcere faciat. Sic ſæpe Deus peccatori, quem adverſis corrigi non poſſe videt, proſperitatem indulget &c.

### 305. *Eſt inimica Virtutis.*

Eliſeus duplicem ſpiritum Eliæ petiit, quia prævidit ſe in Principum aulis, in hominum applauſu & honore victurum. B. ſerm. 32. n. 37.

Iſraelitæ per proſperitatem, & abundantiam rerum terrenarum depravantur, ſed deinde per afflictionem captivitatis corriguntur. B. ſerm. 52. §. 3.

Sara in Ægypto habebat periculum impudicitiæ, non vero in Chanaan, quia hic egeſtas erat, ibi vero proſperitas rerum omnium. B. ſerm. 65. n. 19.

Chryſoſtomus de filio prodigo ait: In craſſitie fratres mei, calcitramus, ſcilicet more belluarum, quæ quo pinguiores ſunt, eo plus fimi ejiciunt. S. punct. 41. fol. 171.

Nimia humorum copia, nimia pinguedo, nimius fulgor excæcant: S. David id noverat: *Ab altitudine diei timebo*, id eſt, in ipſo fulgore, dum proſpera omnia ſuccedunt, timeo, ne viſum amittam: *& lumen oculorum meorum non eſt mecum:* Ex tanta claritate filius ejus Salomon excæcatus eſt, ait Bern. S. p. 41. f. 171.

S. Aug. interrogat: *Quis facile recordatur Deum, qui ſemper felix eſt? O quam verum! fere nullus!* S. p. 43. f. 175. (S. Aug. in Pſ. 91.)

Sicut fluvii, cum undis intumeſcunt, extra ripam exerrant: ita homines proſperitate elati facile extra viam mandatorum exerrant. Segn. Manna 24. Apr. 1.

Quare Sodomitæ erant homines peſſimi? (Gen. 37.) quia habitabant in ubere regione, quæ irrigabatur ſicut paradiſus.

Saul antequam fuit ad regnum evectus, (1. Reg. 9.) erat valde bonus juvenis. Poſtquam rex factus eſt, intumuit, & mandatum Domini tranſgreſſus eſt.

### 306. *Eſt vaniſſima & tranſitoria.*

*Uſque modo non petiſtis quidquam.* Itane? (Joan. 16.) non petierunt quidquam? an non petierunt ſedere ad dextram, & ſiniſtram? an non petierunt honores, divitias? &c. Verum quidem eſt; ſed quoniam honores, divitiæ nihil ſunt, ideo merito dicit Chriſtus, nihil petiſtis: Salomon expertus eſt, poſſedit omnia, quæ mundus magni facit, & exclamat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* S. p. 64.

*Circumrotatio tranſvertit ſenſum:* Pueri ludentes ſe interdum circumrotant, & ſic omnia circuire putant, dein in terram procidunt: ſic circuire & evaneſcere videtur mundus, tranſeunt domus, palatia, honores, & dein cadimus nos in terram, in ſepulcrum. S. p. 64. fol. 222. Item C. Iſa. 24. v. 10.

Quid ſæculi poteſt eſſe diuturnum,

quæ-

quærit S. Ambroſius, cum ipſæ non ſint diuturna ſæcula? S. p. 65. f. 224.

De illis, quibus dicitur: *Dii eſtis* paulo poſt ſubjungitur, ſicut unus de principibus cadetis. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 3.

Potentes & divites ſicut fœnum areſcunt: Rex Ezechias dum ob victoriam felicem ſe reputat, morbo corripitur. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 6. ſeq.

Præpoſitus pincernarum ſomnium habuit, ſe in priſtinum honoris gradum rediiſſe: ubi Ambroſius: bene ſomnium habuit, quia omnis regum potentia ſomnium eſt. Reges in Apocalypſi dicuntur quaſi reges, quia velut in ſomnis regnant, ait Auguſtinus. Siquis in Germania conſulatu fungitur, non ideo honoratur, ſi ad barbaras nationes deveniat: ergo honoribus nihil ſolidum ineſt, alias ſicut ignis non perdit calorem, ſic nullibi perderent reverentiam, ait Boethius. S. p. 20. fol. 626.

# LIBER DECIMUS.
## DE PROFANIS.

CÆLUM.
*Sydera. Sol. Luna.*
*Stellæ. Cometæ.*
MUNDUS.
*Regna & Provinciæ. Europa.*
*Africa. Aſia. America.*
ELEMENTUM AERIS.
*Aer. Venti. Frigus. Æſtus ſeu calor.*
*Nubes. Pluviæ.*
*Grando. Volucres.*
ELEMENTUM IGNIS.
*Ignis. Ignes fatui. Fulmina. Tonitrua.*
ELEMENTUM TERRÆ.
*Terra. Montes. Urbes.*
*Animalia terreſtria.*
ELEMENTUM AQUÆ.
*Aqua. Aqua Marina. Aquæ Medicatæ.*
*Fontanæ & ſalubres. Putei & fontes.*
*Lacus & Stagna. Mare. Oceanus.*
*Piſces.*

## CÆLUM.

*1. Empyreum quam ſpatioſum ſit.*

EX diſtantia cæli a terra immenſum illius ambitum quodammodo deſumere licet: quo enim major eſt altitudo, eo ſpatioſior eſt circumferentia: eſt autem cælum ita altum, ut ſi homo quotidie centum milliaria surſum ſcanderet, per bis mille annos necdum cælum empyreum attigiſſet. C. Gen. c. 1. v. 16.

Si lapis molaris de cælo caderet, per nonaginta annos continuo laberetur, donec terram attingeret. C. Gen. c. 1. v. 16.

Aliqui Aſtrologi auſi ſunt metiri ſpatium podii cæleſtis, ubi beati habitant, & calculum fecerunt, quod contineat in ambitu quater mille ſeptingenta, & ſexaginta ſeptem milliones ſeptingenta, & ſexaginta ſeptem milliaria. B. ſerm. 53. n. 12. C. Gen. c. 1. v. 16.

Intuere ſydera cæli quam innumerabilia ſint, & tamen in ſpatiis intermediis innumerabiliter alia adhuc interſeri poſſent: ſcito autem etiam minimam ſtellarum eſſe decies octies mundo univerſo majorem; quantum igitur eſt ſpatium, quod tam innumeras ſtellas capit, hoc autem tantum eſt cælum ſydereum: quanto amplius ergo erit cælum empyreum! B. ſerm. 53. n. 12.

Luna a terra elevata eſt 120630. milliaribus. Sol quatuor millionibus milliarium, cælum ſtellatum fixarum octingenta milliaribus &c. D. 1. 8. P. p. 2. diſ. n. 3. C. Gen. 1. v. 16.

Exclamat Propheta Baruch: *O Iſrael, quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus.* Magna luminaria cæli *ſint ſigna* hujus magnitudinis: ibi innumerabiles ſunt ſtellæ, quarum minima major eſt decies, quam mundus. Intuere ſpatia intermedia, quam immenſa ſint. Jam ſi tam magnum eſt cælum ſtelligerum, quantum erit empyreum. Bone Deus, quot milliones milliarium continebit tota amplitudo! B. ſerm. 53. n. 11.

2. Te-



*2. Teſtis eſt potentiæ, & majeſtatis Dei.*

*Cæli enarrant gloriam Dei:* Quomodo enarrant? Reſp. Chryſoſtomus. Tacet cælum, ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aures nos docens. S. p. 120. f. 374. *S. Chryſ. hom. 9. ad pop.*

Architecti, qui mira opera produxerunt, uti Semiramis, quæ hortos penſiles, Cteſiphon qui templum Dianæ, Salomon, qui templum Hieroſolymitanum, Philippus II. Rex Hiſpaniarum, qui Eſcuriale ædificavit, immortali memoria celebrantur. Sed quid hæc punctula ad cælum? Deus immenſum cæli fornicem 1. ſine prævia materia aut apparatu. 2. Sine columna aut fulcimento. 3. Sine labore & conatu uno verbo produxit, & hactenus ſine reparatione conſervavit.

Deſcribendo cælo nemo par eſt, ait S. Hieronymus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit.* En! tribus menſuris ampliſſimis utitur Apoſtolus ad ſcribendum cælum! Vide Paoletti Dom. 2. Quadr.

Cæli enarrant gloriam Dei, quia a Deo acceperunt 1. Naturam incorruptibilem. 2. Immenſam magnitudinem. 3. Perfectiſſimam & pulcherrimam rotunditatem. 4. Motum celerrimum & perpetuum. 5. Varietatem orbium, eorumque inter ſe miram concordiam. 6. Eorumdem motus diverſiſſimos, & tamen ordinatiſſimos. 7. Syderum decorem, multitudinem, & efficientiam. 8. Præſides Angelos, qui orbes hos regunt, & rotant. 9. Lucem miram & variam. 10. Generalem vim producendi, vivificandi, & conſervandi res ſublunares. 11. Mirum ornatum, ut ſit templum Dei, Angelorum, & Beatorum. C. Dan. 3. v. 59.

Longitudo & latitudo cæleſtis Jeruſalem continet 1500. Milliaria Italica &c. C. Apoc. 41. v. 16.

### Sydera.

*3. Sunt ſigna Providentiæ, & potentiæ Dei.*

NOlite *inſublime tolli*, id eſt, intuentes lunam, ſydera, & anni rationem, ſed confidite providentiæ Dei. Hæc gubernat mundum, & omnibus neceſſaria diſtribuit. S. p. 78. fol. 249.

Terra protulit herbam virentem, antequam Deus ſtellas creavit. M. conc. 20. aſſ. 2. n. 8. Quo indicare vult Deus, ſydera non eſſe cauſam fertilitatis terræ, ſed ſuam Providentiam.

Nihil ita ornat cælorum machinam, ac pulchritudo firmamenti, utpote quod tot quaſi gemmis, pyropis, & adamantibus, quot aſtris reſplendet; indeque dictum eſt cælum quaſi ſyderibus cælatum. Imo quot aſtra, tot tædæ, & igneæ faces in cælo collucent, totique mundo prælucent. Stellæ ſuo ordine, motu, influxu, & varietate quaſi milites Dei, aciem ſeu exercitum ordinatiſſimum repræſentant; unde Deus Sabbaoth, id eſt, exercituum, ſcilicet Angelicorum ſydereorum nuncupatur. C. Eccli. 43. v. 1.

Homines ſancti intuitu cæli ſyderei quaſi nauſeam conceperunt totius mundi: ſic S. Ignatius: Quam ſordet mihi terra cum cælum aſpicio! S. Fulgentius cum Romanum Senatum intueretur, ajebat: ſi ſic fulget Roma terreſtris, quomodo fulgebit Solyma cæleſtis. Sic Juvenis Machabæus, S. Symphorianus, S. Stephanus intuitu cæli in martyrii doloribus confortati ſunt. C. Eccli. 43. v. 1.

Hinc Sancti ſine fine ſuſpirabant in cælum, ſic Simeon Stilites, S. Mechtildis a Deo de ſua ſalute certificata, & alii Viri timorati, & ſancti quotidie proficiunt in abdicatione rerum temporalium, ut ſic per virtutes, quaſi per ſcalam Jacob aſcenderent ſuper ſydera uſque ad domum Dei. C. 2. Petri 3. v. 13.

*4. Non agunt in voluntatem humanam.*

S. David ait: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Non dicit adulterum me fecit Venus, latronem me fecit Mars, avarum me fecit Saturnus &c. S. p. 25. f. 106.

In Nativitate Chriſti Domini nova ſtella orta eſt, de qua S. Gregorius, non ſtella pueri, ſed, ut ita dicam, puer factum ſtellæ fuit. Brev. die 2. inf. oct. Epiph.

Aſtrologi ſæpe ex horoſcopo pueris recens natis feliciſſimam ſortem vaticinati ſunt, qui tamen in juventute mortui, aut eam felicitatem nunquam aſſecuti fuerunt. Econtra obſcuris ſyderibus geniti ad ſummas dignitates aſcenderunt. VV. art. diſc. font. 94. ex. 4.

Nocturno tempore cælo ſereno ſæpe videtur ſcintilla e ſtellis decidua, qua ſtellæ ſe purgare dicuntur: invenitur etiam in campis & agris viſcoſum ejuſmodi phlegma, quod creditur decidiſſe, hoc phlegma locum illum palmarem terræ ſterilem facit. Sed ſi purgatur, terra illa fodiatur, ſtercoretur, aut alia terra ſuperinjecta tegatur, fit tam fœcunda, quam quævis alia. Poſito etiam quod ſydera influant

quærit S. Ambroſius, cum ipſæ non ſint diuturna ſæcula? S. p. 65. f. 224.

De illis, quibus dicitur: *Dii eſtis* paulo poſt ſubjungitur, ſicut unus de principibus cadetis. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 3.

Potentes & divites ſicut fœnum areſcunt: Rex Ezechias dum ob victoriam felicem ſe reputat, morbo corripitur. M. conc. 23. aſſ. 1. n. 6. ſeq.

Præpoſitus pincernarum ſomnium habuit, ſe in priſtinum honoris gradum rediiſſe: ubi Ambroſius: bene ſomnium habuit, quia omnis regum potentia ſomnium eſt. Reges in Apocalypſi dicuntur quaſi reges, quia velut in ſomnis regnant, ait Auguſtinus. Siquis in Germania conſulatu fungitur, non ideo honoratur, ſi ad barbaras nationes devenìat: ergo honoribus nihil ſolidum ineſt, alias ſicut ignis non perdit calorem, ſic nullibi perderent reverentiam, ait Boethius. S. p. 20. fol. 626.

# LIBER DECIMUS.
## DE PROFANIS.

CÆLUM.
*Sydera. Sol. Luna.*
*Stellæ. Cometæ.*
MUNDUS.
*Regna & Provinciæ. Europa.*
*Africa. Aſia. America.*
ELEMENTUM AERIS.
*Aer. Venti. Frigus. Æſtus ſeu calor.*
*Nubes. Pluviæ.*
*Grando. Volucres.*
ELEMENTUM IGNIS.
*Ignis. Ignes fatui. Fulmina. Tonitrua.*
ELEMENTUM TERRÆ.
*Terra. Montes. Urbes.*
*Animalia terreſtria.*
ELEMENTUM AQUÆ.
*Aqua. Aqua Marina. Aquæ Medicatæ.*
*Fontanæ & ſalubres. Putei & fontes.*
*Lacus & Stagna. Mare. Oceanus.*
*Piſces.*

## CÆLUM.

*1. Empyreum quam ſpatioſum ſit.*

Ex diſtantia cæli a terra immenſum illius ambitum quodammodo deſumere licet; quo enim major eſt altitudo, eo ſpatioſior eſt circumferentia: eſt autem cælum ita altum, ut ſi homo quotidie centum milliaria surſum ſcanderet, per bis mille annos necdum cælum empyreum attigiſſet. C. Gen. c. 1. v. 16.

Si lapis molaris de cælo caderet, per nonaginta annos continuo laberetur, donec terram attingeret. C. Gen. c. 1. v. 16.

Aliqui Aſtrologi auſi ſunt metiri ſpatium podii cæleſtis, ubi beati habitant, & calculum fecerunt, quod contineat in ambitu quater mille ſeptingenta, & ſexaginta ſeptem milliones ſeptingenta, & ſexaginta ſeptem milliaria. B. ſerm. 53. n. 12. C. Gen. c. 1. v. 16.

Intuere ſydera cæli quam innumerabilia ſint, & tamen in ſpatiis intermediis innumerabiliter alia adhuc interſeri poſſent: ſcito autem etiam minimam ſtellarum eſſe decies octies mundo univerſo majorem; quantum igitur eſt ſpatium, quod tam innumeras ſtellas capit, hoc autem tantum eſt cælum ſydereum: quanto amplius ergo erit cælum empyreum! B. ſerm. 53. n. 12.

Luna a terra elevata eſt 120630. milliaribus. Sol quatuor millionibus milliarium, cælum ſtellatum fixarum octingenta milliaribus &c. D. 1. 8. P. p. 2. diſ. n. 3. C. Gen. 1. v. 16.

Exclamat Propheta Baruch: *O Iſrael, quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus.* Magna luminaria cæli *ſint ſigna* hujus magnitudinis: ibi innumerabiles ſunt ſtellæ, quarum minima major eſt decies, quam mundus. Intuere ſpatia intermedia, quam immenſa ſint. Jam ſi tam magnum eſt cælum ſtelligerum, quantum erit empyreum. Bone Deus, quot milliones milliarium continebit tota amplitudo! B. ſerm. 53. n. 11.

2. Te-



*2. Teſtis eſt potentiæ, & majeſtatis Dei.*

*Cæli enarrant gloriam Dei*: Quomodo enarrant? Reſp. Chryſoſtomus. Tacet cælum, ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aures nos docens. S. p. 120. f. 374.

S. Chryſ. hom. 9. ad pop.

Architecti, qui mira opera produxerunt, uti Semiramis, quæ hortos penſiles, Cteſiphon qui templum Dianæ, Salomon, qui templum Hieroſolymitanum, Philippus II. Rex Hiſpaniarum, qui Eſcuriale ædificavit, immortali memoria celebrantur. Sed quid hæc punctula ad cælum? Deus immenſum cæli fornicem 1. ſine prævia materia aut apparatu. 2. Sine columna aut fulcimento. 3. Sine labore & conatu uno verbo produxit, & hactenus ſine reparatione conſervavit.

Deſcribendo cælo nemo par eſt, ait S. Hieronymus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit.* En! tribus menſuris ampliſſimis utitur Apoſtolus ad ſcribendum cælum! Vide Paoletti Dom. 2. Quadr.

Cæli enarrant gloriam Dei, quia a Deo acceperunt 1. Naturam incorruptibilem. 2. Immenſam magnitudinem. 3. Perfectiſſimam & pulcherrimam rotunditatem. 4. Motum celerrimum & perpetuum. 5. Varietatem orbium, eorumque inter ſe miram concordiam. 6. Eorumdem motus diverſiſſimos, & tamen ordinatiſſimos. 7. Syderum decorem, multitudinem, & efficientiam. 8. Præſides Angelos, qui orbes hos regunt, & rotant. 9. Lucem miram & variam. 10. Generalem vim producendi, vivificandi, & conſervandi res ſublunares. 11. Mirum ornatum, ut ſit templum Dei, Angelorum, & Beatorum. C. Dan. 3. v. 59.

Longitudo & latitudo cæleſtis Jeruſalem continet 1500. Milliaria Italica &c. C. Apoc. 41. v. 16.

### Sydera.

*3. Sunt ſigna Providentiæ, & potentiæ Dei.*

N*olite in ſublime tolli*, id eſt, intuentes lunam, ſydera, & anni rationem, ſed confidite providentiæ Dei. Hæc gubernat mundum, & omnibus neceſſaria diſtribuit. S. p. 78. fol. 249.

Terra protulit herbam virentem, antequam Deus ſtellas creavit. M. conc. 20. aſſ. 2. n. 8. Quo indicare vult Deus, ſydera non eſſe cauſam fertilitatis terræ, ſed ſuam Providentiam.

Nihil ita ornat cælorum machinam, ac pulchritudo firmamenti, utpote quod tot quaſi gemmis, pyropis, & adamantibus, quot aſtris reſplendet; indeque dictum eſt cælum quaſi ſyderibus cælatum. Imo quot aſtra, tot tædæ, & igneæ faces in cælo collucent, totique mundo prælucent. Stellæ ſuo ordine, motu, influxu, & varietate quaſi milites Dei, aciem ſeu exercitum ordinatiſſimum repræſentant; unde Deus Sabbaoth, id eſt, exercituum, ſcilicet Angelicorum ſydereorum nuncupatur. C. Eccli. 43. v. 1.

Homines ſancti intuitu cæli ſyderei quaſi nauſeam conceperunt totius mundi: ſic S. Ignatius: Quam ſordet mihi terra cum cælum aſpicio! S. Fulgentius cum Romanum Senatum intueretur, ajebat: ſi ſic fulget Roma terreſtris, quomodo fulgebit Solyma cæleſtis. Sic Juvenis Machabæus, S. Symphorianus, S. Stephanus intuitu cæli in martyrii doloribus confortati ſunt. C. Eccli. 43. v. 1.

Hinc Sancti ſine fine ſuſpirabant in cælum, ſic Simeon Stilites, S. Mechtildis a Deo de ſua ſalute certificata, & alii Viri timorati, & ſancti quotidie proficiunt in abdicatione rerum temporalium, ut ſic per virtutes, quaſi per ſcalam Jacob aſcenderent ſuper ſydera uſque ad domum Dei. C. 2. Petri 3. v. 13.

*4. Non agunt in voluntatem humanam.*

S. David ait: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Non dicit adulterum me fecit Venus, latronem me fecit Mars, avarum me fecit Saturnus &c. S. p. 25. f. 106.

In Nativitate Chriſti Domini nova ſtella orta eſt, de qua S. Gregorius, non ſtella pueri, ſed, ut ita dicam, puer fatum ſtellæ fuit. Brev. die 2. inf. oct. Epiph.

Aſtrologi ſæpe ex horoſcopo pueris recens natis feliciſſimam ſortem vaticinati ſunt, qui tamen in juventute mortui, aut eam felicitatem nunquam aſſecuti fuerunt. Econtra obſcuris ſyderibus geniti ad ſummas dignitates aſcenderunt. VV. art. diſc. ſont. 94. ex. 4.

Nocturno tempore cælo ſereno ſæpe videtur ſcintilla e ſtellis decidua, qua ſtellæ ſe purgare dicuntur: invenitur etiam in campis & agris viſcoſum ejuſmodi phlegma, quod creditur decidiſſe, hoc phlegma locum illum palmarem terræ ſterilem facit. Sed ſi purgatur, terra illa fodiatur, ſtercoretur, aut alia terra ſuperinjecta tegatur, fit tam fœcunda, quam quævis alia. Poſito etiam quod ſydera in-

ſluant

fluant in geneſi hominis, & voluntatem inclinent, poteſt tamen voluntas per induſtriam excoli, & fœcundari virtutibus.

### 5. *Quanta velocitate rapiantur.*

Stella in æquinoctiali poſita ſingulis horis conficit 42. milliones milliarium, & inſuper tertiam partem millionis. Ut equus hoc ſpatium conficeret, ſi ſingulis diebus 40. milliaria curreret, indigeret annis 2904. &c. C. Gen. c. 1. v. 16.

Sol ſingulis horis conficit 1160000. milliaria. Stella in media ſolis ſemita una hora conficit quadraginta duas milliones milliarium. Quæ plane incomprehenſibilis eſt velocitas. Siquis ea velocitate poſſet gyrare orbem terraqueum, ille intra ſpatium unius Ave Maria ſepties verteretur. Si eques una die quadraginta milliaria equitaret, ad abſolvendum iter, quod ſtella illa una hora facit, 2900. annis indigeret. Si ſtella talis vel minima, ea velocitate per noſtrum aerem pervolaret, omnes urbes & ædificia impetu ſterneret &c. D. 1. 80.

Luna per unam horam conficit 13015. milliaria. Sol una hora percurrit 1140000. milliaria, quod tantundem eſt, ac ſi terræ ambitum quinquagies circumiret. Stella in æquatore tam velocem una hora curſum facit, ut illum eques, qui quotidie triginta milliaria Gallica faceret, per 583. annos non abſolveret. Sagitta, aut globus e tormento æneo excuſſus indigeret 40. dierum ſpatio ad hoc ut totum terræ ambitum obiret, quam tamen ſtella illa una hora bis millies obit. VV. art. diſc. font. 54. ex. 3. & ſeq.

## Planetæ.

### 6. *Quinam ſint, & quem in finem.*

DEfacto cogniti ſunt ſeptem: Superiores ſole ſunt tres, Saturnus, Jupiter, & Mars. Inferiores ſole itidem tres, Venus, Mercurius, Luna, & denique horum omnium Princeps Sol, qui inter ſe magnitudine, luce, & colore diſcernuntur. Habent corpora Sphærica, aſperitatibus, & eminentiis variis affecta, ex ſolido & liquido compacta: fulgent non proprio, ſed mutuato a ſole lumine. Moventur in ſuo circulo ab Intelligentiis, prout conſtat ex Authoritate tam ſacra, quam profana.

Corpora Mundana, uti Terra, Sol, Luna cæterique planetæ tali inter ſe diſtantia & ordine ſunt diſpoſita, ut vel uno a præfixo limite recedente natura minime conſiſtere, ac conſervari poſſet, ſed neceſſario interire deberet, eum in modum quo tota Muſicæ harmonia deſtruitur, ſi vel unum inſtrumentum diſcordet.

Quemadmodum in humano corpore unum membrum reciproce fovet aliud; ita Aſtra tam fixa, quam vagantia, velut membra Megacoſmi mutuis influxibus ſeſe afficiunt, roborant, & conſervant. Hæc autem conſervatio pro fine habet Microcoſmi ſeu hominis conſervationem. Hinc etiam ſeptem principalia viſcera in homine correſpondent ſeptem Planetis: Cor vitalium ſpirituum fons Soli, cerebrum Lunæ conformatur. Hepar ſanguinis officina Jovi, Renes generationi ſervientes Veneri: Splen & Fel duobus maleficis Planetis Saturno & Marti, Pulmo tandem mutabilis Mercurii influentiis agitari cenſetur. Zahn: Scrut. 2. Diſq. 1. c. 11.

Quoad qualitatem Planetarum, aliqui dicuntur diurni, quod de die vires, & operationes ſuas exerant, velut Sol: aliqui dicuntur nocturni, quod de nocte potiſſimum, veluti Luna virtutem ſuam emittant. Reliqui, qui ſequuntur naturam Solis, uti Jupiter & Saturnus, ſunt diurni, & ex his prior beneficus, alter maleficus: qui vero naturam Lunæ æmulantur, veluti Venus & Mars, nocturni Planetæ vocantur, & ex his illa ſalutaris, hic exitialis, & pernicioſus habetur. Mercurius eſt anceps, modo diurnus, modo nocturnus. O. Scrut. 2. Diſq. 3. c. 5.

## Sol.

### 7. *Qualis ſit in ſe, & in ſuis effectibus.*

ESt corpus cæleſte natura ſua igneum ex liquido & ſolido compactum, quod partim igne liquido inſtar Oceani effervescit, partim ſolidis eminentiis velut montibus ignivomis aſperatur. Præter manifeſtam luminis & caloris virtutem, etiam occulta panſpermia præditum, quam ſubjectis rebus communicat. Intra ſe ingentibus cavernis, canalibus & receptaculis, ſicut globus terraqueus repletum eſt, ubi ingens materiæ igneæ copia continetur.

Magnitudine, & igneis viribus conſtanter æqualiter pollet, nec deficit, nec creſcit nec pabulo indiget. Ignis illius in calore, & fulgore validum & vivax eſt. Quamvis au-



autem igne elementari ardentior ſit, univerſum tamen non comburit, tum quia vicina ſoli corpora non ſunt combuſtibilia, uti æther, tum quia Dei providentia remotius diſtant, tum quia calor illius lunæ vaporibus attemperatur.

Vapores etiam emittit, qui ſuam circa ſolem conſtituunt atmoſphæram: atque cum ignis ſolaris ſit puriſſimus, & inſtar auri, vapores etiam illius erunt puriſſimi inſtar auri liquefacti, hinc etiam aureo fulget colore.

Nihil in rerum natura excellentius ſole creavit Deus, hinc nobiliſſimi illius effectus. Nam 1. Luce ſua illuminat totum univerſum, cœlum, & omnia inferiora. 2. Lux ſolis tam amica eſt univerſo, ut mox ad ejus ortum homines, & animalia lætentur, & recreentur, imo etiam herbæ, plantæ & flores reviviſcant. 3. Omnia animalia, quæ lucis uſu delectantur, manſuetiora ſunt, quæ vero lucem fugiunt, & in latibulis deliteſcunt, ſunt ferociora. 4. Calor & lumen ſolis ſeminalem rationem in ſe continet, & virtutem terræ generativam promovet.

Solis maculæ, aut eclipſes frequentiores magnas orbi terrarum calamitates cauſant; cum enim aer peregrino influxu tingitur, a ſtatu naturali deficit, & ad putres ac exitiales partes diſponitur, idque tanto magis, quod homo per ſe annuis immutationibus & alterationibus a ſole profectis ſubjaceat, quibus exiſtentibus videmus notabiliter morbos ingraveſcere, aut mitigari.

Oculi animalium, Phoſphorus Bononienſis, Margaritæ marinæ, arbores & plantę, gallus gallinaceus, & quidam fontes, qui in montibus Pirenæis circa ſolſtitium æſtivum abundanter e terra erumpunt, & circa ſolſtitium hybernum ſe iterum ſubducunt, ingentem habent cum ſole Sympathiam. Zahn. Oecon. Mund. Scrut. 2. Diſq. 1. c. 4.

## Luna.

### 8. *Qualis ſit, & quinam illius effectus.*

ESt corpus cœleſte, denſum, ſolidoliquidum, opacum, Sphæricum, ex ſua natura expers omnis luminis, aptum tamen ad ſolis lumen reflectendum, atque ita non tantum ad Mundi ornatum, ſed etiam ad maximam utilitatem, & neceſſitatem a Deo conſtitutum.

Non eſt perfecte Sphærica, ſed inæqualis & aſpera, habens partes alias eminentiores, alias depreſſiores, unde diverſis maculis conſperſa eſt.

Conſtat partibus ſolidis & fluidis, & adeo terraqueo globo perſimilis, ex terra & aqua luxari compoſita. Habet montes ſicut Mundus altiſſimos. Proprium lumen non habet, ſed mutuatum a ſole; propterea cum in luna dentur plures eminentiæ, & partes montoſæ, fit, ut pro ſitu corporis ſolaris, & radiorum ſolarium ad lunam incidentia, ab eminentiis illi umbræ diverſimode projiciantur.

In luna varii aſpectus & Phaſes eo fine videntur ordinatæ, ut iis tum vis lunæ, qua omnia terreni globi humida afficiuntur, tum lucis lunaris incrementum aut decrementum attemperetur. In hanc rem Kircherus: ait: Sol & luna in hoc mundi theatro diſpoſita ſunt, ut luna perpetuo ſolaribus expoſita radiis calorem ſolis humore ſuo attemperaret.

Vapores ex luna in circumſtans ſpatium æthereum exhalant, adeo exiles, ut ab omni terreſtri fæce depurgati ſint, & in nubes congelari non poſſint. Quia tamen in æthereo ſpatio condenſantur, hinc & Atmoſphæra luna circumdata fuit deprehenſa.

Lunaris globi finis principalis eſt, ſolis abſentis partes in terræ globo illuſtrando ſubire, periodos menſium conſtituere, ſolis æſtum temperare, ne pertinaci ardore terram torreat, & exſiccet, tandem etiam fœcundo ſuo profluvio terram fœcundare, & ad generationem diſponere. Lunæ influxus (ait Kircherus) eſt adeo terræ neceſſarius, ut eo ſublato illa in eſſentiæ ſuæ perfectione conſiſtere minime poſſet, virtutis ſolaris efficacia mox in cinerem redigenda. Et S. Ambr. ait: *Luna eſt Mater roris, decor noctis, miniſtra humoris, maris dominatrix, menſura temporis, motrix aeris, æmula ſolis.* *S. Ambr. in Hexa.*

Virtus lunæ influxiva in terraqueum globum eſt qualitas a tota ſubſtantia lunæ promanans ſubtiliſſima, ac mire penetrativa: ſic conchylia in ipſo maris fundo ex influxu lunæ incrementum capiunt. Sic catarroſi etiam inter denſiſſimos parietes concluſi influxu lunæ affliguntur. Sic aquæ nonnullæ vitreis vaſis arctiſſime munitæ ad lunare incrementum ita concitantur, ut ebullire videantur. Si pelvis aqua nitroſa una cum ſole communi mixta impleatur, & loco lunaribus radiis patulo ſerenis noctibus exponatur, videbis aquam cum admiratione ſtatim fervere, & bullas agere.

Dantur animalia lunaria, quæ ad variatio-

rationem lunæ miras mutationes patiuntur. Sic glirium hepar, & felium oculi creſcunt & decreſcunt; formicæ opera ſua creſcente luna induſtrioſe proſequuntur, decreſcente ceſſant. Cadaver ſi lunæ radiis exponatur, citius & facilius putredine diffluit. Vulnera in plenilunio difficilius curantur; hinc tot infauſta dantur calendaria, quæ ſauciati per omnem vitam circumferunt, adeo accurata, ut quavis ephemeride certius ſublunarium alterationes prædicere poſſint. Arbores quædam, & plantæ, & lapides ad mutationem lunæ alterantur. Zahn. Oecon. Mund. Scrut. 2. Diſq. 1. c. 3. &c.

### Stellæ.

*9. Variis opinionibus taxatæ.*

GEntiles Peruani putarunt a ſtellis generari animalia, & ſingulas pecudum ſpecies habere ſpeciales ſtellas tutelares; hinc illas adorarunt, rogantes, ut ſibi manſuetas potius, quam venenatas & noxias pecudes effunderent. Ciani populi putarunt a duodecim ſtellis duodecim anni menſes regi, ideo illas ſpecialiter adorabant, quæ tempore meſſis regnabant. Alii judicarunt ſtellas non eſſe aliud, quam candelas in nubibus, quæ ad ortum diei extinguerentur, & ad noctem iterum accenderentur. Fuerunt, qui ſydus, quod capra vocatur, præ cæteris adorabant, quia capræ vitibus nocent, rogantes, ne ſuis vineis damnum afferret. Multi credebant, cælum, aſtra, & Mundum, anima & ratione eſſe præditos, quorum errorem etiam Origenes amplexus eſt. Rex Sapor, & Nero Imp. machinam ſibi ingentem cum imaginibus ſolis, lunæ, & ſtellarum per gemmas expreſſis ſibi confici curarunt, in cujus medio, aureo ſedili conſidebant, ut ſic ſupra omnem mortalium conditionem, ſe Deos eſſe crederentur. O. Scrut. 2. Diſq. 1. c. 13.

Stellæ multoties novæ comparuerunt, & iterum diſparuerunt, ſic anno poſt Chriſtum 583. ſtella nova in medio lunæ viſa eſt. Sic innumeræ aliæ, ſublimiores aut profundiores comparuerunt, quo fine, qua ſignificatione, varia ſunt pro diverſitate temporum judicia.

Inter ſtellas ſæpiſſime viſæ ſunt cometæ crinitæ, & barbatæ, in forma jaculi, gladii, haſtæ, cum metu intuentium, qui mala peſſima ominabantur. Cometæ ab aliquibus dicuntur naſci ex materia terrea, quæ in altum elata accenditur. Carteſius putat illas a ſtellis corruptis, & deficientibus oriri; fuit qui judicabat, a malo dæmone produci. Verum falſo; cum Divinæ Providentiæ, & Bonitati haud congruum eſſe videatur, permittere, ut nequiſſimus ille ſpiritus tam crebro humano generi ſuis territionibus illudat. Accedit, quod cometæ non ſemper tragicos, ſed nonnunquam felices eventus præſagiant. O. Scrut. 2. Diſq. 2. c. 4.

### Cometæ.

*10. Sunt ſigna imminentium Malorum.*

QUamvis res plane naturales ſint, quæ naturaliſſime contingere poſſint, ſunt tamen ſigna ominoſa, & extraordinaria Naturæ prodigia, quibus Deus inſolitos eventus humano generi comminari & portendere ſolet. Nam 1. hoc valde conſentaneum videtur S. Scripturæ: *Dabo prodigia in cælo & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, donec veniat dies Domini.* Item in Evangelio S. Lucæ. *Erunt ſigna in ſole & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi! &c.* Hi & ſimiles textus intelligendi ſunt de excidio urbis Hieroſolymitanæ, & interitu Mundi in fine, ubi non eſt dubium inter ſigna comparituros cometas, ut mali a peccatis deterreantur, & Boni ad perſeverantiam in virtute excitentur. 2. Probatur ex ipſo ductu rationis, & lumine naturæ, cum omnes nationes & populi, etiam non Chriſtiani, viſis cometis communiter terreantur, & apprehendant ut ſigna calamitatum. 3. Probatur ab experientia; compertum enim eſt, omnes cometas extraordinarios quoſdam eventus poſt ſe traxiſſe. Sic illum, qui anteriori ſæculo anno 1680. & 81. terribili ſyrmate luxit, rebellio in Hungaria, Turcarum irruptio in Auſtriam, obſidio urbis Viennenſis, aliaque mala ſubſecuta ſunt &c. Sed contra hæc aliqui Opponunt, 1. Cometæ ſunt res plane naturales, & naturaliſſime contingunt: Ergo nihil portendunt. Rdeo. An Cometæ pure naturaliter exoriantur, diſſentiunt Authores, ſed dato hoc, tamen poſſunt eſſe ſigna futurorum, ſicut Iris, etſi naturalis ſit, eſt tamen ſignum fœderis inter Deum & hominem. Denique etiamſi ortum naturalem habent, tamen ex ſpeciali diſpo-

*Joel. 2.* *Luc. 21.*





ſitione Deus curſum naturæ ita coordinare poteſt, ut tunc ſolum compareant cometæ, cum Deus terrigenas grandi malo punire intendit. Opponunt 2. Cometæ, & eorum apparitiones poſſunt ab Aſtronomis prædici: Sed hoc fieri non poſſet, ſi ex ſpeciali directione Divina comparerent. Rdeo. Aſtronomi tam ambiguis, fuſiſque verbis præſagia ſua proponunt, ut mirum foret, ſi non caſu unum aut alterum attingerent, ait Doct. Hevelius. Dein multos prædixerunt cometas, quorum nullus humanis oculis viſus eſt. Prædictio ergo cometarum eſt mera conjectura caſualis. Opponunt 3. Non omnes cometas ſubſecuta eſt calamitas, aut pernicies hominum: ergo non ſunt ſigna malorum. Reſp. etiam prophetiam Jonæ non eſt ſubſecuta everſio urbis Ninive, & tamen Jonas non male illam prænuntiavit: Novit certe Deus mutare ſententiam, ſi peccatores noverint mutare delictum. Sic etiam fulmina non ſemper feriunt, & tamen ſunt formidabilia.

Opponunt 4. Multa mala & triſtia facta in mundo acciderunt, quibus cometa non præluxit: ergo non ſunt ſigna. Reſp. argumentum eſt ſimile huic: multi ſine peſte & bello e medio ſublati ſunt: ergo peſtis & bellum nihil mali portendunt. Vel ut alius Doctor arguit: Prima everſio urbis Jeruſalem non ſcitur præſignificata fuiſſe per cometam: ergo cometa, quæ ante ſecundam everſionem toto anno præluxit, nihil mali portendit. Nempe Deus non obligatur, ut ſemper portenta in cælo oſtendat, quoties vult homines provocare ad pœnitentiam. *Habent Moyſen, & Prophetas!*

Opponunt 5. Multi cometæ eventus, etiam lætos poſt ſe traxerunt: ergo non ſunt ſigna tragica. Reſp. Peſtis multis Medicis, bellum militibus ſæpe profuit: ergo non ſunt malum? ſine dubio dum cometa uni Principi præſagit mortem, alteri prædicit ſucceſſionem.

### MUNDUS TERRAQUEUS.

*11. Eſt liber, in quo legitur gloria Dei*

*S. Aug. in Pſal. 95. S. Baſil. hom. 1. in Hexam.*

SAnctus Auguſtinus, & Baſilius merito hunc mundum librum vocant, in quo magnitudinem, ac potentiam Creatoris poſſumus intueri. Characteres hujus libri ſunt creaturæ omnes. Character cælum eſt: *Cæli enarrant Gloriam Dei.* Character dies eſt: *Dies diei eructat verbum.* Character nox eſt: *Nox nocti indicat ſcientiam.* Characteres ſunt omnia elementa: *Hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Quære ſingula, veluti Phariſæi interrogarunt Joannem: *Tu quis es?* Et reſpondebunt omnia: *Ego vox*, quia annuntio Majeſtatem mei creatoris. &c. B. ſerm. 3. n. 24.

Moyſi deſideranti videre faciem Dei, reſpondit Deus: *Poſteriora mea videbis*, quaſi diceret, in creaturarum veſtigiis me cognoſces, in his veſtigia relinquam, per quę quam magnus ſim, quam potens, quam bonus, conjicere poteris. &c. &c. S. punct. 120. fol. 373.

Sicut ex artificioſa ſtatua, imagine, navigio deſumis artem auctoris illiuſque ingenium: ita ex creatis Dei Majeſtas, ac potentia elucet. B. ſerm. 3. n. 24.

Celebris ille Ægyptiorum Theologus, Moyſi pene æquævus, Mercurius, Gentilium opinione Triſmegiſtus, diu deliberans qua ratione aptiſſime hoc univerſum deſcriberet, tandem hoc erupit: *Univerſum eſt liber Divinitatis, ſæculumque hoc ſubluſtre eſt ſpeculum Divinum. &c. &c.* C. c. 1. v. 1. in Gen.

*Socrates l. 4. hiſt. c. 18.*

S. Antonius cuidam roganti, quomodo in eremo ſine libris vivere poſſit, reſpondit: Meus liber eſt natura rerum a Deo conditarum, quæ quotieſcunque mihi libuerit, libros ipſius Dei ad legendum mihi ſuppeditat. C. Gen. 1. v. 31. in fine & ſeq. Et A. lect. 8. n. 23.

Hac certe de cauſa homines ſancti ex omnibus mundi rebus Dei majeſtatem agnoſcunt, uti S. Ambroſius ex rana, Franciſcus ex cantu cicadæ. Et Sponſa in Canticis ait: *Circuibo civitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea.* A. lect. 8. §. 9.

Ex Mundi creatione, quam Deus Omnipotens intra ſeptem dies abſolvit, diſcere poſſumus, Dei Omnipotentiam in *creando*, Sapientiam in *ordinando*, Authoritatem in *præcipiendo*, Juſtitiam in *puniendo*, Miſericordiam in *parcendo*, Diaboli aſtutiam in *tentando*, Hominis infirmitatem in *peccando*, Divinæ gratiæ neceſſitatem in *reſipiſcendo*, & ejus efficaciam in *perſeverando*.

*12. Eſt admirandum opus Omnipotentiæ Divinæ.*

Admiranda mundi ſtructura primo elucet ex coordinatione partium inter ſe: Deus Creator ſingulas creaturas ſingulariter laudavit, quod eſſent bonæ: *Vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Verum cum

omnia creata cumulatim intuitus eſt, laudavit ea, quod eſſent *valde bona*. Quid ergo nunc acceperunt ſupra id, quod antea habebant? Reſpondet Lyranus: *Licet quælibet ſpecies entis bona ſit in ſe, ex univerſis tamen partibus univerſi ordinatis ad ſe invicem, & ulterius ad Deum admirabilis pulchritudo, & bonitas conſurgit*. B. ſerm. 3. n. 25.

Deus perfectiorem, & etiam imperfectiorem mundum potuiſſet producere, ſed condidit illum prout voluit; unde non poteſt non eſſe perfectus, quia ſecundum Dei Optimi liberrimam voluntatem eſt factus. Atque hæc perfectio conſiſtit in mira rerum varietate, in ordine, & diſpoſitione, in plenitudine, & univerſitate, in arcta connexione, in diſcordi concordia, in ſympathia, & antipathia, ac proportione. Zahn. Oecon. Mund. ſcrut. 1. c. 6. C. Gen. 1. v. 31.

De Mundi magnitudine, & latitudine ab innumerabili millionum ac millionum hominum multitudine habitata, ac frugum ubertate repleta quærit Siracides: *Latitudinem terræ, ac profunditatem abyſſi, quis dimenſus eſt? &c.* Ibid. c. 7.

Sicut artifex, in magno aut minore opere automaro rotulas, parteſque omnes ita accurate proportionare debet, ut nulla pars nec magnitudine excedat, nec parvitate deficiat; ita Deus partes omnes mundi ita inter ſe proportionavit, *in numero, pondere & menſura*, ut dici poſſit, ac debeat: *Bene omnia fecit!* Ibid. in fine.

Deinde elucet admiranda mundi ſtructura ex rerum varietate, ex rerum ordine, ex rerum univerſitate, ex rerum connexione, ex rerum ſympathia, & antipathia, ex rerum proportione, ex rerum adminiſtratione. &c. C. in Gen. c. 1. v. 31.

Mundus ſic dictus eſt, quia nihil eo mundius, nihil pulchrius, nihil ornatius, vocatur etiam univerſum, ſeu rerum omnium complexum, conglobatum ex creaturis omnibus. Ejus forma eſt Sphærica; corpori enim nobiliſſimo ac capaciſſimo debebatur figura nobiliſſima ac capaciſſima, qualis eſt Sphærica.

Mundus tripliciter ſumitur: *Mundus Archetypus*, eſt Mens Dei Creatoris complectens omnes ideas rerum creaturarum: ita S. Auguſtinus ait: Mundus eſt *ratio ſempiterna ſeu incommutabilis, qua fecit Deus mundum*. Mundus *Angelicus* conſtat triplici Angelorum Hierarchia. *Elementaris*, qui componitur ex quatuor elementis, & corpore cæleſti, cujus maxima pas eſt terra, una cum aqua, Oceano, maribus & fluminibus unum globum conſtituens, & propterea dictus *Globus terraqueus*.

S. Aug. 1. Retra. c. 3.

### 13. *Totus creatus eſt ad hominis emolumentum.*

Attolle oculos, o homo, numera ſtellas, ſi potes: volucres in aere: animalia in terra, piſces maris, arenas littoris, arbores, ac plantas: hæc omnia ad tuum obſequium produxit Deus. Sol in montibus producit aurum, argentum, metalla, gemmas: in firmamento quot motus ſyderum, & varii influxus: in elementis quot animalium genera: &c. ad quid hæc omnia? omnia ad tuam conſervationem, & delectamentum. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. &c.* B. ſerm. 20. §. 4.

S. Auguſtinus conſiderat diverſiſſima bona, quæ Deus in emolumentum hominis in hoc mundo produxit: intuetur claritatem luminis, puritatem aeris, delectamentum muſicæ, ſuavitatem odoris, amænitatem cibi & potus, multitudinem animalium, volucrum, piſcium, arborum, frugum, plantarum, aliaque innumera: tunc exclamat, ſi Deus tanta fecit pro mortali hoc corpore, quanta fecerit neceſſe eſt pro immortali anima in cælo! &c. B. ſerm. 53. n. 13.

S. Aug. l. 3. de Symb.

Philoſophi Mundum ſenſibilem in duas partes dividunt, quarum ea quæ eſt nobilior & ſimplicior ſupra lunam, dicitur *activa*, eo quod cæleſtis ac ſyderea hæc pars ad rerum inferiorum productionem concurrat tanquam principium activum, altera vero pars inferior *paſſiva* nominatur, cum reſpectu cæli, a quo omnes influxus, & incrementa recipit, paſſive ſe habeat.

Adminiſtratio totius univerſi in bonum cedit hominis, & præcipue admiratione dignum eſt, quod rerum omnium in mundo apparatus, & varietas in hominis bonum ordinetur; aliæ enim res pertinent ad hominis neceſſitates, & commoditates, aliæ ad oblectationes, remedia, & ſanitatis præſidia. Quin etiam mala in hominis utilitatem ordinata ſunt, ut ait Pererius: *Mala pœnæ Deus ordinat ad caſtiganda mala culpæ*. Zahn. Oecon. Mund. ſcrut. 1. c. 6.

### 14. *Errores ab antiquis concepti.*

Philoſophi nonnulli antiquiores putarunt Mundum eſſe ingenitum, non creatum, eumque ab æterno extitiſſe. Imo Deum neceſſitate fuiſſe compulſum, ut Mundum conderet ab æterno. Sed falſum id eſt, quia de natura Entis perfectiſſimi eſt libere, & ſine neceſſitate agere. Quæres, quid ergo Deus egerit ab æterno? Reſpondeo, quod ſeipſum cognoſcendo infinite amaverit, & futura præordinarit, vel etiam quod nimium curioſis Maieſtatis ſuæ ſcrutatoribus infernum præparaverit, quod S. Auguſtinus naſutis hujuſmodi ſciolis reſpondiſſe fertur.

Alii, uti Democritus & Epicuræi ſtatuerunt Mundum fortuita atomorum concurſione productum, eumque aliquando corrumpendum, nec denuo reſtaurandum eſſe.

Manichæi aſſeruerunt duo eſſe rerum principia, ſive duos Deos, unum Bonum, conditorem ſpirituum, alterum Malum creatorem corporum. Communius complures Ethnici tenuerunt, duas rerum omnium cauſas eſſe, unam Bonam, qua res omnes bonæ, uti ſtellæ, plantæ, homines, & animalia: altera mala, a qua quæcunque mala, & etiam venena, ac quævis noxia originem traxerunt.

Brachmannes ridicule docuerunt, plures numero fuiſſe mundos, quos omnes Deus ex aqua inſtar ovi produxit. Sicque unum mundum anteceſſiſſe alium, & poſt hunc præſentem iterum fore alium, ita ut per omnem æternitatem ante & retro nulla ætas fuerit, aut futura ſit ſine Mundo. Unum autem poſt alterum interiiſſe, & hunc præſentem iterum interiturum.

Arius tandem & alii dixerunt, Mundum non a Deo, ſed ab Angelis fuiſſe creatum: Statuerunt enim Deum creaſſe Filium, & hunc creaſſe Spiritum Sanctum, ab hoc autem productos fuiſſe Angelos, ab his tandem Mundum, & ea quæ in mundo ſunt.

Quoniam Gentiles, ut ſupra memoratum eſt, Mundum inſtar ovi productum eſſe putarunt, voluerunt ulterius, in hoc ovo tria hæc contineri, cælum, terram, & abyſſum, quæ etiam ab illis tres mundi nominantur. Alii quatuordecim Mundos in hoc ovo contineri docuerunt, quorum octo ab illis ſubcæleſtes, ſex reliqui ſupercæleſtes vocabantur, in quibus delitioſa omnia, præter vinoſum mare, ſyrupus & ſaccharum creſceret.

Sinenſes Myſtæ in Inſula Muco coluerunt idolum, uti vocabant, Dei ſupremi: iſte Deus, ajebant, minoribus Inſulis cuſtodiendum tradidit ovum quatuor elementis refertum. Ovo iſto, per incuriam cuſtodientium efferati bovis cornibus confracto, prodiit totius Mundi apparatus, excepto homine. Piget plura id genus fabuloſa commenta recenſere, ex quibus patet, in quas abſurditates abripi poſſit humanum ingenium ſola ſuiipſius opinione ductum, & non rationis, ac prudentiæ magiſterio moderatum. O. Scrut. 1. c. 2.

### 15. *Non gyratur ſyſtemate Copernico.*

Syſtema Mundi appellatur coordinatio & compoſitio magnarum Mundi partium, hoc eſt, Elementorum, ſtellarum, cælorumque omnium, quoad ordinem tum inter ſe, tum reſpectu centri univerſi.

In primo & antiquiſſimo Syſtemate, quod *Ptolomaicum* vocatur, terra immota ſtatuitur circa medium univerſi. Hic tellus, ſeu globus terraqueus in centro mundi ſtat quieſcens, & omni motu deſtitutus: ſupra globum terraqueum collocatur aer vaporibus, & halitibus permixtus, qui cum ad paucorum milliarium altitudinem aſſurgat, atmoſphæræ nomen habet. Talis Mundi conſtitutio ab antiquis ut plurimum fuit approbata, uti a Pythagora, Archimede, Cicerone, Plinio, & aliis.

In ſecundo Mundi ſyſtemate, quod *Tychonicum* appellatur, Tycho Brache Nobilis Danus, & præſtantiſſimus Aſtronomus, conſentit quidem cum Ptolomæo quoad immobilitatem terræ, eamque in Mundi centro ſtatuit, & circa illam totam cælorum machinam ab ortu in occaſum, impetu primi Mobilis deferri admittit. Circa phænomena autem Planetarum, & centrum motus ſolaris, explicationem & menſuram differentiſſimam uſurpat. Hoc ſyſtema amplexi ſunt Longomontanus, inſignis Aſtronomus, Kircherus, Schottus, & alii.

In ſyſtemate *Copernicano*, cujus Nicolaus Copernicus Boroſſus Medicinæ Doctor, & Canonicus Fruenburgenſis auctor eſt, & ſol & ſtellæ immobiles ſunt, terra autem mobilis eſt, & circa ſolem & ſtellas circumvolvitur. Huic adhærent, & ingenioſis hypotheſibus confirmant Gaſſendus, cum Cartheſianis, ac aliis hoc tempore pene innumeris, maxime Acatholicis. Verum hoc ſyſtema cum veritate ſacræ Scripturæ conciliari non poteſt. Ibi enim ſolem ab ortu in occaſum vergere, in ſuo curſu a Joſue per illud: *Sta Sol!* fuiſſe ſufflaminatum, aliaque

quæ ſolis motum demonſtrant, adeo ſunt frequentia, ut hæc opinio a Sede Apoſtolica fuerit reprobata, quam & ipſe Copernicus tandem ſolemniter revocavit.

*16. Datur unus, & unicus.*

Quidam ex Veteribus Philoſophis finxerunt plures mundos, finitos tamen, ut Manichæi. Alii infinitos, ut Democritus, quibus etiam magnam diverſitatem affingit, dicens, aliquos eſſe ſine ſole, ſine luna, ſine plantis, ſine animalibus, ſine humore. Cum Alexander Magnus ex Diogene, & Anaxarcho audiiſſet, dari infinitos mundos, illacrymaſſe fertur. Cauſam lacrymarum quæſitus, reſpondit: An non dignum eſt flere, ſi cum infiniti mundi eſſe perhibeantur, nondum unius Domini ſimus? ſed hæ nugæ ſunt.

*Plutarch. de tranquil. animi.*

Doctiſſimus Plato, unicum dari Mundum duobus argumentis adſtruit: 1. Quia perfectus, atque integer non foret, niſi omnia in ſe comprehenderet, quæ a Deo creata ſunt. 2. Quia conveniens eſt mundum ſuo Archetypo, ſeu exemplari, hoc eſt, Divinæ naturæ correſpondere: ſicut ergo unus eſt Deus, una prima cauſa, ita neceſſe eſt unum eſſe univerſum.

Recentiores mundi unitatem his declarant argumentis: Si alius daretur mundus, reponi deberet ultra ultimam cæli ſphæram, in ſpatio imaginario: ſed ibi corpora aliqua eſſe eſt impoſſibile, cum nihil eſſe ſupponatur, & mere fictitium: quod autem nihil eſt, nec partes habet, nec effectus.

Eruditiſſimus Kircherus ſic pro unitate Mundi pugnat: Implicat dari plura univerſa; univerſum enim eſt, quod omnia complectitur: omnia autem complecti hoc univerſum non poſſet, ſi plura darentur univerſa.

Nihilominus Veteres hunc Mundum diſcriminabant, in novem partium claſſes: Prima erat Entium a prædominio *Igneorum*, ſecunda *Aereorum*, tertia *Aqueorum*, quarta *Terreſtrium*, quinta *Mineralium*, ſexta *Vegetabilium*, ſeptima *ſenſitivorum terreſtrium*, octava, *animalium aquaticorum*, nona *Microcoſmi ſeu Hominis*. Zahn. Oecon. Mund. Scrut. 1. c. 9.

*17. Magis amatur a peccatore, quam cælum.*

Cain duplici maledictione a Deo punitus fuit, tum quia fuit proſcriptus a facie Dei, tum quia fuit ejectus a facie terræ: hoc alterum magis deplorat iſte impius, quam primum ſupplicium: *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcindar.* Rupertus ait: *Hoc timet, ne agricolari ſibi non liceat, ne terram quam ſolam amat, perdat.* Ita adhuc multi &c. B. ſerm. 24. n. 26.

*Rupert. l. 4. in Gen. c. 7.*

Judas proditor unguentum Magdalenæ trecentis denariis æſtimat, dein autem Chriſtum Dei Filium triginta denariis vendit. &c. B. ſerm. 24. n. 30.

Tribus Ruben & Gad inventis opimis paſcuis circa Jordanem ibi immorari, nec ultra ad terram promiſſam tendere cogitabant: O inſenſatos terræ amatores, qui nihil aliud cogitant, quam paſcere hæc animalia! de anima nihil, de cælo nihil ſoliciti ſunt. &c. S. punct. 72. fol. 236. & punct. 78. fol. 245. in fine.

Similes hi ſunt pueris ludentibus, qui domunculam ex ſabulo, aut luto confectam pluris æſtimant, quam Regis palatium. Similes ſunt talpis, qui in ſuis foraminibus & latibulis adeo ſibi complacent, ut ad liberum aerem non aſpirent. Similes ſunt noctuis ſeu veſpertilionibus, qui ſolem averſantur, & ſolum nocturnas tenebras amant. Similes ſunt fatuis, & cerebro corruptis, qui fruſto vitri magis, quam adamante delectantur.

*18. Punctum eſt, ſi cum cælo conferatur.*

Attolle, o homo, oculos, & intuere ſydera innumera: parva quidem tibi videntur, ſed ſcito aliqua ex illis trigeſies quinquies, aliqua quadrageſies, aliqua ſeptuageſies bis, aliqua nonagies, aliqua centies, & ſeptuagies majora eſſe terraqueo orbe, imo quæ minima ſunt ex ſyderibus orbem nihilominus decies octies magnitudine excedunt: jam conſidera ſpatia intermedia, in quibus innumerabiles adhuc aliæ ſtellæ affigi poſſent, & ex his omnibus metire immenſum firmamenti ambitum: quid de cælo empyreo dicendum eſt, quod adhuc altero tanto altius eſt? &c. Bene igitur Seneca de hoc mundo. *O quam ridiculi ſunt mortalium termini! punctum eſt, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis: hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igne dividitur.* &c. B. ſerm. 53. n. 12. S. punct. 78. fol. 246.

*Senec. l. 1. Nat. q. in præfat.*

Si in ſtella aliqua, & multo magis ſi in cælo empyreo eſſemus, & deſpiceremus hunc terræ globulum, an non exclamaremus: hoc eſt illud punctulum, cui



cui inhiant filii Adæ, quaſi formicæ: O quam anguſti ſunt mortalium termini! &c. C. Gen. c. 1. v. 14.

Terrarum magnitudo ad unicam ſtellam comparata, quarum ſupra millena millia in cælo fulgent, & unaquæque, etiam minima globo terreſtri decies octies major eſt, punctum reputatur. Sol, qui inſtar diſci intuentibus apparet, centies ſexagies ſexies mundum magnitudine ſuperat. Cælum ſupremum tanta altitudine diſtat a terra, ut ſi primus Protoparens adhuc viveret, & a tempore ſuæ creationis quotidie octodecim milliaria verſus cælum aſcendendo confeciſſet, nondum ad cælum perveniſſet. Firmamentum ſeu cælum ſydereum tanta velocitate vertitur, ut ſtella in Æquatore intra momentum 2264. milliaria Gallica conficiat. Zahn Oecon. Mund. Scrut. 1. c. 7.

*19. Nihil habet ſtabile & conſtans.*

Philo libro, quod Deus ſit immutabilis, variationes mundi deſcribit: Floruit, inquit, quondam Græcia, ſed Macedones abſtulerunt ei potentiam, ante res Macedonum inclyta erat Perſia, ſed una dies finem attulit: Nunc Perſæ ſunt Parthorum provincia: fuit & Ægypti olim perampla potentia, ſed nubis in morem præteriit ejus felicitas. Quid Æthiopes; quid Carthago; quid Europa, Aſiaque; quid Africa; quid Pontici Reges; & ut compendio dicam totus orbis habitabilis; Nonne more navis ſuſque deque jactatæ marinis fluctibus nunc ſecundis, nunc adverſis utitur? Nam Verbum Divinum *ludens in orbe terrarum* omnes gentes circumluſtrando nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit, &c. S. pun. 20. fol. 618.

*Prov. 8.*

Mundus eſt plenus mendaciis, ita ut dici poſſit: *Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium;* Sic hæretici preſſi a Catholicis implorarunt auxilium Turcæ, & ab hoc loco auxilii premuntur jugo Turcico, uti Budæ, & Hungariæ accidit. Sic Magi Sagæ dæmonem invocant: ſic multi aulam ſectantur, ut honores conſequantur. Sic multi ſpem ſuam reponunt in Principe, Prælato, & amico. Sic multi in filiis, in longæva ætate, in promiſſionibus adulatoris confidunt: & poſtremo nonniſi mendacium experiuntur! mutantur circumſtantiæ, Mors unum vel alterum præmature abripit, ſpes omnis concidit, nihil fit quod ſperabatur. C. Mich. 1. v. 15.

*20. Cum omnibus creaturis admonet hominem ſui finis.*

Qualibet creatura tria clamat: *Accipe, redde, fuge*: accipe beneficium, redde debitum, fuge ſupplicium: prima vox eſt famulantis, altera monentis, tertia comminantis. C. Gen. cap. 1. v. 1.

S. Chryſoſt. ait: *Tibi cælum in die lucis ſplendore veſtitur, & ſolis fulgoribus decoratur: in nocte clariſſimo lunæ ſpeculo, & aſtrorum vario fulgore polus ipſe illuſtratur: &c. Tibi tempora alternis vicibus immutantur, frondeſcunt ſilvæ, amœnantur campi, prata vireſcunt, &c. Quid ſi tibi univerſa natura conſtanter diceret: Ego tibi a Domino rerum parere præcepta ſum: pareo, obtempero, ſervio, & cum mutato non mutor, &c. Quis talis es, qui in hoc contemptu conſiſtis, qui creaturæ imperas, & creatori non ſervis; qui Dominatum exerces, & Dominum non agnoſcis; &c.* C. Gen. c. 1. v. 5. in fine.

*S. Chryſ. Tom. 1.*

S. Bernardus ait: Tria ſunt, quæ in magno hoc mundi opere cogitare debemus, videlicet, quid ſit, quomodo ſit, & ad quid ſit; ſi quæris quid ſit; inæſtimabilis potentia commendatur, qua tam multa, tam magna, tam magnifice & ſapienter creata ſunt. Si quæris quomodo ſint; miraberis alia ſurſum, alia deorſum, alia in medio ordinatiſſime eſſe locata. Si quæris, ad quid ſint; occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratiſſimos quoſque, multitudine, & magnitudine beneficiorum poſſit obruere. Zahn Oecon. Mundi Scrut. 1. c. 6. in fine.

*S. Bern. ſer. 5. de Pent.*

## Regna & Provinciæ Mundi.

*21. Cujus ſint magnitudinis.*

GErmaniæ, cujus centrum dicitur eſſe urbs Moguntina, longitudo eſt 210. latitudo 135. circumferentia 690. milliarium.

Hiſpania longa eſt 187. milliaribus germanicis, lata 156. in circuitu complectitur milliaria germanica 687.

Gallia habet in longitudine milliaria germanica 115. in latitudine 127. in ambitu 485.

Italia longa eſt 720. Milliaribus Italicis ſive 180. germanicis, lata 260. milliaribus Italicis, ſeu 65. germanicis.

Hungariæ longitudo eſt 60. milliaribus germanicis, ac par fere latitudo.

Polonia a finibus Sileſiæ ad terminos Moſcoviæ occupat 120. Milliaria, nec minus a Livonia uſque ad fines Hungariæ.

Bohemia longa eſt 40. Milliaribus Germanicis, & eſt regionum altiſſima; nulla enim flumina ab extrinſeco illam ingrediuntur, multa vero ex ea profluunt. VV. art. diſc. font. 57. ex. 1. Tempore Ferdinandi I. in regno Bohemiæ numerabantur civitates 102. quarum 41. ad regem, 61. ad ſpeciales ſpectabant Dominos. Parvæ urbes & oppida 308. Arces regiæ 18. aliæ 258. Parochiæ 2033. Pagi 30362. qui numerus anno 1613. auctus fuit. VV. art. diſc. font. 65. ex. 2.

Polonia tantæ eſt amplitudinis, ut ex ſolis Nobilibus, qui privatis ſumptibus Regno militare tenentur, centum quinquaginta militum millia in aciem educere poſſit.

*22. Qua forma regiminis optime regantur.*

Regna Ariſtocratica & Democratica inprimis immunia ſunt a deceptionibus impoſterum, qui defunctorum Monarcharum perſonam mentiti ſunt. Sic mortuo in prælio Aldephonſo Rege Hiſpaniæ, quidam Hiſpanus Regi per omnia ſimilis ſe Aldephonſum eſſe finxit. Alius impoſtor Lubecœ Friderici II. Imperatoris perſonam ſimulavit: Alexius quidam Manuelis Comneni Imperatoris ſe Filium jactitavit. Juvenis quidam Judæus Herodis mortui formam induit. VV. art. diſc. font. 80. ex. 2. Ab his deceptionibus regnum Ariſtocraticum, aut Democraticum liberum eſt.

Monarchicum tamen Regimen præ cæteris felix, & optimum cenſetur. Legatus Turcicus cum Francofurti ſibi Germanorum Principum potentiam laudari audiret, repoſuit, videri ſibi Imperium Romanum ſimile beſtiæ multicipiti, quæ propter diverſa capita ſepimentum aliquod pervadere non queat. At Imperium Turcicum eſſe beſtiam unicipitem, & multarum caudarum, quæ ubi ſemel capite tranſitum fecit, reliquum corpus & caudas facile poſt ſe trahit. VV. art. diſc. font. 8. Ex. 4.

*23. Quos mores habeant.*

INdi nigrum colorem pro feſtivo, album pro triſti habent; hinc mortuis ſuis albo veſtimento parentant. Americani tantæ ſunt velocitatis, ut cervos curſu ſuperent. Americani Meridionales ovibus agros arant. VV. art. diſc. font. 83. ex. 9. In Græcia non prandent mulieres cum viris.

Marocchum urbs Mauritaniæ agros ſuos intra muros habet, nos extra.

In Imperio Sinenſi tot linguis utuntur, quot provinciis, ſic ut alter alterum tam parum intelligat, quam Germanus Italum, in ſcriptis tamen pleniſſime ſe invicem aſſequuntur.

Japones in conviviis ad ſingulas eſcas menſam mutant.

Atramentum Sinicum eſt in maſſulas oblongas coactum, quo characteres non tam ſcribunt, quam pingunt.

Germani corpore ſunt robuſti, in veſtitu inſtar ſimiæ variabiles, in conſiliis ſerii, tardi, & fideles, in arcanis obliviosi, in Religione ſuperſtitioſi, in conjugio dominativi, vitio ebrietatis dediti, & podagræ obnoxii.

Hiſpani corpore ſunt proceri, in veſtitu modeſti, in moribus graves, in victu faſtidioſi, in arcanis muti, in fide fallaces, in conſiliis cauti, in Religione conſtantes, in conjugio tyranni, omnis generis morbis obnoxii, & in morte generoſi.

Itali corpore debiles, animo aſtuti, in moribus leves, in victo ſobrii, in arcanis taciturni, in conſiliis ſubtiles, in Religione Religioſi, in conjugio ſuſpicioſi, lui peſtiferæ obnoxii, in morte deſperati.

Galli ſunt corpore agiles, animo elati, in veſtitu prothei, in victu delicati, in arcanis garruli, in fide leves, in conſiliis præcipites, in Religione zeloſi, lui venereæ obnoxii, in morbis impatientes, in morte inviti.

Angli ſunt corpore delicati, animo ſuperbi, in moribus ſuaves, in victu guloſi, in arcanis infidi, in conſiliis imprudentes, in Religione inſtabiles, in conjugio ſervi, in morbis lupi, in morte præſumptuoſi.

*24. Qua rerum diverſitate utantur.*

Mel alibi dulce eſt, in Corſica amarum. Sal Europeus candidus, in China rufus. In locis paluſtribus ulcera capitis celeriter, crurum difficulter ſanantur. Levia ſunt vulnera capitis Bononiæ & Lutetiæ, letalia tibiarum Avenione, & Romæ. VV. art. diſc. font. 83. ex. 9.

In Africa nulli dantur cervi & apri, in Ægypto nulli flores odorati.

Moſcovitæ annum a Septembri inchoant, eumque a mundi geneſi, non a Chriſti nativitate numerant. Erga peregrinos ſunt inhumani, eoſque qui aliunde adveniunt, in mancipatu detinent. W. art. diſc. font. 83. ex. 9.



In Cypro propter æſtum intolerabilem nonniſi nocte iter confici poteſt.

Inſulæ Aſores in Oceano Atlantico miram habent antipathiam cum cimicibus, & pulicibus; navigantes enim, ut primum has inſulas attigerint, extemplo ab his animalibus liberantur. W. art. diſc. font. 85. ex. 6.

## QUATUOR PARTES MUNDI.

### Europa.

*25. Cujus indolis? quæ memorabilia?*

PArs eſt terreſtris globi celeberrima tum ob armorum virtutem, tum propter artium, & ſcientiarum gloriam. Figuram habet feminæ ſedentis, cujus caput Hiſpania, collum Gallia, brachia Italia & Britannia, venter Germania, umbilicus Bohemia, reliquum corpus ſub veſtibus circa ſedem late diffuſis implent Norvvegia, Dania, Suecia, Pruſſia, Polonia, Hungaria, Thracia, Moſcovia, aliæque ibi regiones.

Longitudo Europæ inter Hiſpaniæ promontorium, quod Vulgo dicitur *Capo de Vincente* ad Obii fluminis oſtium, eſt milliarium Germanicorum circiter Nongentorum, tribuendo ſingulis milliaribus Germanicis Quatuor Italica. Latitudo ab extremo Peloponneſi promontorio, ad promontorium Boreale complectitur milliaria Germanica circiter quingenta quinquaginta.

Dominia in Europa præcipua ſunt comprimis duo Imperia, Occidentale Romanorum, cujus ſedes nunc eſt Vienna Auſtriæ, & Orientale nunc Turcarum, cujus Sedes Conſtantinopolis. Aliqui addunt tertium in Sarmacia, ſeu Ruſſia, cujus Metropolis eſt Moſcua: verum alii Magni Ducatus nomine comprehendunt.

Regna Europæ ſunt plurima, eaque potentiſſima, uti Hiſpania, Gallia, Polonia, Dania, Bohemia, Hungaria, Anglia, Suecia, Tartaria minor ſeu Præcopenſis, & alia. Archiducatus eſt unus Auſtriæ. Magni Ducatus tres, Moſcovia, Lituania, Tuſcia. Reſpublicæ in Germania tres uti Hanſeaticarum urbium, quarum caput Lubeca, Confœderatorum ſtatuum Holandiæ, & Helvetiorum. In Italia Reſpublicæ ſunt Venetiæ, Genua, & Luca. Ducatus & principatus ubique diſperſi præter innumeros Comitatus, Baronatus, & alia Prænobilium dominia.

Linguæ præcipuæ ſunt quatuor, Latina, Græca, Teutonica, & Sclavonica, ad quas aliæ facile reduci poſſunt.

Urbes celebriores ſunt Romæ in Italia, Conſtantinopolis in Thracia, Lutetiæ Pariſiorum in Gallia, Praga in Bohemia, Lisbona in Luſitania, Madritum in Hiſpania, Londinum in Anglia, Moſcua in Moſcovia, Vienna in Auſtria, Neapolis, Amſtelodamum, Mediolanum, Genua, Venetiæ, Gandavum, Antverpia, Colonia, & aliæ innumeræ &c. O Scrut. 4. Diſq. 1. c. 2.

Inſulæ præcipuæ in Europa ſunt: In Oceano Anglia, Scotia, Hibernia, Orchades, Hebrides, aliæque circa Angliam & Galliam. In Mediterraneo ſunt inſulę Baleares, Minorica, & Majorica. Item Sardinia, Corſica, Melita, Corcyra, Cephalonia, Creta, ſive Candia, alięque.

Montes pręcipui ſunt Pyrenęi, qui Hiſpaniam a Gallia ſeparant: Alpes Rhetioę, Apenninus in Italia, Carphatus in Hungaria, Montes Riphęi in Moſcovia, Ætna in Sicilia. Montes Hercini in Germania, Alpes in Gallia, aliique.

Flumina primaria Danubius, Rhenus, Viſurgis, Albis, Mœnus, Odera, & plura alia. In Gallia Bodanus, Moſella, Sequana, Varus. In Italia Padus, Atheſis, Mincius, Ticinus, Arnus, Tiberis. In Illyrico Savus & Dravus. In Hiſpania Iber, Tagus, Bętis, Guadana. In Polonia fiſtula, in Hungaria Tibiſcus. O. ubi ſupra &c.

### Africa.

*26. Qualis ſit? quæ ejus notabilia.*

EXiguo Iſthmo Aſiæ affigitur, dicta propterea maxima Mundi peninſula. Maxima illius pars inculta, aut arenis ſterilibus obducta, aut ob ſitum cæli terrarumque deſerta eſt, aut infeſtatur multo, ac malefico animalium genere.

Figura Africæ triangularis eſt quaſi figura cordis. Sita eſt majori ex parte Zona torrida atque a Septentrione terminatur Mari Mediterraneo, ab occaſu mari Atlantico & Æthyopico, a Meridie Indico, ab ortu vero mari clauditur rubro, ſeu ſinu Arabico.

Longitudo Africæ computata inter duo promontoria, Heſperium ſcilicet, quod vulgo dicitur *Capo Verde*, & alterum ad fauces ſinus Arabici, dictum

*Capo de Guarda* eſt 1159. Milliariorum Germanicorum. Latitudo ab Herculis freto ad promontorium Bonæ ſpei 1148. Milliarium. Unde patet inter ejus longitudinem, & latitudinem non eſſe fere differentiam.

Regiones Africæ ſunt Ægyptus, Africa Minor, proprie Garamantarum Regio, Numidia, Mauritania, Gætulia, Lybia, Arabia, Æthyopia. Nunc autem potiſſimum dividitur in ſeptem regiones, quarum nomina ſunt: Ægyptus, Barbaria, Biledulgerid, Sara, Nigritarum Regio, Æthyopia interior, quæ eſt Abiſſinia, & Æthyopia exterior.

Inſulæ circa Africam verſus orientem, ſunt Madagaſcar, ſive inſula S. Laurentii cum pluribus aliis in ſinu Barbarico diſperſis. Contra Mauritaniam ſunt Inſulæ ſeptem, olim Fortunatæ, hodie Canariæ dictæ ob multitudinem canum, quibus abundant. Verſus Septentrionem eſt Madera, & aliæ minores.

Fluvii celebriores, & maximi in Africa ſunt Nilus omnium fluviorum in mundo celeberrimus, Nigris ſeu niger dictus, Garamas, Tagaus, & alii plures.

Montes præcipui ſunt Abyle, quos & Herculis columnas Veteres dixerunt, quaſi laborum ejus metas. Mons Mauritaniæ Atlas, Poetarum fabulis decantatiſſimus, & alii. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 2.

### Aſia.

#### 27. *Qualis ſit, quæ notabilia habeat.*

ORbis terrarum pars major, ab initio rerum omnium nobiliſſima fuit, ut quæ prima genus mortalium intra ſe conſpexit, & in alias mundi partes emiſit, prima gentium ritus, ſacra, mores, rationemque vivendi alias docuit. In ea primum Eccleſia Dei fundata eſt, in ea Monarchiæ Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, & Medorum fuere celebres. In ea eſt terra ſancta: in ea denique originem habuere pleræque ſcientiæ, artes, & linguæ.

Magnitudine æquat Europam, & Africam ſimul, ejus longitudo inter Helleſpontum & Malacam extremum Indiæ emporium eſt circiter 1300. Milliarium Germanicorum. Latitudo maxima inter fauces Arabici ſinus, & Tabin promontorium creditur eſſe 1220. Milliarium Germanicorum. Terminatur a Septentrione Oceano Scythico, ab Oriente Mari Eoo, a meridie mari Indico, ab occidente ſinu arabico, ſeu mari rubro.

Aſia hodie dividitur in quinque vaſtiſſimas partes: 1. eſt Tartaria major, quæ a Mæotide, & Europæ finibus reliquis verſus mare hyperboreum uſque ad Perſiam, Indias, & Chinas extenditur, a qua montibus, & muro 400. leucarum diſterminatur. 2. eſt China, quæ clauditur mari Chinenſi, India, & Tartaria, eique ad ortum adjacet Corea, & inſulæ Japonicæ. 3. eſt India a Gange fluvio biſſecta in Indiam intra Gangem, & extra Gangem, quæ verſus orientem extenditur. 4. eſt Perſicum Imperium, clauditurque a Septentione mari Caſpio, Oxo flumine, & Caucaſo monte: ab oriente Indo flumine, a meridie mari & ſinu Perſico: ab occaſu Euphrate & Tygri fluminibus. 5. complectitur Imperium Turcicum, & in eo ſunt Albania, Iberia, Armenia, Cappadocia, Galacia, Ponthus, Bythinia, Natolia, Lycia, Pamphilia, Syria, Meſopotamia, Arabia triplex, inſulæ Cyprus, & Rhodus.

Flumina primaria in Aſia ſunt, in Tartaria Obyus, Tartar, Albinnus. In China ſunt Hoang ab aliis Caramora, a Latinis croceus dictus. In India Ganges & Indus. In Perſia Ilimer, Aras & alii. In Arabia Euphrates & Eda. In Turcia Tanais, Tura. In Albania Albanus & Araxes. In Syria Jordanus præter plurimos alios.

Montes celebriores ſunt, in China verſus occidentem catena montium, qua cingitur. In Perſia Caucaſus. In Arabia Mons Sinai, Oreb, & S. Catharinæ. In Armenia Ararat. In Syria Libanus. Mons maximus, & reliquorum pater eſt Taurus, qui totam fere Aſiam, ab occaſu in ortum, nempe a Lycia uſque ad ultimos Seres dividit in Meridiem. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 2.

### America.

#### 28. *Quas qualitates & memorabilia habeat.*

ANno Domini 1492. a Chriſtophoro Columbo, nomine Regis Caſtellæ inventa, dein ab Americo Veſputio Florentino, unde & nomen ſortita eſt, amplius detecta fuit. A nonnullis India occidentalis nuncupatur; quia utriuſque incolis ſimilis, ac pene eadem vivendi ratio fuit, nudi enim inſtar brutorum incedebant. Vocatur & novus Orbis ob magnitudinem, quod veteris orbis partes Europam, Africam, & Aſiam pene exæquet:

la-



Includitur undique Oceano: ab ortu Atlantico, qui vulgo *Mar del Nort*; a meridie Magellanico freto, ab occaſu Mari pacifico, vulgo *Mar del Zud* & Aniano freto, quo ab Aſia diſtinguitur: a ſeptentrione mari glaciali: quamvis tractus ille verſus polum adhuc Europæis ſit incognitus, unde nihil certi de ejus extenſione, & ſitu dici poteſt.

Longitudo illius inter duo freta, Anianum & Magellanicum eſt 2400. Milliarium Germanicorum. Latitudo inter promontorium *Capo di fortuna*, & promontorium *Capo di Breton* in nova Francia, eſt 1300. Milliarium.

Dividitur in ſeptentrionalem, quæ & Mexicana, & Meridionalem, quæ Peruviana vocatur: utraque peninſula eſt, & prior illa ſic dicitur ab urbe Mexicana primaria, poſterior a provincia Peruviana, quæ ditiſſima, in ea ſita eſt.

Septentrionalis Mexicanæ longitudo inter fretum Anian, & Iſthmum eſt 1500. Milliarium, & latitudo eadem. Dimidia illius pars verſus occidentem plane adhuc incognita eſt, nec in ea quidquam præter littora detectum. Altera pars in plures regiones dividitur, uti ſunt Canada, nova Francia, Virginea, Florida, nova Hiſpania, California. Meridionalis, ſive Peruviana America in tria panditur latera inſtar cuneorum: horum unus ſpectat Americam ſeptentrionalem, alter Africam, tertius terram Magellanicam: longitudo ejus ſe extendit ad mille Milliaria Germanica.

Inſulæ circumjacentes ſunt plurimæ, Hiſpaniola, Cuba, Jamaica, & aliæ innumeræ verſus orientem. Ad occidentem autem plures, ſed minores.

Fluvii celebriores ſunt Paragnian per novam Franciam labens, Maragnion, & fluvius argenteus, vulgo Rio la Plata, & Camera. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 2.

## Elementum Aeris.

### Aer.

#### 29. *Quid, qualis & in quem finem ſit?*

QUamvis ob ſuam ſubtilitatem ſub oculos non cadat, ut alia elementa, ex effectibus tamen in ejus cognitionem venire poſſumus. Eſt autem aer ſpirabilis quædam ſubſtantia, eaque ſubtiliſſima Humidi terraquei perpetuo evaporantis in omnes mundi partes expanſa. Seu eſt aqueorum, & terreorum corporum in cæleſtem materiam ſive ætherem, qui terraqueo globo circumfunditur exſpiratum effluvium. Cum enim rerum fere omnium in mundo dentur continua effluvia, uti patet in rebus odoratis, quæ tamdiu, donec marceſcant, fomenta odorifera emittunt, certum eſt, quod ejuſmodi effluvia evaporentur ex corporibus quibuſcumque liquidis, in quibus humidum prædominatur. Hæc effluvia quo puriora ſunt, eo puriorem, & quo craſſiora ac graviora ſunt, eo craſſiorem ac graviorem aerem conſtituunt.

Philoſophi ſua induſtria quamplurima, eaque rariſſima phœnomena, antiquis incognita, circa aeris gravitatem, ſeu elaterem, ideſt, mirabilem quamdam virtutem ſe dilatandi manifeſtis experimentis comperti ſunt. Hinc & didicerunt, aerem gravitate ſua, non tantum partes inferiores ſui ipſius, ſed & incumbentem terræ, aquæ, aliiſque corporibus premere, & gravitare.

Deinde & didicerunt, aeri vim elaſticam ineſſe; quoties enim liber eſt ab extrinſeco obſidente, & niſum ſuum cohibente, ſponte ſe dilatat, & extendit, ita, ut ampliorem locum occupet, eum fere in modum, quo ſpiræ, ſi gravi pondere, aut alia preſſione ſolvuntur, in majus ſeſe ſpatium erigunt, & evolvunt. Hinc, quod veteres, ad vacui metum, ſeu fugam referebant, defacto ex ſolo aeris pondere, ſeu preſſione aut elatere profluere, Viri Docti melius ac verius demonſtrant, uti explicant experimenta in Antlia & aliis inſtrumentis.

Aer ex natura ſua fluidus & ſpirabilis eſt, per hunc intermediantem cælum cum terra ſua commercia exercet. Quo proximior eſt terræ eo craſſior, & vaporibus permixtus eſt, interdum levior interdum gravior, ita, ut quaſi quædam terræ & aquæ lanugo, ex omnis generis effluviis conflata videatur. Ex natura ſua potius frigidus, quam calidus eſt, ſi quem habet calorem, cum vel a lumine ſolis reflexo, vel ab igneis particulis inſperſis mutuare cenſetur. O. Scrut. 3. Diſq. 1. c. 1.

#### 30. *An levis ſit, vel gravis.*

Nova Philoſophia gravitatem aeris variis experimentis detexit: nam 1. Veſica, ſeu pila luſoria aere intruſo plena, intra aerem in ſuo ſtatu naturali conſiſtentem nititur deorſum, & ſimul cum

ſuo

ſuo vaſe, cui incluſus eſt, magis deprimit lancem, quam ſolum vas. 2. Aer intra vitrum concluſus lanci exactiſſime impoſitus plus ponderat una cum vitro, quam ſolum vitrum, & plus deprimit lancem & manum: ergo ſimiliter intra aerem ſibi homogeneum, ſeu in ſtatu ſuo naturali conſiſtentem exercet actum gravitatis. 3. Sicut aqua fundum ſibi ſubjectum, ita circumfuſus aer globum telluris ex omni parte premit, & vim ſuæ gravitatis eo majorem exerit, quo terræ vicinior eſt; qua enim vi corpus grave ad centrum ſuum nititur, eadem terræ adhæret, cum quieſcit, & ne a loco ſuo avellatur, per gravitatem ſuam obſtat. 4. Majus pondus eſt aeris in montium radicibus, quam in eorum jugis, haud aliter, quam in ingenti acervo lanæ partes infimæ ſunt magis compreſſæ, quam ſupremæ. Et ſicut eadem lanæ moles, quæ erat ceteris ſubjecta, in locum altiorem translata, ibique minus preſſa ſeſe explicat, & majorem locum occupat, ſic idem aer, qui nobis proximus eſt, magis comprimitur: ſi vero in celſi montis verticem transfertur, in amplius ſpatium ſeſe dilatat, eoque magis, quo minus ab incumbentis aeris mole comprimitur. 5. Neque his omnibus obſtat, quod aeris gravitatem non ſentiamus; hoc enim ideo fit, quod gravitas ubique ſit æqualis. Sic etiam urinator in fundo maris aquæ incumbentis pondus non ſentit, quia ibi velut in æquilibrio poſitus, ubique æqualiter ſuſtinetur. 6. Mercurius in tubo incluſus, & in ſubjectum vas: in quo alius ſtagnat Mercurius, eodem tubo inverſo dimiſſus, ad unius cubiti & quadrantis altitudinem, ſeu ad 27. pollicum ſeu digitorum elevationem ſuſpenſus hæret. Hoc experimentum cum in monte Alverniæ captum eſſet, Mercurius tribus digitis, & decem lineis depreſſior apparuit, quod eo loci minus eſſet aeris pondus: idem experimentum factum eſt in altiſſima turri Florentiæ. Unde patet aeris difformis gravitas, ex iſta inæquali Mercurii elevatione in fiſtula, prout altitudo aeris major aut minor fuerit. 7. Ex quibus patet, aerem non tantum gravitate, ſed vi etiam elaſtica præditum eſſe: unde in naturali ſua conſtitutione, remota omni violentia, ſpatium occupat bis millies majus, quam in ſtatu violentæ conſtrictionis, quæ ſi removeatur, ingenti vi ad priſtinam ſuam raritatem revertitur, unde conſtat, aerem quidem ſponte dilatari, nunquam autem ſponte conſtringi, ſed ſemper hanc conſtrictionem fieri a violentia externa, &c. O Scrut. 3. Diſq. 1. c. 3.

*31. Qualis ſit in ſe, & quoad nos.*

Aer per ſe tenuis & purus, mineralium tamen ſpiritibus, halituum ſeminibus, & terræ vaporibus commixtus eſt: Sic terra aluminoſa aeri expoſita, uti & nitroſa, alumine & nitro, quo jam fuit orbata, denuo impraegnatur. Sic ferrum & cuprum aeri expoſitum exeditur, nec dubium, quin hoc accidat ex particulis ſalinis, & ſulphureis aeri commixtis, unde durtiſſima quævis corpora exedi ſolent.

Cum aer corporum & ſpirituum noſtrorum ſit elementum, eligendus eſt purus & lucidus, non, qui ſtagni aut paludis halitu turbatur, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram exhalat, nec qui fœtore, & putredine coinquinatur, ſed defœcatus, & temperatus.

Quanto aer a terra eſt remotior, cæloque vicinior, tanto eſt purior & tenuior, quanto vero terræ vicinior, tanto eſt craſſior, & impurior. Dum autem nimis tenuis eſt aer, animalium reſpirationi, ob defectum materiæ nitroſæ minus convenit, unde S. Aug. teſtatur, in vertice Olympi aerem eſſe adeo tenuem, ut neque alites, nec homines ſuſtinere valeat; hinc homines illuc ſpongias aqua plenas ſecum ferre ſolent, unde fugere poſſint humorem ad refrigerandum cor, atque ad reſpirandum.

Aer diu concluſus, noxius eſt reſpirationi, cum deſit illi puritas, & levitas, concluſus enim aer ſolet eſſe vapidus, mucidus, putridus, & gravis. Optimus reputatur, qui commovetur, & lente proflatur; hinc ſi aliquatenus corruptus, & inſalubris ſit, corrigendus eſt ignibus, & aquis decoctis, ſuffumigiis ex thure, ſtyrace, & ſimilibus: emendandus etiam ignibus ex quercu, junipero, myrrha, & aliis.

Inſalubris etiam eſt aer, qui reſpiratione attrahitur ex loco fodinis metallicis propinquo, vel qui calcis, aut animalium venenatorum, cadaverumque putreſcentium vaporibus inquinatur. Item in quibus taxus, & juglans, & ſimiles arbores conſitæ ſunt, ob atomos etiam narcotica vi pollentes, quas exſpirant, & ſtuporem mentis adducere poſſunt.

Puritas & impuritas aeris prodeſt, aut obeſt ingenio vehementer. Sic qui in aere vivunt plurimum nebuloſo & craſſo



craſſo minime ingenioſi ſunt, uti Thraces, qui ob craſſum aerem, obtuſi, deſidis, & oblivioſi ingenii ſunt. Hiſpani vero utentes aere puriori, profundioribus pollent ingeniis. Et ordinarie homines, qui ad fluminum ripas, aut loca mari vicina habitant, aſtutiores ſolent eſſe iis, qui in agris, locis campeſtribus aut ſylveſtribus habitare conſueverunt. O Scrut. 3. Diſq. 1. c. 4.

*32. Quomodo infici, ſeu corrumpi ſoleat.*

Aer quoad ſuam ſubſtantiam omnis corruptionis & contagii expers eſt, accidentaliter tamen corrumpi poteſt, a terreſtribus, putridis, & in tabem reſolutis effluviis, quæ illi immiſcentur. Sicque pro ratione immixtorum corpuſculorum ſalubris, aut inſalubris eſt. Quocirca omnes Philoſophi & Medici contagionum cauſam comprimis aeris corruptioni adſcribunt.

Et 1. quidem quietus aer, ſicut ſtagnans aqua facilius corrumpitur, præſertim dum immodicis pluviis terra perfuſa, ſuccedente ingenti calore aduritur; tunc enim putrefactio facile contingit, quæ dein a ventis ulterius propagatur.

2. Corrumpitur aer ſæpe ex defectibus, & deliquiis cæleſtium luminarium: ſic anno 1478. in menſe Julio accidit eclypſis ſolis, & mox hoc ipſo anno ſæviſſima peſtis per totam Italiam adeo debacchata eſt, ut in ſola urbe Brixiana ultra viginti hominum millia, Venetiis ultra triginta millia perierint.

3. Sæpe corrumpitur aer ex terræ motibus, dum per concuſſionem terræ ſubterraneis evaporationibus, quæ ex putredine animalium venenatorum nonnunquam proveniunt, via operitur. Sic anno 1231. ex terræ motibus, tempore Gregorii IX. Pont. Max. ſæviſſima peſtis orta eſt, quæ ex decem hominibus vix uni pepercit.

4. Aer corrumpitur ex putredine corporum omnino non, aut non bene ſepultorum: a locuſtis mortuis aerem inficientibus: a Balena in littus olim Tuſcum prope Graviſcum ejecta: a vermibus putreſcentibus, a draconibus, aliisque animalibus venenatis, a frugibus male excoctis, verminoſis, uti habetur a multiplici experientia.

5. Quamquam autem hæc ita ſint, porro annotandum eſt, quod contagioſa lues ex aere corrupto infecta, fere omnes alios morbos in ſui naturam convertat. Notandum ulterius, quod aer corruptus alium aerem ſibi contiguum inficiat, & ſic luem ulterius propaget. Notandum inſuper quod frigus, & ventoſitas, & ſiccitas contagioni aeris obſtet, 1. jam corruptus igne, & ſulphure maxime purgetur: Quocirca Hippocrates emendaturus aerem infectum in publicis plateis ſtruem excitari juſſit ex lauri, Cypreſſi, Roriſmarini, & Juniperi lignis, ac foliis, quibus miſceri voluit ſulphur, picem, & ſalem; quia ſulphur innata ſibi virtute inſtar ignis omnem humiditatem venenoſam exſiccat, & omnem corruptionem deſtruit.

## Venti.

*33. Quæ ſit illorum cauſa, & origo.*

Divinus rerum omnium Creator, multa naturæ arcana ſibi reſervavit, quorum cauſam, & originem humanum ingenium hactenus non ſatis penetravit, & inter hæc præcipue tria ſunt, tonitru, fulmen, & venti. Quapropter Philoſophi circa ventorum naturam & cauſas in varias abierunt ſententias. Hippocrates dicit ventos omnes ſpirare a nive, glacie, fluminibus, ſtagnis, terraque humida ac refrigerata. Anaximander fluxum aeris, cujus tenuiſſimas partes humidas ſol abſumpſerit, ventum eſſe ajebat. Stoici ventum fluentis aeris impetum vocabant, qui pro diverſitate regionum varia nomina obtineat. Vetruvius ventum dixit eſſe aeris fluentem undam cum incerta motus redundantia. D. Iſidorus ventum definit aerem commotum, D. Damaſcenus aeris fluxum, denique Aſtrologi, aerem percitum ex diſpari ſtellarum errantium ictu, tuncque ventis portam aperiri, cum Jupiter Solem, Lunam, & Mercurium diametrali irradiatione aſpexerit.

Generationis autem ventorum varias aſſignant cauſas. Quidam putant eſſe nubes in aere extenſas, ſua mole aerem hinc & inde prementes. Alii dicunt ventum procreari ex conflictu ſinuum maris in quatuor terræ partibus. Nonnulli arbitrantur fieri ventos ex cavernis terræ, quas aer ſubiit, indeque iterum egreditur. Porro Ariſtoteles docet materiam ventorum eſſe exhalationem calidam & ſiccam. Motum ergo ventorum ita explicat: Solis, & aliorum ſyderum attractu, multi halitus confertim in ſublime elati ad mediam aeris regionem perveniunt: inde ab aere illo frigido, & denſo

pro-

protruſi, refracto, ac diſſultanti impetu reſiſtunt: & quia pulſu deorſum aguntur, & ob inſitam levitatem in ſuperiora contendunt, dum neutra pars vincit, quaſi partita contentione neque ſurſum, neque deorſum, ſed oblique fluunt.

His vere & ſapienter addunt plurimi, ventorum geneſin eſſe unum ex iis, quæ in naturæ contemplatione magna ex parte latent, hinc dicitur Deus producere
Jerem. 10. *ventos de theſauris ſuis*, præſertim cum variæ ſint ventorum ſpecies: *Eurus*, qui flat ab ortu, *Zephyrus* ab occaſu, *Auſter* a meridie, *Aquilo* a ſeptentrione: ſecundarii ſunt duodecim; quilibet enim tres ſibi habet collaterales &c. C. in Eccli. c. 43. v. 12. Item Amos 4. v. 13.

Cum magna ſit diverſitas ventorum, viribus, ac proprietatibus differentium, una certe eademque cauſa productrix aſſignari non poteſt. Aer nimirum dilatatus, aut condenſatus ac compreſſus magnos motus excitat; unde, quo terreni halitus de die magis attenuantur, & dilatantur, eo altius elevantur: de nocte autem, cum ea ſit frigidior, magis denſantur, & potiſſimum circa montes colliguntur, ibi vero collecti proprio pondere deprimuntur, & ita ventum producunt.

Ventus, qui leviori conſtat halitu, ſublimior eſt, nec facile delabitur: cum tamen proprio ſæpe pondere in terram præceps ruit, ſtatim reſilit, vel præ impetu quem acquiſivit, vel quia exhalatio una alteram urget & inſequitur.

Ventus matutino tempore ſemper eſt mollior in æſtate, quia ſol exoriens ſuo calore, & lumine aerem attenuat, ſic autem attenuatus dum ſurſum fertur, rapit ſecum vicinum aerem, & per conſenſum ad eamdem partem confluunt occiduæ aeris partes non attenuatæ.

Venti nec temporibus maxime frigidis, nec intenſe calidis vehementius flare ſolent, ſed temporibus maxime inter hæc mediis; unde & circa æquinoctium utrumque crebriores & vehementiores ſunt venti, &c. O. Scrut. 3. Diſq. 2. c. 2.

### 34. *Habent ſtupendam vim.*

In terris ſeptentrionalibus tanta eſt vis ventorum, ut cataphractos equites proſternant. In Tartaria flantibus ventis equitare nemo poteſt. Ex China in Japoniam navigantibus ſæpe accidit, ut navigia vi ventorum in aerem elevata ad littus eliduntur. Sed melius vis ventorum cognoſci non poteſt, quam ex terræ motu; cum enim terra ſit immanis gravitatis, utique grandem oportet eſſe vim ejus rei, quæ terram ipſam concutit. Bellarminus teſtatur ſe vidiſſe, quod ventus ſcrobem excavarit, & pulvere totum pagum cooperuit. W. art. diſc. font. 41. ex. 12.

Ventus, dictus *Ecnephias*, ex nubibus erumpit magno impetu, fulminis inſtar, ſed ſine flamma, & ſine gyro. A præcelſis plerumque montibus crebrius gignitur, pluvioſis temporibus frequentius impetus ſuos egerit.

*Turbo*, ſeu *Typhon*, aut *Orcan* ventus eſt furioſiſſimus, & nautis periculoſiſſimus, eſtque aliud nihil quam Ecnephias vertiginoſus, & gyrans omnia ac impetu vehementiſſimo omnia decutiens. *Preſter*, qui eſt typhon inflammatus, proxima quæque non tantum proſternit, ſed etiam incendit, & ejus incendio nonnunquam mare effervеſcit. O. Scrut. 3. Diſq. 2. c. 3.

Panormi in Sicilia flante vento, quem *Siroccum* appellant, homines exertis linguis præ æſtu, & ſiccitate obambulant, clauſiſque feneſtris, intra obſcura loca aquis conſperſa languore tantum non enecantur. Ad urbem Dalmatiæ *Zenus* tam vehementes ſubinde ſæviunt venti, ut fluctus propinqui maris in aerem elevent, & ultra Sabbæ turrim ibi collidant. In Hiſpaniola ventus ſubinde validiſſimus exoritur, qui ſublatos homines ad ſtadii intervallum transfert. O. Scrut. 3. Diſq. 3. c. 5.

Beneventi Italiæ urbe, quæ Dalmatiæ ex adverſo oppoſita eſt, a priſcis dicta *Maleventum*, ventus violentior nonnunquam ingruere ſolet, quo flante nemo foris progredi audet, omnes incolæ ſe domi concludunt, nam ejus tanta eſt violentia, ut equitem ſimul cum equo arreptum in ſublime tollat, & per aerem circumactum, projectumque interimat.

In Alpibus Carnolæ ſuperioris in monte foramen patet inſtar camini, quod accolis Vvetterneck dicitur, de quo tam vehementes ventorum flatus emittuntur, ut nemo propius accedere audeat.

In Norvvegiæ ripis tam noxii ſunt venti, ut nec arborem, nec fruticem germinare permittant. Quo fit, ut incolæ defectu lignorum, in ignibus inſtruendis, cibiſque coquendis, oſſibus magnorum piſcium utantur. O. Scrut. 3. Diſq. 2. c. 5.

Miſerabilis erat clades, quam anno 1541. paſſus eſt Carolus V. in obſidione Algerii a vehementi coorta tempeſtate. Cum enim in dicto munimento nonniſi

oſtin-



octingenti præſidiarii eſſent, rogarunt ſacrificulum Mahometanum ut opem ſibi ferret. Et ecce! altera die cælum effuſiſſimis imbribus ruere viſum, & tempeſtas horrida toto æquore furere cæpit, itaut colliſis confractiſque navibus Imperator fuga ſibi conſulere ſit coactus. Sed neque fuga felix fuit, ventorum ac maris turbine navigia fere omnia cum toto exercitu interierunt. Hiſtoria Turcica memorat, Imperatorem centum ac triginta naves perdidiſſe. Verum hæc magica ſunt, dæmonum ope effecta. O. Scrut. 3. Diſq. 2. c. 6.

### 35. *Magnam ferunt utilitatem.*

Inter alias creaturas etiam venti invitantur ad laudem Dei, quia magnus eſt eorum uſus & utilitas; nam 1. purgant flatu aerem, ne putreſcat, & inficiatur. 2. Nubes & pluvias nunc adducunt, nunc abducunt. 3. Arbores, plantas, & ſata fovent, ac vegetant. 4. Æſtum ſolis refrigerant. 5. Habitum hominis & animalium renovant, & reficiunt. 6. Naves in mari provehunt, & ſic mercimonia, ac negotiationes promovent. C. Dan. cap. 3. ver. 65.

In regionibus noſtris Europæis ventus *Subſolanus* nempe a naſcente Sole ſive ab Ortu ſpirans, ordinarie calidus & ſiccus, puriſſimus & ſaluberrimus eſt præſertim mane ſpirans. Contagionibus præterea inimicus, aerem purificans, corporibus ſanitatem, & hilaritatem afflans. O. Scrut. 3. Diſq. 2. c. 3.

Urbs *Ceſis* in Italia eſt haud procul Ternio, cui adjacet Mons Æolius: ad pedem hujus montis plures patent rimæ, & fiſſuræ, per quas æſtivis menſibus venti vehementes efflare ſolent. Incolæ canales aliquos applicare ad ventum illum excipiendum, & in urbem deducendum ſolent ad temperandum æſtivum calorem. Hybernis menſibus venti non efflant, ſed econtra aer externus intus trahitur; unde ſi levia aliqua corpora ſciſſuris illis apponantur, mox attrahuntur, & intus rapiuntur. O. Scrut. 3. Diſq. 2. c. 5. num. 29.

Venti vel maxime prodeſſe, & viciſſim etiam nocere poſſunt, in prælio tam terreſtri quam navali, ſi nimirum eorum flatus una pugnent contra hoſtiles acies, fumum ac pulverem in eas impellendo. Ita Theodoſio Auguſto imperante, & contra Gothos parva manu confligente, tantus ventorum turbo eſt exortus, ut hoſtes fumo & pulvere exocularit, eoſque fugere coegerit. Econtra anno 1588. Philippus Hiſpaniarum Rex ingenti claſſe centum & quinquaginta navium in Anglos immiſſa, infelicem habuit Martem, dum adverſo pugnavit vento. Hinc tam militibus, quam nautis valde conducit, imo neceſſarium eſt habere peritiam ventorum, id quod Batavi, Angli, Luſitani aliique maritimi populi ſumma cum induſtria ſibi commendatum habent. O. Scrut. 3. Diſq. 2. c. 9.

## Frigus.

### 36. *Quid, quale & cujus effectus ſit.*

Nihil aliud eſſe videtur, quam partium inſenſibilium quies, aut tardior motus. Unde tunc res frigida a nobis percipitur, cum illius partes inſenſibiles aut nullo, aut tardiori motu, quam partes ſanguinis, aut ſpirituum agitantur. Ideo tempore frigido odores obtuſiores redduntur, fiuntque minus ſenſibiles; quia frigus corporum meatus obſtruit, atque eorum partes in quiete retinendo impedit, ne corpora reſolvantur, & halitus libere avolare queant.

Sicut primus caloris effectus eſt rarefactio, dum rei calefactæ partes motu agitantur, & majorem locum poſtulant; ita frigoris effectus præcipuus eſt condenſatio; hinc liquores oleoſi, imo & dura quælibet corpora frigoris vi denſantur & contrahuntur. Glacies autem tunc fit, cum partes antea in motu poſitæ ſiſtuntur, & ex flexibilibus fiunt rigidæ, & fragiles.

Corpora fere omnia, in quibus aqueus humor dominatur, congelari, & in glaciem converti poſſunt. Fluida vero, quorum partes ſunt tenuiores, & abætherea ſubſtantia nimium agitatæ, uti ſpiritus vini: aut ramoſiores, & aliis implicitæ, velut olea pene omnia, in glaciem proprie non abeunt.

Aquæ in vaſe contentæ, dum pars ſumma primo in glaciem abit, vas diffringit, ſecus autem, dum congelatio ab imo incipit; nam aqua, quæ ſubeſt, cum congelatur, expanditur, & cum ejus dilatationi locus non pateat, vas confringit. Imo, quod mirabile eſt, obſervatum fuit, tubos ferreos ſclopetorum aqua impletos, & diligentiſſime occluſos, in gelido aere cum impetu diſruptos eſſe.

Frigus intenditur per acriorum halituum intermixtionem: ſic aer poſt pluviam

viam

viam ſolet eſſe frigidior, quia frigidiorem aerem deſurſum pluvia adduxit.

Aer minus ſalubris eſt, cum remittente frigore ad finem Februarii terra, antea diu conſtricta, concluſos intra ſe halitus denuo libere emittit.

Corpora exanimata a putredine conſervantur a frigore, quia frigus partium fluidarum, quæ foris prodeuntes corruptionem promovent, motum ſiſtit. Sic in Islandia, aliiſque regionibus carnes & piſces frigido aeri exponuntur, & ſine ſale, ſæpe ſex menſibus a putredine præſervantur.

Aquæ ſtagnantes facilius frigore congelantur, quam fluidæ: nihilominus hyeme atrocius ſæviente, etiam hæ rigeſcunt, & conſtringuntur, uti fit in Hollandia, & univerſo pene ſeptentrione, ubi ipſa etiam maria tanta ſpiſſitudine condenſantur, ut vicinæ gentes bellum ſibi mutuo inferre ſoleant, brumali hoc tabulato freti. O. Scrut. 3. Diſq. 3. c. 2.

Græci a Babylone redeuntes, qui Cyrum contra fratrem Artaxerxem ſecuti fuerunt, aeris frigidi inclementia tam miſerabiliter afflicti fuerunt, ut frigus illis etiam oculos immobiles reddiderit.

Dum Dux Burgundiæ Carolus Leodicenſes oppugnaret, tam grave frigus hybernum extitit, ut vinum gelu adſtrictum, ſecuri fractum diſtribueretur militibus, qui illud circumferebant, donec liqueſceret. O. Ibid. c. 2. §. 2.

### Æſtus ſeu calor.

*37. Quid ſit, & quos habeat effectus.*

NAturæ frigoris contrarius eſt, in motu expanſivo, celeri, & perturbato partium inſenſibilium conſiſtens.

Dividitur in cæleſtem, Elementarem ſeu igneum, & naturalem, qui & vitalis & animalis dicitur: vitalis caloris ſedes in animantibus eſt cor, ex quo in alias corporis partes diffunditur.

Prima caloris ac præcipua virtus eſt, quod homogenea congreget, & heterogenea diſgreget; rerum enim ſimilis naturæ congreſſus, & diſſimilium ſeparatio præcipuus eſt illius effectus: ita in omni diſtillatione, quæ calore perficitur, videmus res leviores ſurſum, & graviores deorſum tendere, atque in fundo permanere. Ideo etiam calor odorem promovet; quia facile corpora laxat, & reſolvit: unde ſicut fumum videmus ab igne excitari, & ſubtiliores ligni partes in auras deferri; ita calor corporum partes dividit, viamque ad evagandum foras pandit.

In ſublunaribus calor ut plurimum a motu producitur: motus eſt cauſa caloris, id quod non tantum in viventium corporibus, ſed & in rebus inanimatis videmus: ſic tritu duorum lapidum, ferrique ignis elicitur, ipſum etiam mare ventorum agitatione incaleſcit, & corpora cæleſtia, quia continuo moventur, calorem excutiunt: terra vero, quia ſtabilis, & in quiete eſt, cenſetur eſſe frigida.

Quemadmodum frigidus aer ſemper nocet, præcipue ſenibus, ita calidus magis proficuus eſſe ſolet; ſenum enim corpora, cum debilia ſint, frigus refrigerando reddit ponderoſiora, & ſicut læduntur a frigido, ita juvantur a calido.

Loca ſubterranea hyeme ſolent eſſe calidiora, & æſtate frigidiora; quia hyeme ob occluſos terræ meatus, in terræ utero halitus continentur, qui æſtatis calore laxatis terræ poris copioſius avolant, unde frigus, terræ proprium, avolare ſolet.

Etiam in infimis terræ cavitatibus ignis & æſtus deliteſcit; nam ab iis terræ motus oriuntur, quoties ibi magna exhalationum copia invenitur, quæ, cum ſubtilioribus ſpirituum particulis immiſcentur, facile calefactæ, aut accenſæ locum ampliorem quærunt, in quo dilatentur, quem cum invenire non poſſunt, omnia obſtacula concutiunt, eodem fere modo, quo concluſus cuniculis pulvis tormentarius, igne accenſus, ſpatium amplius quærendo tumultum excitat, & terram quatiendo commovet. Hinc illa loca maxime terræ motibus ſunt obnoxia, quæ venas nitri, ſulphuris, aut alterius oleagineæ materiæ in ſe incluſas habent; quia illa facile inflammantur, & ſic ſurſum feruntur, & carceris ſui parietes convellunt, donec eis exitus pateat. O. Scrut. 3. Diſq. 3. c. 3.

Anno 1578. tantus fuit æſtus in menſibus æſtivis, ut ab ingenti calore ſylva Bohemica accenſa per octodecim ſeptimanas flagrarit. Danubius etiam ita exaruit, ut multis in locis tranſvadari potuerit. Quod vero mirum eſt, nullum inde ſegetes damnum paſſæ ſunt. Ib. §. 3.

### Nubes.

*38. Quid ſint, & cui bono?*

SUnt vapor exhalationi permixtus ad altiorem aerem ſublevatus, ibique frigore addenſatus & ſuſpenſus. Sive, Nubes ſunt craſſamentum ex exhalationibus convolutum vim habens ad gignendas aquas, & pluvias.

Nubes ſunt duplicis generis, ſiccæ, quæ imbres non effundunt, ſed in aeris naturam faceſſunt. Et humidæ, ad pluviam pariendam fœcundæ; pluvia enim nihil aliud eſt, quam nubes in aquam deciduam reſoluta.

Effectus nubium præcipui ſunt terræ fœcunditatem, & ſeminibus herbiſque incrementum ſua humiditate præbere, ſolarium radiorum æſtum temperare, animalium membra æſtivo calore reſoluta refocillare. Quocirca nubes haud immerito dici poſſunt, velum quoddam inter ſolem & terram a Divina Providentia ad varios uſus obductum.

Diſtancia nubium a terra non eſt æqualis, ſed varia pro vaporis ratione, & aeris conſtitutione: quædam in altioris aeris regione quaſi quieſcunt, aliæ a ventis commoventur: aliæ celerrime aerem tranſmeant, & fulgure ac tonitruis miſcentur, aliæ in terram depluere videntur. In ſpecie infima altitudo multarum nubium minor eſt, quam paſſus quingenti; cum experiencia conſtet, ſæpe in montibus, quorum altitudo minor eſt, quam quingenti paſſus, nubes infra illorum verticem comparere.

Interdum Nubibus utitur Deus ad declarandam ſuæ Majeſtatis præſentiam, ſic cum Moyſe ex nube locutus eſt, nube præambula duxit populum per deſertum & mare rubrum, nube lucida apparuit in monte Tabor, & nube apparebit ut Judex.

Arcadio Imperatore prædixit Deus Viro Sancto, Conſtantinopolim, quæ ut altera Babylon faſtu turgebat, in cineres redigendam eſſe. Epiſcopus concione convocata, cum populo excidium urbis prænuntiavit, adeo commovit animos, ut illi velut olim Ninivitæ in cinere & cilicio pœnitentiam egerint. Sub noctem, omnibus rei eventum præſtolantibus, ignea nubes illuxit, unde teterrimus ſulphuris odor exhalabatur: omnes ad templum confugiebant, auditaque eſt vox: *Migrate! Migrate!* Itaque Imperator cum plebe, & Epiſcopus cum Clero feſtinanter exibant, nemine in urbe remanente, & ne domum quidem claudente. Dum multa hominum millia in unum congregata precibus, & lacrymis vacabant, fumum, & ſcintillas ex urbe abſiſtere vident. Primo igitur mane mittunt, qui inquirerent, num urbs ſupereſſet? nuntii reduces referunt, omnia eſſe ſalva, igitur ad lares redeunt, placatamque Dei iram confidunt: tanta autem fuit populi conſternatio ab omni peccato aliena, ut in apertis domibus nihil fuerit deperditum, nihil furto ablatum.





Quod in Nubibus varia phænomena, & ſpectra videantur, nihil eſt novi: ibi enim homines, animalia, ædificia, aliaque apparent: tempore Leonis, qui Marciano ſucceſſit, nubes tubæ ſimilis per quadraginta integros dies comparuit: alias in nubibus viſi ſunt gladiatores, pyramides aliaque ſpectra.

Nubes in nebulas & pluvias reſolutæ ſæpe mures, locuſtas, aliaque animalcula nociva ſecum tulerunt. O. Scrut. 3. Diſq. 3. cap. 5. &c. Similia quoque bona producit Nebula, vaporibus & exhalationibus tegit aerem, ornat horizontem inſtar tapetis, cingit & faſciat ſolem orientem, fœcundat rore terram. C. Amos 4. v. 13.

### Pluviæ.

*39. Unde veniant, quid efficiant.*

PEr partes fieri ſolent, ita ut pluviales guttæ ex vaporis particulis coaleſcentibus efformentur, & ſic formatæ decidant & dilabantur, quia cum majores effectæ ſunt, ab aere reſiſtente ſuſtineri non amplius valent, conſequenter ob gravitatem prævalentem decidunt.

Cum nubes integræ in pluviam reſolvuntur, ita ut in imbrem aut Nimbum effundantur, cauſa ſolet eſſe calor, atque aeris æſtus, quem ventus aliquandiu circa terram verſatus, in altum evehit, & nubes condenſans deprimit, adeoque earum effuſionem, & prolapſum cauſat.

Pluvia, quæ ſubito & majori cum impetu decidit, minus fœcunda eſt, quoniam ſubmergit terram; & poros terræ comprimit, & occludit, quæ autem guttatim decidit, fœcunda plantis & frugibus eſſe ſolet. Temperata igitur debet eſſe pluvia in quantitate, & qualitate ac tempori congrua, quæ terræ fœcunditatem promovet: utiliſſima eſt circa menſem Majum; tunc enim herbarum fibræ calore ſolis laxantur, & copioſius pabulum requirunt.

Cum pluvia mordaci & acri exhalationi admixta eſt, ſegetes adurit, id quod plerumque accidit in æſtate. Uberior etiam pluvia in æſtate obeſt plantis, quia humor apertas fibras non tantum ſubit, ſed una nativum humorem prolicit.

Utut pluvia ex nubibus, luna, ſtellis,

animantibus, & rebus etiam domeſticis prænoſci poſſit, nulla tamen re certius præſentitur, quam ex Barometro; quo enim magis deſcendit hydrargyrus, eo levior eſt aer, atque etiam humidior.

Anno 1275. a Menſe Majo per totam æſtatem fuit continua inundatio pluviarum, unde omnis pene annona in campis putrefacta, magnam famem in hominibus & jumentis: imo 1315. ſimilis inundatio peſtem poſt ſe traxit.

Interdum pluviæ extraordinariæ, ac mirabiles contingunt; cum enim perpetua in Geocoſmo ſit vaporum viciſſitudo, non tantum ex terræ ſuperficie, ſed etiam ex abditis terræ penetralibus per ſpiramenta emiſſorum, ideo fit, quod in aerem, & nubes ex omnis generis terra, uti argillacea, petroſa, nitroſa, bituminoſa, metallifera pulviſſi attollantur: ſimiliter ex plantis, inſectis & animantibus, quæ per nubes rapta effluvia in alias transferuntur, ſicubi conveniens receptaculum, & alimentum invenerint, facta activorum cum paſſivis applicatione nova geneſi procreantur. Ita legimus una cum pluvia ex nubibus, vermes, ſerpentes, ranas, mures, & ſimilia animalcula decidiſſe, id quod fieri poteſt, cum ſpermatica dictorum animalium corpoſcula a ventis in altum ſublata in humido, & calido aere repentina geneſi excluduntur, & dein una cum pluvia decidunt.

Cum autem ſanguineæ, aut igneæ pluviæ cadunt, non ſemper rationes ex natura rei inveniendæ, ſed tandem credendum, id ab irato Numine provenire ad prænuntianda ſupplicia peccatoribus deſtinata, ſic enim ait Auguſt. *Deum poſſe, quod nos fatemur inveſtigare non poſſe; in rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi eſt potentia facientis*. O. Scrut. 3. Diſq. 3. c. 7. & ſeq.

In regione Mexicana pluviæ tanto impetu ruunt, ut homines proſternant, & enecent. In Boruſſia pluit aliquando ſanguine, in Lucania ferro, in Carinthia frumento, tempore S. Leonis cinere, qui palmæ altitudine in tegulis jacuit. In Norvvegia beſtiolis quadrupedibus, in Alemannia ranis, in Velaunia erucis. VV. art. Diſcurr. font. 83. Ex. 9.

## Grando.

### 40. *Quid ſit, qui effectus, & damna.*

SUnt guttæ pluviales acerrimo frigore in glaciem condenſatæ, unde perſpicuæ plerumque & rotundæ eſſe ſolent. Grandines itaque efformantur, cum guttæ aqueæ ex nube ſublimiori deciduæ, ſubeunte frigidiore vento congelantur, eruntque tanto majores, quanto major humorum copia in deſcenſu occurrit: figuræ ſunt plerumque polygoniæ.

Grandines æſtivo tempore ſunt frequentiores, quia nubes ſunt ſubtiliores: ordinarie quo major æſtus præceſſit, eo grando eſt major & impetuoſior. Fit plerumque per diem, & raro per noctem, quia nocturno tempore, dum abſente ſole aer magis infrigidatur, & condenſatur, nubes deſcendant, ac fiant humiliores, atque ita terræ propinquiores, quam ut a frigore guttæ decidentes congelari poſſint.

Figura grandinis eſt ordinarie globularis, interdum etiam acutis angulis aſperior, atque etiam oblongior, ita ut glaciei fruſta nonnunquam exhibeat, palmæ manus æqualia. Legimus cecidiſſe grandines humano capite haud minores. Cum Roma ab Alarico capta fuit, grandinem octo circiter librarum pondus habentem de cælo cecidiſſe, narrat Majolus. Sub Paſchali Pont. Max. in Gallia fruſtum grandinis, duodecim pedum decidiſſe refert Bonfinius. Inter prodigia, quæ Hieroſolymis Chriſtianorum excidium anno 1187. a Saladino illatum præceſſere, etiam grandinem frequentem inſtar ovi anſerini de cælo decidiſſe memorat Tyrius.

Grando illa, qua Dominus Deus teſte Scriptura flagellavit Pharaonem, fuit maxima, cum in terra Ægypti percuſſerit cuncta in agris ab homine uſque ad jumenta, cunctaſque herbas, & omne lignum regionis confregerit. Cum quinque Reges urbem Gabaon obſediſſent, Joſue ex improviſo illos aggreſſus cæcidit: cumque illi fugerent, Dominus in eos ingentes de cælo lapides dejecit, & *mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerunt filii Iſrael*. Dum Choſrois Perſarum Regis Dux exercitu ſuo Theodorum Heraclii fratrem ad pugnam provocaret, adfuit illi auxilium Divinum, ita ut grando in Perſas deferretur, multoſque eorum ſterneret, cum interim exercitus Romanus omnis tempeſtatis expers eſſet. Fuſi ſunt eo prælio Perſæ magna clade, prout indicat Cedrenus.

In agro Bononienſi ad annum Chriſti 1537. Menſe Auguſto cecidiſſe grandinem ſanguine mixtam, in qua inventa ſunt grana, quæ pondere viginti octo libras exceſſerunt, teſtatur Clavitellius. O. Scrut. 3. Diſq. 3. c. 10. & ſeq.

Anno 1680. in Auſtria Menſe Julio





cum fulminibus dejectæ grandines magna nocumenta cauſarunt, ſegetes devaſtarunt, ædes deſtruxerunt, ramos virentes ex arboribus decuſſerunt, feneſtras arcium, templorum & domuum confregerunt, equos, vaccas, oves, & præſertim volucres, ciconias, anates, anſeres, picas, corvos, & quidquid avium in aere habitat, exanimarunt. O Ibid.

## Volucres.

### 41. *Miræ magnitudinis, qualitatis, & pretii.*

*Euſeb. Nieremb. hiſt. Nat. l.10.c.67. Paulus Venet. in deſcript. Inſul. Madagaſ.*

REfert Nierembergius inventam eſſe in orbe altero aquilam, quæ uno prandio integrum vervecem devoraſſet. VV. font. 45. ex. 4.

In Inſula Madagaſcar certo anni tempore mira avis videndam ſe præbet, quæ ab incolis *Ruch* vocatur, tantæ molis ac roboris, ut elephantum unguibus corripiat, in altum evehat, & devoret: alæ ejus in latitudine conficiunt ſedecim ulnas. Magno Cham fuit allata penna ex ave *Ruch*, nonaginta palmos longa, binos craſſa. VV. font. 45. ex. 4.

Geſnerus refert in quodam Germaniæ loco inventum eſſe nidum per tres quercus extenſum, tanto ſpatio, ut currus ſub illo converti poſſet, ramis & baculis conſtructum: atque tres in illo pullos repertos, quorum alæ per tranſverſum extenſę ſeptem ulnarum menſuram æquarunt: ungues digitis magni viri nihil erant inferiores.

Volucres ab homine mire cicurari conſtat, uti falcones, aquilas, accipitres, luſcinias, aliaſque, imo multæ earum humanam loquelam addiſcunt, uti Pſittaci, perdices, & picæ. Lepidum eſt, quod Macrobius de corvis enarrat, qui Auguſtum Imp. ſalutarunt: *Ave Cæſar, victor, Imperator!* quos viginti millibus aureorum Cæſar coemit. Simile lucrum aucupans ſutor, corvum ad ſimilem ſalutationem inſtituit. Hac audita tranſiens Imperator reſpondit: ſatis domi talium ſalutatorum habeo! ſuperfuit corvo memoria, ut & illa verba ſubnecteret, quæ a Domino ſæpe audierat: *Opera & impenſa periit!* riſit Cæſar, eamque avem tanti emi juſſit, quanti nullam adhuc emerat. C. in Jac. 3. v. 7.

### 42. *Habent varias & miras proprietates.*

*Scalig. exercit.*

Pſittaci capite ſunt duriſſimo; hinc cum e volatu in terram ſe demittunt, non pedibus, ne illos offendant, ſed roſtro & capite lapſum excipiunt. Roſtrum illis ab infra apertum eſt, lingua humanæ ſimilis: accenduntur libidine, ita, ut oſcula figant: ſi inter lugentes agant, etiam lamentantur. Aqua pluviali emori dicuntur.

*116. Jerſon. in Taumatograph.*

Pica ſingulis fere horis mutat vocem. Humanam non tantum diſcit, ſed etiam diligit. Cum rapæ feruntur, calveſcit.

Pici nunquam ſaxis inſident, ne unguium aciem lædant. In quacunque arbore nidificant, clavus, aut cuneus hærere nequit: quin imo, ubi picus inſederit, cum crepitu arboris decidit, ut ait Plinius.

*Plinius l.10 c.18.*

Milvus mutandi temporis cognitionem habet, uti deſumitur ex Jeremia. c. 8. Primis annis magnas venatur volucres, vegetior parvas, & in ſenio muſcas ac culices. Tam alte volat, ut ſe humano viſui eripiat, tam late & celeriter, ut nulla alia avis. Immotis alis nonnunquam in aere per horam hæret. Punicæ malo nunquam inſidet, imo ne quidem fert ejus aſpectum. Bubonis videndi deſiderio maxime tenetur.

Accipiter plumas in juventute quater rejicit. Ingenium habet mirum. Avem quam ſub nocturnum crepuſculum capit, tota nocte ſub pedibus tenet, exoriente ſole dimittit, quam poſtea obviam factam nunquam perſequitur. Os tibiæ illius aurum attrahit.

*Ælian. l. 4. c. 43.*

Falco nunquam aqua ſed arena ſe lavat. Frigore gaudet, ſemperque ſuper glaciem moratur. Tantum roboris habet, ut avem percuſſam a capite uſque ad caudam diſſecet. Solet laborare morbo vermium, imo unius vermis, qui creſcit haud procul a renibus, & niſi medicamento ſuccurratur, falconis inteſtina corrodit.

*Jonſton. in Taum. de admir. avium c. 16.*

Avis Emme caret alis & lingua: glaciei fruſta, & ardentes etiam prunas vorat. Hollandi eam ex Java adduxerunt.

Pavones munditiem ita amant, ut ſi pulli madefiant, moriantur. Cum criſta illis creſcit periclitantur ſimili morbo, quo infantes, dum dentes producunt. VV. art. diſc. font. 48. ex. 1.

*Pallad. l. 1. de re ruſt. cap. 24.*

In imperio Sinenſi dantur volucres, quæ dum per omnem æſtatem croceo colore circumvolitant, vergente autumno mare petunt, & piſces fiunt. VV. art. diſc. font. 55. ex. 6.

Gallinæ in regno Mangi loco plumarum habent pilos, in provincia Suchuen Imperii Sinenſis ſunt lanigeræ. Apud Macedones quondam reperta eſt gallina,

quæ octodecim ova ſimul edidit, & ex ſingulis binos pullos incubitu excluſit. VV. art. diſc. font. 83. ex. 6.

Vultur, dum reliquæ aves ſolem facie ſalutant, oriente ſole in occaſum, occidente in orientem proſpicit.

Corvi alias nigreſcunt, Rex tamen Britannorum Alphonſo Regi Siciliæ candidum dono miſit. De perdice & paſſeribus albis teſtatur Ariſtoteles. Toleti in macello publico per totum annum viſa eſt muſca albicans.

Noctua novem dierum abſtinentia non læditur, cum tamen aliæ volucres fere horaria cibatione indigeant. VV. artic. diſc. font. 83. ex. 6.

Apes induſtrioſe favos conſtruunt: grues excubias agunt, & certo ordine volant: ciconiæ certo tempore advolant, & avolant, parentibus ſeniculis cibum miniſtrant. Hirundo nidulum ex ſtramentis componit. Halcedo juxta littus maris hyeme parit. Turtur mortuo compare nulli alteri ſe jungit. Aquila in pullos dura mox illos deſerit. Vultures pariunt ſine coitu. Veſpertilio quadrupes eſt & tamen alata. Gallus excubitor, anſer pervigil eſt &c. C. Gen. 1. v. 22. in fin.

Grues ſunt ſymbolum cautelæ, & ſapientiæ, nam 1. ſicut volando ſequuntur ductorem, ita aſtutus ſuum ſequitur doctorem, 2. ſicut præſentiunt, & prænuntiant pluviam; ita aſtutus præſentit, & indagat ſapientiam. 3. ſicut Grues laborioſæ ſunt, transvolant maria, ut victum & calorem quærant: ita ſtudet & laborat cautus, ut ſapientiam quærat. 4. ſicut illæ timentes venatores noctu excubant; ita Vir cautus timet inſidias hominum & dæmonum, & contra eas pervigil excubat. C. Eccli. 18. v. 29.

Columbæ ſolent eſſe tabellariæ, quæ ad amicos litteras deferunt, & referunt. Sic Chriſtiani Ptolomaidem obſidentes miro ſtratagemate per columbas eam obtinuerunt; cum enim Sultanus per columbam miſiſſet litteras obſeſſis, quibus ſe obſidionem brevi ſoluturum ſignificabat, Chriſtiani columbam intercipientes, contrarias fictaſque litteras ad obſeſſos miſerunt, quibus ſignificabatur Sultanum urbi ſuccurrere non poſſe. Ita obſeſſi urbem Chriſtianis dediderunt. Id moris cum columbis viget in Palæſtina, Syria, & alibi. C. in Oſee c. 11. v. 11.

Hirundines ſub hyemem, alis pedibuſque ſe conglomerant, & in ſtagna mergunt, vere autem reviviſcunt. Thebarum tecta non ſubeunt, eo quod urbs illa ſæpius capta fuerit; nam præſcium aliquid habent, & collapſuras domos non ſubeunt. Contra exundationem Nili continuatione nidorum ſe defendunt. Cicurari ſe non patiuntur, & ex natura odio habent hominem, ob infidelitatem ſemper ſuſpicioſæ. Cum caveæ includuntur, moriuntur &c. C. Jerem. 8. v. 7.

ELEMENTUM IGNIS.

## Ignis.

### 43. *Unde & cur e montibus erumpat?*

MOntes ignivomi dicuntur Vulcanii ob flammarum, aliarumque rerum ignitarum eructationem, cujus eructationis cauſa in intimis terræ Pyrophilaciis latet, ignis enim vi ſibi viam aperit, quia ſine libero aeris fomento durare non poteſt. In nulla mundi parte plures dantur Vulcaniæ Officinæ, quam in America Meridionali, ideo terra *Del Fuego* dicta.

Materia univerſalis ignis ſubterranei eſt acris & craſſa, cujuſmodi ſunt ſulphurea, & bituminoſa, quibus accedit halinitrum, quod ſubſtantia ſua ſpiritibus tumidiſſimis referta junctum ſulphuri, accenſumque, dum exitum non reperit, vim mire efficacem quidvis effringendi, & diſpellendi, in ſubterranea ſibi obvia obſtacula exercet. Ipſam etiam materiam adaugent carbones foſſiles, diverſa lapidum genera, variæ metallicæ, ac mineralium miſcellæ. Item ſal præcipue Ammoniacum, alumen, nitrum, calcantum & alia, quæ vim ipſam ignis exacerbant, & ſtimulant.

Intervalla flammivomæ eruptionis ex eo veniunt, quod fomentum ſubterraneum deficiat, quouſque novis conceptis ſeminibus renaſcatur. Ubi vero materia ex perpetuo acceſſu perſimilis ſubſtantiæ nutritur, ignis eructari non deſinit. Unde deſumitur telluris intimæ officinam innumeris pyrophilaciis refertam eſſe, eum in modum, quo ex fumante camino arguitur ignem ardere in culina. Hinc mirum non eſt, quod intus operante vehementi igne, nonnunquam ex montibus metallorum, aut picis torrentes eruperint; ita legimus apud Celtas, cum montes Riphæi aliquando incenſi fuiſſent, argenti rivos per terram fluxiſſe. Ex Veſuvii etiam montis hiatu cinis tam copioſe effundebatur, ut provincias quoque transmarinas obruerit, & in plano camporum uſque ad arborum cacumina intumuerit.



Cum montes Vulcanii per temporum intervalla vehementius & formidabilius furere ſolent, magnarum calamitatum prænuncii, aut comites ordinarie ſunt; ſubterranea enim incendia cum cineres & lapides jaculantur, cum terræ motibus, aliiſque miſerandis calamitatibus conjungi ſolent, terreſtres portiones abſorbent, flumina exſiccant, animalia & piſces perimunt, luces peſtiferas, aliaſque luctuoſas cataſtrophes cauſant, prout triſtes teſtantur hiſtoriæ.

Illud etiam memorandum, quod loca illa circa montes ignivomos plerumque ſpectris infeſta ſint, quæ vel adeuntes abſterrent, vel futura præſagiunt. Ita circa Heclam oberrantia ſpectra tempore comprimis ſtragum aut præliorum comparent qui cæſos & defunctos habitu & facie exacte repræſentant, item fata Principum, & quæ in terris remotis aguntur, enarrant, & ſic iterum diſparent. Aliquando Piſcatores in mari propinquo navim appellentem clamore interrogarunt, unde veniret? Reſponſum vero acceperunt: e Germania ſe Bremenſem Archiepiſcopum advexiſſe ad montem Heclæ, quo pertineret: longe poſt deinde compertum fuiſſe, eo ipſo tempore Archiepiſcopum morti conceſſiſſe. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 3.

### 44. *Ad quid, & cujus naturæ ſit.*

Ignis præ cæteris elementis eſt natura ſua efficax, activum, & quaſi tyrannus ac domitor cæterorum: ſtricta ſolvit, ſoluta ſtringit, dura mollit, mollia durat, ubique latet, & ubique patet. Præterea præ cæteris elementis operatione ſua eſt dignior: igne ferrum gignitur & domatur, igne excoquitur aurum, præparatur, perficitur, & purificatur. Igne metalla omnia liqueſcunt, alterantur, & permutantur. Ignis tandem locus eſt in alto ſupra cætera elementa, quia ſurſum tendit.

Triplex eſt ignis: 1. in corpore ignito, v. g. ferro candente, aut carbone vivo. 2. in flamma, quæ urit, & lucet. 3. in corpore lucente, quod non ſimul urit, uti eſt lux ſolis & ſtellarum, niſi radii eorum arte colligantur, & intendantur. Hinc alius eſt ignis artificialis, alius naturalis, iſque vel ſubterraneus, vel deliteſcens in corpore mixto, iſque iterum vel potentialis, vel actualis, prout conſideratur a Philoſophis.

Ignis principatum tenet inter cætera elementa, quia vim, & qualitatem habet ſuper cætera activam, & præcellentem. Cætera elementa ſine ſuo interitu mutari poſſunt, v. g. terra madefieri, aut ſiccari: ignis autem non mutatur, niſi penitus extinguatur.

Quod olim Philoſophi de materia prima pronuntiarunt, dici fere poteſt de igne; ubique eſt, & nullibi: ubique potentialiter, nullibi actualiter niſi ſuſcitetur, & nutriatur. Imo niſi externa quædam accidentia ad ejus productionem, & nutritionem concurrerent, vix omnino ſupereſſet.

Vis urendi in igne, licet ex calore dimanet, non tamen venit ex quovis, ſed tali, qui conjunctus eſt cum mixtura & denſitate, per quam corpus urens corpori urendo firmiter adhæret; ideo ignis purus, qui exiſtit ſuper aerem, licet ſit caliſſimus, non tamen urit ut ignis focalis cum tanta voracitate, quæ corporum conſtitutioni adverſatur, cum nihil denſitatis, neque cum alio corpore ſit mixtus, ideo etiam corporibus adhæreſcere non poteſt.

Quæ corpora activis principiis, ſale, ſulphure & ſpiritu abundant, laxiora inſuper, & minus firma exiſtunt, ab ignis aculeis facilius penetrantur, & exuſtione deſtruuntur. Denſa vero, & compacta corpora v. g. quæ coctione indurantur, & partes habent a ſe minus diſſociabiles, uti metalla, lateres, & lapides, ignis corpuſcula haud diu retinere valent, ideo nec exuruntur, nec diſſolvuntur.

Ignis variis modis generari, & excitari poteſt, comprimis tamen motu, & contagio alterius ignis, quo augetur & propagatur. Quod corpora dura v. gr. calybis & ſilicis colliſa ignis ſcintillas excutiant, cauſa eſt ignearum particularum in ſuperficie reſidentium agitatio; cum enim ob duri corporis reſiſtentiam intro ſubire nequeant, ob ictus vehementiam neceſſe habent, ut erumpant: ſcintilla vero vel unica, ſi in fomitem incidit, mox ibi latentes excitat, iiſque conjuncta, fugam, qua data porta capeſſit, atque quod ambuſtibile eſt, amburit.

Quandoque ignis gignitur in fœno humidiore, aut in calce, quæ affuſione aquæ non tantum incaleſcit, ſed noctu etiam flammam emicare ſinit, quia atomi igneæ prius vinctæ aqua obſidentur, & ſic coagulatæ, & denſiores factæ ſeſe excitant, atque una cum vaporibus prorumpunt, ſicque in amplius ſpatium explicantur. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10.

quæ octodecim ova ſimul edidit, & ex ſingulis binos pullos incubitu excluſit. VV. art. diſc. font. 83. ex. 6.

Vultur, dum reliquæ aves ſolem facie ſalutant, oriente ſole in occaſum, occidente in orientem proſpicit.

Corvi alias nigreſcunt, Rex tamen Britannorum Alphonſo Regi Siciliæ candidum dono miſit. De perdice & paſſeribus albis teſtatur Ariſtoteles. Toleti in macello publico per totum annum viſa eſt muſca albicans.

Noctua novem dierum abſtinentia non læditur, cum tamen aliæ volucres fere horaria cibatione indigeant. VV. artic. diſc. font. 83. ex. 6.

Apes induſtrioſe favos conſtruunt: grues excubias agunt, & certo ordine volant: ciconiæ certo tempore advolant, & avolant, parentibus ſeniculis cibum miniſtrant. Hirundo nidulum ex ſtramentis componit. Halcedo juxta littus maris hyeme parit. Turtur mortuo compare nulli alteri ſe jungit. Aquila in pullos dura mox illos deſerit. Vultures pariunt ſine coitu. Veſpertilio quadrupes eſt & tamen alata. Gallus excubitor, anſer pervigil eſt &c. C. Gen. 1. v. 22. in fin.

Grues ſunt ſymbolum cautelæ, & ſapientiæ, nam 1. ſicut volando ſequuntur ductorem, ita aſtutus ſuum ſequitur doctorem, 2. ſicut præſentiunt, & prænuntiant pluviam; ita aſtutus præſentit, & indagat ſapientiam. 3. ſicut Grues laborioſæ ſunt, transvolant maria, ut victum & calorem quærant: ita ſtudet & laborat cautus, ut ſapientiam quærat. 4. ſicut illæ timentes venatores noctu excubant; ita Vir cautus timet inſidias hominum & dæmonum, & contra eas pervigil excubat. C. Eccli. 18. v. 29.

Columbæ ſolent eſſe tabellariæ, quæ ad amicos litteras deferunt, & referunt. Sic Chriſtiani Ptolomaidem obſidentes miro ſtratagemate per columbas eam obtinuerunt; cum enim Sultanus per columbam miſiſſet litteras obſeſſis, quibus ſe obſidionem brevi ſoluturum ſignificabat, Chriſtiani columbam intercipientes, contrarias fictaſque litteras ad obſeſſos miſerunt, quibus ſignificabatur Sultanum urbi ſuccurrere non poſſe. Ita obſeſſi urbem Chriſtianis dediderunt. Id moris cum columbis viget in Palæſtina, Syria, & alibi. C. in Oſee c. 11. v. 11.

Hirundines ſub hyemem, alis pedibuſque ſe conglomerant, & in ſtagna mergunt, vere autem reviviſcunt. Thebarum tecta non ſubeunt, eo quod urbs illa ſæpius capta fuerit; nam præſcium aliquid habent, & collapſuras domos non ſubeunt. Contra exundationem Nili continuatione nidorum ſe defendunt. Cicurari ſe non patiuntur, & ex natura odio habent hominem, ob infidelitatem ſemper ſuſpicioſæ. Cum caveæ includuntur, moriuntur &c. C. Jerem. 8. v. 7.

## ELEMENTUM IGNIS.

### Ignis.

#### 43. *Unde & cur e montibus erumpat?*

MOntes ignivomi dicuntur Vulcanii ob flammarum, aliarumque rerum ignitarum eructationem, cujus eructationis cauſa in intimis terræ Pyrophilaciis latet, ignis enim vi ſibi viam aperit, quia ſine libero aeris fomento durare non poteſt. In nulla mundi parte plures dantur Vulcaniæ Officinæ, quam in America Meridionali, ideo terra *Del Fuego* dicta.

Materia univerſalis ignis ſubterranei eſt acris & craſſa, cujuſmodi ſunt ſulphurea, & bituminoſa, quibus accedit halinitrum, quod ſubſtantia ſua ſpiritibus tumidiſſimis referta junctum ſulphuri, accenſumque, dum exitum non reperit, vim mire efficacem quidvis effringendi, & diſpellendi, in ſubterranea ſibi obvia obſtacula exercet. Ipſam etiam materiam adaugent carbones foſſiles, diverſa lapidum genera, variæ metallicæ, ac mineralium miſcellæ. Item ſal præcipue Ammoniacum, alumen, nitrum, calcantum & alia, quæ vim ipſam ignis exacerbant, & ſtimulant.

Intervalla flammivomæ eruptionis ex eo veniunt, quod fomentum ſubterraneum deficiat, quouſque novis conceptis ſeminibus renaſcatur. Ubi vero materia ex perpetuo acceſſu perſimilis ſubſtantiæ nutritur, ignis eructari non deſinit. Unde deſumitur telluris intimæ officinam innumeris pyrophilaciis refertam eſſe, eum in modum, quo ex fumante camino arguitur ignem ardere in culina. Hinc mirum non eſt, quod intus operante vehementi igne, nonnumquam ex montibus metallorum, aut picis torrentes eruperint; ita legimus apud Celtas, cum montes Riphæi aliquando incenſi fuiſſent, argenti rivos per terram fluxiſſe. Ex Veſuvii etiam montis hiatu cinis tam copioſe effundebatur, ut provincias quoque transmarinas obruerit, & in pla-





no camporum uſque ad arborum cacumina intumuerit.

Cum montes Vulcanii per temporum intervalla vehementius & formidabilius furere ſolent, magnarum calamitatum prænuncii, aut comites ordinarie ſunt; ſubterranea enim incendia cum cineres & lapides jaculantur, cum terræ motibus, aliiſque miſerandis calamitatibus conjungi ſolent, terreſtres portiones abſorbent, flumina exſiccant, animalia & piſces perimunt, luces peſtiferas, aliaſque luctuoſas cataſtrophes cauſant, prout triſtes teſtantur hiſtoriæ.

Illud etiam memorandum, quod loca illa circa montes ignivomos plerumque ſpectris infeſta ſint, quæ vel adeuntes abſterrent, vel futura præſagiunt. Ita circa Heclam oberrantia ſpectra tempore comprimis ſtragum aut præliorum comparent qui cæſos & defunctos habitu & facie exacte repræſentant, item fata Principum, & quæ in terris remotis aguntur, enarrant, & ſic iterum diſparent. Aliquando Piſcatores in mari propinquo navim appellentem clamore interrogarunt, unde veniret? Reſponſum vero acceperunt: e Germania ſe Bremenſem Archiepiſcopum advexiſse ad montem Heclæ, quo pertineret: longe poſt deinde compertum fuiſse, eo ipſo tempore Archiepiſcopum morti conceſſiſse. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 3.

#### 44. *Ad quid, & cujus naturæ ſit.*

Ignis præ cæteris elementis eſt natura ſua efficax, activum, & quaſi tyrannus ac domitor cæterorum: ſtricta ſolvit, ſoluta ſtringit, dura mollit, mollia durat, ubique latet, & ubique patet. Præterea præ cæteris elementis operatione ſua eſt dignior: igne ferrum gignitur & domatur, igne excoquitur aurum, præparatur, perficitur, & purificatur. Igne metalla omnia liqueſcunt, alterantur, & permutantur. Ignis tandem locus eſt in alto ſupra cætera elementa, quia ſurſum tendit.

Triplex eſt ignis: 1. in corpore ignito, v. g. ferro candente, aut carbone vivo. 2. in flamma, quæ urit, & lucet. 3. in corpore lucente, quod non ſimul urit, uti eſt lux ſolis & ſtellarum, niſi radii eorum arte colligantur, & intendantur. Hinc alius eſt ignis artificialis, alius naturalis, iſque vel ſubterraneus, vel deliteſcens in corpore mixto, iſque iterum vel potentialis, vel actualis, prout conſideratur a Philoſophis.

Ignis principatum tenet inter cætera elementa, quia vim, & qualitatem habet ſuper cætera activam, & præcellentem. Cætera elementa ſine ſuo interitu mutari poſsunt, v. g. terra madefieri, aut ſiccari: ignis autem non mutatur, niſi penitus extinguatur.

Quod olim Philoſophi de materia prima pronuntiarunt, dici fere poteſt de igne; ubique eſt, & nullibi: ubique potentialiter, nullibi actualiter niſi ſuſcitetur, & nutriatur. Imo niſi externa quædam accidentia ad ejus productionem, & nutritionem concurrerent, vix omnino ſupereſset.

Vis urendi in igne, licet ex calore dimanet, non tamen venit ex quovis, ſed tali, qui conjunctus eſt cum mixtura & denſitate, per quam corpus urens corpori urendo firmiter adhæret; ideo ignis purus, qui exiſtit ſuper aerem, licet ſit calidiſſimus, non tamen urit ut ignis focalis cum tanta voracitate, quæ corporum conſtitutioni adverſatur, cum nihil denſitatis, neque cum alio corpore ſit mixtus, ideo etiam corporibus adhæreſcere non poteſt.

Quæ corpora activis principiis, ſale, ſulphure & ſpiritu abundant, laxiora inſuper, & minus firma exiſtunt, ab ignis aculeis facilius penetrantur, & exuſtione deſtruuntur. Denſa vero, & compacta corpora v. g. quæ coctione indurantur, & partes habent a ſe minus diſsociabiles, uti metalla, lateres, & lapides, ignis corpuſcula haud diu retinere valent, ideo nec exuruntur, nec diſsolvuntur.

Ignis variis modis generari, & excitari poteſt, comprimis tamen motu, & contagio alterius ignis, quo augetur & propagatur. Quod corpora dura v. gr. calybis & ſilicis colliſa ignis ſcintillas excutiant, cauſa eſt ignearum particularum in ſuperficie reſidentium agitatio; cum enim ob duri corporis reſiſtentiam intro ſubire nequeant, ob ictus vehementiam neceſſe habent, ut erumpant: ſcintilla vero vel unica, ſi in fomitem incidit, mox ibi latentes excitat, iiſque conjuncta, fugam, qua data porta capeſſit, atque quod ambuſtibile eſt, amburit.

Quandoque ignis gignitur in fœno humidiore, aut in calce, quæ affuſione aquæ non tantum incaleſcit, ſed noctu etiam flammam emicare ſinit, quia atomi igneæ prius vinctæ aqua obſidentur, & ſic coagulatæ, & denſiores factæ ſeſe excitant, atque una cum vaporibus prorumpunt, ſicque in amplius ſpatium explicantur. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10.

### 45. *Quos habeat effectus.*

Ignis primaria cauſa eſt rarefactionis, quia cum particulæ materiæ ſubtilis, quibus conſtat, in continuo ſunt motu, facile aliorum corporum meatus ingrediuntur, atque illos dilatant, & extendunt. Hinc eſt, quod aqua, quæ diu ſuper ignem ebulliit, citius quam frigida congeletur, eo quod ſubtiliſſimæ ejus partes, quæ agitatione & motu congelationi maxime obſtabant, egreſſæ ſint, dum ebulliret.

In aere turbido, nebuloſo, aut pluvioſo minus efficax eſt ignis: quia excrementa ſua ita libere, ut appetit, in aerem denſum & nubiloſum, aut pluvioſum effundere non poteſt, nec ita blande ab aere impuro & aqueo recipitur, ac fovetur.

Duo ignes juxta ſe ſtructi ſe invicem impediunt, quia excrementa ſua in vicinia alterius non ita propellere poſſunt, ob aerem inter duos ignes interjectum nimis calidum, & inde magis rarefactum.

Ubi major ardet ignis, vicinus aer non parum agitatur, & ſi occluſus fuerit locus, etiam per rimas & oſcula minora cum ſibilo intrare tentat. Vela etiam feneſtris appenſa intus propellit, ut ejus, quem flamma ſecum rapuit, locum occupet.

Ignis operatio fere primaria eſt flamma, quam aliqui dicunt eſſe ignem cum aere mixtum, alii, eſſe ignem fluentem, iterum alii, eſſe fumum pinguem accenſum. Quod flamma non continuo, & æquabili motu, ſed quaſi ſubſultans ardeat, ratio eſt, quia varie ab aere agitatur, vel quia pabulum non æqualiter flammæ nutriendæ ſuggeritur.

Fumus medium quid eſt inter flammam & aerem, & ideo duplex eſt: Tenuis & neceſſarius, qui flammæ ſuccedit, & celeriter in aerem tranſit, atque ob id nec ſuffocat, nec oculos urit, ſed ſolum calefacit, & ſiccat. Alter eſt humidus ac craſſus, qui flammæ præit, & quia non facile in aerem convertitur, ſuffocat, & oculos urit.

Ignis nonnumquam dicitur cæcus, & lucis expers, qui & potentialis vocatur, atque in fœno ac lino, non bene exſiccato obſervatur, cum nempe pinguis humor aqueo humore intrinſecus diluitur, & reſolvitur. Quod ſi aqua ſit uberior, hæc una ſulphureis particulis in ſeſe mutuo incitatis ſpecie fumi egreditur. Quod ſi vero aqua ſenſim diflatur, ignea corpuſcula facilius ſeſe expediunt, nec denſis ſtipata vaporibus occultari amplius poſſunt, ſed extenuata ingenitam promunt lucem, & incendium minantur. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10. §. 1.

### 46. *Quomodo foveatur & nutriatur.*

Ignis indiget pabulo, eoque proportionato, ita ut nec nimio alimento ſuffocetur, nec ejus defectu marceſcat; ratio eſt, quia diverſis conſtat partibus, ideo neceſſe eſt, partes iſtas, accedente quodam tertio foveri & firmari.

Ignis indiget aere, cum enim per ignem generetur rarefactio, ita quidem, ut etiam, quidquid in ignem convertitur ex pabulo, id etiam rarefiat, & reſolvatur, ideo ignis aerem pellit, ut id quod rarefit, poſſit in eodem majorem occupare locum, & liberius ſe flamma poſſit explicare, hinc patet ratio, cur ſi aer non ſit liber, ut alius mox novus ſuccedere poſſit, vel craſſis fumis undique obductus ſit, vel etiam in fornace nimium occluſus, ignis emarceſcat, & extinguatur.

Ad ſolis radios in loco aprico inſtructus ignis minus validus & efficax eſt, quam in loco obſcuro, & a ſolis radiis remoto; quia aer per calorem ſolis rarefactus, & attenuatus non præbet igni ſatis commodam ventilationem: item quia ſolis radii in eo excremento, quod ignis exſpuit, nempe in fumo conſumit partes tenuiores, quibus abſumptis dein terreſtres & craſſiores, quæ ex ſua natura graves ſunt, deſcendunt verſus ignem, eumque infirmant, ac turbant. Hinc eſt, quod fumus e camino minus alto egrediens, dum ſol meridianus illum ſuis radiis ferit, ita ſæpe impediatur, ut retrorſum ad focum moleſte deſcendere cogatur.

Ignis flammam non modo accendit, ſed etiam fovet aer: unde in cella vinaria, quam ferventis muſti craſſiores halitus implent, accenſa candela vix ſe tuetur; idem fit, cum candela tubo ex ſuperiori parte occluſo, includitur; ſtatim enim extinguitur, cum aeri non patet aditus.

Duplici cauſa ignis ſopitur & deſtruitur, marcore, & diſtractione ſeu extinctione: Marcore interit, cum pabulum deficit, aut materia igni fovendo inepta eſt: diſtractione ſeu extinctione, quando vel aeris flatus vehemens, & aqua affuſa ignitas particulas divellit, cumque negatus exitus vapori, & in ſeſe reflexus partes ignis dividit, & ſuffocat. Nam vapor, prout docet experientia, eſt ignis domandi hoſtis acerrimus; ſiquidem aqua ſubtus ignem in vaporem reſoluta ignis



violentiam coercet; hinc camino ardenti bene ſupponitur ahenus aqua plenus, quæ ſi evaporare incipit, vim flammæ inferre ſolet, ignemque extinguit.

Cinis eſt, quod poſt deflagrationem diutinam ex reſoluti corporis compage remanet, ſalis & terræ formam retinens. Virtute pollet mundificativa, vi inſuper corroſiva, & ſiccativa; unde optima exinde lixivia parari ſolent. Illud etiam mirum de cinere, quod narrat Magnanus, ſe Romæ vidiſſe cineres frigidos, e ſcrobe buxea ſuperſtites, quos in ipſa hyeme ſolares radii per feneſtræ vitra ſubeuntes incenderunt, ita ut ſubjecta charta cum aſſere populeo fuerit exuſta, id quod ſulphuri in cineribus accenſo, atque jam ad exaltationis apicem evecto ac inflammationi proximo adſcribi poteſt.

Axioma eſt de igne, quod ejus ſit proprietatis, cujus eſt res combuſtibilis: ſi bona illa ſit, ſalubris, & ſanitati proficua, talis erit & flamma depaſcens: ſi vero res combuſtibilis noxias habeat qualitates, tales & flamma in ſe continebit, quæ omnia etiam de cineribus, de calce, de fuligine, & fumo intelligi poſſunt. O. Scrut. 4. Diſp. 1. c. 10. §. 1. & 2.

Præ cæteris mirabile eſt, quomodo ignis in lampadibus ſubterraneis per plurimos annos conſervetur. Talis lampas in agro *Patavino*, in Inſula *Neſide*, in ſepulcro *Tulliolæ* filiæ Ciceronis, ſub Paulo III. Summo Pontifice reperta eſt, quæ annis mille quingentis, & quinquaginta arſit. *Ibid.*

### 47. *Ob reſiſtentiam res multas non lædit.*

Inter naturæ miracula Asbeſtus lapis eſt, ab igne prorſus indomabilis. Solet hic lapis a natura formari ſub figura capillari, colore cinereo, aut ferreo, ſiccus quoad externam ſuperficiem, & in filamenta ſolubilis, habet tamen in centro ſuo humiditatem oleaginoſam nullo igne domabilem: filamenta ita conſtituta ſunt, ut neri, ac texi poſſint haud ſecus ac vulgare linum. Experientia docuit, fruſtum hujus lapidis vitrariæ fornaci injectum illæſum ab igne manſiſſe, pannus hinc contextus alia lotura non indiget, quam igne. Charta exinde facta, ſi litteras deſuper inſcriptas abolere velis, igne mundatur. Meminit Kircherus, ſe ellychnium Asbeſtinum lucernæ inditum ad biennium ſine ulla conſumptione conſervaſſe. Ratio hujus contumaciæ contra ignem reſiſtentis eſt forſan, quia materia eſt inexhalabilis ſive inevaporabilis, ita a natura humiditate inſtructa; ut ab aſtuoſiſſimo igne inſuperari, & conſumi non poſſit.

Sunt alia adhuc, quæ igni mira virtute reſiſtunt, uti aurum, & ſelenitis ſive Talcus, item adamas, & alumen, id quod colligitur ex Romana hiſtoria, quod olim linteis alumine illitis domos ab igne immunes in incendiis conſervaſſe ferantur. Verum de ordinario alumine falſum id eſſe experientia docet.

Illud mirum, quod in humano corpore os quoddam minimum eſſe ajant, quod Hebræi *Luz* appellant magnitudine ciceris mundati, quod nulli corruptioni obnoxium, nec igne quidem vincitur, ſed ſemper conſervatur illæſum. Ex quo, ut dicunt, velut planta ex ſemine in reſurrectione mortuorum corpus noſtrum repullulaſset.

Famoſa eſt Ariſtotelis muſca grandior in fornacibus cuprariis nata, in Cypro, Plinio dicta *Pirauſis*, aut *Pirauſta*. Solinus etiam narrat aves caryſtias in igne vivere, uti & Salamandram. Verum experientia demonſtravit contrarium.

Tempore Valerii viſus eſt Romæ quidam *Benedictus* Teutonicus, arte ſpeculorum faber, qui audacter profeſſus eſt, ſe per medias flammas inceſſurum citra ullum, vel unius capilli detrimentum. Ille plumbo liquefacto manus impune immiſit, illudque liquidum ex candenti patella in volam accepit. Servius de unguento Armario narrat fuiſſe æthyopiſſam, quæ quotidie nudis manibus portabat ignem velut in vaſe teſtaceo ad focum quotidianum. Saltatores illi, qui ſe de S. Catharinæ genere mentiebantur, tractabant ad tempus carbones ignitos, in fervens oleum, aut aquam manum immittebant, in furnum accenſum ingrediebantur illæſi. Sed hæc forſan illuſoria aut magica ſunt. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10. §. 2.

### 48. *Frequenter e terra erumpens.*

In Chinæ provincia *Xanſi* putei ignei non ſecus ac apud nos aquei e terra erumpunt, magnoque ſumptuum compendio, ac parſimonia ad cibos coquendos adhibentur. Similia prodigia in plurimis Italiæ, & Siciliæ locis, potiſſimum in Puteolano Vulcani foro ſeu campis *Phlegrais*, unde & Sulphuraturam vocant, ſe obſervaſſe teſtatur Kircherus. Hujuſmodi canales adeo ardentem exſpirant ventum, ut ſi quis orificio ejus ollam carne refer-

tam imponat, intra horæ quadrantem, optime coctam carnem ſit reperturus.

De fonte *Dodonæo* ſcribitur, quod quamvis gelidus ſit, faces tamen extinctas, ſi admoveantur, accendat. In *Illyriis* fons eſt, qui licet ſit gelidus, veſtes tamen ſuper ipſum expanſas, adurit. Admiratione etiam digniſſimum eſt, in lacu quodam Comitatus *Mansfeldici*, quem *falſum* vocant, retia piſcatorum paulo profundius immerſa aduri, haud ſecus, quam ſi admoto igne fuiſſent concremata.

Quanta ſit ignis ſubterranei violentia multis claret exemplis. *Strabo* memorat, juxta *Modonem* aliquando igneam exhalationem erupiſſe a continenti, ut mare proximum ad quinque ſtadia ferveret, & ad viginti ſtadia turbaretur, tantamque fuiſſe lapidum ejectorum congeriem, ut turres æquaret.

In Hiſpania ad *D. Georgii* per terræ motum emiſſus ignis omnia depopulatus eſt, homines, pecora, domos, & fruges. Similiter ante mortem Henrici I. Angliæ Regis terra horride mota eſt, ita ut ædificia paſſim corruerint. Ignis etiam in pleriſque locis ſpirans nec aqua nec alia re extingui potuit.

Anno illo antequam moreretur *Agrippina Claudii uxor*, cum eſſet in Germania *Ubiorum urbe*, quæ ab ejus nomine Agrippina Colonia poſtea dicta fuit, in ea urbe, & agro magnis hiatibus aperta tellus ignem emiſit omnia conſumentem. Id quod etiam imperante *Tito* in urbe Romana contigit non multo tempore ante ejus mortem, anno poſt Veſuvii incendium; ibi terra ignem emittebat, quo Capitolium, multaque alia ædificia conſumpta ſunt. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10. §. 2.

*49. In multis rebus mere apparens.*

In Inſula *Zeila* arbor creſcere dicitur, robuſto trunco, proceritate mediocri, colore corticis cinereo, quæ noctu fulgores igneos vibrat, & obſcuriſſimas etiam tenebras ſplendore vincit. Admirandum etiam dari arbores, quæ venti flatibus ex mutuo colliſu ignem concipiunt, quod etiam Tabaxis dicitur.

Viatores in montes Peruviæ tranſeuntes, toti igneſcere ſolent halitibus, & ſudoribus inflammatis ipſaque jumenta ore & naribus flammas vomere videntur. Similiter in Dania locus eſſe dicitur, quem ſi equi tranſeunt, undique quaſi igniti comparent.

Servio Tullio Romanorum Regi ex puerili crine flammam emicuiſſe enarrat Plinius. Lucius Martius Pœnos cum Duce ſuo Aſdrubale aggreſſurus, ſcintillas e capillitio non ſine pavore militum emiſit, ſcribit Livius. Ex toto corpore Theodorici Gothorum Regis ſcintillas proſiliiſſe, memorat Cælius Rhodignus, additque ſcintillantes flammas hinc inde ſonum ediſſe. Legitur de quadam Gaumontiæ Heroina, quod dum in mediis tenebris pecteretur, ignem evomere viſa ſit. Aquileenſes milites, qui ſubita eruptione ex latibulo facta Attilam paucis ſtipatum invaſerunt, poſtea faſſi ſunt, ſe nulla re magis perterrefactos fuiſse, quam quod in oculis ejus ſcintillas igneas cum pugnans eos fremebundus aſpexerat, emicantes conſpexerint; a ſpirituum certe incandeſcentia in certamine oculi ſic ſcintillarunt.

De canibus, & eorum incandeſcentium pilis, item de felium pilis ſi manu tractentur, & levi frictione in adverſum palpentur, quod ſcintillas emittant, notiſſimum eſt.

Inveniuntur vermium ſpecies, ad humani digiti magnitudinem, qui in tenebris mirum in modum ſplendeſcere ſolent, ita ut illorum fulgor ad centum paſsuum diſtantiam videri poſſit. Idem compertum habetur de dicindelis, ſeu nitedulis, quas alii Luciolas vocant: ſingulare eſt, quod annotat Kircherus, ſe dum Melitæ degeret, ingentem ibi noctu lucentium multitudinem deprehendiſse, magnumque earum numerum collegiſse, ut naturam earum obſervaret, & lucis hujuſmodi originem ſcrutaretur. Notaſse vero animalculum quaſi voluntario motu nunc retrahere nunc emittere lucem, prout amici, aut inimici præſentiam præſentiebat.

In Inſula Solebe dantur muſcæ noctu in tenebris ſplendentes, ita ut tanquam faces ardentes compareant. Quibus forte non eſt diſſimilis muſca illa, quam Cælius Rhodiginus ſcribit Toleti in macello per integrum annum inſigni candore notabilem comparuiſse. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10. §. 3.

*50. Cauſat terribilia incendia.*

Templum pretioſiſſimum Dianæ in Epheſo per nequiſſimum Heroſtratum incenſum fuit, hac ſola de cauſa, ut nefando hoc ſcelere æternum ſibi nomen apud poſteros compararet.

Crudelis Nero tanta tyrannide ſævit, ut magnam urbis Romanæ partem per ludum incenderit, ut Trojæ ſibi repræſentaret incendium. Hujus deinde culpam Chriſtianis falſo imputavit, quos primus Romæ perſecutus eſt.

In



In excidio Hieroſolymitano ſex hominum millia, ſuaſu falſi prophetæ, ad templum confugerunt, qui ad unum omnes a Romanis injecto igne exuſti ſunt.

Anno Chriſti 465. a dæmone Vetulam mendicantem induto, & cum lucerna circumeunte tota urbs Conſtantinopolitana intra quatriduum exuſta eſt.

Hadingus Danorum Rex Handuanum Helleſponti regem in Duna urbe obſidens columbas, aliaſque aves loci illius domicilio aſſuetas capi juſſit, earumque pennis ignitos fungos ſuffigi curavit. Quo factum, ut illæ propria nidorum hoſpitia repetentes domos incenderint, totamque urbem incendio deſtruxerint.

Carolus VI. Francorum Rex, cum Nobilis adoleſcentis nuptiis intereſſet, convivis ludum facturus, cum aliquibus ſociis, vultu in Leonini oris imaginem perſonato, reliquum corpus pice & lino villoſo ita contexit, ut ſemiferi portenti ſpeciem præſeferret. Verum cum Ludovicus Dux Aurelianus, frater Regis, cum candela veſtes hiſpidas curioſius luſtraret, ſubito illas ſcintilla accendit. Quo factum, ut ſtatim duo, auxilii expertes miſerabili conflagratione perierint: unus in cellam accurrens, aqua & vino ſe perfundens ſalutem invenit: Regem ipſum Uxor Regis *Biturgis* veſte, ut caudata fluxaque erat, involvens, ignem reſtinxit, eumque ab exuſtione liberavit. Similis tragœdia accidit in arce Valdenberga apud Eberhardum Hochenloenſem Comitem, ubi aliquot Nobiles tempore Bacchanaliorum faunos induti, miſere exuſti ſunt.

Anno 1689. Hafniæ in Dania inter ludicra enatum incendium, inopinato ædem comœdiæ per Galliæ comædos habitæ & arcem Amalieburgum corripuit. Ex lampadis caſu, arbuſculi Juniperi correpti, igne, mox totum theatrum flamma incendit. Trecenti homines fumo & igne implexi miſere perierunt, & ipſa etiam arx indomabili flamma in cineres reſedit. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10.

Ignes fatui.

*51. Unde, quales, & in quem finem?*

ET ſimilia Meteora ignea, communem habent materiam, exhalationem, ſeu halitum pinguem, reſinoſum, e terra, ex ſulphure, bitumine, in plantis, animalibus, aliiſque mixtis extractum, volutatione vel partium calidarum conſtipatione, per frigoris circumſiſtentiam, & colliſionem accenſum. Forma eorum ſubſtantialis eſt ignis, accidentalis eſt magnitudo, color, figura, motus: cauſa efficiens non tantum Sol, & aſtra, ſed etiam ignes ſubterranei, imo etiam antiperiſtaſis frigoris ambientis, quæ partes in ea calidas conſtipat, & accendit.

Ignes fatui (quæ nihil aliud ſunt, quam viſcoſa quædam ſubſtantia in tenebris collucens evaporata ex terra pingui, in aere volitans) æſtate, & autumno frequentius apparent, cum ſolis calor tunc efficacior ſit ad ſolvendas exhalationes, quibus generantur. Frequentius etiam apparere ſolent in regionibus calidis, unde in Hiſpaniæ montibus, & in Æthyopiæ etiam campeſtribus locis tota ſæpe nocte cernuntur. Solent etiam hi ignes circa paludes, cœmeteria, patibula, cloacas & quævis loca uliginoſa frequenter apparere; quia major ibi viſcoſorum halituum copia exhalatur, qui etiam juxta motum aeris fluctuant, & moventur, ita ut homines ambulantes modo inſequi, modo fugere videantur.

Ad flumina etiam, & præcipitia nocturnos Viatores abducere ſolent; quia tenuis aura, & contiguus aer, cui incumbunt, ſecundo flumine abripiuntur, & aquam ſequuntur. Quamvis etiam negari non poſſit; ſpiritus malos ſubinde in tenebris his ignibus abuti ad homines terrendos, & ſeducendos. O. Scrut. 3. Diſq. 3. c. 14.

Ignes iſti, qui in terra fatui dicuntur, eo quod infatuent homines, in mari alia ſortiuntur nomina; dicuntur enim cum bini ſunt, *Caſtor & Pollux*, cum unicus, vocatur *Helena*. Dum nautis apparent velo inſidere, & quieſcere, melioris ſpei ſigna præbent, malaciam redire: cum vero jactari vehementius incipiunt, ventos indicant prodromos tempeſtatis.

Hujus generis etiam ſunt ſtellæ cadentes, quæ ex aere generantur ab exhalatione ſulphurea, ac facile inflammabili in aere longa ſerie diſpoſita, ubi una pars poſt altera inaccenditur, haud aliter, ac in pyrio pulvere longo ordine in terram diſſeminato una extremitas accendit alteram. Plerumque præſagiunt ſiccitatem, & ſalubritatem aeris ab exhalationibus purgati. Sic etiam *Dracones volantes*, ut vocant, aerem multis exhalationibus infectum eſſe ſignificant, unde etiam peſtis & aliorum malorum ſigna prognoſtica eſſe poſſunt.

Præter enumerata Meteora ignita, adhuc alia recenſentur, quæ ſecundum figuram, quam aſſumunt, nomen ſortiuntur,

tur,

tur, clypei, enſis, columnæ, crucis, & ſimilium, omnia autem ab exhalatione pingui, & viſcoſa ortum trahunt. Cauſa tandem finalis eorum eſt repurgatio aeris, & eſſe etiam poteſt terror hominum, Dei timor, & gloria Conditoris. O. Ib.

### Fulmina, tonitrua.

*52. Quid, unde, & quales eorum effectus.*

FUlmen exhalatio ſpirituoſa, & nitro-ſulphurea, intra nubes accenſa, & magno impetu excuſſa, non tantum ex inferiore parte nubium, ſed æque furſum, & ad altera erumpens, triplicis eſt generis; juxta Plinium: Siccum, humidum, & clarum: *Siccum* non adurit, *humidum* non urit ſed infuſcat, *clarum* eſt mirificæ naturæ, terebrat, inflammat, diſrumpit. Fulminis motus eſt flexuoſus, dum enim materia inflammata in aerem impingit, & priorem flammæ eruptionem mox alia excipit, prioris motus directionem mutat.

Ex diverſitate materiæ fulminis contingit effectum varietas: ſi pinguis fuerit, & oleoſa plurimum materia, mollia tantum corpora adurit: ſi penetrans & ſubtilis, obſtantia quæque perfringit; hinc ait Cardanus, ignem fulminis calidiorem eſſe omni alio igne, tantamque habere vim, ut ſupra aliorum ignium naturam, quaſi miracula efficiat.

Fulgur citius videtur, quam audiatur tonitru, quia lumen non habet contrarium, & ſic inſtantanee, momento temporis per aerem movetur. Sonus autem non defertur de loco ad locum niſi per aeris fluctuationem, & quaſi undulationem, quod non niſi cum tempore fit.

Fulmen mira vi, & ſympathia erga pyrium pulverem afficitur, unde turres, quibus pulvis aſſervatur, præ aliis fulmini obnoxiæ ſunt: ſicut naves ferro onuſtæ a ſaxis magneticis attrahuntur: ita etiam fulmen in turres ejuſmodi ſæpius irruere ſolet.

Materia fulminis cum ſit admodum tenuis, & ſubtilis, ſi incidit in materiam mollem & poroſam, per quam cito tranſire poſſit, ſæpe nocumentum non affert. Si vero offendat materiam duram ac ſolidam, qua motus ejus impeditur & retardatur, vi viam aperit, & rem obviam deſtruit. Hinc conſtat quandoque fulmen homines interemiſſe innocuis veſtimentis, gladium in vagina, aurum in crumena colliquaſſe. In palatio Hippolyti Cardinalis fulmen mucronem gladii, qui ad lectum famuli dependit, ita colliquefecit, ut in globulum ſe converterit vagina prorſus illæſa. In Franconia paſtor gregis, fulmine afflatus interiit, nullo prorſus fulminis ſigno in corpore relicto, niſi quod in calceis claviculi ferrei colliquati & exuſti comparuerint.

Fulmen vinum in dolio exſiccat, dolio omnino illæſo, aut etiam dolium igne conſumit, vino per exhalationem conſtricto. Afflatos momento in cineres redigit, ſubinde intactis aliis membris ſolam rationem turbat, & dementiam affert; pilos illæſa cute abradit, ſerpentibus aliiſque animalibus venenatis venenum tollit, eaque innocua reddit.

### Tonitru.

*53. Quid, quale, & unde?*

ESt ſonus bombans, ſive murmur illud, quod e nubibus ad noſtras aures defertur, aliquando cum fulmine proviſo, aliquando non, ſive is ſonus fiat totus ſimul vel exploſæ bombardæ, ſive producatur, & continuetur per modum curRus decurrentis ſuper tabulatum; hinc dicitur *crepans*, *bombans*, aut *tumultuans*: aliquando fulmen ſubſequitur, aliquando illi permiſcetur, aliquando abeſt.

Quo craſſiores ſunt nubes, eo major fit fragor; aer quippe fortius dilatatur, dum reſtituitur, quod ſonum efficit, & quia celerrimam rarefactionem velociſſima nubis, & vicini aeris compreſſio ſequitur, hinc ingens omnino ſonus exoritur.

Cum tonat, vinum & cereviſia in cellis turbari ſolent, & aceſcere; quia occultum quoddam in aere fermentum, conſuetum partium inſenſibilium motum perturbat, & corrumpit. Doctiſſimus Boylius remedium docet contra hanc turbationem, & aceſcentiam, dum ait: Carbones foſſiles in cellis accenſos, cum tonat, cereviſiam, & vinum a corruptione defendere, eo quod ignis ſulphureos, & corrumpentes halitus diſcutiat.

Quanto major eſt tonitrui fragor, tanto largior imber ſubſequitur, quia nubes concutiuntur, & ad lapſum impelluntur.

Inter ſigna prævia venturæ tempeſtatis eſt, cum laſſitudo aliqua præter morem ſentitur: quia oleoſa, & pinguis materia non niſi valentiore calore attollitur, uti videre eſt in chymicis deſtillationibus, ubi ſpiritus volatilis leni ignis operatione prolicitur, olea vero non niſi aucto igne vehementiore extrahuntur.





Tempeſtates, & tonitrua tormentorum bellicorum, bombardarum, & campanarum ſonitu diſſipantur: quia aer inferior vehementiori ſonitu commotus etiam ſuperiorem commovet, & nubes viſcoſis halitibus fœtas diſcerpit. O. Scrut. 3. Diſq. 3. c. 15.

In locis, quæ montibus præruptis aſpera inter curvos profundæ vallis ambitus, & anfractus jacent, tonitrua ob repercuſſionem aeris majorem ſtrepitum, terroremque cauſant. Sic qui alpes tranſeunt Rhœticas, Liguſtricas ingenti fragore ſæpe ita terrentur, ut fere exanimentur.

## ELEMENTUM TERRÆ.

### Terra.

*54. Quæ, qualis, & quanta.*

UNa cum aqua figuræ eſt Sphæricæ; nam ex eclypſi lunæ, quæ fit a terra, inter ſolem & lunam interjecta, patet terram una cum aqua unum globum efficere, hæc enim unius globi umbram facit. 2. Qualibet guttula aquæ non minus ad centrum terræ tendit, quam gleba terræ. Ex quo ſequitur, quod unum idemque centrum habeant. 3. Littora & inſulæ aquis eminent, imo inſulæ multæ in aquis natant: ergo inſulæ, terraque unum cum mari globum efficiunt. C. in Gen. 1. v. 9.

Globus hic terraqueus in medio univerſi conſtitutus eſt, ut ab omnibus aſtrorum globis undique illuminari poſſit; quocirca S. Baſilius illum æqualibus ſpatiis a cœlo remotum notat centrumque cœli a ſapientibus vocari ſcribit.

Figura mundi terraquei eſt Sphærica, licet præaltis montibus, & profundis vallibus exaſperetur, unde etiam mundus vocatur *globus terraqueus*. Proin merito hodie deridentur Veterum opiniones, qui terram Columnæ, cylindro, tympano, cono, diſco cavo, aut Menſæ planæ ſimilem dixerunt.

Terraquei globi centrum eſt centrum omnium gravium, quo ſcilicet omnia gravia naturali niſu tendunt, & quidem per lineas rectas, & niſi impediantur, breviſſimas. Hinc patet, ſi per Divinam potentiam terra extra mundi centrum elevaretur, non ibidem, ut multi exiſtimant, permanſuram, ſed dimiſſam, & ſuæ libertati permiſſam continuo ſua propria virtute, uti omnia gravia, centrum mundi repetituram.

Cum tellus veluti baſis, & ultimus finis ſit totius creatæ naturæ, in quam velut in gremium, principiumque paſſivum reliqua mundi corpora ſuas vires, & ſeminales virtutes deponunt, conveniens eſt, eam perpetuo fixam, quietamque in centro ſuo conſiſtere, juxta illud Pſalmiſtæ: *Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*. Sed quomodo ſtat, aut hæret in medio? Reſpondetur, quia intrinſeco quaſi appetitu in cœleſtes perpetuo plagas, velut quietis ſuæ terminos fertur, ſive id fiat propriæ gravitatis indefectibili trutina eandem æquilibrante, ſive per ſuperadditam quamdam virtutem, qua veluti fræno injecto tenetur. Kircherus hanc vim directivam virtuti Magneticæ adſcribit, quæ omnibus mundi corporibus a primis incunabulis communis eſt, atque tellurem ita corporibus cœleſtibus ſub hoc ſitu ſe accommodare, ut nec tellus, nec corpora cœleſtia ad operationes ſuas a natura præſcriptas perficiendas, ſitum meliorem habere poſſent. O. Scrut. 4. c. 1.

Quantitas ſeu magnitudo terræ a nemine Mathematicorum hactenus fuit demonſtrata. Putant aliqui circumferentiam totius Globi terraquei continere milliaria Germanica 5400. ita ut diameter complectatur milliaria 1719. Sed hęc incerta ſunt! Illud autem certum, quod univerſa Mundi Machina a Deo creata ſit non propter ſeipſam, ſed ut telluri, tellus homini, homo Deo ſubeſſet, id eſt, ut ad ſuum principium reverteretur, qui eſt ultimus, & unicus finis, ac ſcopus omnium creatorum.

*55. In multis regionibus valde fœcunda.*

Auſtria, quam Frideric. II. Romani Imperii clypeum appellabat, tantæ eſt fertilitatis, ut cum Carol. V. contra Turcas nonaginta millia peditum, & triginta quinque millia equitum in Auſtria haberet, nulla tamen annonæ caritas in ea notaretur.

Hungaria ſoli ubertate nulli orbis parti cedit: ibi quod alibi operoſe plantatur, ſponte creſcit, ſæpe dum ſiligo ſeritur triticum metitur. Prata ibi in paſcuis adeo luxurians, ut gramen dimidiam hominis ſtaturam adæquet, imo quandoque curruum altitudinem ſuperet; in his tot boum agmina nutriuntur, ut de carnibus eorum Germaniæ, Italiæ, aliiſque regionibus abunde proſpiciatur. Feris ſylveſtribus adeo abundat, ut nemini prohibeatur venatio. Metallorum omnis generis nullibi major copia, quam in Hungaria: aurum æquiparatur arabico, ſæpe coloni in ſul-

cis agrorum ramenta aurea vomere exſcindunt. Vina Hungarica non minus ſunt generoſa, quam Hiſpanica & Cretica.

Tranſilvania auri argentique feraciſſima eſt, amnes nonnulli aurea ramenta ſeſquilibraria trahunt. Vix eſt ſub cœlo locus, qui triticum felicius gignat, quam Tranſilvania, ibi plerumque culmi triticei ſunt inſtar arundinis, incolæ non alio pane quam triticeo veſcuntur, ſiligine enim porci ſaginantur. Apes tam ſilveſtres quam domeſticæ ſunt innumeræ, ex quibus mel & cera copioſe colligitur.

Podolia Poloniæ provincia tam fertilis eſt, ut unum granum ſeminis centena ferat. Boves in paſcuis vix cornibus e gramine apparent.

Hiſpaniola novi orbis Inſula tam fœcunda eſt, ut Columbus triticum initio Februarii ſatum medio Martii meſſuerit: ariſtæ humano brachio magnitudine & longitudine pares ſunt.

Ager Narbonenſis in Gallia tam fœcundus eſt, ut ſua ſponte Roſmarinum, Myrtum, ſalviam aliaſque herbas odoratas producat, ea copia, ut incolæ iis in foco, & piſtores in furno utantur, nec alio ligno opus habeant.

In Mauritania tempore Auguſti Imperatoris crevit granum tritici quadraginta germina habens, quæ Imperatori ex Africa ab ejus procuratore in Italiam tranſmiſſa fuerunt.

Oppidulum Italiæ Caſtelbaldo, in territorio Paduano ſitum tam pinguia prata habet, ut quater annuatim metantur, ſique pertica per unicam noctem ibi jacuerit, ex incremento graminis non amplius videatur.

Anglia ſubtiliſſimum gramen gignit, unde oves ſubtiliſſimam progenerant lanam, & quia Nobilitas Anglica majus lucrum capit ex ovium lana, quam ex tritico, plurimi agri mutantur in prata. VV. art. diſc. font. 42. ex. 2. & 3.

Provincia Galliæ regio abſque cultura frumentum & orizam copioſe gignit. In Anglia ager per 80. ſæpe annos tantũ ſemel ſtercoratur. VV. ar. diſc. font. 47. ex. 10.

Paduana Regio fertiliſſima eſt, vinum producit generoſiſſimum, venationes & piſcationes habet frequentes. Conſtantinus Palæologus dicere ſolebat, niſi certo ſibi conſtaret paradiſum fuiſſe in oriente, exiſtimaturum ſe, non alibi eum reperiri poſſe, quam in amœnitate Patavina. VV. art. diſc. font. 83. ex. 9.

In Hiſpaniola Inſula a Columbo inventa, triticum initio Februarii ſatum, trigeſima Martii ad meſſem maureſcit. Hoc brevi intervallo in tantam amplitudinem creſcunt ariſtæ, ut hominis brachium æquent, & ſæpe duo granorum millia complectantur. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 5. n. 31.

### 55. *Unde terræ fertilitas?*

Mundus, ſeu Megacoſmus mira rerum varietate ornatus, tum ad emolumentum totius univerſi, tum ad commonſtrandam Conditoris ſapientiam, homini, omnique viventi neceſſarium nutrimentum præſtare debet, ideo innumerabilium rerum panſpermia a primævo ſuo exordio pollet, ac pro neceſſitate cujuſque climatis, ſemina unicuique rei propria ſibi a mundi incunabulis concreata nutrit, quæ calore obſtetricante fœcundata, ac animata in innumerabilium rerum ſobolem emergere valent.

Ipſe Geocoſmus non eſt undique conſtipatus, ac ſolidus per totum, ſed ita fabrefactus, ut a ſuperficie extrinſeca uſque ad centrum ingentibus canalibus, cryptis, ignibus, aquis, aere, ventoque refertus ſit, quæ ſunt veluti ſeminaria, quibus Naturæ ſemen ad innumerabilium rerum generationes digeritur, digeſtumque per canales, poroſque terræ egeritur, ut ubicunque diſpoſitam materiam invenit, ibi varias rerum formas, coagulatione, calcinatione, putrefactione, aliiſque id genus operationibus producat, adminiculante ut plurimum Solis, Lunæ ſyderumque fœcundo influxu. O. Scrut. 4. c. 1.

Hæc fœcunditas terræ tum per æſtuaria ſubterranea, tum per occultos aquarum meatus, & præcipue per maria, ipſumque Oceanum toti orbi circumfuſum ad generationem humectatur, & promovetur. Cum igitur communi calculo ſemper in orbe terrarum mille milliones hominum degant, ponaturque unum hominem annuatim unica tantum frumenti ſcapha indigere, neceſſe eſt ut ſingulis annis terra mille milliones ſcapharum frumenti progerminet. Quanta Dei Providentia!

### 56. *Dividitur in partes ſuppolares.*

Terraquei globi partes ſuppolares ſunt duæ: una Borealis, quæ circa Arcticum polum ſita eſt: altera Auſtralis, ſive antarctica, quæ ad auſtrum poſita: ambæ autem oceano circumfluuntur.

Terra Auſtralis vocatur, quod ulti-



ma verſus auſtrum nobis exiſtat, dicitur etiam Magellanica, a Ferdinando Magellano, Equite Luſitano, qui primus eandem anno 1530. navigans conſpexit. Incognita vero vocatur, quod nobis præter littora non ſit penitus detecta. Circa terram Auſtralem variæ reperiuntur Inſulæ, uti Salomonis, Bonæ ſpei, aliæque: atque hæ omnes partes continentes, ſive Inſulæ non procurrunt ultra 60. gradum latitudinis; ab hoc enim gradu uſque ad ipſum polum Antarcticum nulla de tractu illo terrarum notitia ad nos pervenit. Aquarum ſiquidem ingenti impetu irruentium occurſus ex Antarchtoa illa plaga navim ultro progredi non permittit. Tentarunt hoc iter ſæpius Hollandi Bataviæ novæ incolæ, qui cum inter immenſa marium ſpatia altius ſe inſinuaſſent, mare ſemper contra ſe præceps invenerunt, & violentia fluctuum retropulſi, iter proſequi non valuerunt.

Altera terra ſuppolaris Arctica, perpetua Inſularum concatenatione cincta, atque ab una quidem parte Grœnlandia & Spizbergia, ab altera vero nondum ſatis explorata, Americæ, & Aſiaticæ Tartariæ littoribus munita eſt. Nautæ ad Spizbergiam ad piſcationem balænarum progreſſi narrarunt, nullam navem ultra 82. altitudinis Borealis parallelum progredi auſam rediiſſe, mare etiam tanquam ex monte proruens omnia ſecum rapere, luculento indicio, eſſe ſub Polo, ſeu vicinis ejus partibus voraginem immenſam, qua aqua aquam trahens una cum innatantibus navibus invicta vehementia abſorbetur.

Regiones, quæ ad ſuppolarem arcticam terram pertinent, ſunt Grœnlandia, Friſlandia, Islandia (quam putant eſſe ultimam illam Veterum Tulem) Spizbergia, etiam dicta Neulandia, & Nova Zembla. Anno 1594. hanc quidam navigatores, tranſitum in Chinam quærentes, luſtrare cœperunt. Sed glacie ad 76. gradum obſeſſi, ibi tuguriolum extruxerunt, in quo horrendam trium menſium ſpatio calamitatem perpeſſi, cæcis in tenebris cum urſis & vulpibus ſæpius certare debuerunt. Tandem conſtructis duabus naviculis ad patrios lares redierunt. Anno 1609. iterum iter illuc tentatum eſt, ſed irrito iterum conatu.

In Islandia ibi Mons eſt Heclæ, cujus vertex æternis nivibus tegitur, radices vero perpetuis ardent incendiis. Propius ſex milliaribus nemo impune accedere dicitur. Ibi ſceleratorum animas torqueri perſuaſum eſt incolis, voces, gemituſque frequenter audiri teſtantibus. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 2.

### 56. *Ob proprietates, & qualitates mirabilis.*

In Carniola, haud procul *Laubaco* locus eſt admiratione digniſſimus: æſtivo, & autumnali tempore pratum eſt fœcunde germinans: In Novembri ſtagnantis aquæ lacum induit tota hyeme glaciatum. Adventante vere fit ager ſeminationi aptiſſimus, adeoque triplici Naturæ officio fungitur, agri, lacus, & prati, non ſine inſigni boni publici emolumento; ibi enim colligitur meſſis copioſa, capiuntur piſces, & lepores, & apri venatione acquiruntur.

Haud procul Puteolis intra fauces montium ſpatioſa planities jacet, formidine plena, quam olim Plinius *campos Phlegræos* a flammis vocavit. Solum ibi paſſim flagrare conſpicitur, & magnos per foramina fumos cum ſulphureo odore exhalat, qui per omnem regionem, & a ventis etiam Neapolim uſque perferuntur. Ipſum quoque ſolum cum a ſupra ambulantibus tangitur, quaſi tympanum propter concavitates reſonare advertitur. Ingens porro in eadem planitie lacuna admirationem auget, quæ continuo bullientibus, & nigro colore formidinem incutientibus aquis plena ſpectatur. Mirum & illud, quod vorago illa aquas ad octo vel decem pedes in pyramidis modum in altum evibret, & hoc potiſſimum cum mare æſtuat, non item, quando quieſcit. Spectantur etiam in his caminorum ductibus ſpiracula non pauca, quorum aliqua perpetuum, eumque horriſonum ventum eructant, tanto cum impetu, ut etiam injectum lapidem mox foras remittant: nonnulla fumum flammis mixtum ejaculantur. Omnia tandem ibi horrida, ac formidanda inferni ſpeciem repræſentant.

Terræ quidam tractus circa urbem Mutinenſem, ſulphur magna in copia generat, ita, ut ſi locus, unde ſulphur fuit erutum, terra repleatur, intra quatuor annos terra iterum in ſulphur migret. Similiter in Inſula *Milo* Archipelagi, ſi terra eruitur & alio transfertur, terra in loco iterum ſuccreſcit, & renaſcitur.

In certo tractu Civitatis *Zama* in Africa nulli reperiuntur ſerpentes, & ſi ſerpens illuc inferatur, ſtatim emoritur.

In

In Scotia lupi dantur atrociſſimi, præterquam in valle quadam anguſta, ubi cicures ſunt, & nemini nocent. In Bucquania Scotiæ regione mures gigni non ſolent, & ſi inferantur, vivere deſinunt.

In Inſulis dictis *Arran* prope oram maritimam *Connachiæ*, ajunt, non putreſcere hominum corpora; hinc plerique avos, & atavos in larario aſſervant. E contra Pariſiis in cœmeterio des innocens terra arroſivam virtutem habere dicitur, ut intra novem dies, (aliqui dicunt, intra 24. horas) ſepulcrorum cadavera abſumat.

Memorantur quidam terræ tractus mobiles, qui firmiter non conſiſtunt, ſed in mari, vel aqua circumfluа natant, a Geographis Inſulæ natantes vocantur. Sic in lacu quodam ad Nili ortum Inſula eſt, quæ grande caſtelli ædificium ſuſtinet, & tamen natat, quo venti impellunt, &c. O. Serut. 4. Diſq. 1. c. 5.

### 57. *Cryptis & ſpecubus ſubterraneis excavata.*

Licet cryptæ, ſpecuſque intra telluris viſcera reconditæ diverſiſſimæ ſint, omnes tamen inſigni aliqua virtute pollentes ab aliquo intimo, ſive hydrophylacio, ſive pirophylacio vires ſuas obtinent; hinc aliquæ ſucco petrifico, aliæ odore aromatico præditæ ſunt, pro diverſitate locorum & terrarum.

Speluncæ quædam venenatæ ſunt, dum faces ibi non ardent, & accenſæ extinguuntur; quia aer dum ſtagnat ibidem, facile putreſcit, & letifera qualitate afficitur. Venenatus autem aer difficulter corrigitur, & purgatur, niſi igne; hinc in antris ſubterraneis tum ex putredine malignantium qualitatum, tum ex mineralium venenatorum exhalatione ingentes ſæpe peſtium calamitates cauſari poſſunt. Econtra dantur etiam cryptæ ſubterraneæ mire ſalutares, quæ deploratis morbis medelam præbent, uti inveniuntur in Cumanis, & Bajanis montibus.

In multis ſpeluncis ſoni prodigioſi, & muſici quaſi cymbalorum audiuntur; quia naturalis earum conſtitutio ita comparata eſt, ut aerem, ventumque infinita quaſi reflexione augeat. Cum cavernoſi, & pertuſi montis canales ventum recipiunt, ille ibi conſtrictus, & coarctatus velut per organi muſici fiſtulas, ſonos illos inſuetos gignit.

Longa experientia conſtat, ſpecus & cryptas ſubterraneas ſpectris, & malis ſpiritibus infeſtas eſſe: exempla paſſim proſtant: ita in ſalinis Bochnenſibus exaudiuntur nonnumquam canum, gallorum, & aliorum animalium aſſimilatæ voces. Ad rudera antiquæ urbis prope Baſileam terribilia ſæpe ſpectra viſa ſunt.

In Scotiæ regione ſitus eſt ſcopulus, qui mira ſpectanda præbet domicilia, hominibus, & avibus inhabitata. Illud maxime mirum, quod ibi lapis in formam ſpongiæ excreſcat, ex altera parte concavus, cui ſi aqua marina infundatur, illa dulcis, & potabilis fit.

In Ducatu VVirtenbergenſi infra petram quamdam exporrecta ſpecus viſitur, ex qua, ſi ſereno cælo nebula progreditur, pluviæ & tempeſtates continuo ſuccedere ſolent, unde etiam ab accolis os nebulæ vocatur.

Melitæ in vicino colle ſcribit Kircherus, ſe inveniſſe cryptam plenam hominibus utriuſque ſexus ruſticorum more veſtitis, quælibet familia habebat ſua receptacula & receſſus, ut adeo vanum non ſit, quod de civitatibus ſubterraneis narratur. In Anglia haud procul a Monaſterio S. Edvardi quondam duo pueri toti virides e ſpecu ſubterranea eruperunt. In Hetruria ad agrum Viterbienſem ingentes ſunt cavitates ſubterraneæ, ubi & pagus eſſe dicitur, dictus *Meoniacum*. Plura de hominibus ſubterraneis ſcribit P. Martinus Martinius in ſuo Atlante Sinico.

Refert Olaus Magnus, in aquilonari plaga montes reperiri, ad quorum radices antra ſunt, ex quibus tantus ventorum erumpentium fragor percipitur, ut repentino metu approximantes vel interimant, vel obſtupefactos ſenſu deſtituant.

Specui Puteolanæ, quam *canum* vocant, illata animalia in momento quaſi demortua comperiuntur, in vicinum vero Agnani lacum immerſa iterum reviviſcunt. O. Serut. 4. Diſq. 1. c. 4.

## Montes.

### 58. *Cur & quando creati ſint.*

PUtabant aliqui montes a diluvio fuiſſe exortos, in quo aqua varios id genus aggeres accumulavit, aut valles excavavit; ſed erronee; montes enim tertia creationis die producti ſunt, juxta Scripturam, quæ dein memorat, aquas diluvii quindecim cubitos ſupra altiſſimos montes fuiſſe elatas: Item Arcam 27. die Menſis quieviſſe ſuper montes



Armeniæ, & prima die menſis decimi apparuiſſe montium cacumina: non igitur ex diluvio geniti ſunt montes, ſed ab exordio Mundi extiterunt. Eadem tertia illa die Deus etiam varias concavitates in terra ad recipiendos fontes, & gurgites fecit &c. C. Gen. c. 1. v. 9. fol. 43.

Ad quid autem hi gurgites & cavitates? Reſpondeo, terra eſt quaſi Mater viventium, & mixtorum; unde ſicut in animalis, & hominis corpore, magna ſanguinis copia eſt in hepate, & corde, indeque per plurimas venas diſpergitur per totum corpus: ita ingentes illæ montium cavitates, & ſub terra voragines, per cuniculos quaſi venas per totam terram diſperguntur, & certis locis in fontes, rivos, & flumina erumpunt. C. Ibid.

*Benedicite Montes, & colles Domino.* Quomodo? quia montes ingentia commoda mundo præſtant: 1. Nives, nubes, & nebulas recipiunt, eaſque in aquas reſolvunt, itaque torrentium & fluminum cauſa ſunt, quibus terra rigatur, & fœcundatur. 2. Sunt aggeres fluviorum & maris, illiuſque fluctus, & tumorem, ne exundet, coercent. 3. Subjectas valles & agros a ventis, & procellis, ſimulque ab æſtu tutantur. 4. Continent foſſilia & mineralia, ferrum, æs, ſtannum, aurum. 5. Dant ſaxa & marmora, in ipſis etiam Alpibus. 6. Alunt vites, & uvas maturant ob reflexionem radiorum ſolis. 7. Proferunt maximas quercus, & arbores. 8. Abundant gramine, pratis, & paſcuis, etiam in hyeme. 9. Sunt quaſi muri & valla urbium, & provinciarum: ita montes Arduennæ ſunt muri Galliæ, Alpes Germaniæ, Pyrenæi Hiſpaniæ &c. 10. Denique ob frigus & acrem auram corpora valere faciunt: montani ſunt robuſti, & laborioſi. C. in Dan. 3. verſ. 69. Item O. Serut. 4. Diſq. 1. c. 3.

### 59. *Ignem frequenter vomunt.*

Veſuvius in Italia, Ætna in Sicilia, Chimera in Lycia, Acroauna in Æthiopia, Tenocherna in Africa, Hecla in Islandia, Teneriſa in Inſ. Fortunatis.

Aliqui auctores tenent montes hos ignivomos eſſe orificia inferni, quorum intuitu homines a peccatis abſterreri debent. Ita ſcitur animas defunctorum frequenter ibi apparuiſſe, item Veſuvium tunc maxime flammas eructaſſe, cum ingens quidam peccator periit. D. 6. 43.

Ex eo autem, quod hi montes flammam exſpirant, a SS. PP. putantur eſſe orificia, ſeu fumariola gehennæ. Circa Heclam in Islandia audiuntur lamentari animæ, & Veſuvius, quoties in illis partibus moritur reprobus, ſemper majores flammas ſpuit. VV. art. diſc. ſont. 60. ex. 2.

Inter decem Inſulas fortunatas, ob canum copiam dictas Canarias, quas Chriſtophorus Columbus 1492. detexit, longiſſime conſpicitur Teneriſa, ob miræ altitudinis petram, quæ inſtar pyramidis ad octo, vel novem milliaria ſuper terram aſcendit, & continuo ignem vomit. Surii Comment. fol. 6.

In Chinæ regno prope *Xangeo* civitatem mons dictus *Lingſung*, cum de die pluit, in ſequente nocte ſemper in vertice flammam luci diſſimam exhibet. Similiter in prærupto vertice montis *Tiencho* ſingulis noctibus ignis conſpicitur, non diſſimilis ingenti carbonum ardentium cumulo. Mons *Tola* in Mauricis Inſulis, certis temporibus flammas eructare ſolet, uti narratur in Vita S. Franciſci Xaverii. In *Peruviæ, & Chiles* montibus toto orbe terrarum altiſſimis, aer ſubtiliſſimus ad inflammandum ita eſt diſpoſitus, ut vel tenui motu accendatur; unde Viatores ignei apparent. O. Diſq. 3. Serut. 3. c. 16.

### 60. *Variis mirabilibus illuſtres.*

In Imperio Sinenſi Mons eſt, *Cutien*, in quo tigrides, in aliis regionibus ferociſſimæ, adeo manſueſcunt, ut nemini noceant. Serpentes etiam ibi veneno carent.

In monte quodam Sinenſis imperii: item in uno ex montibus Calabriæ lapides omnes tam minuti, quam grandes ſunt formæ quadratæ.

In Perſiæ regionibus tres montes ſunt, quorum primus ſonum edit, veluti clamantium non paucorum millium hominum, perinde ac ſi eſſent in acie: ad medium autem cum venerint, majorem ſimul ac evidentiorem ſtrepitum edunt: tandem vero audiuntur canentes pæana, ac ſi viciſſent.

In Helvetico quodam monte, quem *cucumeram* vocant, profunda vorago conſpicitur, per cujus orificium in interiora montis ſi vel unicus lapillus injiciatur, tam vehemens ſonus remittitur, ut adſtantibus non tantum ingens formido incutiatur, ſed etiam præ exeuntis venti vehementia in fugam agantur.

In monte quodam Tartariæ mons eſt haud admodum magnus, in quo foramen

eſſe

eſſe dicitur, ex quo hyberno tempore tantæ tempeſtates ventorum emergunt, ut homines illic non niſi cum manifeſto periculo tranſire poſſint, qui mirabilis effectus occoltis ſubterraneis catadupis videtur adſcribendus. Similiter in China dicitur eſſe mons, qui æſtivo tempore ventum quidem efflat, hyberno tempore aerem intus reſorbet, ut nemo ſecure accedere poſſit. Ejuſmodi Montes Æolii etiam in quibuſdam Europæ locis reperiuntur, talis eſt in Italia Mons Æolius Cæſiorum, & Mons Alverniæ, ubi S. Franciſcus quinque ſacra ſtigmata recepit.

In Americæ Peruviana provincia rupes eſt ſaxea, ad cujus pedes nigerrima materia reperitur, quæ venenum eſt atrociſſimum; quod autem mirabile, illi materiæ immixti ſunt candidi lapilli, qui ſaluberrimum ſunt contra venena antidotum.

Ad Aſiæ quamdam civitatem in medio campo ingens rupes aſſurgit, quæ leviſſimo digiti attactu movetur, fortiſſimo autem impetu moveri non poteſt. Similiter prope ampliſſimam Chinæ civitatem *Pequin* mons pluribus verticibus petit aſtra, ibi prærupta quædam petra leviſsimo attactu titubat. In monte quoque infra *Tunchum* petra ſurſum eminet ad centum perticarum altitudinem, quæ leviſsime unico digito tacta mox ingentem pulſati tympani ſonum edit. Alibi fluctus maris ad petram alliſi campanarium ſonum edunt.

Indiæ Orientalis provinciæ duo impendent montes altiſsimi, qui quoties Caravana itinerantium tranſit cum ſtrepitu, mox pluvias ciere ſolent. Hinc itinerantibus ſilentium indicitur, quod ſi illi garriendo, aut clamando frangunt, ſine imbribus non evadunt. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 3. &c.

*61. Novi, aut collapſi, aut alio migrantes.*

Terreno in corpore variæ metamorphoſes montium poſſunt contingere; poſſunt montes concuſsione, & terræ motu abſorberi, aut noviter congeri, poſſunt maria in campos, & campi in maria tranſire, profluvia exſiccari, & valles exæquari, aliæque mutationes fieri. Vulcanus Liparitanus tantum cineris lapidumque priori ſæculo ejeciſſe dicitur, ut novum montem, *Vulcanellum* nomine produxerit.

Prope Puteolos in ſinu Bajano mons novus ex mari, ſæviente infra terræ violentia conſurrexit, qui hodiedum ſub nomine montis ſancti viſitur.

Mons Cyrcæus olim a continenti ſeparatus modo eidem adhæret, freto arenarum congerie repleto. Mons in Helvetia petroſus, & præruptus, dictus Glatſcherus, quotidie creſcit, ita ut nullum ibi conſiſtere poſsit ædificium.

In agro Mutinenſi duo montes inter ſe concurriſſe dicuntur, crepitu maximo aſſultantes, & recedentes, flamma fumoque in cælum exeunte. Eo concurſu villæ omnes eliſæ, homines, & animalia permulta exanimata ſunt.

In Burgundia anno Chriſti 1230. altiſsimus mons repente ab aliis avulſus alio commigravit, & in valle ſatis ampla plura hominum & jumentorum millia oppreſsit. Poſt aliquod tempus demo progreſſus, quinque hominum millia obtrivit, tandem alteri cuidam monti firmiter adhæſit.

Anno 1594. in Helvetia, ditione Bernenſi Mons terræ motu e fundamentis ſublatus, validiſsimorum ventorum impetu ac violentia cum ingenti fragore ad diſtantiam trium horarum translatus eſt, qui & loca contigua miſerabili clade obtrivit. Sic etiam mons anno 1618. cum horriſono crepitu collapſus, urbeculam *Plurs* obtrivit.

Caſtrum *Tauredunum* in Gallia, monti prope Rhodanum incumbens, poſtquam mons per ſexaginta dies mugitum intus edere auditus eſt, tandem monte ſciſſo in Rhodanum præceps cum omnibus incolis prolapſum eſt. Aqua impedita, & tanta mole obſtructa ita excrevit, ut multa hominum & animalium millia ſuffocarit. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 4.

*62. Utilitate & altitudine præſtantes.*

Montes alii ſunt ſeparati, alii longiore tractu connexi, ſeu concatenati: hi vocantur juga, ſeu montium catenę. Kircherus ait, Terrenum globum a polo ad polum inæquali compage, ſumma cum providentia ita eſse conſtitutum, ut in terreſtrium partium meditulliis, maxime ſe admirandum oſtenderet; dum maximorum montium coacervationi, veluti quoſdam nodos innexuit, tum ad firmiorem totius compagis conſiſtentiam, tum ad fundanda in montium viſceribus immenſa aquarum penuaria, ex quibus tanquam promocondis flumina, fonteſque ſcaturiunt, ut valles, campoſque irrigarent & fœcundarent.





Celebriora montium juga ſunt inprimis Alpes perpetuis nivibus albeſcentes, quæ Italiam a Gallia & Germania dirimunt, uti ſunt Liguſtrici, Pennini, Rhætici. Dein tales ſunt his conjuncti in Germania, qui orientem verſus abeunt, & per Vindelicos, Noricos, Carnos, Pannones, & Macedones in ultimam uſque Thraciam penetrant, Danubio fere ſemper paralleli. Item montes Pyrenæi, qui Hiſpaniam a Gallia ſeparant. Celeberrima ſunt juga Peruviana, quæ Americam Auſtralem à freto Magellanico uſque ad Æquatorem pervadunt, & Peruvianum a reliquis regnis diſtinguunt, tam alti, ut ſupra nubes extollantur, perpetuis nivibus tegantur, & fere aere ad reſpirandum idoneo careant.

Montes altitudine præcellentes ſunt Ætna in Sicilia, Veſuvius in Italia, Hecla in Islandia, montes ignivomi. Caucaſus in Macedonia tantæ altitudinis, ut videatur ex oſtio Mæotidis Paludis, & ſolem in vertice uſque ad tertiam noctis partem radiis illum illuſtrantibus oſtendat.

Athos in Græcia, qui umbram uſque in Inſulam Lemnos, quæ hodie Stialimene vocatur, projiciat. Olimpius in Macedonia tantæ eſt altitudinis, ut in ejus vertice nec nubes, nec ventus, advertatur. Mons Ararat in Armenia, Mons Sinai in Arabia, Mons Libanus in Aſia tantæ altitudinis, ut nullus illi par in Europa conferri poſsit. &c.

Quantumvis autem diverſi inveniantur montes miræ altitudinis, oſtendit tamen Hevelius montes, qui inter altiſsimos primas tenent, non dimidium ſuperare milliare Germanicum in linea perpendiculari. Imo & ad hoc probandum haud exigua eſt difficultas juxta Kircherum. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 3.

Urbes.

*63. Magnæ, & celebres.*

Babylon urbs fuit quadratæ figuræ, quodlibet quadrum centum viginti ſtadia continebat. Circuitus muri complectebatur ſexaginta milliaria, erant denſi quinquaginta cubitis, & alti ducentis, habebant ducentas quinquaginta turres, & centum portas: in medio urbis erat famoſa turris Babel quatuor milliaribus alta. D. 6. 30.

Florentia in Italia cenſetur a nonnullis totius Chriſtiani orbis pulcherrima, de qua quidam Archidux Auſtriæ dicere ſolebat, *quod nonniſi diebus feſtivis ſe conſpiciendam præbere deberet.* Pontibus, foris, & ſtatuis marmoreis, ac metallicis uberrime exornata eſt.

Neapolis Urbs Campaniæ, in qua pluſquam 700. degunt cives ditiſſimi, vicorum, caſtellorum, urbium dominatu conſpicui, inter quos centum & amplius Principes, Duces, Marchiones, Comites: tam inſuper populoſa eſt hæc urbs, ut quotidie nundinæ agi peregrinis videantur.

Bononia Academiam habet totius Italiæ antiquiſſimam, hinc *ſtudiorum parens* appellari ſolet. Collegium *ſapientiæ* dictum, Palatium Cardinalis Gubernatoris, & Prætorium primariis ædificiis in Europa annumerantur. Hic Henricus Imperatoris Friderici II. filius per 22. annos captivus detinebatur, pro cujus redemptione Parens auream catenam mœnia urbis ambientem dare voluit.

Mediolanum habet adeo ampla ſuburbia, ut cum magnis Italiæ urbibus certent. Tam multa ſunt hic artificum genera, tantaque frequentia, ut proverbio dicatur: *Qui totam Italiam reficere vult, Mediolanum deſtruere debet*; quia nimirum de artificibus toti Italiæ proſpicere poteſt. Templi cathedralis Organum habet fiſtulas argenteas: caſtrum eſt omnium Europæorum ampliſſimum, & munitiſſimum. Civitas tam populoſa eſt, ut plures numeret homines, quam integrum regnum Navarræ.

Genua pulcherrimis ædificiis e puro marmore exſtructis ornata eſt: habet panni holoſerici textores circiter octies millenos. Tractus littoralis per multa milliaria ædificiis egregiis ornatus, quaſi unam perpetuo facit urbem.

Hiſpalis Emporium totius Hiſpaniæ florentiſſimum: hic, & non alibi, naves in Indias avehi, & appellere debent. Xenodochia optime dotata 120. in hac urbe numerantur. In Hiſpania vulgo dici ſolet: *Homini, quem amat Deus, Hiſpali domum largitur & victum*; in ea ſiquidem melius & abundantius vivitur, quam in alia totius Mundi urbe.

Valenciæ, urbe Hiſpaniæ, reperiuntur ſupra 10000. puteorum aquæ vivæ: hic tanta eſt temperies aeris, & continua æſtas, ut incolæ etiam circa Feſtum Nativitatis Domini florum manipulos in manibus gerant.

Lutetia Pariſiorum ob ſuam populoſitatem omnes Chriſtiani orbis civitates ſuperat: numerat 20000. domos, & 500. plateas, quarum una S. Jacobi mil-

liare Germanicum exæquat. Plures in hac urbe numerantur tabulæ, quam in tota Germania: tanta populi eſt frequentia, ut regno, quam urbi ſimilior ſit; ideo Franciſcus I. Rex Carolo V. interroganti repoſuit: Pariſios non urbibus, ſed provinciis accenſeo.

Rotomagum (Rouen) habet campanam totius Galliæ maximam, quæ pendet in turri dicta Butyracea; quia fuit ædificata ex pecuniis pro Butyro tempore jejunii collectis.

Avenio ſita eſt ad Rhodanum in territorio fertiliſſimo, & amæniſſimo, ideo a nonnullis vocatur: *Deliciæ terreſtris Paradiſi*: Numerus ſeptenarius in hac urbe clareſcit; habet enim 7. Xenodochia, 7. Monaſteria Virginum, 7. Parochias, 7. Palatia, 7. Collegia, 7. portas. VV. Art. diſc. Font. 23. Ex. 9.

Gandavum Urbs Belgii, inter maximas orbis urbes numerari ſolet: illius circuitus tria milliaria Germanica continet, habet 35000. ædes, & 80000. cives armorum capaces. Forum ejus eſt præſtantiſſimum, & capaciſſimum totius Europæ, juxta quod tormentum æneum vaſtæ molis, *Ruber diabolus* dictum, conſpicitur. Numerat 26. Inſulas, 92. pontes majores, 55. templa, 4. Moles aquarias, & centum, quæ vento aguntur. Præterea celebris eſt hæc urbs ex natalibus Caroli V. Cæſaris. Cum Dux Albanus dixiſſet Carolo, urbem Gandavenſem ob rebellionem meritam eſſe, ut funditus everteretur, offenſus immiti cenſura Cæſar juſsit illum in turrim aſcendere, & tum his verbis allocutus eſt Ducem: *Quantum corii putas requiri ad conficiendam talem Chirothecam?* alludens ad Nomen *Gand*, quod gallice chirothecam ſonat.

Antverpia Urbs Magnificentiſsima, & olim Emporium totius Europæ celeberrimum erat; nam immenſas Mercaturæ opes poſsidebat. Dicitur, negotiationem inter Angliam & hanc urbem annuatim ad 12. Milliones excurriſſe. Cives ſunt ditiſsimi, ita, ut duobus illorum quondam Rex Hiſpaniæ ſex auri milliones debuerit. VV. Art. diſc. font. 23. Ex. 9.

Colonia Agrippina tot numerat templa, quot annus dies. Feſſa urbs Africæ ſeptingenta templa complectitur. Roma olim habebat delubra 5400. nunc templa Divino cultui dicata ultra trecenta. Londini in Anglia reperiuntur baſilicæ 120. Conſtantinopolis exornata eſt templis 5579. e quibus 442. uſui Chriſtianorum conceſſa ſunt. VV. art. diſc. font. 65. ex. 1.

Ninive nec ante, nec poſtea habuit ſibi parem in magnitudine: ambitus illius continebat 480. ſtadia, id eſt ſexaginta millia paſſuum. Altitudo murorum erat pedum centum, latitudo tres currus ſuſtinuit, turres habuit 150. ſingulas altitudinis centum pedum. Tempore Jonæ erat itineris trium dierum. C. Gen. c. 10. v. 12. A. lect. 2. n. 5. D. 4. 6.

Urbs Quintia, quæ Imperatorum Chinenſium olim reſidentia erat, maxima eſt totius orientis: in ambitu continet centum milliaria, 140. portas, 12000. ſaxeos pontes, & mœnia tantæ latitudinis habuit, ut duodecim armati equites ſine impedimento una equitare potuerint. F. 3. l. 6. fol. 185. col. 1. D. 4. 6.

Roma tempore Aureliani Imperatoris in ambitu continuit 50. milliaria, mœnia habebant 32. portas: tot domus, & incolæ erant, ut cum Heliogabalus aranearum texturas congerere juſsiſſet, acervus iſte 10000. pondo libraret. Templa tunc erant 400. in urbe. F. 1. l. 15. f. 233.

Urbs Locris in Italia 12. milliaria, Carthago in Africa 24. Conſtantinopolis in Thracia 22. continet. F. 1. l. 15. fol. 233. D. 4. 6.

Cairum in Ægypto dicitur quintuplo majorem populum numerare, quam Lutetia Pariſiorum: hæc urbs olim ab hoſtibus obſeſſa & triduo occupata jam fuit, antequam incolæ citerioris partis quidquam ea de re reſcirent. Urbs Thebe in Ægypto centum portas habebat, tempore belli per quamlibet portam decem armatorum millia educebantur. D. 4. 6. & D. 7. 98. Item C. in Jonæ. c. 3. v. 4. &c.

## Animalia terreſtria.

### 64. *Habent miras qualitates.*

LEo robur præcipuum habet in pectore, taurus in cornibus, urſus in pedibus anterioribus, equus in poſterioribus, aſinus in dorſo, aper in dentibus, elephas in proboſcide, erinaceus in aculeis.

Dentes Elephanti in tantam ſubinde excreſcunt magnitudinem, ut loco poſtium ſerviant in domiciliis fiantque ex iis ſepes, & pali in ſtabulis pecorum.

Sanguis Elephanti eſt frigidiſsimus, Biſontis autem tam calidus, ut ferrum venabuli in omnes partes tractabile reddat, & intenſiſsimo etiam frigore intra duas horas putreſcat. Eſt autem Biſon animal bove majus, gibboſum, fronte perquam lata & pilis moſchum redolentibus.

Cer-



Cervus fel nonnunquam in cauda habet, in capite vivos nutrit vermes magnitudine eorum, qui in putridis carnibus inveniuntur. Febrim non ſentit, ſed illi medetur.

Crebrior vini potus calcitratum mulæ inhibet, equæ auget.

Arietes in Sardinia pilos non lanam habent, & vocantur Muſmones. Albertus vidit arietem quatuor cornua in capite, & duo in cruribus habentem. In provincia Scythica arietes cornibus omnino deſtituti ſunt: in Inſula Naxo habent fel duplex, in Ponto nullum.

Urſi in Myſia ſunt adeo venenati, ut ſolo afflatu canes perimant: Urſi Bolſanenſes in Tyroli veneno carent, & in eſcam ſerviunt. VV. art. diſc. font. 85. ex. 7.

Lupus & equus, item buſo & araneus miram habent ad invicem antipathiam. VV. Art. diſc. font. 85. ex. 2. & 10.

Urſa informes utero fœtus fundit, quos dein lingua format, vulneribus ſuis medetur herba, cui nomen eſt Philomos. Serpens paſtu fœniculi cæcitatem repellit. Teſtudo viſceribus ſerpentis paſta, cum venenum ſentit, origano medicinam carpit. Vulpes lacrymula penus ſibi medetur. Formica novit explorare tempora ſerenitatis. Boves impendente pluvia ad præſepia ſe tenent, alias foris ſpectant. Ovis ſub adventum hyemis inexplebilis ad eſcam. Hericius ſpinis clauditur contra inſidias. Tygris raptorem catuli inſectata ſpeculo luditur, in quo ſuam faciem videt. Agniculus etſi multis in millibus verſetur, cognoſcit vocem parentis, & ad eam currit. Lupus ſi prior hominem viderit, vocem eripit, ſi præviſum ſe ſenſerit, deponit ferociam. Leo Gallum maxime album veretur, æger ſimiam quærit, qua devorata convaleſcit. Urſus æger formicas devorat, cervus oleæ ramuſculos mandit: omnis fera ægra hauſto canis ſanguine curatur. &c. C. Gen. 1. v. 25.

### *Quomodo venerint ad Inſulas.*

Curioſa quæſtio eſt, quomodo animalia terreſtria poſt diluvium venerint ad inſulas? Reſpondet S. Auguſtinus: Primo animalia ad inſulas ſaltem non admodum a continenti diſsitas veniſſe natando. Secundo in Inſulas autem diſſitas, & valde remotas, uti eſt Cuba Hiſpanica, Margarita, Dominica, Bermunda, & aliæ, teſtatur Joſephus a Coſta nullam vulpem, leonem, tygridem perveniſſe; quia plurium dierum iter natando ſine cibo conficere non poſſunt; hinc cum fundamento præſumendum eſt, quaſdam Inſulas, præſertim Americam continenti eſſe ullibi contiguam ac connexam; ſic ad polum arcticum non omnis longitudo Americæ eſt explorata, multique putant, Floridam latiſsimam eſſe terram, & ad Europam uſque exporrigi; tertio alii exiſtimant, ejuſmodi animalia ab hominibus navigiis eſſe translata, tum lucri, tum curioſitatis gratia, eum in modum, quo hodie animalia rara & nunquam viſa ex diſsitis regionibus pro curioſitate & admiratione in Europam transferuntur. Denique fieri potuit, ut hyemali tempore, quo maria & flumina glacie fuerunt obducta, animalia ab una regione in aliam tranſierint. &c. C. in Gen. c. 8. v. 16.

## ELEMENTUM AQUÆ.

### Aqua.

### 65. *Cujus naturæ, ubicationis & effectus.*

EX natura ſua humida & frigida eſt, nam corpora quanto ſunt aquoſiora, tanto etiam ſunt frigidiora: quamdiu autem fluida eſt, intenſe frigida eſſe non poteſt, cum frigore intenſo partes aquæ rigeſcant. Humida etiam eſt, quia madefacit, & ſuis terminis non continetur.

Aqua pura & ſimplex dari non poteſt, cum ex vicinis terræ ſubſtantiis varia, heterogenea & elementaria corpuſcula attrahat & ſibi commiſceat; ſicut enim ſanguis totum animalis corpus, venaſque; ita aqua totam terrarum molem, ejuſque cavitates, meatus, & canales pervadit: ex ejuſmodi ſubterraneis hydrophylaceis dein fontes, & flumina plerumque ſcaturiunt.

Ad inveniendam ſub terra latentem ſcaturiginem dantur variæ obſervationes: 1. Attendendum, ubi vapor ſe attollat, & in tenuem nubeculam criſpet, tremuloque motu aerem feriat. 2. ſi locus herbis viridantibus, & arbores copioſa foliorum fœtura luxurient, ſignum eſt ſubeſſe aquarum copiam; unde montes ſylvis operti venis aqueis divites eſſe ſolent, dum econtra loca ſterilia aquæ ſubtus latentis ſpem nullam præbeant. 3. ubi ranæ libenter ſtabulantur, & ſupra ventrem ac pectus jacentes coaxant, ſignum eſt latere lympham. Nec minus 4. lapides roſcidi, & terræ vapore humectati tale ſignum ſunt. O. Scrot. 4. Diſq. 1. c. 12.

liare Germanicum exæquat. Plures in hac urbe numerantur tabulæ, quam in tota Germania: tanta populi eſt frequentia, ut regno, quam urbi ſimilior ſit; ideo Franciſcus I. Rex Carolo V. interroganti repoſuit: Pariſios non urbibus, ſed provinciis accenſeo.

Rotomagum (Rouen) habet campanam totius Galliæ maximam, quæ pendet in turri dicta Butyracea; quia fuit ædificata ex pecuniis pro Butyro tempore jejunii collectis.

Avenio ſita eſt ad Rhodanum in territorio fertiliſſimo, & amæniſſimo, ideo a nonnullis vocatur: *Deliciæ terreſtris Paradiſi*: Numerus ſeptenarius in hac urbe clareſcit; habet enim 7. Xenodochia, 7. Monaſteria Virginum, 7. Parochias, 7. Palatia, 7. Collegia, 7. portas. VV. Art. diſc. Font. 23. Ex. 9.

Gandavum Urbs Belgii, inter maximas orbis urbes numerari ſolet: illius circuitus tria milliaria Germanica continet, habet 35000. ædes, & 80000. cives armorum capaces. Forum ejus eſt præſtantiſſimum, & capaciſſimum totius Europæ, juxta quod tormentum æneum vaſtæ molis, *Ruber diabolus* dictum, conſpicitur. Numerat 26. Inſulas, 92. pontes majores, 55. templa, 4. Moles aquarias, & centum, quæ vento aguntur. Præterea celebris eſt hæc urbs ex natalibus Caroli V. Cæſaris. Cum Dux Albanus dixiſſet Carolo, urbem Gandavenſem ob rebellionem meritam eſſe, ut funditus everteretur, offenſus immiti cenſura Cæſar juſsit illum in turrim aſcendere, & tum his verbis allocutus eſt Ducem: *Quantum corii putas requiri ad conficiendam talem Chirothecam*: alludens ad Nomen *Gand*, quod gallice chirothecam ſonat.

Antverpia Urbs Magnificentiſsima, & olim Emporium totius Europæ celeberrimum erat; nam immenſas Mercaturæ opes poſsidebat. Dicitur, negotiationem inter Angliam & hanc urbem annuatim ad 12. Milliones excurriſſe. Cives ſunt ditiſsimi, ita, ut duobus illorum quondam Rex Hiſpaniæ ſex auri milliones debuerit. VV. Art. diſc. font. 23. Ex. 9.

Colonia Agrippina tot numerat templa, quot annus dies. Feſſa urbs Africæ ſeptingenta templa complectitur. Roma olim habebat delubra 5400. nunc templa Divino cultui dicata ultra trecenta. Londini in Anglia reperiuntur baſilicæ 120. Conſtantinopolis exornata eſt templis 5579. e quibus 442. uſui Chriſtianorum conceſſa ſunt. VV. art. diſc. font. 65. ex. 1.

Ninive nec ante, nec poſtea habuit ſibi parem in magnitudine: ambitus illius continebat 480. ſtadia, id eſt ſexaginta millia paſſuum. Altitudo murorum erat pedum centum, latitudo tres currus ſuſtinuit, turres habuit 150. ſingulas altitudinis centum pedum. Tempore Jonæ erat itineris trium dierum. C. Gen. c. 10. v. 12. A. lect. 2. n. 5. D. 4. 6.

Urbs Quintia, quæ Imperatorum Chinenſium olim reſidencia erat, maxima eſt totius orientis: in ambitu continet centum milliaria, 140. portas, 12000. ſaxeos pontes, & mœnia tantæ latitudinis habuit, ut duodecim armati equites ſine impedimento una equitare potuerint. F. 3. l. 6. fol. 185. col. 1. D. 4. 6.

Roma tempore Aureliani Imperatoris in ambitu continuit 50. milliaria, mœnia habebant 32. portas: tot domus, & incolæ erant, ut cum Heliogabalus aranearum texturas congerere juſsiſſet, acervus iſte 10000. pondo libraret. Templa tunc erant 400. in urbe. F. 1. l. 15. f. 233.

Urbs Locris in Italia 12. milliaria, Carthago in Africa 24. Conſtantinopolis in Thracia 22. continet. F. 1. l. 15. fol. 233. D. 4. 6.

Cairum in Ægypto dicitur quintuplo majorem populum numerare, quam Lutetia Pariſiorum: hæc urbs olim ab hoſtibus obſeſſa & triduo occupata jam fuit, antequam incolæ citerioris partis quidquam ea de re reſcirent. Urbs Thebe in Ægypto centum portas habebat, tempore belli per quamlibet portam decem armatorum millia educebantur. D. 4. 6. & D. 7. 98. Item C. in Jonæ. c. 3. v. 4. &c.

### Animalia terreſtria.

#### 64. *Habent miras qualitates.*

LEo robur præcipuum habet in pectore, taurus in cornibus, urſus in pedibus anterioribus, equus in poſterioribus, aſinus in dorſo, aper in dentibus, elephas in proboſcide, erinaceus in aculeis.

Dentes Elephanti in tantam ſubinde excreſcunt magnitudinem, ut loco poſtium ſerviant in domiciliis fiantque ex iis ſepes, & pali in ſtabulis pecorum.

Sanguis Elephanti eſt frigidiſsimus, Biſontis autem tam calidus, ut ferrum venabuli in omnes partes tractabile reddat, & intenſiſsimo etiam frigore intra duas horas putreſcat. Eſt autem Biſon animal bove majus, gibboſum, fronte perquam lata & pilis moſchum redolentibus.

Cer-



Cervus fel nonnunquam in cauda habet, in capite vivos nutrit vermes magnitudine eorum, qui in putridis carnibus inveniuntur. Febrim non ſentit, ſed illi medetur.

Crebrior vini potus calcitratum mulæ inhibet, equæ auget.

Arietes in Sardinia pilos non lanam habent, & vocantur Muſmones. Albertus vidit arietem quatuor cornua in capite, & duo in cruribus habentem. In provincia Scythica arietes cornibus omnino deſtituti ſunt: in Inſula Naxo habent fel duplex, in Ponto nullum.

Urſi in Myſia ſunt adeo venenati, ut ſolo afflatu canes perimant: Urſi Bolſanenſes in Tyroli veneno carent, & in eſcam ſerviunt. VV. art. diſc. font. 85. ex. 7.

Lupus & equus, item buſo & araneus miram habent ad invicem antipathiam. VV. Art. diſc. font. 85. ex. 2. & 10.

Urſa informes utero fœtus fundit, quos dein lingua format, vulneribus ſuis medetur herba, cui nomen eſt Philomos. Serpens paſtu fœniculi cæcitatem repellit. Teſtudo viſceribus ſerpentis paſta, cum venenum ſentit, origano medicinam carpit. Vulpes lacrymula penus ſibi medetur. Formica novit explorare tempora ſerenitatis. Boves impendente pluvia ad præſepia ſe tenent, alias foris ſpectant. Ovis ſub adventum hyemis inexplebilis ad eſcam. Hericius ſpinis clauditur contra inſidias. Tygris raptorem catuli inſectata ſpeculo luditur, in quo ſuam faciem videt. Agniculus etſi multis in millibus verſetur, cognoſcit vocem parentis, & ad eam currit. Lupus ſi prior hominem viderit, vocem eripit, ſi præviſum ſe ſenſerit, deponit ferociam. Leo Gallum maxime album veretur, æger ſimiam quærit, qua devorata convaleſcit. Urſus æger formicas devorat, cervus oleæ ramuſculos mandit: omnis fera ægra hauſto canis ſanguine curatur. &c. C. Gen. 1. v. 25.

#### *Quomodo venerint ad Inſulas.*

Curioſa quæſtio eſt, quomodo animalia terreſtria poſt diluvium venerint ad inſulas? Reſpondet S. Auguſtinus: Primo animalia ad inſulas ſaltem non admodum a continenti diſsitas veniſſe natando. Secundo in Inſulas autem diſſitas, & valde remotas, uti eſt Cuba Hiſpanica, Margarita, Dominica, Bermunda, & aliæ, teſtatur Joſephus a Coſta nullam vulpem, leonem, tygridem perveniſſe; quia plurium dierum iter natando ſine cibo conficere non poſſunt; hinc cum fundamento præſumendum eſt, quaſdam inſulas, præſertim Americam continenti eſſe ullibi contiguam ac connexam; ſic ad polum arcticum non omnis longitudo Americæ eſt explorata, multique putant, Floridam latiſsimam eſſe terram, & ad Europam uſque exporrigi; tertio alii exiſtimant, ejuſmodi animalia ab hominibus navigiis eſſe translata, tum lucri, tum curioſitatis gratia, eum in modum, quo hodie animalia rara & nunquam viſa ex diſsitis regionibus pro curioſitate & admiratione in Europam transferuntur. Denique fieri potuit, ut hyemali tempore, quo maria & flumina glacie fuerunt obducta, animalia ab una regione in aliam tranſierint. &c. C. in Gen. c. 8. v. 16.

## ELEMENTUM AQUÆ.

### Aqua.

#### 65. *Cujus naturæ, ubicationis & effectus.*

EX natura ſua humida & frigida eſt, nam corpora quanto ſunt aquoſiora, tanto etiam ſunt frigidiora: quamdiu autem fluida eſt, intenſe frigida eſſe non poteſt, cum frigore intenſo partes aqueæ rigeſcant. Humida etiam eſt, quia madefacit, & ſuis terminis non continetur.

Aqua pura & ſimplex dari non poteſt, cum ex vicinis terræ ſubſtantiis varia, heterogenea & elementaria corpuſcula attrahat & ſibi commiſceat; ſicut enim ſanguis totum animalis corpus, venaſque; ita aqua totam terrarum molem, ejuſque cavitates, meatus, & canales pervadit: ex ejuſmodi ſubterraneis hydrophylaceis dein fontes, & flumina plerumque ſcaturiunt.

Ad inveniendam ſub terra latentem ſcaturiginem dantur variæ obſervationes: 1. Attendendum, ubi vapor ſe attollat, & in tenuem nubeculam criſpet, tremuloque motu aerem feriat. 2. ſi locus herbis viridantibus, & arbores copioſa foliorum fœtura luxurient, ſignum eſt ſubeſſe aquarum copiam; unde montes ſylvis operti venis aqueis divites eſſe ſolent, dum econtra loca ſterilia aquæ ſubtus latentis ſpem nullam præbeant. 3. ubi ranæ libenter ſtabulantur, & ſupra ventrem ac pectus jacentes coaxant, ſignum eſt latere lympham. Nec minus 4. lapides roſcidi, & terræ vapore humectati tale ſignum ſunt. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12.

Aqua reliquis elementis, præſertim aeri & terræ, ejuſque mixtis permiſcetur, atque ex iis quædam ramenta & minutias delibat, hocque tanto facilius, quo aqua fuerit calidior, & mixta laxiora.

Semper per ſe tota eſſe appetit, & ſiquidem dividatur, jungi cupit, & quo pars una labitur, aut labi cogitur, eodem mox & altera comitari vult, cum partium omnium ſit eadem ratio.

Sicut omnes liquores, ita & aqua rotundam induit figuram, cum a circumfuſo alio corpore æqualiter premitur, ut cernere eſt in aeris ipſius bullulis, quæ ex aqua erumpunt, ac in olei guttulis, quæ per aquam diffunduntur. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 11. §. 2.

Aquæ conſiſtentis ſuperficies ſemper eſt ſphærica, licet ad ſenſum talis non ſemper advertatur; ſi enim ceſſante fluxu, & quieſcente aqua ſuperficies ſuperior non eſſet ſphærica, & conſequenter non omnes dictæ ſuperficiei partes æqualiter diſtarent a centro Mundi, ſed una eſſet altior, altera humilior, non omnes partes ſublatis impedimentis fluerent ad loca decliviora, ſed detinerentur in ſtatu violento. In exiguis tamen vaſis ſuprema ſuperficies ad ſenſum Horizonti poteſt cenſeri parallela.

Aqua fluens naturaliter non aſcendit ad locum altiorem ſua origine, ut patet experientia. Unde & aqua non fluit naturaliter ab uno loco in aliud, niſi terminus *a quo* altior ſit, quam terminus *ad quem*, ſive libera, ſive conſtricta fluat. Ut igitur aqua fluat, requirit aliquam declivitatem ſpatii, quod perfluit.

Flumina eodem curſu, quo aerem refrigerant, purgantur a terreſtri ſorde, adeoque non tantum ſalſedinem maris, a quo originem trahunt, ſed & qualitates ex cavernoſis vaporibus, quos tranſeunt, ipſo curſu amittunt. Ibid. §. 3.

### 66. *Eſt potus ſaluberrimus.*

Galenus Medicorum princeps ait: Aqua eſt convenientiſſima omnibus hominibus tam ſanis quam ægrotis, & ad vitam maxime neceſſaria. Item inquit: Eſt ſimplicium medicamentorum unum, ex quibus noſtri corporis conſtitutio conflata eſt.

Aqua vitam producit, propterea Syrii ter centum annos, & Brachmannes diutiſſime vixerunt, quia nihil præter aquam biberunt.

Vivaces facit ſenſus, ſerenam mentem, & limpidum ingenium. Qua de cauſa ſolos abſtemios ad ſtudia aptos cenſuit Eubulus, & Plinius heroes viroſque præclaros recenſet, qui nihil præter aquam biberunt. Athenæus ſcribit, noſtra ſapientia vino hebeſcit, Demoſthenes vero aliquid compoſiturus, ita jocari ſolebat: *Alii dicunt in aqua, Demoſthenes vero ſcribit in aqua & plus olei, quam vini conſumit.* Apollonius Tyaneus nonniſi aquam bibit, dicere ſolitus, bibentes aquam nunquam vertiginis morbo laborare, ſomnique eſſe perlevis.

Vetruvius ait, nulla res ita neceſſaria eſt velut aqua, omnia animalia, utut frumento, carne, & arbuſtis priventur, poſſunt tueri vitam, ſine aqua vero, nec corpus, nec ulla cibi virtus poteſt naſci, nec tueri, nec parari: omnibus plantis, animalibus & hominibus benefica eſt. Qua Thales aquam rerum omnium principium eſſe aſſeruit.

Ratio eſt, quia aqua ſumme humida, ſimplex, & ſubtilis facillime per venas totum corpus pervadit, illudque humectat, calorem temperat, ſitim ſedat, cibique ad ſingula membra vehiculum eſt. Atque hæc eſt aquæ præcipua utilitas, ſiccitatis ablatio, & humidæ ſubſtantiæ reſtauratio. Etſi autem gravis ſit famis affectio, tamen gravius affligit ſitis; ipſa enim ſiccat, & areſacit corpus, hinc videmus animalia ſiti laborantia vehementius æſtuare, anhelare, & ad eam reſtinguendam procurrere. Hinc docent Medici, potum maxime congruere circa refectionis finem, idque ad tres uſus, ut ſitim ſedet, ut calorem extinguat, ut alimenta elixet, & diducat.

Porro aquam non tantum reſtinguere ſitim, ſed etiam nutrire, multi Auctores docent. Primo quia aliqua animalia, ſola aqua nutriuntur, uti cicadæ & piſces. Secundo quia famelici, ſi bibant, non tantum ſitim, ſed etiam famem ſatiant. Tertio quia herbæ, arbores, plantæ pluviis irrigatæ creſcunt, frondent, & fructificant. Hinc Veteres in conviviis biberunt aquam calidam, quod hodiedum Sinæ faciunt; ideo Calix vocatur a calido, quia calidam ex eo bibebant. C. Eccli. 29. v. 28.

## Aqua Marina.

### 67. *Cur ſalſa ſit?*

Maria omnia ſalſa eſſe, docet Ariſtoteles aſſerens, non alia ratione differre aquam marinam a fluviali, niſi quod illa ſit ſalſa, ſecus iſta. Ratio autem hujus ſalſedinis eſt, 1. ut mare ſit piſcium commune domicilium, & nutrimentum; conſtat enim maximos piſces extra aquam ſalſam haud diu vivere, hinc etiam illi ad oſtia, ubi flumina dulcium aquarum in mare illabuntur, ad ſpatium, quouſque ſe dulces aquæ extendunt, recedunt. 2. ut ſit aptior ferendis navibus, quum craſſior, & etiam calidior eſt, nec tam facile conglaciatur, ſicut aquæ dulces. 3. ne perpetuo ſolis calore computreſcat; ſalſedo enim putredinem arcet. VV. Art. Diſcurr. ſont. 75. ex. 4.

Deus fecit mare ſalſum, illudque quotidie conſervat additione ſimilium exhalationum, quæ e terra vi ſolis, & aſtrorum, educuntur, & in mare dimittuntur. Ridiculum enim eſt, quod quidam Philoſophi excogitarunt, ſalſedinem maris provenire vi radiorum ſolis, quibus fundus maris aduritur; aduſtione enim ſalſedinem naſci, prout patet in cinere. Abſurdum hoc eſt, non enim ſol urit, niſi per lumen, quod ultra quindecim cubitos in mare non penetrare teſtantur urinatores: fundus autem maris multis in locis quingentis cubitis, imo millenis profundus eſt. C. Gen. 1. v. 9. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 2. n. 17. &c.

Salſedo indita eſt mari a providiſſimo Deo, ne piſces mox intereant; dantur enim piſces in mari, quibus aquæ ſalſæ ita ſunt neceſſariæ, ut in dulcibus confeſtim tabeſcant, & extinguantur. O. Scrut. 1. c. 4.

Salſedo hæc dein purificatur, dum aquæ marinæ per ſubterraneos meatus in varias regiones, & denique in fontes, & flumina protruduntur, cum fere in modum, quo triticum per cribrum a ſcoria & paleis purgatur; aqua enim ſic longo itinere, corporum heterogeneorum, per quæ tranſit, ſaporem, odorem induit, & iterum perdit, ſicque ad claritatem cryſtallinam reducitur.

Rabbini Talmudicis ſuperſtitionibus dementati fabulantur, mare ideo ſalſum eſſe; quia Deus intimo cordis dolore pœnitens deplorat, quod templum Hieroſolymitanum devaſtari, & gentem Judaicam diſpergi permiſerit, quotidie duas lacrymas fundit, eaſque in mare projicit. Nugæ! Blaſphemiæ!

Quod autem aqua ſalſa aptior ſit præ dulci ad ferendas naves, eo quod ſit craſſior, prout ſupra dictum eſt, patet ab experientia; quippe navigia cum ad ea littora perveniunt, ubi dulcium aquarum flumina in mare exonerantur, aliquot cubitis in maris aquas immerguntur profundius.





## Aquæ medicatæ.

### 68. *Ad quid, & quomodo dignoſcendæ.*

Sicut homines facie, voce, & paſſionibus nunquam adeo ſimillimi ſunt, ut ſint indiſcernibiles; ita nulla eſt aqua, quæ non ſpecialem ab aliis quibuſcumque aquis differentiam ſortiatur; adeoque tot ſunt differentium aquarum ſpecies, quot differentes terreſtrium glebarum, mineralium, metallorum, ſuccorumque ſpecies.

Præcipue vero quaternis mineralibus, eorumque qualitatibus aquæ permixtæ ſunt: Sale, Nitro, Alumine, & Vitriolo. Aqua ſalſuginoſa, dum per mineras ſubterraneas fluit, & ex ambeſis ſalis ramentis ſecum devehit, quanto ſunt acidiores, ſaporque acidus in iis magis exuberat, tanto majorem habent incidendi facultatem. Aquæ nitroſæ abſterſiva vi pollent, unde & in attactu molles reddunt manus; ideo ab omnibus Medicis laxativæ habentur, niſi aliarum aquarum mixtura differentes præſtent effectus. Aquæ Aluminoſæ vix quidquam herbarum in ripis patiuntur, aut gignunt, quod potentis ſiccitatis, quæ ei prædominatur, luculentiſſimum indicium eſt. Aquæ Vitriolatæ, & bituminoſæ guſtu, & olfactu maxime cognoſcuntur; guſtus enim linguam acredine quadam, olfactum vero potentiſſima mephiti percellunt.

Aquæ Medicatæ, uti ſunt Acidulæ & Thermales, licet aliquas mixturarum ſuarum qualitates prodant, difficile tamen in omnibus dignoſcuntur.

Optime dignoſcuntur aquarum mixturæ per coctionem, ad tertiæ partis conſumptionem, & reſiduæ aquæ adhibito panno groſſiori filtrationem, vel per evaporationem: deinde ſedimentum extractum, & exſiccatum examinetur, & ex ſapore, odore aliiſque qualitatibus ſe prodet quid mineralium ibi deliteſcat.

Aquæ minerales ſalſæ exſiccant: medentur hydropicis, frigidis nervorum doloribus, podagræ, aſthmati, pituitæ, ſcabiei, ſpaſmo, veſicæ, & renum doloribus, valent adverſus calculum, epilepſiam, aurium dolores, & ſplenis duritiem. Aquæ nitroſæ mediocriter adſtringunt, proſunt capiti, thoraci, ventriculo pituitoſo, hydropi, &c. Aquæ aluminoſæ exſiccant valde, penetrant, ad-

adſtringunt & corroborant: valent adverſus morbos humidos & frigidos, adverſus ructus, tormina, morbum articularem, ſudores ſuperfluos, ulcera veſicæ, tumores laxos, & viſus obſcuritatem. Aquæ Vitriolatæ & bituminoſæ calefaciunt, ſiccant, conſtringunt, conferunt podagricis, Nephriticis, oculis, morbis frigidis, carbunculis, & alvo conſtipato, &c.

### Fontanæ.

#### 69. *Salubres, & bonæ.*

Sicut nullum elementum purum & ſimplex, ita nec aqua pura & ſimplex datur; quia fieri non poteſt quin ex ſubterraneis cuniculis, per quos longo itinere tranſit, terrenorum ſuccorum, lapidumque proprietates attrahat. Præſertim cum aqua commune vehiculum ſit omnium elementorum; in hoc enim velut in communi medio natare ſolent, dum eorum partes minimæ ab aqua ſolutæ huc illuc fluctuant.

Optima aqua colore, odore, & ſapore caret, pellucidaque exiſtit, & epota in ventre non moratur. Aphoriſmus Hippocratis eſt, *aqua quæ cito calefit, & cito refrigeratur, leviſſima eſt*. Si legumina in ea celeriter coquantur, ſi ex diſtillata nihil remaneant fœcis, ſi guſtu & odore nihil habeat inſuave, ſi effuſa ſtrideat, & clara mundaque ſit, ſi denique e fonte deducta longius ex oriente, vel per ſabulum fluat, pro ſalubri & bona habetur.

Aqua fontana ut optima ſit, juxta Cardanum, tres debet habere conditiones: Prima eſt, ut ex ſublimi loco, ideſt ex collibus, non affuſim ſed moderate deſcendat: Secunda, ut fluat per terram & arenam, non per lapides & lutum. Tertia, ut fons reſpiciat Orientem. Communiter Medici laudant eam velut optimam, quæ viſu eſt pellucida ſeu cryſtallina, nihil fœcis in vitro relinquens: omnis ſaporis & odoris alieni expers: quæ cito incaleſcit, & cito refrigeratur: quæ leviſſima eſt pondere, quæ pota facile tranſit, in qua legumina facile coquuntur, quam denique bibentes homines moleſtam non ſentiunt, & boni coloris permanent.

Ut de contentis aquæ certior quis fieri poſſit, conducit ejus evaporationem ad ignem inſtituere: ſi facile omnis evolat, & nihil in fundo remanet, optima cenſenda eſt: ſi tophus, limus, nitrum aut ſal minerale remanet, dubium eſt de ejus bonitate. Vis aliud experimentum? ut ſciri poſſit de duabus aquis, quæ ſit ſubtilior in ſubſtantia, & ideo præſtantior ad potum, intingatur pannus lineus bene mundus in una, & aliis ſimiliter in alia: dein ambo panni intincti ſuſpendantur in ſole, qui prius exſiccatur, illa aqua ſubtilior cenſetur.

Aquæ poſt ventos validos non ſunt ad hauſtum ſalubres; quia ex commotione vehementi cum terræ evaporationibus, & pulveribus commiſcentur. Aquæ etiam diu ſub cælo aperto ſtagnantes homini non conducunt; unde aquæ paluſtres, lacuſtres & ſtagnantes omnes cenſentur eſſe peſſimæ, ac malignæ; tales enim, ex ſenſu Medicorum, ventriculum offendunt, viſcera obſtruunt, humores corrumpunt, & non raro febres, ac morbos excitant. O Scrut. 4. Diſq. 1. c. 11. §. 2.

### Putei, & fontes.

#### 70. *Unde originem trahant.*

Quamquam diverſæ ſint hac in re auctorum opiniones, putantium, fontium & fluminum originem eſſe aerem & vapores in ſubterraneis cavernis concluſos, atque frigore in aquam condenſatos, vel eſſe montes, multaſque cavitates aquis plenas, quæ vi caloris in vapores reſolutæ aſcendant per poros terræ, ac ſurſum aſcendentes in fontes erumpunt; in hoc tamen ſiſtemate & aliis ſimilibus impoſſibile eſt explicare, continuum, & ininterruptum, eumque abundantiſſimum fontium & fluminum fluxum, unde enim tanta aquarum ex vaporibus abundantia? quis credat?

Verior ergo, & ſcripturæ conformior Philoſophorum ſententia eſt, fontium & fluminum origines e mari derivari: ita Eccleſiaſtes: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.*

Modus, quo fontium fluxus ex mari deducitur, non eſt unicus; interdum per ſubterraneos meatus aſſurgunt, interdum per compreſſionem aeris mari incumbentis elevantur, interdum per maris receſſum ſeu æſtum extolluntur, atque ita in ſubterraneos cuniculos intruduntur. Quodſi continuo tractu ad locum exſilitionis cuniculi ſubterranei non procurrant, ſaltem ad loca cavernoſa, & abdita receptacula, ceu hydrophylacia diriguntur, unde deinde per novos meatus ad varias terræ plagas diſtribuuntur. Sicut in turribus



ribus hydraldicis aqua in ampliſſimo vaſe ſtagnans, continua preſſione aquam per tubos plumbeos, & canales trudit, eamque in plateis & hortis e terra longe lateque protuberare, & exilire facit; ita mare, & ſuo pondere incumbens illi aer, aquam per ſubterraneos meatus trudit, ut in fontes & fluvios pro diſpoſitione cavernarum, & canalium erumpat.

Neque dicas, in machinis id genus hydraulicis ex omni parte in tubis & vaſis requiri ſoliditatem, ne aqua per rimas, & foraminula dilabatur; hanc autem ſoliditatem in terra, quæ ex natura ſua poroſa, & ſpongioſa eſt, non inveniri: nam etſi per poros & ſciſſuras aqua diffluat, tamen per abundantem nimis aquarum copiam, & earum ſucceſſum continuo motu auctum ſuppletur defectus, & natura, utut aqua diſpendia patiatur, per divitem affluxum damna reſarcit. Deinde, ſi in tubis & canalibus hydraulicis ſciſſuræ ſtuppa, & lana obturantur, cur ingens ab omni latere aggeſta gleba in cuniculis ſubterraneis non idem valere, & aquas in ſuo fluxu continere poſſit? O Scrut. 4. Diſq. 1. c. 11. §. 1.

Atque ex his facile eſt judicare, quomodo fontes aliqui cum mari conſentiant, dum æſtu quotidiano efferveſcunt, & denuo hunc congruo tempore remittunt. Item cur aquæ aliquæ dulces, aliæ ſalſæ vel amaræ, limpidæ vel impuræ ſint, has enim qualitates a locis ſubterraneis, quæ perlabuntur, contrahunt. Ibid.

#### 71. *Habent diverſas ac miras qualitates.*

In una urbe Hiſpaniæ Valentiæ ſupra decem millia puteorum aquæ vivæ ſcaturiunt.

In Cyrenaica provincia fons eſt, qui media nocte fervet, mox ſenſim tepeſcit dein ad primam lucem friget, & quo ſol magis attollitur, eo fit frigidior.

Non procul a Pangæo monte fons eſt, cujus aqua in hyeme duplo eſt ponderoſior, quam in æſtate. In Eubæa duo ſunt fontes, ſeu amnes, Cireus & Nileus, ex quorum altero bibentes, oves albæ fiunt, ex altero nigræ. W. art. diſc. font 83. ex. 9.

In comitatu Kazenelenbogen haud procul Moguntia fons eſt, ab oppido, cui adjacet, Schvvalbach dictus, qui vini ſaporem refert: ſimilis invenitur in agro Lugdunenſi Galliæ, in Hiſpania apud Valentiolas, in Liguria, qui omnes inſtar vini inebriant.

Fons Gaditanus delubro Herculis proximus, item in Hiſpali oppido, in Wallia, Sabaudia, & alibi alii inveniuntur fontes, qui æſtum maris imitantur, & Oceani motibus conſentiunt, in una ſæpe die erumpunt, & evaneſcunt.

In montibus Pyrenæis fons *Eſſorbe* a monte dictus, ad cujus radices adjacet, circa ſolſtitium æſtivum, ſive feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ ingenti cum impetu erumpit, circa ſolſtitium autem hybernum, ſive feſtum Nativitatis Chriſti Domini ſe denuo ſubducit. Similis fons haud procul Tridento æſtate fluit, hyeme exareſcit. Sic etiam Balneum Piperinum, vulgo Pfefferbad, in Curienſi territorio prope Helvetios, tertia die Maji feſto Inventionis S. Crucis aquis plenum eſt uſque in diem decimam quartam Septembris, nempe feſtum Exaltationis S. Crucis, ubi diſparet, & tota hyeme aqua deſtituitur.

In Regno Neapolitano haud procul ab urbe Lucania fons ſalſus effluit, ad quem ſiquis cum ſilentio & vultu converſo accedat; aquam reperit claram: ſi vero voce garrula, aut obverſo dorſo, aquam reperit turbidam, & lutoſam. In Sicilia prope Syracuſas fons fluit in aperto campo per ſe in aquæ fluxu parcus: quamprimum vero homines accedunt copioſius, fluit uberius. In Regno Bohemiæ ad Caſtellum Riſenberg fons ſcaturit; ad quem ſi mulier immunda, ac menſtruo laborans accedat, mox exſiccatur, & aquas negat, hinc a ſeniculo continuo cuſtoditur, qui omnem feminis acceſſum prohibere debet.

In Delphinatu haud procul ab urbe Gratianopoli fons parvus ebullit, ab accolis dictus *La fontaine qui bruile*, qui crebro flammas evomit. In Illyria fons attactu frigidus eſt, qui tamen lanam & pannos injectos incendit, & comburit.

In Bohemia prope pagum *Vopalko* lacus ad injecta quævis mirum tumultuans & efferveſcens non quieſcit, donec injecta denuo ejiciantur. In Marchionatu Badenſi lacus reperitur, qui ad quævis injecta tempeſtates, pluvias & tonitrua adducit. Solet & *Acidula furioſa* haud procul ab Ægra civitate, injecto lapide cum tumultu ebullire, ac fragorem inſtar tonitrui emittere.

Dantur fontes in Islandia, item in Hungaria prope oppidum Zenuſium, qui injecta quæque in ferrum vel lapides convertunt.

In ditione civitatis Ulmenſis fons *Famis* dictus cum uberius manat, caritatem

annonæ prænuntiat. Ejuſmodi fontes Vaticidi inveniuntur plures in Gallia, in Haſſia, Miſnia & alibi.

Sunt præterea fontes perjuris exitioſi, & aliis mirabilibus innumeris celebres. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 11. §. 6. &c.

### Lacus & Stagna.

*72. Mirabiles habent qualitates.*

EX Lacu & Amne Velino in præcelſis, præruptiſque cautibus ſito haud procul ab urbe Interamnia, caradupa in ſubjectam voraginem cadit, vulgo *Lacaſcata di Terni*, per totam Italiam celeberrima: aqua ibi per altitudinem trecentorum cubitorum præcipitatur, & ſe fluvio Narni commiſcet, tanto fragore, ut nullus quantumvis intenſiſſima voce clamans ab altero præ vehementia ſonitus audiatur: ſpumans undarum repercuſſio tantum fragorem cauſat, ut ille uſque Interamniam, oppidum quinque milliaribus diſſitum audiatur. Aſpicientes vertigine obruuntur.

Lacum Acronianum Rhenus, & Lemanum Rhodanus permeat, & tamen cum illius aquis non commiſcetur.

Lacus Chianus in regione Orientali Gangis: item lacus Vulſinius in Hetruria nulla flumina recipiunt, & tamen flumina multa emittunt. Econtra mare Caſpium ſcopuloſa montium catena undique concluſum flumina multa recipit, nullum tamen emittit.

In Theſſalia duo ſunt amnes, ex quorum uno dum bibunt oves lanam acquirunt nigram, ex altero albam: cum vero ex utroque ſimul, lanam maculoſam ex albo & nigro colore. Lacus Aſpalites in Palæſtina ter de die mutat colorem. Et fons Samariæ alternis coloribus quater in anno variatur, viridi, ſanguineo, turbido, & limpido.

In Sicilia intra Symethum amnem *Palici* ſtagnum eſt, ubi tabellæ juramenti veri natant, falſi merguntur: ſi falſo jurantes in ejus aqua ſe lavant, moriuntur, econtra qui vera jurant, nulla parte læduntur.

In Peruvia haud procul ab urbe *Cuza*, lacus eſſe perhibetur, qui pridie diei cinerum uſque ad ſabbatum ſanctum, adeoque per totam quadrageſimam omnis generis piſcibus abundat, reliquo vero tempore, nec unicus ibi piſciculus reperitur.

Nilus Ægypti flumen, ubi terram irrigat, quæ Alata dicitur, quinque leucis ab epiſtomio lacus per quatuordecim brachiorum altas rupes præcipitatur immenſo cum fragore, & fumo aqueo, qui eminus exiſtimatur nebula: præcipitatus vero paullo poſt intra duas ingentes rupes abſorbetur, ut vix oculis attingi queat.

In Japonia lacus inveniuntur ex ferventiſſimis aquis, cum teterrimo fumo, quæ acutiſſimo ſuo ardore injectorum tam hominum, quam animantium corpora ad oſſa uſque excedunt, & abſumunt. P. Cornelius Hazart meminit ſulphureæ ejuſmodi paludis in regione *Ugen*, quæ aquam tam penetrabili calore æſtuantem continet, ut carnem brevi ab oſſibus diſſolvat: eſt etiam aqua hæc tam virulento fœtore imbuta, ut pecudes propius accedentes continuo ſuffocet & exanimet. Ipſaſque etiam aves prætervolantes ex alto delabi faciat. Ab impio tyranno Daiſuſama permulti Patres Miſſionarii, aliique pro Chriſti nomine in hanc charonticam mephitim præcipitati martyrii palmam conſecuti ſunt. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 11. §. 6. & 7.

### Mare.

*73. Multa mirabilia complectitur.*

IN fundo maris pacifici herbæ quindecim brachiorum naſcuntur, & eminent ſuper aquas, adeo, ut interdum naves per viridantia prata vehi videantur.

Orientis oceanus ſilvis impletus eſt, & in mari, quod Luſitaniam alluit, gignuntur glandiferæ quercus. VV. Art. diſc. font. 83. Ex. 9. Harum quercuum glandibus veſcuntur & ſaginantur Thynni, ſeu piſces marini, qui magna in copia ſaliti in Italiam vehuntur. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 2. n. 15.

Admirando Dei conſilio globus terraqueus ita ordinatus eſt, ut quamvis maxima ſint in eo maria, & aquarum affluxus, mare tamen non redundet, & terminos ſibi conſtitutos non egrediatur; ratio eſſe poteſt, quia tam ſuper terram per fluvios, quam infra terram per occultos meatus tantundem aquarum effundat; quantum per flumina confluа recipit; certum enim eſt, quod maria omnia reciprocam inter ſe habeant communicationem.

Sicut terra, ita & fundus maris inæqualis eſt, montibus, vallibus, ſcopulis, aliiſque exaſperatus. Sic in diverſis maribus dantur ſilvæ ſubmarinæ corallinæ, prata ſubmarina, aliaque. Profunditas etiam maris inæqualis eſt, interdum ad quindecim, alias ad trigiñta, & plura ſtadia. In Norvvegia fundus eſt inſcrutabilis. Generaliter quæ maria magis nigricant, profundiora, quæ vero albicant, minus profunda ſunt.

Ab



Ab eximiis Urinatoribus, Mancipiis Turcicis conſtat, qui in mari Erythræo unionibus, coralliiſque inveniendis operam impenderunt, quod ſolaris lux ad certam tantum profunditatem mare penetret: ubi vero altiſſimum eſt mare, fundum eſſe omnino tenebroſum, id quod fit, ut ait Kircherus, ob multiplicem ſuperficierum conſtipationem.

Mare mortuum, a lentore ſic dictum ter de die colorem ſuum mutat: mane nigro, meridie cæruleo, veſperi rubeo colore infectum conſpicitur.

Illud etiam mirabile, aquas marinas ſæpe ignis ſævitiam non tantum non potuiſſe extinguere, ſed etiam igni in medio ſui dominium permittere debuiſſe: ſic mare ipſum aliquando arſiſſe teſtatur Livius: Anno Chriſti 726. æſtivo tempore vapor ut ex camino ignis viſus eſt ebullire ad Inſulam Theraſiam ex profundo maris per aliquot dies. Alarico quoque Italiam invadente, & S. Chryſoſtomo e ſede ſua pulſo ignis e cælo lapſus, fluctus ipſos perinde ac regiones quaſdam marinas incendit.

Aliqui tractus maris magis, alii minus, præcipue autem Septentrionales piſcibus abundant, ita ut ex his venditis maximi accolis proventus contingant. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 2.

Mirabiliſſimum eſt illud: ſicut in ſilvis & terræ receſſibus dantur Fauni, Satyri, Centauri, aliaque monſtra; ita mare habet homines ſubmarinos, Trithones, Nymphas, Sirenes, aliaque marina animalia, canes, boves, lupos, uti ex variis auctoribus conſtat. Monſtra vero hujuſmodi frequentiora inveniuntur in Mari Indico prope Inſulas Philippinas. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 2.

Multa ſunt mirabilia, quaſi miracula maris, quæ Divini Creatoris magnificentiam aſſidue deprædicant. 1. Immenſa maris vaſtitas, longitudo, latitudo, & profunditas, ob quam vocatur abyſſus, quaſi profundum ſine fundo. 2. Maris tempeſtas & fluctus, qui aliquando quaſi ad ſydera videntur aſſurgere, & mox in profundum quaſi barathrum demergi. 3. Quod in elemento tam inſtabili ſtabilitæ ſint inſulæ. 4. Quod illud ipſum tam tempeſtuoſum ſit navigabile, illudque navigiis quaſi curribus ſe ſubſternat. 5. Quod in eo varia ſint beſtiarum genera, non tantum piſcium, ſed & cancrorum, concharum, amphibiorum & inſectorum: piſcium ſpecies numerat Palacios centum quinquaginta tres. 6. Quod in mari ſint omnium pecorum genera quoad formam & figuram terreſtribus ſimillima. 7. Quod in mari ſint ceti & balenæ adeo grandes, ut quatuor elephantes adæquent. 8. Mirabilis eſt motus maris; nam ab oriente in occaſum fluit, ideo Hiſpani in Indiam occidentalem uno menſe iter conficiunt, quod redeuntes quatuor fere menſibus conficere non poſſunt. 9. Mirabilis eſt æſtus maris, quo reciproca agitatione nunc ad littus accedit, nunc in ſe redit, ſubitque. 10. Maris purgatio, qua in plenilunio una vice in anno ſuperfluitantia corpora in littus ejicit: cadavera etiam recentia mari injecta ad vadum feruntur, & in oram expelluntur. 11. Mirum, quod mare locum ſitumque mutet, unde loca nonnulla, in quibus olim fuit terra, nunc occupat mare, & vice verſa, uti Delos & Rhodus. 12. Mirabile maris littus, quod illud intra alveum ſuum coercet, ut licet exæſtuet, non tamen limites littoris a Deo ſibi præſtitutos tranſiliat, &c. Quapropter quoties mare videmus, attollamus oculos ad Deum, ejuſque omnipotentiam ac Bonitatem contemplantes, clamemus cum Pſalte: Quam magnifica ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. G. Eccli. 43. v. 26.

### Oceanus.

*74. Quid ſit? quæ notabilia habeat?*

UNus eſt, ex quo tanquam fonte, alia maria oriuntur & dividuntur. Ambitu ſuo totum terræ globum circumfluit: prout tamen diverſas terras alluit, & in diverſos ſinus funditur, diverſa etiam ſortitur nomina: antiqui quatuor generales Oceani denominationes a quatuor terræ cardinalibus plagis uſurparunt, ab Oriente dixerunt Orientalem, ab Occidente Occidentalem, a Meridie Auſtralem, a Septentrione Borealem. Recentiores Hydrographi Oceano has generales attribuunt denominationes: Inprimis quidquid aquarum inter Aſiam, Americam, & terram Auſtralem ſeu Magellanicam interfuſum eſt, mare Auſtrinum, item Pacificum, ab Hiſpanis *Mare del Zur* nominatur. Quod vero inter Americam, Europam, & Africam uſque ad lineam æquinoctialem protenditur Mare Septentrionale, ſive *Mare del Nort* appellatur.

Præter generales has appellationes, ſecundum littora & terras, quas alluit, vocatur particulariter v.g. Oceanus Sarmaticus, Scythicus, Hyperboreus, Indicus, Gal-

Gallicus, Britannicus, Germanicus, Mare glaciale, mortuum, rubrum &c.

Dum libero ſuo affluxu in certas terræ oras illabitur, & coarctatur, ſolet vocari *Sinus*, cujuſmodi maximus eſt, qui inter Europam, Africam, & Aſiam ad paludem Mæotim uſque protenditur, ac maris mediterranei nomen obtinuit. Alius eſt ſinus ingens ad ſeptentrionem, inter Pomeraniam, Daniam, Sueciam, Livoniam ac Pruſſiam protenſus, qui nunc mare Balthicum nuncupatur.

Præ ceteris mare Caſpium ſive Hircanum hoc habet ſingulare, quod terrarum ambitu quidem undique concludatur, nec cum Oceano, aut alio mari communicare videatur. Credibile tamen eſt Oceanum Indicum per canalem ſubterraneum cum eo conſpirare, eo maxime argumento, quod innumeros recipiat fluvios, nullum tamen emittat, neque aquis augeri videatur, quod fieri non poſſet, niſi flumina undique recepta per occultos meatus in Oceanum exoneraret.

De mari Rubro diſſenſio eſt, cur rubrum vocetur, an a ſolis repercuſſis radiis? vel a colore ex fundo emergente? ſed controverſiam hanc diremit navigatio Luſitanorum; obſervarunt enim aquas ejus eſſe limpidas & omnis ruboris expertes, colorem vero hunc repræſentari ex rubris arenis, quibus maris illius fundus ſcatet. Dicitur etiam alio nomine Mare Erithræum &c. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 1.

## Piſces.

### 75. *In mari portentoſæ magnitudinis.*

CAnes marini, Carcharias dicti, tam amplum habent rictum, ut facile hominem capere & deglutire queant. Quidam piſcatores haud procul Marſilia canem marinum cœperunt, qui cataphractum militem in ventre habebat. Monſtra marina ſunt longe majora terreſtribus: Balæna exæquat quatuor jugerum ſpatium. Priſtis ducentas ulnas longitudine habet: inventi ſunt piſces, qui ſexcentis pedibus oblongi, trecentis ſexaginta lati fuere. Dionyſius Geographus teſtatur viſos eſſe piſces montibus æquales tam ſpatioſo rictu, ut integras triremes poſſent deglutire. Cadamoſtus in ſuo itinerario narrat de ingenti timore, quem ſibi cæteriſque navigantibus incuſſerat appropinquans monſtrum marinum: caput illius videbatur eſſe alatum, corpus triremi primi ordinis magnitudine par erat. Anno 1520. Hiſpanica navis in medio curſu ſiſtitur, & inſolito motu concutitur: rei cauſſam inquirentes remiges vident ingens monſtrum marinum ſe carinæ applicaſſe, caudam clavo circum volvebat, caput extra aquas efferebat, quod ingenti dolio erat æquale &c. D. 4. 30. O Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 6.

Nonnunquam mare vehementer exæſtuans in littus ejecit varia monſtra, uti Nereides, faunos marinos, elephantos, item piſcem tantæ magnitudinis, ut caudæ extremitas ſedecim ulnas contineret, dentes ad pedis menſuram erant grandes &c. D. 10. 99.

Navigans S. Machutes in Feſto Paſchatis incidit in Inſulam, & rogantibus ſociis ibi Miſſam celebravit. Cum pervenit ad orationem Dominicam inſula ſe commovit (fuit enim cetus) ſed Sanctus rogavit Deum, & cetus immobilis uſque ad finem Miſſæ permanſit. E. *Innocentia*. n. 7. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 6. n. 12.

### 76. *Monſtroſi, & terribiles.*

In mari Islandico Monſtrum eſt, quod caput habet quadratum, oculos flammeos: ſi noctu conſpicitur, oculi ita igniti apparent, ut totum caput, quod e mari exerit. W. art. diſc. font. 25. Ex. 3.

*Stengell. de Monſtr. c. 1.*

Anno 1563. in urbe Ceuta ejectus, & in littore inventus eſt cetus, in cujus lateribus plurimæ triremes, tanquam coloribus expreſſæ cum ſuis remis & velis cernebantur. Erant triremes velut ad pugnam diſpoſitæ, & armatæ. W. Ib.

Anno 1623. in Viſtula, fluvio Poloniæ, captus eſt piſcis, in cujus tergo expreſſum erat tormentum curule ſuis rotis nixum. In pinnis erant rotundi globi, & ad latera prælongæ haſtæ. W. Ib.

Cetorum mira, & terribilis eſt natura: 1. Magnitudo eorum in Indico mari eſt quaternorum jugerum. 2. Ore & naribus dum in ſublime natant, nimbos efflant. 3. Balena cum tantæ molis carneæ, gaudet tamen luce & ſole. 4. Balenæ utpote cæcutientis iter dirigit muſculus piſcis, quem natura illi providit, & ducem dedit. 5. Cum fœtus ejus ob defectum aquæ terræ adhæret, aquam inſtar fluvii ore receptum in eos ejaculatur, ut natare, & periculo liberari poſſint. 6. Oculi balenæ capitis humani magnitudinem ſuperant, & quatuor ulnis



nis a ſe invicem diſtant. 7. Balenæ nonnullæ in ventre ambram continent. C. Eccli. 43. verſ. 26.

In mari Norvagico dantur piſces inuſitatæ magnitudinis, quorum oculi veluti faces luceſcunt. Oculorum ambitus octo vel decem cubitos excedunt: pupilla vero unius cubiti rubrum & flammeum refert colorem, qui a longe in tenebroſis temporibus inter undas velut ignis accenſus piſcatoribus non ſine terrore apparet.

Monſtrum eſt in mari Islandico, ait Blekenius, Balenæ ſpeciem referens, quod dum caput ex marinis fluctibus exerit, homines quoſque ſuo ſplendore ita perterret, ut fere exanimati concidant. Corpus ejus nigrum eſt atriſque pennis obſitum, dumque noctu conſpicitur, igneis oculis totum caput e mari exſertum illuſtrare ſolet. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10. §. 3.

Claſſis ſub Duce Georgio Britto, dum ex Luſitania in Indiam petit, ſubito roſtrata navis Roderici Pereiræ in medio curſu detenta hæſit. Obſtupuere nautæ, dumque in cauſſam indagant, ingentem belluam vident, quæ geminis alis utrumque navigii latus complectens, caput dolii magnitudine ſupra aquas extulit. Ibid. c. 12. §. 6.

### 77. *In innumerabili copia reperiuntur.*

*Petrus Bertius in deſcript. Lothar. fol. 159.*

Dux Lotharingiæ ex piſcatione carpionum in Ducatu ſuo, tertio quovis anno ſedecim francorum millia percipit. Cato Uticenſis, hæres ex teſtamento Lucilii factus, ex ejus piſcina pro quadraginta novem millibus piſces vendidit. Ex una piſcatura halecum in Hollandia quotannis ſeſquimilliones confici teſtatur Klockius, neque minor quæſtus fit ex captura aſellorum, & ſalmonum. Idem in ſola Hollandia numerat plus quam viginti hominum millia, qui in captura halecum, cæterarumque rerum ad piſcationem & ſalſuram pertinentium miniſterio occupati ſunt, quique eo labore ſe ſuaſque familias ſuſtentant. VV. art. diſc. font. 36. Ex. 1.

*Klock. de contribut. c. 1. n. 342.*

*Idem de ærar. l. 2. c. 35.*

Sileſia tot habet piſcinas & lacus piſcoſos, ut teſtentur Scriptores, unicum Nobilem ex piſcinis quotannis lucrum facere viginti millium Joachimicorum: præſertim ſi piſcinæ ſint vicinæ fluvio Viſtulæ, per quam piſces empti facile poſſunt avehi in Poloniam. VV. art. diſc. font. 42. ex. 3.

Ad Stetinum in Pomerania lacus eſt, qui tam hyberno, quam æſtivo tempore ſingulis menſibus novas piſcium ſpecies producit. VV. art. diſc. font. 42. ex. 3.

Tibiſcus in Hungaria adeo piſcibus locuples eſt, ut vulgo dicatur duas fluminis partes eſſe aquam, & tertiam piſces: jam ſæpe ibi milleni carpiones unico floreno Rhenano empti ſunt. Si Tibiſcus exundat, jam ſæpe tantam piſcium multitudinem in littus ejecit, ut niſi vicini populi emptum accurrant, ingens fœtor fuerit cauſatus, & itinerantes ea loca tanquam peſte infecta declinarint. VV. art. diſc. font. 42. ex. 3.

Islandi panem conficiunt ex piſcibus exſiccatis, & in modum farinæ attritis. VV. art. diſc. font. 48. ex. 10.

Halex, ſeu Haringus Regalis piſcis eſt, ſequiturque maximo in numero ducem ſuum. Si piſcatoribus ſors faveat, ut ducem illum capiant, plerumque tantam concludunt halecum copiam, ut retia ingentia capiendis non ſufficiant: imo tanta copia nonnunquam ſubeunt oſtium fluminis, oraſque maris, ut retibus concluſi, ſæpe quadraginta laſtas impleant, & a pauperibus manu extrahi poſſint. VV. art. diſc. font. 65. ex. 9.

Teſtatur Jonſtonus, Haringos, ſeu Haleces tam magnis ſimul agminibus natare, ut, ſi ventribus verſus ſummum æquor obverſis luceant, in aqua tantum de ſe ſplendorem emittant, ut non ſolum mare fulgurare videatur, ſed & vicinus aer ita illuminetur, ut inde ubertimæ piſcaturæ indicium certiſſimum præbeant. Oculi etiam Halecis inſtar luminis noctu in mari lucent, ita ut fulgura & coruſcationes per æquor hinc inde excitent. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 10. §. 3. n. 36.

Maria & ſinus ſeptentrionales admiranda piſcium multitudine abundant: hinc Legatis Europæorum Principum in comitiis de potentia & divitiis Regum ſuorum gloriantibus, Legatus Daniæ ſubjunxiſſe dicitur: ſi cæteri Reges Europæ pro omnibus ſuis divitiis non niſi patinas compararent, Regem ſuum parem fore, has omnes patinas piſcibus implendi. O. Scrut. 4. Diſq. 1. c. 12. §. 3.

### 78. *Habent varias qualitates.*

Piſces aliqui corio, alii cortice, alii ſpinis, alii ſquammis, alii cute, alii teſtudine teguntur.

Extracti ex aquis propediem moriuntur,

tur, anguilla vero ſex integros dies ſine aqua vivit. Anguillæ attritu ſcopulorum ſine coitu generantur, exanimes vero non fluitant.

In mari rubro piſcis, nomine cytharædus a cauda ad verticem habet lineas inſtar chordarum muſicalium diſtentas. Echinus habet os in medio corpore. Loligines & ſæpiæ volitant, & hæc loco ſanguinis habet atramentum. Stella tanti eſt fervoris, ut omnia contractu adurat, omnemque concoquat cibum. Teſtudo in terra gignit, ova ſua arena obruit, poſt ſexaginta dies ad illa redit, & animata comperiens deducit ad pelagus.

In mari Sinenſi piſcis eſt, qui cum in hyeme piſcis ſit, in æſtate fit avis. VV. art. diſc. font. 83. ex. 8.

Lucii valde annoſi, & ponderoſi fiunt. Ille quem Fridericus II. Imp. in vivario poſuit, ducentos ſexaginta annos vixiſſe dicitur; inventus eſt enim & agnitus ex annuli aurei inſcriptione: *Ego ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impoſitus per Friderici manus*. VV. art. Diſc. font. 17. Ex. 3.

Ferrariæ piſcina eſt, e qua piſces ad ſonitum certæ campanæ ad eſum vocantur: paſti iterum recedunt. VV. Art. diſc. font. 23. Ex. 7.

In quadam novi orbis inſula piſcis eſt, qui, ſimul ac quis eum tetigerit, in brachio tangentis tantum dolorem cauſat, ut brachium uſque ad humerum videatur ferventi oleo immerſum: dolor augetur uſque ad meridiem, imminuitur deſcendente ſole, & occidente deſinit. VV. Art. diſc. font. 27. Ex. 14.

In Imperio Sinico piſcis eſt, nomine Hajul, qui cum capitur, vocem pueri lamentantis emittit. VV. Art. diſc. Font. 28. Ex. 14.

In mari Sinenſi piſcis eſt, qui alternis vicibus mutatur in avem; per totam æſtatem avis crocei coloris volitat per montes, autumno fere abſoluto mare petit, & fit piſcis, quem hyberno tantum tempore capiunt, & eſt ſuaviſſimi ſaporis. VV. art. diſc. font. 55. ex. 6. & ſeq. &c.

F I N I S.

INDEX



# INDEX CONCIONATORIUS

## In Dominicas, & feſta totius anni.

### Dominica I. Adventus.

*De examine judicii Divini.*

1. V*idebunt filium Hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & Majeſtate. Luc.* 21. Multi hominum vivunt libere in vitiis, ac ſi altera vita, & judicium non eſſet, multi etiam dubitant, aut negant, quod eſt graviſſimum, & perniocioſiſſimum peccatum. Interrogat S. David: *Propter quod irritavit impius Deum?* Et reſpondet ſibi ipſi: *Dixit enim in corde ſuo non requiret.* (*Pſal. 9.*) Grandis impietas contra Deum, contra fidem, contra oracula Scripturæ, & SS. Patrum! Ne dubita peccator! Deus requiret, & quidem triplici examine: (*S. Bern. in Ecce nos.*) 1. Requiret, *quis ſis natura?* Nempe Homo rationalis, ad Deum creatus: ut quid ergo inſtar bruti in terrena defixus, (*S. Chryſ. Hom. 6. in Matth.*) voluptatibus, divitiis per fas & nefas corradendis inhiaſti, inter centenas cogitationes & curas, ne una quidem vice Dei memor? 2. Requiret, *quis ſis profeſſione?* Nempe Chriſtianus ad legem Dei adſtrictus: ut quid ergo perituris mundi rebus Deum poſtpoſuiſti? Dei feſta inanibus negotiis, & peccatis profanaſti? in juramenta & blaſphemias linguam ſolviſti? obſcenis familiaritatibus animam conſpurcaſti? ad furta & iniquas opes manum extendiſti? tam liber & effrons in peccatis, ac ſi lex Dei ad te non attineret? 3. Requiret, *quis ſis officio?* An obligationibus ſtatus, ac vocationis ſatisfeceris? ſi *Sacerdos* es, an in oviculis non potius lanam, quam earum ſalutem quæſieris? ſi *juvenis* es, an continentiam & modeſtiam ſtatui convenientem ſervaveris? ſi *Paterfamilias* es, an domeſticis bono exemplo præluxeris, eoſque a peccandi periculis coercueris? Si *Parens* es, an liberos fidei, & virtutum principiis inſtruxeris? ſi *Senex* es, an dies ultimos a Divina clementia tibi indultos ad præparationem mortis impenderis? &c. Hæc & alia requiret a te Judex! Quid mirum quod Sancti vel ad ſolum nomen judicii contremuerint? quia Chriſtiani ſeverius judicabuntur, quam infideles, propter gratias, & obligationes majores! &c. *Vide Barziam Serm. 27. n. 3. & 5.*

*De cauſis judicii univerſalis.*

2. *Videbunt Filium Hominis venientem in nube.* Poſſunt afferri rationes ex S. Thoma, cur præter particulare judicium, etiam Univerſale habendum ſit: 1. Ut boni, vel mali effectus humanorum operum toti mundo pateant v. g. lucrum animarum per bona exempla, aut ruinæ per ſcandala. (*S. Thom. 3. p. q. 59. a. 5. in C.*) 2. ut Hominibus juſtis reſtituatur honor a mundo denegatus, & præſertim Chriſto Domino, qui pro malefactore fuit habitus, & in crucem actus: neceſſe eſt ut innocentia & gloria ejus coram toto mundo appareat. 3. ut ſimul cum anima etiam corpus, illa die reſuſcitatum, præmium, vel ſupplicium accipiat. 4. ut manifeſtetur Dei providentia, qua mundum gubernavit. O quantum mirabitur Mundus, cum viderit arcana Dei judicia, eorumque cauſas, & revera fuiſſe bonum, quod malum eſſe, & viciſſim malum fuiſſe, quod bonum arbitrabatur. *Vide Tit. Judicia Dei, & Barz. ſerm. 31. §. 1.*

*De rigore, & terrore judicii Divini.*

3. *Videbunt Filium Hominis venientem.* Sanctus Bonaventura imaginatur ſibi judicium ut bellum ſeu prælium, de hoc intelligens illa verba: *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum:* (*Sap. 5.*) Et 1. deſcribit propoſitum Divini Regis arma moventis contra peccatores; certum enim eſt fore judicium diſtrictum. 2. deſcribit apparatum; (*S. Bonav. ibi.*) quia cum omnibus Sanctis, cum Angelis inſtrumenta Paſſionis ferentibus, coram toto mundo apparebit. 3. Deſcribit ipſum bellum, quia aperiet libros & conſcientias atque peccatores convincet de ſuis flagitiis, eorumque effectibus. 4. Belli finem, id eſt, ſeparationem bonorum ab impiis per ſententiam. Quid nobis agendum in hoc ſpectaculo? Faciemus nobis ex hoc bello remedium belli, ſemper præ oculis habendo, & timendo terribile judicium! Exhorruit S. Joannes viſa aquila minitante, quæ in aere clamabat Væ, Væ, Væ, habi-

tur, anguilla vero ſex integros dies ſine aqua vivit. Anguillæ attritu ſcopulorum ſine coitu generantur, exanimes vero non fluitant.

In mari rubro piſcis, nomine cytharædus a cauda ad verticem habet lineas inſtar chordarum muſicalium diſtentas. Echinus habet os in medio corpore. Loligines & ſæpiæ volitant, & hæc loco ſanguinis habet atramentum. Stella tanti eſt fervoris, ut omnia contractu adurat, omnemque concoquat cibum. Teſtudo in terra gignit, ova ſua arena obruit, poſt ſexaginta dies ad illa redit, & animata comperiens deducit ad pelagus.

In mari Sinenſi piſcis eſt, qui cum in hyeme piſcis ſit, in æſtate fit avis. VV. art. diſc. font. 83. ex. 8.

Lucii valde annoſi, & ponderoſi fiunt. Ille quem Fridericus II. Imp. in vivario poſuit, ducentos ſexaginta annos vixiſſe dicitur; inventus eſt enim & agnitus ex annuli aurei inſcriptione: *Ego ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impoſitus per Friderici manus*. VV. art. Diſc. font. 17. Ex. 3.

Ferrariæ piſcina eſt, e qua piſces ad ſonitum certæ campanæ ad eſum vocantur: paſti iterum recedunt. VV. Art. diſc. font. 23. Ex. 7.

In quadam novi orbis inſula piſcis eſt, qui, ſimul ac quis eum tetigerit, in brachio tangentis tantum dolorem cauſat, ut brachium uſque ad humerum videatur ferventi oleo immerſum: dolor augetur uſque ad meridiem, imminuitur deſcendente ſole, & occidente definit. VV. Art. diſc. font. 27. Ex. 14.

In Imperio Sinico piſcis eſt, nomine Hajul, qui cum capitur, vocem pueri lamentantis emittit. VV. Art. diſc. Font. 28. Ex. 14.

In mari Sinenſi piſcis eſt, qui alternis vicibus mutatur in avem; per totam æſtatem avis crocei coloris volitat per montes, autumno fere abſoluto mare petit, & fit piſcis, quem hyberno tantum tempore capiunt, & eſt ſuaviſſimi ſaporis. VV. art. diſc. font. 55. ex. 6. & ſeq. &c.

F I N I S.

INDEX



# INDEX CONCIONATORIUS

## In Dominicas, & feſta totius anni.

### Dominica I. Adventus.

*De examine judicii Divini.*

1. *Videbunt filium Hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & Majeſtate. Luc. 21.* Multi hominum vivunt libere in vitiis, ac ſi altera vita, & judicium non eſſet, multi etiam dubitant, aut negant, quod eſt graviſſimum, & perniciofiſſimum peccatum. Interrogat S. David: *Propter quod irritavit impius Deum?* Et reſpondet ſibi ipſi: *Dixit enim in corde ſuo non requiret.* (Pſal. 9.) Grandis impietas contra Deum, contra fidem, contra oracula Scripturæ, & SS. Patrum! Ne dubita peccator! Deus requiret, & quidem triplici examine: (S. Bern. in Ecce nos.) 1. Requiret, *quis ſis natura?* Nempe Homo rationalis, ad Deum creatus: ut quid ergo inſtar bruti in terrena defixus, (S. Chryſ. Hom. 6. in Matth.) voluptatibus, divitiis per fas & nefas corradendis inhiaſti, inter centenas cogitationes & curas, ne una quidem vice Dei memor? 2. Requiret, *quis ſis profeſſione?* Nempe Chriſtianus ad legem Dei adſtrictus: ut quid ergo peritoris mundi rebus Deum poſtpoſuiſti? Dei feſta inanibus negotiis, & peccatis profanaſti? in juramenta & blaſphemias linguam ſolviſti? obſcenis familiaritatibus animam conſpurcaſti? ad furta & iniquas opes manum extendiſti? tam liber & effrons in peccatis, ac ſi lex Dei ad te non attineret? 3. Requiret, *quis ſis officio?* An obligationibus ſtatus, ac vocationis ſatisfeceris? ſi *Sacerdos* es, an in oviculis non potius lanam, quam earum ſalutem quæſieris? ſi *juvenis* es, an continentiam & modeſtiam ſtatui convenientem ſervaveris? ſi *Paterfamilias* es, an domeſticis bono exemplo præluxeris, eoſque a peccandi periculis coercueris? Si *Parens* es, an liberos fidei, & virtutum principiis inſtruxeris? ſi *Senex* es, an dies ultimos a Divina clementia tibi indultos ad præparationem mortis impenderis? &c. Hæc & alia requiret a te Judex! Quid mirum quod Sancti vel ad ſolum nomen judicii contremuerint? quia Chriſtiani ſeverius judicabuntur, quam infideles, propter gratias, & obligationes majores! &c. *Vide Barziam Serm. 27. n. 3. & 5.*

*De cauſis judicii univerſalis.*

2. *Videbunt Filium Hominis venientem in nube.* Poſſunt afferri rationes ex S. Thoma, cur præter particulare judicium, etiam Univerſale habendum ſit: 1. Ut (S. Thom. 3. p. q. 59. a. 5. in C.) boni, vel mali effectus humanorum operum toti mundo pateant v. g. lucrum animarum per bona exempla, aut ruinæ per ſcandala. 2. ut Hominibus juſtis reſtituatur honor a mundo denegatus, & præſertim Chriſto Domino, qui pro maleſactore fuit habitus, & in crucem actus: neceſſe eſt ut innocentia & gloria ejus coram toto mundo appareat. 3. ut ſimul cum anima etiam corpus, illa die reſuſcitatum, præmium, vel ſupplicium accipiat. 4. ut manifeſtetur Dei providentia, qua mundum gubernavit. O quantum mirabitur Mundus, cum viderit arcana Dei judicia, eorumque cauſas, & revera fuiſſe bonum, quod malum eſſe, & viciſſim malum fuiſſe, quod bonum arbitrabatur. *Vide Tit. Judicia Dei, & Barz. ſerm. 31. §. 1.*

*De rigore, & terrore judicii Divini.*

3. *Videbunt Filium Hominis venientem.* Sanctus Bonaventura imaginatur ſibi judicium ut bellum ſeu prælium, de hoc intelligens illa verba: *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum:* (Sap. 5.) Et 1. deſcribit propoſitum Divini Regis arma moventis contra peccatores; certum enim eſt fore judicium diſtrictum. 2. deſcribit apparatum; (S. Bonav. ibi) quia cum omnibus Sanctis, cum Angelis inſtrumenta Paſſionis ferentibus, coram toto mundo apparebit. 3. Deſcribit ipſum bellum, quia aperiet libros & conſcientias atque peccatores convincet de ſuis flagitiis, eorumque effectibus. 4. Belli finem, id eſt, ſeparationem bonorum ab impiis per ſententiam. Quid nobis agendum in hoc ſpectaculo? Faciemus nobis ex hoc bello remedium belli, ſemper præ oculis habendo, & timendo terribile judicium! Exhorruit S. Joannes viſa aquila minitante, quæ in aere clamabat Væ, Væ, Væ,

babi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

habitantibus in terra: habitantes in terra ſunt peccatores, & hos in judicio triplex Væ tanget. 1. Væ ob adventum judicis terribilem. 2. Væ, ob inquiſitionem diſtrictam. 3. Væ, ob punitionem acerbam. *Vide Mich. a Calvo conc. 6. in Exod. Item Speranz. punct. 132. &c.* Sanctus Elias Abbas, poſtquam octo annis pœnitentiam egit, ad ſolum Nomen Judicii tota facie expalleſcere, & corde palpitare cœpit, inquiens: Tria timeo: Egreſſionem animæ a corpore, Severitatem examinis, & ſententiam Judicis. Eheu! ſi hoc in viridi, quid nobis fiet in arido? nonne cum S. Job merito ingemi-
Job 9. ſcimus: *Verebar omnia opera mea!*

*Judicium Dei ex triplici cauſa timendum.*

4. *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* Bogorius Rex Bulgarorum, cum ſibi in negotiis ſomnum ſentiebat valde moleſtum, petiit, ut aliquid terribile pingeretur, cujus aſpectu ad terrorem & vigilantiam excitaretur. Et pictor Chriſtianus pinxit illi judicium (Vide P. Dedinger hac Dom.) *Fratres hora eſt, jam nos de ſomno ſurgere.* Quid agendum? conſiderandum eſt terribile judicium! Quid ergo terribile? Pientiſſimus Abbas Elias dicere de judicio ſolebat, tria hic ego timeo! Primo quando egreſſura eſt anima mea de corpore: quorſum enim vadam? quo veniam? in quorum manus incidam? quo deducar? in quos ſpiritus incurram? quinam primi mihi erunt obvii? O horror! O conſternatio! &c. Secundo Timeo, quando occurſurus ſum Deo, neſcius, an amicum, aut inimicum habiturus ſim, qui totam vitæ meæ periodum uno obtutu perſpectam habet! afferentur libri, conferentur opera mala cum bonis. O Sancti Angeli juvate! &c. Tertio Timeo, quando proferenda eſt ſententia! Eheu! an pro me? an contra me? an Angelo Cuſtodi, an dæmoni in manus tradar? O omnes Sancti, Patroni mei, date per interceſſiones veſtras, ut non audiam infeliciſſimum illud: Ite! ſed feliciſſimum: *Venite!* Vide Corn. a Lap. Levit. 16. v. 29. &c.

Dom. II. Adventus.

*Quomodo ſecure comparendum in judicio Divino.*

1. Ecce ego mitto *Angelum meum ante faciem tuam, qui præparavit viam tuam ante te. Matth.* 11. Diximus ante octiduum quam terribile ſit judicium Dei judicantis, & quam periculoſa ſors peccatoris judicandi. Quis ergo evadet? quis ſecure comparebit ante tribunal ſupremi Judicis? id hodie explicandum erit ex ſignis & præludiis, quæ inveniuntur in S. Joanne Præcurſore Domini, ſicut enim cum Sanctus hic Chriſtum Dominum per diſcipulos ſuos interrogabat, *Tu quis es?* Dei Filius non aperte reſpondit, Ego ſum Mundi Meſſias, ſed per ſigna ſe manifeſtavit, quæ prodigioſe operatus eſt: *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt*; ita in S. Joanne, ejuſque vita, morte, & poſt mortem ſigna colligere poſſumus eorum, qui in judicio confidenter, & ſine formidine comparituri ſint, & ad gloriam deſtinati; nam primo ante mortem S. Joannes viam aſperam præcurſurus, quam Chriſtus Servator initurus erat, jam quinquennis a Matre, contra perſecutionem infanticidæ Herodis in ſolicitudinem ductus, ibi procul a mundi commoditatibus in auſtero virtutum exercitio adoleverit, locuſtis & melle ſilveſtri paſtus, atque hirſuta cameli pelle veſtitus, ad ſe venientibus Phariſæis, civibus, militibus, totique populo documenta ſalutis dedit, ipſique Herodi adultero imperterrite in faciem exprobravit: *Non licet tibi!* Secundo in morte S. Joannes, cum offenſus Rex Herodes, inſtigante pellice, caput Sancto in carcere amputari præcepit, hilari animo injuſtam excepit ſententiam, vincula tanquam teſſeram ſuæ gloriæ exoſculatus, cervicem pro Chriſto carnificis gladio ſubmiſit, lætanter vitam & ſanguinem profudit. Tertio poſt mortem S. Joannes in memoria impii Herodis tam vivaciter ſupervixit, ut cum illi Chriſtus Dominus in Paſſione adduceretur, trepidus exclamaverit, *Vere hic eſt Joannes Baptiſta.* Illius ſacroſanctum caput, ſanguis, digiti, brachium, mirabilia operati ſunt per orbem. En! hæc eſt præparatio ſecure comparendi coram Deo Judice! in vita bona opera, in morte ſancta reſignatio, poſt mortem fama optima comparanda ſunt; ideo S. Joannes prout

in



in ſacris judicii imaginibus videmus, una cum Beatiſſima Dei Matre, coram Divino judice genuflexus, judicandorum Patronus, & advocatus eſt, &c.

*Amicitia mundana fallax, & ſolius Dei fidelis eſt.*

2. *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante te. Matth.* 11. Veriſſimum eſt illud Sapientis: Amico fideli nulla eſt comparatio; amicus enim eſt dimidium cor noſtrum, eſt refugium in adverſitate, eſt ſolatium in afflictione, eſt ſcutum in perſecutione, eſt ſpes noſtra, & confortamentum in omni tribulatione. Talis amicus fuit Chriſtus Dominus, qui Joannem, licet miſerum & vinculis conſtrictum publice laudavit, tanquam Prophetam, & Angelum deprædicavit. An mundana amicitia æque ſincera, & fidelis eſt? Minime! arundo eſt vento agitata! utamur Lapide Lydio ad probandam mundi amicitiam, inquiramus in verum amicum! Primo ingrediamur aulas Principum! ecce! qui favoribus illorum fruuntur, felices ſe æſtimant, cervicem ſupra alios erigunt. Quid ſentiendum de hac amicitia? Fragilis arundo eſt! Herodes Rex diligebat Joannem & eum libenter audiebat, ſed nunc innocentem in vincula & carcerem compingit. 2. Ingrediamur ad feſtiva ſympoſia, ubi in amicitiam bibitur & editur, ridetur & plauditur. Quid cenſendum de hac amicitia? arundo eſt! Ecce! in die natali Herodis inter epulas, & gaudia Joannes inſtigante, laſciva femina decapitatur, & ſacrum caput ſanguine ſtillans crudeli ſpectaculo ſupra menſam affertur. 3. Ingrediamur ad intimos familiares & amicos. An hic vera amicitia? Arundo eſt! non fruſtra dicit adagium, quatuor optimæ matres pariunt quatuor peſſimas filias; Felicitas invidiam, ſecuritas negligentiam, veritas odium, familiaritas contemptum: expertus id eſt S. Joannes, qui propter veritatem ad mortem damnatus eſt. 4. Conveniamus noſtros clientes, quibus benefecimus. An hic invenienda eſt vera amicitia? Nequaquam! Arundo eſt! Chriſtus Dominus, qui cæcos illuminavit, ægros ſanavit, mortuos ſuſcitavit, in die Palmarum a populo cum plauſu, & jubilo exceptus, dein ſexto die ad mortem crucis damnatus eſt! O quam cito glorioſum *Hoſanna* migravit in crudele *Crucifige!* Quid ergo agendum? ubi inveniendus amicus? Attolle oculos in Crucifixum! hic amicus Optimus Maximus, qui non deſerit, niſi deſeratur! veniet hora, mi Chriſtiane, ubi ex omnibus mundi amicitiis, tibi in ultimo agone nihil ſupererit, niſi in manibus exigua Crucifixi imago! ſi hic tibi faveat, etſi ab omnibus mundi amicis deſeraris felix eris! &c. *Vide Lib. V. Regum, Principum favor fluxus. Item Lib. IX. Mundi amicitia &c.*

*Tribulatio mundi felicior eſt, quam proſperitas.*

3. *Cum audiiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti.* Matth. 11. Duplici fortuna S. Joannes, dum vixit, uſus eſt, primo proſpera, deinde infelici! Proſpera, dum tota hominum vicinia, cives ex urbibus, milites e caſtris ipſum tanquam cœli oraculum admirabantur, & ipſe Herodes eum libenter audiebat. Infelici, dum per illud *non licet*, Regis gratiam perdidit, & inſtigante impura pellice in vincula raptus, in carcerem conjectus, tandem decapitatus eſt. Quæritur, quæ ſors, æqua vel iniqua, S. Joanni magis profuerit? Seu, ut ad moralem inſtructionem; quam hodie intendimus, ſine mora feſtinemus, quæritur, an præſtet hominem in hoc mundo in proſperitate, vel in adverſitate vivere? quis beatior, ille quem mundus amat, eique blanditur? aut ille quem mundus odit, & perſequitur? Audiamus! Sine dubio proſperitas mundana exhilarat animum, eumque excitat ad bona etiam opera: verum ſecurior eſt ad ſalutem tribulatio: 1. quia avellit animum ab amore ſæculi. 2. quia ſignum eſt filiationis Dei. 3. quia aſſimilat nos Chriſto, & Sanctis, &c. Vide Lib. VI. Patientia, Adverſitates, Perſecutiones. Item Corn. a Lap. in Ep. Jac. c. 1. v. 2. Si Sancti in cœlis redire deberent in hunc mundum, illi certe non ſceptra, non coronas, non divitias, non honores, non voluptates, ſed calamitates, inopiam, perſecutiones pro Deo perferendas eligerent: hinc illis appinguntur ſua inſtrumenta martyrii, & afflictionis, gladii, cruces, craticulæ igneæ, & alia, quia his de facto in cœlo magis delectantur, quam omnes Reges & Principes ſuis coronis, ſceptris, & honorum inſignibus, &c.

Do-

## Dominica III. Adventus.

*Perfectio Chriſtiana quomodo aſſequenda.*

1. *Parate Domino plebem perfectam*. Non tantum ſacerdotes, & Religioſi, ſed quilibet Chriſtianus ſecundum proportionem ſui ſtatus obligatur ad perfectionem; conſiſtit autem perfectio in amore Dei ex toto corde, ad quem requiritur, ut voluntatem tuam ab omni affectu terreno mundifices, ut omnes cogitationes & opera ad Dei honorem dirigas, & ut tua voluntas voluntati Dei intime ſit conjuncta. Sed quibus gradibus, ſeu operibus aſcenditur ad hanc perfectionem? Tribus gradibus, comprehenſis his tribus verbulis: *Age! Abſtine! Suſtine!* 1. oportet agere, id eſt, operari bona conformiter ad vitæ ſtatum, & Dei voluntatem; hinc Sancti identidem interrogabant Deum: Domine, quid me vis facere! aut ſeſe offerebant Deo: Paratum cor meum Deus! Errant hic multi, qui Dei voluntatem ad ſuam detorquere volunt. 2. Oportet abſtinere, id eſt, peccatum ſuper omnia mala fugere, quia nihil magis virtuti & voluntati Dei contrarium, quam peccatum. 3. oportet ſuſtinere, id eſt, adverſa a Deo miſſa patienter ferre. S. Eliſabetha Regis Hungariæ filia, Haſſiæ & Thuringiæ Principiſſa, conjuge orbata, domicilio pulſa, in exilium ejecta, jubet ſuper ſe cantari Deo Hymnum: Te Deum Laudamus, in gratiarum actionem, quod Deus ſe non tantum viduam, ſed & mendicam fecerit. Vide tit. Bona opera, Peccatum, Patientia, Adverſitates, &c.

*De Humilitate peccatori ad converſionem neceſſaria.*

2. *Tu quis es?* Simiæ, cum forte ſe in ſpeculo conſpiciunt, indignantur ſuæ deformitati, & ſpeculum lapide aut baculo confringunt. O Peccator, intuere miſeriam tuam in ſpeculo Chriſtianæ Legis, ut diſcas indignari tibi ipſi. Et 1. conſidera, qualis fueris *ante peccatum?* Habuiſti primævam Baptiſmi innocentiam, objectum amabile Dei & Sanctorum, habuiſti gratiam, ut pignus æternæ ſalutis, ſpecialem aſſiſtentiam S. Angeli Cuſtodis &c. hæc omnia peccato perdidiſti! 2. Conſidera qualis ſis *In peccato?* inimicus Dei, & Sanctorum, loco gratiæ Divinæ denigratus infernali fuligine, in fugam procul egiſti amicum optimum tutelarem Angelum. 3. Conſidera qualis ſis *Poſt peccatum?* Verſaris in continuo damnationis periculo, non eſt tegula in tecto, quæ non mortem tibi minitetur, ſi morbus repente te invadat, aut unicus halitus emaneat, periiſti morte temporali & æterna. Quodſi etiam pœnitentiam egiſti, neſcis an plene ſis reconciliatus Deo: neſcis an non Deus peccatum tuum ſit puniturus pœna permiſſiva: neſcis an non denegaturus tibi ſit gratiam finalem &c. Ergo agnoſce periculum, pœnitentiam age, corde vere contrito & humiliato. Vide Tit. Humilitas, Peccator &c.

*De via præparanda ad cœlum.*

3. *Vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini*. Joan. 1. Nullum fidei principium profundius cordi imprimere debet Chriſtianus, quam illud: Creatus a Deo in mundo, non propter mundum, ſed propter Deum! igitur totus labor meus in vita præſenti in eo eſſe debet, ut viam mihi præparem ad Deum, juxta monitum Joannis Præcurſoris: Parate viam Domini! Dirigite viam Domini! huc omnis mea induſtria, & ſolicitudo collimare debet, ut ſalutem conſequar, ut ad Deum perveniam! Sed quomodo, & qualiter præparata eſſe debet hæc via in cœlum? Nimirum Via in cœlum debet eſſe munda, debet eſſe recta, debet eſſe ſecura. Audiamus explicationem! 1. Via, quam Chriſtianus in hac vita præparare ſibi debet in cœlum, debet eſſe *Munda*, non cœnoſa, non ſalebroſa, non obſtaculis prædedita! id eſt, ante omnia purganda eſt a peccatis; via enim peccatorum cœno ſordida, ad interitum ducit, non ad ſalutem &c. 2. Via in cœlum debet eſſe *recta*, tendens unice ad Deum, non ſinuoſa per anfractus: multi dicunt ſe tendere ad cœlum, & declinant dextrorſum, & ſiniſtrorſum ad creaturas, ad voluptates, ad honores, ad divitias, alioſque affectus inordinatos, &c. 3. Via ad cœlum debet eſſe *Secura*, qualem triverunt ante nos ſancti cœlites, qualem nos ducit S. Angelus Cuſtos, qualem docet Lex Divina, qualem oſtendit Præcurſor Domini, & ipſe Chriſtus per cruces, & ſpinas, per aſpera tribulationum. Qui ſibi ipſi blanditur, poſſe ſe invenire viam extraordinariam per devotiunculas non approbatas, & ſuperſtitioſas, contra monita confeſſariorum, viam





incedit latronibus periculoſam, &c. Dirigite Viam ad Deum mundam, rectam & ſecuram! hac ſalvi eritis. Vide Tit. Sancti, Beatitudo. &c.

*Quinam gradus ſint ad Chriſtianam perfectionem.*

4. *Parare Domino plebem perfectam* Joan. 1. Hominibus Mundanis nihil terribilius, quam cum audiunt vel legunt, etiam Laicis, extra eremos, & Monaſteria neceſſariam eſſe perfectionem Chriſtianam ad ſalutem, & tamen nihil eſt certius! Putant hoc eſſe plane impoſſibile inter mundanas negotiationes, & commercia, ubi multa pericula, & rara victoria! verum in hoc decipiuntur, quod arbitrentur, ad perfectionem Chriſtianam uno unico ſaltu, ab infimo pede ad ſupremum apicem eluctandum eſſe! Non eſt ita! aſcendendum eſt per gradus, incedendum eſt per greſſus! quinam ſunt illi greſſus? Notate! Primus eſt, Ambulare coram Deo! ſicut enim militem ad generoſam pugnam nihil magis excitat, quam conſpectus Regis; ita nihil magis ad virtutem inflammat, quam præſentia Dei. Secundus eſt, in omnibus tam proſperis, quam adverſis ſe conformare Voluntati Dei; per hanc enim conformitatem totum cor hominis abſorbetur in Deum. (Vide tit. Conformitas cum Voluntate Dei) Tertius gradus eſt, mortificare paſſiones, & pugnare contra vitia, præſertim contra illud, quod mihi præ ceteris tenacius adhæret; ſic enim purgatur anima contra affectus rerum externarum, & contemnere diſcit honorem mundanum, amatque contemni. &c. Hi gradus ad perfectionem! quamquam non diffitear, nonnunquam per unum actum generoſum & heroicum, quaſi per ſaltum aſcendi ad apicem perfectionis! S. Joannes Gualbertus, magnanimus Miles, quia interfectori ſui fratris amantiſſimi, in ipſa die Paraſceves, amore Chriſti Crucifixi veniam tribuit, quem de genu ſupplicem uno ictu funus facere potuiſſet, hac ſui victoria e profano milite Dux, & exemplar Chriſtianæ perfectionis factus eſt. Vide Corn. a Lap. in Gen. c. 17. v. 2.

## Dominica IV. Adventus.

*De qualitatibus veræ pœnitentiæ.*

1. PRædicans Baptiſmum *pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Luc. 3. Baptiſmus confert primam gratiam, pœnitentia poſt relapſum ſecundam: in eo tamen conveniunt, quod tam illa quam iſta, niſi maxima ſolicitudine cuſtodiantur, cito amitti poſſint. Infans baptizatus vix ad octennium perducit innocentiam, & pœnitens amicitiam Dei vix ad octiduum: confitetur hodie, & cras ad eaſdem occaſiones & pericula redux, prolabitur in priſtina peccata. Quæ cauſa hujus inconſtantiæ? nempe pœnitentia infirma eſt, nec eas habet qualitates, quas habere deberet; hinc orat Eccleſia Deum, ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris. Quænam autem ſunt hæ qualitates? 1. Pœnitentia debet eſſe *Seria*, & ſincera: Multi actum contritionis ex libello legunt, non ex animo proferunt, & qui ob jacturam unius floreni lacrymarum torrentes fundunt, ob jacturam amicitiæ & gratiæ Dei nec lacrymulam perdunt. Hæc ſinceritas conſiſtit præcipue in fuga peccati: quis credat illum ſerio pœnitere, qui cras ad pericula peccati, de quo pœnituit, effronter revertitur? 2. Pœnitentia debet eſſe *proportionata peccatis*: Major debet eſſe pœnitentia de decem peccatis quam de uno, & qui delictum commiſit malitioſe intenſum, non debet eſſe contentus actu contritionis remiſſo. Chriſtus ter rogavit Petrum, *Amas me?* ut trina confeſſio trinæ negationi reſponderet. &c. 3. Pœnitentia debet eſſe *Conſtans* & perſeverans; hinc Monitum eſt ſapientis: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu! Magdalena, etſi ore Divino audierit, dimiſſa ſibi eſſe peccata, tamen pœnitentiam in ſolitudine ultra triginta annos produxit. Multi putant, rem omnem eſſe compoſitam, ſi peccata ſua in aures confeſſarii inſuſurrent, nec ſunt ſoliciti, ut ſua pœnitentia ſit ſeria, ſit peccatis proportionata, & conſtans: ideo deplorat S. Ambroſius: *Facilius inveni, qui innocentiam ſervarint, quam qui congrue agerent pœnitentiam*. Vide Tit. Pœnitentia. S. Ambr. l. 2. de Pœnit.

*Quanto ſceleratior eſt mundus, tanto devotius Deo ſervire ſtudeamus.*

2. *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*. Luc. 3. Si catalogum perſonarum, quarum hodiernum Evangelium mentionem facit, conſideremus, merito comparari debemus Divino Redemptori, quod in homines, in tempus, in locum tam ſceleratum inciderit. Ve-

rum non otioſa debet eſſe noſtra compaſsio, ſed excitare nos debet, ut tanto ſanctius, gratiuſque habitaculum Chriſto in cordibus noſtris præparemus, quanto ſceleratiores fuerunt, a quibus perſecutionem paſſus eſt. Audiamus quomodo! 1. Evangelium mentionem facit Tiberii Cæſaris, Pontii Pilati procurantis Judæam, & Herodis tetrarchæ Galilææ: Hi omnes fuerunt inimici Dei. Tiberius fuit idololatra, adorans creaturas in injuriam creatoris. Pilatus miſit Chriſtum Dominum ad Herodem, a quo in veſte alba deluſus fuit, ipſe in ejus mortem crucis ex reſpectu humano impie conſenſit. Herodes unus fuit infanticida ut ſimul perderet Chriſtum parvulum: alter hujus ſucceſſor deſpexit Dei Filium cum exercitu ſuo. Judæa & Bethlehem excluſerunt Chriſtum e diverſorio, eumque extra urbem in ſtabulum pro ſua nativitate relegarunt. &c. 2. Evangelium mentionem facit de ſceleratis Sacerdotibus Anna & Caipha, quorum primus impium mortis conſilium contra Chriſtum dedit, inquiens: Expedit, ut unus moriatur pro populo. Alter in domo ſua permiſit, ut Chriſtus crudeli colapho in faciem percuteretur. &c. 3. Denique mentionem facit Joannis & Zachariæ amicorum Dei & Chriſti, quo alio fine, niſi ut hos homines juſtos, non illos impios imitaremur, & Dei Filio ab impiis abjecto & deſpecto, tanto gratius cordis habitaculum, veræ pœnitentiæ, virtutumque omnium exercitio præparemus. Vide Tit. Paſsio Chriſti, Idololatria, Peccatum &c.

*Quomodo cor præparandum in habitaculum Neo-nati Salvatoris.*

3. *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Luc. 3. In eo jam eſt, quod ſupremus cœli & terræ Monarcha, Rex Regum, Dominus Dominantium, æternus Dei Filius, jam in procinctu ſit, ſub humana ſpecie ingrediendi hunc mundum. Et quoniam non erit ei locus in diverſorio, nec ſui eum recipient, dicite, quis ex vobis paratus eſt in domum ſuam, imo in cor ſuum recipere Divinum hoſpitem? Quid multis interrogo? ex vultibus veſtris video paratiſsima corda! nemo eſt, qui non in animo clamet: Veni ad me, O Divine Redemptor, en! paratum cor meum! Bene quidem. Verum parandæ ſunt viæ Domini, rectæ faciendæ ſunt ſemitæ, ejiciendæ ex animo peccatorum ſordes per ſeriam vitæ emendationem. Sed quid requiritur ad ſeriam emendationem? Hoc explicandum erit. 1. Requiritur ardens deſiderium, non mera velleitas: hactenus inania fuerunt noſtra propoſita, poſt paucos dies aut horas redivimus ad vomitum, facti de novo peccatores ex pœnitentibus! deinceps non ſic: firmandum eſt propoſitum cum implacabili odio peccati, & ſtabili voluntate ſerviendi Deo! præſtat mori, quam iterum recedere a ſervitute Dei! *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam!* 2. Huic deſiderio accedere debet humilis petitio gratiæ Divinæ, quod eſt alterum requiſitum emendationis. Inania ſunt noſtra propoſita ſine adjutorio Dei, arundines ſumus ad omnem tentationis ventum. Verum ſcitis, quod in Paſſione Domini Judæi Chriſto, cui tanquam joculari regi illuſerunt, arundinem in manus dederint. Sic ſic firmanda arundo noſtræ fragilitatis, in manibus Dei ſecuriſſima eſt, ita Chriſtus ipſe inſinuavit: Sine me nihil poteſtis facere! Et Rex Salomon ajebat: Sciens, quoniam non poſſem eſſe continens, adii Dominum. 3. Requiſitum emendationis eſt, ſeria, & generoſa cooperatio cum gratia, conſiſtens in fuga occaſionis, familiaritatis periculoſæ, & victoriæ paſſionum, ac tentationum. Præcipue vitium principale, quod præ ceteris tibi infeſtum, ac pernicioſum eſt, radicitus evellendum, ac ſuperandum. Sic bene fiet præparatio cordis, ſic dignabitur Divinus Hoſpes, ſubire hoſpitium emundatum! Vide Tit. Pœnitentia! Peccatum &c.

Dominica infra Octav. Nativit.
D. N. J. C.

*De triplici vita hominis a Deo benigne conſervata.*

1. HÆc *Vidua erat uſque ad annos octoginta quatuor.* Luc. 2. Laudetur JESUS Chriſtus! in æternum! Itane vivitis, Dilectiſſimi? vivitis a prima Januarii, uſque ad hanc ultimam diem Decembris? & quidem vegeti, alacres & incolumes? Hodiernum Evangelium inſtar prodigii recenſet Annam viduam conſervatam eſſe uſque ad octoginta quatuor annos, & ego inſtar prodigii admiror beneficentiam Dei, qua vobis hoc anno vitam, & quidem triplicem benigniſsime prorogavit, & confortavit. Quænam eſt hæc vita triplex? Explicemus, & Deo Optimo Maximo demiſsiſsimas grates



rependamus! 1. Deus conſervavit vobis vitam *Temporalem* per duodecim menſes, per quinquaginta duas ſeptimanas, per trecentas ſexaginta quinque dies, quibus mori potuiſſetis, cum in modum, quo milleni hoc anno mortui ſunt! recogitate, quot milleni mortui ſunt morte naturali, per morbos, infirmitates, hecticas, apoplexias: quot miſeri ſuperſunt cæci, claudi, paralytici, lectis affixi, egentes & famelici; quot milleni mortui ſunt morte violenta, bello, gladio, lapſu, veneno! Gratias agamus Deo, quod contra tot pericula nos protexerit! 2. Deus conſervavit vobis vitam *ſpiritualem*, quæ in gratia Dei conſiſtit: recogitate, quot miſeri hoc anno in gentiliſmo, in hæreſi, in apoſtaſia, aliiſque peccatis, inimici Dei vixerint, quot miſeri tentationibus ſuccubuerint offendentes graviter Deum, & in momenta ſingula æternæ damnationi obnoxii! Gratias agamus Deo, qui benigne nos a peccato præſervavit, aut lapſis per pœnitentiam reſurgendi nobis miſericordiæ auxilium dedit. 3. Deus conſervavit nobis vitam *æternam*, ad quam nati & creati ſumus! conſiderate, quot milleni hoc anno damnati ſunt, qui ſi reſipiſcere, & perditam ſalutem recuperare poſſent, pro unica hora pœnitendi, omnes divitias, honores, voluptates & totum mundum darent! Decernamus igitur firmo propoſito, quod vitam temporalem, & ſpiritualem, ad æternam ſerio ordinare, & Dilectiſſimo Deo ex toto corde ſervire velimus! &c. Vide Tit. Vita humana, Tempus, Finis ultimus hominis &c.

*De gratitudine erga Deum ob beneficia accepta.*

2. *Confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui exſpectabant redemptionem Iſrael.* Luc. 2. Hebræi inter alias Legis ceremonias celebrabant feſtum tubarum & tabernaculorum, quibus Divino bonorum omnium largitori poſt collectas fruges gratias agebant. Circuibant ſepties Altare, portantes ramos olivarum in memoriam expugnatæ urbis Jerichuntinæ &c. ( Vide Corn. a Lap. Levit. 23. ) Agamus & nos gratias Deo, pro omnibus beneficiis per hunc annum acceptis, idemque faciamus, quod hodie fecit Anna Propheteſſa: *Confitebatur Domino &c.* Etenim quot per annum fluxerunt momenta, tot a Benigniſſima Dei manu recepimus beneficia, quibus ne enumerandis quidem pares ſumus! Poſſunt tamen omnia reduci ad Corporalia, & Spiritualia! 1. *Corporalia* ſunt, quibus Deus hoc anno nobis fortunas, famam, vitam & valetudinem conſervavit. Vis ſcire, quantum hoc ſit beneficium? circumfer oculos per totum orbem terrarum, perpende, quot miſeri homines rapinis, incendiis, perſecutionibus, morbis, & mortibus inopinato obruti ſint. Ex horum omnium miſeriis æſtima tuam felicitatem! Vide Tit. Adverſitates, Morbi, Perſecutiones &c. 2. *Spiritualia* ſunt, internæ inſpirationes, pia monita, Verbum Dei, aliorum exempla, perceptio Sacramentorum, quibus gratia Dei augetur, & fortitudo contra tentationes roboratur. Perpende, quot miſeri in peccata inciderint, & cum minime putabant, morte occupati æternum perierint! ex horum infelicitate metire magnitudinem Divinæ beneficentiæ erga te, & firmiter decerne, in gratiarum actione ſemper vivere, Deo ſervire in vita & morte. Vide Tit. Miſericordia Dei, Tentationes, Peccatum &c.

*De bona educatione prolium.*

3. *Puer autem creſcebat, & confortabatur.* Utinam hoc ipſum hodie dici poſſet de noſtra juventute! verum contrarium proh dolor! fit! pueri creſcunt in malitia, in obſtinacia, in abuſu libertatis, in mendacitate, in petulantia, ita ut dici ſæpiſſime poſſit, parvus puer, jam magnus peccator! unde hæc mala? revera ex vitio parentum, qui proles ſuas non ad timorem Domini, ſed ad vanitates aſſuefaciunt. Audite infelices, quid prolibus veſtris debeatis! 1. Debetis prolibus veſtris *Vitæ ſubſidium*, idque ex inſtinctu naturæ, & ipſorum animalium exemplo. Errant hac ex parte miſeri, qui ex impudente pruritu, ſine dote, ſine arte, ſine officio ad matrimonia convolant, dein pauperie preſſi miſeras proles, quamprimum pedem movere poſſunt, mendicatum emittunt, ubi in ſui ſimiles incidunt, & a teneris malitiæ, peccatiſque aſſueſcunt, ac tandem miſere pereunt. O utinam Principes ac Magiſtratus ejuſmodi inconſulta conjugia omni ſtudio impedirent! 2. Debetis prolibus veſtris *Educationis ſtudium*: inſtruendi a prima ætate liberi, quem in finem a Deo creati ſint, quomodo Deum timere & amare debeant, ſuggerenda illis prima fidei principia. Errant hac ex parte graviſſime, qui illos libere evagari

permittunt, eorumque conſortia non obſervant, imo domi inter facetias & nugas, ſub conſpectu filiorum, ſine bono exemplo vivunt. 3. Debetis prolibus veſtris *Salutis auxilium*, ideo Dominus Deus vobis prolem, tanquam depoſitum dedit, ut hanc animam Divino ſanguine redemptam a peccato immunem ſervetis, per ſanctam fidei inſtructionem ad cœlum ducatis, ab occaſionibus & periculis cuſtodiatis, & illius errores ac delicta diſcrete puniatis! Errant hac ex parte, qui per totum annum cum filiis nihil ſpirituale, aut ſalutare colloquuntur, illos in legendo & ſcribendo inſtrui non permittunt, ad catecheſes, & conciones non mittunt, verbo tam parum curæ habent proles in domo, quam boves & porcos in ſtabulo. Væ in die judicii his parentibus! ibi ejulabunt, & flebunt, optantes, utinam nunquam conjugium contraxiſſemus! &c. Vide Tit. Parentes, Filiifamilias. &c.

### Dominica I. poſt Epiphaniam.

#### *Cur multi peccatores JESUM perditum non inveniant.*

1. R*Equirebant eum inter cognatos, & notos.* Luc. 2. Perdere Deum per peccatum jactura eſt infinita boni infiniti, tot lacrymis non ſatis deploranda, quot ſunt guttulæ maris. Angeli in cœlis, ſi lacrymari poſſent, hanc jacturam magis, quam interitum totius mundi deflerent. Hoc ſatis agnoſcunt peccatores, ideo poſt peccatum omni modo Deum quærere contendunt. Cur ergo quem quærunt, non inveniunt? Dabimus cauſas ex oppoſito exemplo Mariæ & Joſephi requirentium JESUM! 1. Sanctiſſimi Parentes, ut primum adverterunt abſentiam Divini Filii, ſtatim, feſtinanter, & ſine mora, regreſſi ſunt in Jeruſalem illum inquirentes. Multi ergo peccatores non inveniunt JESUM, quia *non quærunt in tempore*, quando deberent: pœnitentiam, ad quam Deus invitat, differunt de die in diem: jam non vacat, inquiunt, exſpectabo tempus Paſchale! juvenis ſum, cum incipiam feneſcere, tunc ſerio tandem convertar! ſic loquuntur, interim in pravis conſuetudinibus pergunt, numerum & menſuram peccatorum implent, & ſic Deum, qui gratiam ſuam magis magiſque ſubtrahit, non recuperant! 2. Sanctiſſimi Parentes ſolerter, induſtrioſe, cum luctu quærebant Filium: Dolentes quærebamus te! Ergo peccatores non inveniunt JESUM, quia *non quærunt modo, quo oportet* quærere. Pœnitentiam tepide ac perfunctorie agunt, putantes, per unicum ſuſpirium jam Deo eſſe ſatisfactum, interim in vitiis, divitiis, & deliciis mundanis, ut antea, volvuntur, & ſic in priſtina peccata reincidunt. Homo innocens poteſt licitis utcunque frui, ſed pœnitens, ut mortificatione delicta puniat, etiam a licitis abſtinere debet. 3. Sanctiſſimi Parentes regreſſi invenerunt JESUM in templo: ergo peccatores non inveniunt JESUM, quia illum *non quærunt, ubi oportet*. Multi quibuſdam confraternitatibus, in patrocinio alicujus Sancti, in devotiunculis ſuperſtitioſis, ab Eccleſia non approbatis, v. g. in cœleſti aula uti dicitur, ſpem ſuæ ſalutis reponunt, virtutem Chriſtianam parum curantes. Errant miſeri! ſi Chriſtum invenire velint, huc ad templum veniant, hic coram Sacerdote proſtrati humiliter peccata confiteantur, hic Deum in Euchariſtia adorent, contrito corde veniam rogent, & vitæ emendationem promittant! ſic ſic inſtituit Chriſtus juſtificationis remedia! &c.

#### *Parentes curent filios inſtrui in legendo & ſcribendo.*

2. *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Luc. 2. Rabbini Judæorum præcones ridiculis nugis ac fabulis legem ſuam corruperunt (Vide Lib. VII. tit. Judæi) inter alia docentes, Chriſtum frequentaſſe ſcholas, & ibi alphabetum didiciſſe. Inſania hæc eſt! certe Divini Filii ſcientia fuit infuſa ac Divina, a cœleſti Patre ab omni æternitate hauſta, ita, ut hodie in templo & ſemper fuerit virtutis & ſanctitatis Magiſter (Vide Corn. a Lap. hic Luc. 2.) Econtra nos miſeri mortales a primis characterum elementis erudiri debemus; hinc parentes, ut filios ſuos non tantum in corporali, ſed etiam ſpirituali vita bene educent, curam habeant 1. ut filios in primis fidei principiis, certiſque precatiunculis erudiant, quas illi a parentibus facilius, quam a ludimagiſtris recipiunt. 2. Curent, ut filii a teneris catecheſes, & conciones frequentent, eoſque domi ſuper menſam & alias quid didicerint, quid audierint, examinent: ſic excolitur memoria, & virtutes ab unguiculis in corde filiorum radices agunt. 3. Curent, ut diſcant legere & ſcribere; quia



quia id ad nutriendum pietatis ſenſum valde conducit, & ſic liberi diebus Feſtis ſacra lectione occupari diſcunt, qui alias ad conſortia & familiaritates noxias non ſine periculo perverſionis diffunduntur. Dices: ſi filii ſcribere norunt, periculum eſt, ne ſcriptione abutantur ad litteras amatorias! Lepida objectio! ſi omnia illa deberent abrogari, quibus humana malitia ad nefas abuti poteſt, quid remaneret in mundo? deberent eliminari omnes gladii & fuſtes, quibus fieri poteſt homicidium! deberet eliminari vinum, & cereviſia, quia ſervire poſſunt ad ebrietatem! deberent erui hominum oculi, quorum procacia ducit ad impudicitiam & adulteria. &c. Vide Paciuchellium Lect. 1. De utilitate lectionis ſpiritualis &c. Item Tit. Parentes, Verbum Dei, Lectio ſacra &c.

#### *JESUS ut inveniatur non languide, ſed ardenter quærendus eſt.*

3. *Dolentes quærebamus te.* *Luc.* 2. Ex induſtria & fervore Magdalenæ pœnitentis aperte patuit, quod ſerio quærat Chriſtum; circuivit enim civitatem per vicos & plateas, interrogavit vigiles, & ab ipſo Chriſto interrogata, Mulier quem quæris? flendo & dolendo reſpondit. O quam languide nos Chriſtum quærimus! conſideremus induſtriam quærentium, ut quærere diſcamus! 1. Qui ſitim vehementem patitur, aut in domo ſua de incendio periclitatur, fontem quærit. Chriſtus eſt *Fons aquæ vivæ*, hic ſitim animæ ſitientis vitam æternam ſedare debemus! Non otioſus eſt infernalis incendiarius, halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur, non deſinit ſuſcitare incendium tentationum. Confugiamus ad Chriſtum fontem aquæ vivæ. (Vide Tit. Tentationes, Diabolus. &c.) 2. Quem fames urget, panem quærit. Chriſtus eſt panis vitæ, hunc quæramus, & ſicut Elias in fortitudine cibi illius ambulavit quadraginta diebus ac noctibus; ita in via mandatorum confortati incedemus. Verum ſicut mendici & famelici in civitate de domo ad domum quærunt panem; ita & nos in civitate cœleſti nunc per plateam Apoſtolorum, nunc per plateam Martyrum, Virginum, Confeſſorum, nunc apud Beatiſſimam Dei Matrem & Sanctos, nunc per novem ordines Angelorum panem virtutum emendicemus. &c. 3. Qui afflictione premuntur, aut de jactura bonorum, & ipſius vitæ periclitantur, Patronum quærunt. Chriſtus Dominus eſt refugium, & adjutor in tribulationibus omnibus noſtris, amicus noſter optimus. (Vide Tit. Chriſtus) Verum non quæramus perfunctorie & languide, ſed ſtudeamus quærendo etiam creſcere cum Chriſto: creſcere in extirpatione vitiorum, creſcere in acquiſitione virtutum, creſcere in perfecta unione cum ipſo. Vide Segneri Manna animæ 26. Aug.

### Dominica II. poſt Epiphaniam.

#### *De erroribus in contractu Matrimonii committi ſolitis.*

1. F*Actæ ſunt nuptiæ in Cana Galilææ.* *Joan.* 2. Sicut in Cana Galilææ, ita hodiedum JESUS & Maria Chriſtianorum Sponſorum nuptiis intereſſe, illaſque non tantum ſua præſentia, ſed & cœleſti benedictione felices reddere deſiderant; eſt enim Matrimonium ſtatus cœlo gratus, Eccleſiæ utilis, & conjugibus ſalutaris, quorum contractum Deus in paradiſo inſtituit, & in nova lege ad rationem Sacramenti elevavit. Quæ ergo ratio, tot inveniri infauſta conjugia? Ratio triplex eſt, quia nimirum erratur in ratione finis, erratur in ratione motivi, erratur in ratione modi! 1. Erratur *in ratione Finis!* Finis Matrimonii eſt, ut propagatio humani generis certis limitibus circumſcribatur, & numerus Electorum in cœleſti patria ad Dei gloriam compleatur. Quot autem ſunt, qui in electione hujus ſtatus Dei gloriam reſpiciunt? Pauciſſimi! potius eo pruritu rapiuntur, quo equus & mulus; hinc nulla benedictio Dei, præſertim cum huic ſtatui turpiſſimis ſceleribus præluditur. In Veteri lege præceptum erat: *Scortum & proſtibulum non ducent uxorem*. Item Moyſes Legem tulit: *Meretrici non ſit jus nuptiarum.* Utinam hæ leges hodiedum in uſu forent; hi enim laſcivi homines ante conjugium ſcelerati, in conjugio proles ſibi ſimiles, id eſt, ſceleratiſſimas procreant, in totius mundi detrimentum. 2. Erratur *in ratione motivi*. Motivum conjugii eſſe debet, ut vagæ libidini via præcludatur, ut tentationes præveniantur, ut natæ proles ad Dei gloriam in ſancta morum diſciplina educentur. Quis autem conjugum ad hoc attendit? Pauciſſimi! id maxime quærunt, ut ingentes pro dote divitias, ut potentem parentelam, ut pingue officium, ut uxorem ſpecioſam acqui-

acquirant. Quid deinde fit? cum divitiæ infortunio decreſcunt, cum vultus formoſitas deficit, exurgunt diſſidia, rixæ, mutuæ imprecationes, & innumera mala! Benedictio Divina fugit. 3. Erratur *in ratione modi*, cum conjugia conflantur, non libertate, ſed coactione parentum & amicorum. Videt filia, non ſibi convenire indolem ſponſi, videt ſponſus filiam non eſſe prudentem, nec pudicam, ideo uterque repugnat: verum a parentibus vi ad tranſtra alligantur, hinc tædia, diſcordiæ, ſcandala, & mortis captationes! &c. Diſcite ſapere Juvenes, & cum ad hunc ſtatum aſpiratis, tam ſancte aſpirate, ut poſſit & velit nuptiis veſtris intereſſe JESUS & Maria! &c. Vide Tit. Matrimonium.

*De cauſis diſcordiarum in conjugio, ex parte Mariti.*

2. *Nuptiæ factæ ſunt &c. Joann.* 2. Duo aurei Cherubini, quos Deus ante Tabernaculum collocari juſſit, ita erant conſtituti, ut ſeipſos mutuo aſpicerent. Econtra illi, quos Rex Salomon fecit, facies ab invicem avertebant. Ita fieri amat in conjugio: conjuges, quos Deus ex motivis vere ſanctis conjungit, ſibi ipſis pacifice conſentiunt; e diverſo illud conjugium, quod ab hominibus ex motivis mere profanis & inanibus conflatur, infelix eſt, conjuges nunquam ſeipſos reſpiciunt, ſed diſſidioſi, tædioſi ac miſere vivunt. Sed quænam ſunt illæ procellæ, & turbines, quibus conjuges plerumque colliduntur? Audiamus ex parte Mariti, de uxore alias audituri! 1. Æſtuoſus turbo, qui pacis, & amoris vinculum inter conjuges abrumpit, eſt indiſcreta viri auſteritas, qui delicta uxoris & domeſticorum corrigere non ſolet niſi tumultu, clamore, & verberibus, ſine omni patientia. Cimbri in more habebant, ut ipſo nuptiarum die ſponſus ungues ſibi præſcinderet, ſponſæque mitteret, & ſponſa viciſſim ſponſo. Utinam hic mos hodiedum vigeret, ne ungues uxoris faciem mariti, & viciſſim ungues mariti faciem uxoris mutuis vulneribus ſulcarent. 2. turbo, & tumultus, qui amicitiam conjugum divellit, eſt ſuſpecta familiaritas viri, aut etiam uxoris cum aliis, intra vel extra domum, quæ primo ſuſpiciones, dein animorum averſiones, ac demum litigia & rixas poſt ſe trahit. Pudeat virum Chriſtianum his malis anſam dare? S. Abbas Torellius lupo promittit, quod illi quotidie pabulum præbere velit, ſi rapinis abſtineret, & revera lupus abſtinuit. Quantum ergo probrum, lupum impurum habere domi ſuum nutrimentum, & tamen alienis cadaveribus inhiare. 3. turbo ex hoc conſurgens, eſt zelotypia, infeliciſſimum malum, quod ſæpe divortiis, & mortibus anſam dedit. Vide Tit. Matrimonium.

*De cauſis diſcordiarum in Matrimonio ex parte uxoris.*

3. *Nuptiæ factæ ſunt. Joann.* 2. Quam læta eſt nuptiarum dies, tam triſte nonnunquam ſubſequitur conjugium! hodie editur, bibitur, ſaltatur, exultatur: poſt modicum tempus triſtitiæ, & diſſenſiones domum turbant. Quæ cauſa tanti infortunii? Triplex plerumque cauſa eſt, & quidem ex parte Uxoris. 1. Eſt incorrigibilis capitoſitas Uxoris, quæ de vitio, aut delicto monita a marito, monitis, & correctionibus ſine fine oblatrat, erroreſque, neſcia tacere, pertinaciter defendit. Unius momenti taciturnitate & patientia poſſet facile tranquillare bilem mariti, ſed mavult verbera experiri, & diſſidia in menſes & annos prorogare, quam tacere. 2. Cauſa infauſti conjugii, & diſſenſionum in domo, ſunt imprudentiſſimæ querelæ uxoris extra domum; illa enim cum duriuſcule habetur a marito, ad patrem, ad matrem, ad amicos, ad notos & notas recurrit, & immenſa garrulitate vitia, & defectus mariti deſcribit. Quid fit? innoteſcunt hæ garritiones marito, qui magis magiſque in furias agitur, non ſine læſione alienæ famæ, & Dei offenſa. 3. Cauſa ſeu flatus, quo ignis adhuc vehementius accenditur, eſt levitas animi, qua ſuſurrones, in utramque partem garrientes, libenter audiri ſolent. O! quiſquis ſapit, ejuſmodi buccinatoribus obſurdeſcat, aut eos e domo faceſſere jubeat, quia diabolus eorum loquacitate utitur ad funeſtiſſima mala, in perniciem conjugum & ſuſurronum, &c. Vide Tit. Matrimonium. &c.

## Dominica III. poſt Epiphaniam.

*Peccata inveterata difficulter ſanantur.*

1. D*Omine, puer meus jacet in domo paralyticus. Matth.* 8. Cum puer aut juvenis ægrotat, ſpes magna eſt recuperandæ valetudinis; quia natura & ætas vivida cooperatur cum Medico. Verum cum ſeniculus ægrotare incipit, res plena periculi eſt, quia natura laſſata, vires attritæ non ita cooperantur medicinæ contra morbum. Par ratio ſe habet in ægritudine ſpirituali: qui in peccato adhuc puer, neque ſæpius quam una vel altera vice deliquit, ſanari facile poteſt, ſi velit: Verum, qui in malitia conſenuit, centies aut millies peccati reus, in eoque jam habituatus, difficillime ſanatur, verſatur in manifeſto periculo damnationis: Audiamus cauſas hujus periculi. 1. Quia talis æger, radicato per conſuetudinem vitio ſemper minus habet virium ad reſiſtendum. 2. Quia vis morbi, ubi natura non repugnat, ſemper magis, magiſque convaleſcit. 3. Quia remedia, ſine adjumento virium, & naturæ, ſemper minus valent. 4. Quia Medicus animo cadit, nec jam amplius pharmaca præſcribere amat, quæ hactenus videt fuiſſe ſine effectu. O quiſquis ſalutis ſuæ deſiderio ardet, fugiat periculoſum hunc animæ ſtatum, ſtudeatque viribus omnibus poſt primum peccatum ſtatim ſeria pœnitentia ſanari! Vide Segneri Homo Chriſt. p. 2. diſc. 22.



*Quomodo morbi meritorie accipiendi a Deo.*

2 *Leproſus veniens adorabat: Et puer meus jacet paralyticus. Matth.* 8. Cum gemini nobis ægroti, leproſus, & paralyticus ante oculos ponuntur, operæ pretium eſt, ut de morbo, præſertim ultimo, qui ad limen æternitatis nos inevitabiliter adducet, diſſeramus, & quomodo patienter & utiliter illum ad animæ ſalutem dirigere poſſimus, paucis edoceamus! Parato animo acceptandus eſt de manu Dei morbus, quia, ſi bene illo uti ſciamus, ad beatam mortem utiliſſimus eſt. Nam 1. ægrotanti ante oculos ponit *Præterita!* Videbit æger elapſos vitæ dies ad voluptates, ad ſæculi nugas male impenſos, ſine reſpectu ad Deum, qui finis noſter eſt, ad quem creati, natique ſumus. Videbit occaſiones boni neglectas, & peccata in immenſum multiplicata. 2. Morbus ægrotanti ante oculos ponet *Præſentia*: videbit æger tempus vitæ finitum, delicias, & divitias inanes nunc deſerendas, & ab ingratis heredibus luxu & luxuria diſsipandas. Videbit amicos valedicentes, non jam de ſua ſalute, ſed de pingui hereditate ſollicitos. &c. 3. Morbus ægrotanti ante oculos ponet *Futura*. Videbit æger erectum Dei Judicis tribunal, ubi de omnibus dictis, factiſque & cogitatis rationem dare, & inter timores & tremores ultimam ſententiam ſeu bonam ſeu malam exſpectare debebit. &c. Hæc omnia morbus ultimus ægrotanti ante oculos ponet, excitabitque, ut reſolutionem capiat, per generoſam dolorum tolerantiam compenſandi præterita, deſpiciendi præſentia, & aſpirandi ad futura. Vide Tit. Morbi, Mors, Judicium &c.

*Qua diſpoſitione accedendum ad Deum.*

3. *Acceſſit ad eum centurio. Matth.* 8. Res mira! centurio, homo Ethnicus accedit ad Chriſtum, & gratiarum, quas petit, mox compos fit! Nos, qui Chriſtiani ſumus, in neceſsitatibus tam corporis, quam animæ, decies, & fere dixerim centies ad Deum recurrimus, & non exaudimur! quæ cauſa hujus repulſæ? certe ex parte Dei defectus non eſt; quia paratiſsimus eſt, de fonte infinitæ ſuæ miſericordiæ effundere gratias in omnes, qui digne illas petunt. Ergo defectus ſe tenet ex parte noſtri? Omnino! quia condigne diſpoſiti non ſumus, dum Deum ſupplices accedimus. Quænam ergo diſpoſitiones requiruntur? Inſpiciamus exemplum centurionis! 1. diſpoſitio accedendi ad Deum eſt *Oratio*, Rogans eum! & quidem oratio non qualicunque perfunctoria & tepida, ſed ardens, & devota, quæ ſola Divinum cor commovet ad commiſerationem, & liberalitatem (Vide Tit. Oratio) 2. diſpoſitio eſt *Humilitas*: Domine non ſum dignus; quia hæc virtus fundamentum eſt omnium aliarum virtutum, & tanquam prima regula docetur in ſchola Chriſti dicentis: Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde. 3. diſpoſitio eſt *Fides*: Tantum dic verbo & ſanabitur puer meus! Fides, inquam, iterum non qualiſcunque languida, ſed viva, firma, imperturbata, qualem in centurione laudavit Chriſtus: Non inveni tantam fidem in Iſrael! Laus mira & inaudita! an ergo fides centurionis major erat, quam Abrahami? Nimirum ſi res parva ſupra magnum fundamentum ponitur, magna videtur: ita fides centurionis erat poſita ſupra magnam humilitatem, aliaſque virtutes. Vide Tit. Humilitas, fides, ſpes, Oratio. &c.

*Cur orationes noſtræ a Deo non ſtatim exaudiantur.*

4. *Domine, ſi vis, potes me mundare. Matth.* 8. Inter Chriſtianos adverſitate afflictos, nihil auditur frequentius, quam illæ querimoniæ: Eheu! jam tot ſeptimanis, menſibus, & annis hac cruce premor! quotidie clamo ad Deum, & non exaudior! an æneum eſt cœlum, quod clamores mei non penetrent? an Deus eſt inexorabilis? Mitius inſta, mi Chriſtiane! cœlum non eſt æneum, Deus non inexorabilis! dabo rationes, quod alias jam ſolitus ſum, cur hic & nunc non exaudiaris, ut ſolatium capias, & ſperare non deſinas! Deus non exaudit 1. quia id, quod petis, non eſt conforme Divinæ voluntati. obſtupeſce! Chriſtus ipſe Dei Filius non impetravit, ut tranſiret calix paſſionis. 2. Deus non ſtatim exaudit; quia ſæpe exſpectat opportunius tempus, ut magis proſit, eum fere in modum, quo filio febricitanti in medio febrium æſtu non datur hauſtus, ſed poſtea, ne noceat. 3. Deus nunc non exaudit, quia vult magis inflammare ardorem orandi, & æſtimationem rei petitæ: ſic diu ſe ſubtraxit ſponſæ quærenti, & non invenienti. 4. Deus non ſtatim exaudit, ut magis commendet beneficium; quod enim cito datur, minus æſtimatur: Manna Iſraelitis viluit, & aqua ut mel viſa eſt: Quare? quia Manna ad primam poſtulationem datum eſt, non aqua. *Cum tardius dat, commendat dona*, (Vide Speranz. punct. 6.) Ne cadas ergo animo! perge orare, auge confidentiam! certo crede, quod Deus optimus poſſit, & velit auxiliari! & ſuccurret tibi in tempore opportuno, ſi id, quod petis, ſit ad Dei gloriam, & ad animæ tuæ ſalutem. &c. Vide tit. Oratio.

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

*De felicitate Chriſtiani navigantis in navi Eccleſiæ.*

1. M*Otus magnus factus eſt in mari. Matth.* 8. Nihil familiarius eſt Sanctis Patribus, quam mundum hunc, in quo degimus, mari, & vitam noſtram navigationi comparare: ſicut mare corporum, ita mundus animarum periculis plenus eſt. Scopuli ſunt occaſiones peccati: Sirenes ſunt voluptates, procellæ ſunt tentationes: fluctus ſunt paſſiones animi: piratæ ſunt perverſi ſocii: monſtra marina ſunt infernales inimici: naufragium denique eſt infelix interitus. Quis evadet? Sed macti eſtote animi! Docebo ex S. Chryſoſtomo, quæ ſpes nobis inter tot pericula affulgere, quod ſolatium ex providentia & meritis Chriſti affluere poſſit. Nolite timere! Inprimis Navigium, in quo navigamus, Eccleſia eſt, nunquam naufragio obnoxia! quis non grates infinitas rependat Deo, pro ſancta vocatione ad fidem & Eccleſiam, quæ longe felicior, quam olim Arca Noemitica ſupra fluctus, & tempeſtates triumphat, dum econtra hæreſum cymbulæ in ſcyllas & charybdes, in ſyrtes & ſcopulos abripiuntur! Secundo, Navarchus ſeu Gubernator felicis hujus navigii eſt ipſe Chriſtus Dei Filius, qui legibus ſanctiſſimis, item ſuis ac Sanctorum exemplis, nec non ſupremi Eccleſiæ Capitis, ſui in terris Vicarii mandatis adjuvante remigum opera, id eſt, Verbi Divini prædicatione, Sacramentorum uſu, ac Sacerdotum monitis ad beatam ſalutis cynoſuram Eccleſiam ac fideles adducit. Tertio, Gubernaculum navigii eſt crux Chriſti, quæ inter tempeſtates, & ventorum pugnas, id eſt, inter hujus vitæ adverſitates & pericula, ad imitationem Chriſti nos excitat. Nemo ſibi perſuadeat, ſe in mera malacia, inter Syrenum cantus, ideſt, inter gaudia, tripudia, delicias, divitias, & voluptates ad portum beatæ æternitatis emerſurum! imitatione Chriſti, pro nobis paſſi, & Crucifixi, & non aliter ſalvari poſſumus & debemus! Aut ſi mavis, Crucem Chriſti dicamus Velum navigii, quod Spiritus Sanctus, tanquam feliciſſimus favonius inflat, atque ſanctis inſpirationibus ad pœnitentiam, ad virtutis exercitium, ad cœleſtia deſideria, ipſumque beatitudinis portum promovet. Hæc omnia ſunt verba & conceptus S. Chryſoſtomi dicentis: *Habemus pro mari mundum, pro navi Eccleſiam, pro velo pœnitentiam, pro gubernaculo crucem, pro nauta Chriſtum, pro vento Spiritum Sanctum*. En! mi Chriſtiane, quam felix eſſe poſſit tua navigatio ad beatam cœli patriam ſi ſerio cooperari velis! Vide S. Chryſoſt. ſuper Matth.

*Unicus peccator ſupplicia Dei provocare poteſt ſupra totam communitatem.*

2. *Motus magnus factus eſt in mari. Matth.* 8. Mirabilis Dei Providentia! Apoſtoli, Viri illi e millibus electi, a Deo ad



ad converſionem gentium, & fundandam Eccleſiam electi, periclitantur de naufragio, parum abeſt, ut fluctibus ſubmergantur: Clamant anxii; Domine ſalva nos. Quæ cauſa tanti infortunii? Nempe ſceleratus proditor erat cum ceteris in navi, qui Divinam maledictionem, & ſupplicia ſuper omnes induxit. Ad noſtram inſtructionem, quod unicus peccator, etſi ceteri omnes ſint pii ac juſti, ſupra totam domum, aut integram communitatem, Dei indignationem, & ſupplicia peccatis debita inducere poſſit. Vide Tit. Peccator. Item Paoletti Dom. 4. poſt Epiphan. Diſce ex his, mi Chriſtiane, quanti interſit 1. ut a peccatis abſtineas, ne tua impietate aliis, familiaribus, contubernalibus, & amicis noceas. 2. ut operam omnem conferas, ut alios peccatores corrigas, ne tibi aliiſque ſua impietate noceant. Vide Tit. Peccator. Item P. Abraham a S. Clara part. 1. fol. 380.

*De tormento malæ conſcientiæ.*

3. *Motus factus. eſt magnus in mari: Ipſe vero dormiebat. Matth.* 8. En! differentiam inter conſcientiam bonam & malam! Mare impetuoſe turbatur procellis? Hoc ſchema eſt malæ conſcientiæ! ipſe vero Dei Filius dormit! Hoc ſchema eſt bonæ! Quanta felicitas bonæ conſcientiæ, quæ inter mille timendi cauſas, ſecura eſt ſine timore, imo nec primos formidinis motus ſentit, inquiens ſibi ipſi: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* ut hanc felicitatem bonæ conſcientiæ magis agnoſcamus, utamur argumentis a contrario, & deſcribamus infelicitatem conſcientiæ malæ, quæ revera miſeri peccatoris accuſator, Judex & carnifex implacabilis eſt. 1. Mala conſcientia accuſator peccatoris, & *importunus Teſtis* eſt, neſcit tacere, etiam contra nolentem latrat. Fratres Joſephi in Ægypto nondum fuerunt accuſati, & tamen ſtatim recordabantur ſceleratæ venditionis: Merito hæc patimur! O! ſi hæc in vita, quam clamoſa erit conſcientia in morte! 2. Mala conſcientia *ſeverus Judex* eſt peccatoris, non deſinit continuo plectere, & condemnare: tota die contriſtatus ingrediebar, ait Rex David, etiam inter aulæ delicias: quare? propter remorſum conſcientiæ: facinoroſa conſcientia, ait Plutarchus, eſt inſtar ulceris in corpore, triſtitiam in corde relinquit lancinantem. O quanto atrocius lancinabit in morte! Rex Saul moriturus vocavit militem, a quo interfici cupiebat præ anguſtia, quia videre ſibi videbatur ſacerdotes, quos interfecit. 3. Mala conſcientia *crudelis carnifex* eſt, qui ſine fine torquet: *Die ac nocte gravata eſt ſuper me*: S. Bernardus ait: *Nulla major pœna eſt mala conſcientia: ipſa eſt delictorum teſtis, ipſa tortor*. O quam intolerabilis erit hæc tortura in judicio, & ſine fine in inferno. O quisquis ſapit nunc emundare ſtudeat conſcientiam; quia ſummum bonum eſt in vita, in morte, & poſt mortem. Vide tit. Conſcientia bona, & mala. Item Corn. a Lap. 1. Petri 3. v. 21. &c.

Dominica V. poſt Epiphaniam.

*De ſomnolentia ſpirituali, ejuſque damnis.*

1. C*Um autem dormirent homines, venit inimicus ejus, &c. Matth.* 13. De Julio Belliduce ſcribitur, quod omne vinum in caſtris miſcuerit herba mandragora, & tum fugam ſimulaverit. Hoſtis caſtra occupans delectabatur vino, ſed militibus paſſim obdormiſcentibus Julius cum copiis armatis redux totum exercitum ſopore oppreſſum fudit & delevit. Grande infortunium! cum dormirent homines, venit inimicus! Sed non minus grandia animarum damna cauſat ſomnolentia ſpiritualis. Triplicis autem generis ſunt ſomnolenti hi, ſibi & aliis damnoſi! 1. Sunt qui dormire incipiunt, nictante capite & caligantibus oculis: Et hi ſunt tepidi & acedioſi, qui preces, & exercitia ſpiritualia languide ac perfunctorie, ſine devotionis ſenſu, tantum ex uſu, aut timore aut neceſſitate deproperant, qui decies potius de temporalibus, quam de cæleſtibus cogitant, venialia non curant; hinc modica tribulatione ſuborta puſillanimes fiunt: iſti paullo poſt obdormiſcent, id eſt, in peccata gravia prolabentur. 2. Sunt, qui altum ſopiti indormiſcunt, & hi ſunt peccatores inveterati, diu in impietatis nocte ſine ſenſu hærentes! & quod peſſimum eſt, nihil de morte, nihil de ſevero judicio, nihil de æternitate ſomniant, donec ab infernali inimico de temporalibus tenebris ad æternas abripiantur. 3. Sunt, qui interdum a ſopore evigilant, ſed quia lectum non deſerunt, iterum obdormiſcunt, & hi ſunt occaſionati, id eſt, qui in peſſima occaſione, aut conſuetudine hærent, interdum

terdum enim ad ſe redeunt, pœnitentiam agunt, ſed iterum, iterumque relabuntur. O quam luctuoſa damna inimicus ex hac triplici ſomnolentia adornare poteſt! Sed quid agendum? quomodo excitandi ſunt miſeri? Primi nomine compellati ſtatim evigilant, ad unicam vocem, concionem, punctionem crucis mens illis redit. Secundi, debent uri ſcintilla, aut titione inferni! Tertii opus habent lucido intervallo! felices, ſi moriantur, dum in hoc intervallo morantur! Ex P. Mandl.

*De faſciculis peccatorum igne æterno comburendis.*

2. *Colligite zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Matth. 13. Per Zizania intelliguntur peccatores, qui licet aliquando floruerint ut vitis, tandem emarceſcunt, abſcinduntur, & comburuntur, ita ut de illis verificetur illud S. Auguſtini: *unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis.* Sed quinam ſunt illi faſciculi comburendi? 1. ſunt blaſphemi, & qui juramenta contra cælum & terram ſpuunt. 2. ſunt impii, qui feſtivos Dei & Sanctorum dies profanant. 3. ſunt incurii Patresfamilias, qui domeſticos malis exemplis, dictis & factis ſcandalizant. 4. ſunt vindicativi, qui ad homicidia & duella provocant. 5. ſunt laſcivi ac ſcandaloſi. 6. ſunt injuſti, qui bona aliena poſſident, aut malis artibus corradunt. 7. ſunt detractores, qui famam aliorum arrodunt. &c. Vide Barziam conc. 50.

*De peſſimis effectibus ſomni, ſeu pigritiæ ſpiritualis.*

3. *Cum dormirent homines &c.* Matth. 13. Omnes Chriſtiani ſedulo, & ſæpius admonentur ad vigilantiam: *Videte, Vigilate, & orate*; nam ſomnolentia ſpiritualis valde eſt noxia. 1. ſicut dormientes non prudenter loquuntur, ita in tepidis intellectus obfuſcatus, turbatus, & tantum ad terrena ac carnalia pronus eſt. 2. ſicut dormientes ac pigri depauperantur: ita tepidus nunquam ſibi comparabit theſaurum virtutum ac meritorum. 3. ſicut dormientes patent inſidiis hoſtium, prout Samſoni, Siſaræ, Holoferni, & aliis accidit; ita dæmonibus grande robur accedit, ſi ſciant a te ſperni medica peccata, paulatim enim grandia perſuadebunt, & ita dormienti, cum minime putaverit, mortem inferet. *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladii.* Jud. 18. Vide Segneri Manna 11. Febr. num. 2.

*De zizaniis eradicandis, & fugiendis.*

4. *Colligite zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Matth. 13. Juſtiſſima ſententia! comburenda ſunt zizania; quia dum in fertili terra ſe magis, magiſque propagant, tam agro, quam tritico grande inferunt nocumentum! Id ipſum contingit in agro ſpirituali Eccleſiæ! dantur peſſimi homines, qui velut zizania & ſibi ipſis nihil proſunt, & aliis nocent. Cumque eradicari, aut in faſciculos colligari volunt, manus tangentium velut urticæ & vepres urunt, & pungunt. Væ illis, quia ad comburendum reſervati ſunt. Quinam ſunt iſti? Dabo aliquas ſpecies. 1. zizania ſunt illi ſuperiores, patresfamilias, aut etiam famuli, bilioſi, & impatientes, qui ad obviam quamvis iracundiæ occaſionem in juramenta & execrationes erumpunt, imo ipſi parentes, qui puerulum delinquentem ſine maledictionibus caſtigare non poſſunt: iſtud infernale idioma auditur a junioribus, & peſſime propagatur. Quid eſt quod jam trimuli, aut quadrimuli ejuſmodi fulmina ſæpe balbutiant? id fit ex peſſima hac maledicendi corruptela! Comburantur! &c. 2. zizania ſunt impuri, qui impudenter converſantur, in verba laſciva erumpunt, aut ipſo etiam impudico veſtitu Venerem ſpirant, ſicque hanc peſtem aliis etiam videntibus, vel audientibus afflant: iſti dein ſcandalizati pudorem magis & magis exuunt, & quæ in aliis viderunt, vel audierunt æmulantes, eandem peſtilentiam in alios, atque alios propagant. Comburantur! 3. zizania ſunt libertini aut hæretici, qui ſyncretiſmum profitentes ſanctiſſima fidei principia allatrant, aut in dubium vocant; unde audientibus æſtimationem ſanctæ Eccleſiæ adimunt, tepiditatem inſpirant, & tandem adeo frigidos reddunt, ut pro more perverſi hujus ſæculi ſibi ipſis ſiſtema fidei confingant, atque omnes cujuſcunque ſectæ indiſcriminatim ſalvari arbitrentur. Comburantur! &c. Iſti omnes zizania ſunt ad ignem deſtinata, quia tam bono tritico quam ipſi agro vehementer nocent. Tu mi Chriſtiane, hos fuge tanquam peſtem, ne inficiaris! &c.

Do-



Dominica VI. poſt Epiphaniam.

*Lex Evangelica ſinapi comparata quam ſalutares effectus operetur.*

1. *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis.* Matth. 13. Nil majus eſt regno cælorum, nil minus eſt grano ſinapis, quomodo ergo unum cum altero comparari meretur? Nempe cauſa eſt, quia in regno Chriſti nihil eſt uſitatius, quam quod exigua opera per ſanctas intentiones, per gratiam Dei, per merita Chriſti elevata & dignificata cæleſti beatitudini, tanquam merces æquivalens pretio conferantur. Proſequamur comparationem ſinapis cum Lege Evangelica, & quid doctrinæ exinde ad noſtram utilitatem eruendum ſit, audiamus! 1. Sicut ſinapis habet in ſe igneam vim, & acrimoniam, quam tum maxime exerit, cum dentibus conteritur, & maſticatur: ita Lex Evangelica cæleſtem virtutem, veritateſque ſupernaturales in ſe complectitur, quas tum maxime ad ſanctificandas animas prodit, cum non ſuperficialiter, ſed attenta ruminatione perpenditur. 2. Sicut ſinapis ſic maſticata remedium eſt contra plurimas, graveſque infirmitates; ita Lex Evangelica, in genere præſervat contra peccata, & in ſpecie ſanat morbos ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, gulæ, acediæ, alioſque. 3. Sicut ſinapis cibos condit; ita Lex Evangelica ſapidum reddit, quod inſipidum videtur. Quid horridum magis humanæ ſenſualitati, quam contemptus, adverſitates, perſecutiones, dolores & ipſa mors? Et tamen Lex Evangelica hæc omnia exemplo Chriſti ita dulcorat, ut Chriſtiani ea non reformident, imo tanquam cupedias appetant, prout admiramur in Sanctis Martyribus. 4. Sicut ſinapis, licet ſemen ſit exiguum, tamen ſucceſſive in proceram arborem excreſcit; ita Lex Evangelica, licet initio tenuis fuerit in manibus Apoſtolorum, tamen poſtea per omnes totius orbis partes diffuſa eſt, ita ut nulla ſit gens, niſi oculos malitioſe claudat, cui Chriſtianæ Veritatis ſol non illuceſcat. Quid ex his omnibus doctrinæ nobis hauriendum eſt? Rogemus Deum O. M. ut ſanctam Legem ſuam conſervet, & per totum orbem propaget, ſicque verbo, & exemplo contendamus, ut hæretici & infideles converſionibus ſuis Eccleſiam ſemper magis magiſque augeant. Vide Tit. Eccleſia. Item Corn. a Lap. in Matth. 13. fol. 282. & ſeq.

*Peccatum veniale diſponit in mortale.*

2. *Cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor.* Matth. 13. Quod in ſe exiguum eſt, non ideo contemnendum eſt, quia ſucceſſu temporis per continua incrementa magnum, imo maximum fieri poteſt. Probationem habemus in ſinapi, quod minimum omnium ſeminum cum tempore adeo creſcit, ut in proceram arborem exurgat. Scitis, cujus rei ſymbolum ſit ſinapis! Peccati Venialis, quod licet exiguum videatur, denique in damnabilem arborem creſcit, e qua Divino Redemptori nova crux fabricatur; *peccatum veniale*, ait Angelicus Doctor, *poteſt diſponere, per quamdam conſequentiam, in mortale.* Quomodo? Id explicat Devotiſſimus Leſſius: 1. quia per peccatum veniale auxilia Divina imminuuntur; Terrenus Princeps non tantum rebelliones morte plectit, ſed etiam leves amici irreverentias adeo male fert, ut cum donis & gratiis ſuis parcior evadat. Ita Deus propter leves offenſas paternæ Providentiæ auxilia ſubtrahit, quibus ſubtractis homo imbecillior fit, ita, ut a tentationibus facilius ſuperetur. &c. 2. quia propter venialia tentationes Mundi, carnis ac dæmonis increſcere ſinuntur, nec jam Deus, aut Angelus Cuſtos, aut Sancti Cælites tantam ſalutis illius curam habent, quantam antea habuerunt. 3. quia ex parte peccantis etiam leviter, conſuetudo v. g. mentiendi creſcit, conſcientia enim etiam per levia callum induere incipit, ut tandem etiam gravia minus ſentiat. Vide Barz. ſerm. 43. n. 35. & ſeq. Item Tit. Peccatum Veniale &c.

*A minimis delictis venitur ad maxima, ipſumque interitum.*

3. *Cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus &c.* Matth. 13. Corruptio rerum naturalium non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive contingit, prout experientiam habemus in tritico, quod verminat, in flore qui langueſcit, in pomo quod ex macula putreſcit, in vulnere levi, quod cum a pure non purgatur, in gangrænam degenerat. Sic fit etiam in ordine ſpirituali. Homo alias bonus, cum levia non curat, 1. Paulatim a bono recedit. 2. Paulatim ad malum accedit. Non uno ſaltu, ſed gradatim deſcenditur ad interitum. Viſum ſequi-

tur

tur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio. Vide Tit. Peccator, Conſuetudo &c. Notum, & vulgare eſt illud: Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Auſim dicere, non fuiſſe unquam commiſſum peccatum mortale, quod non a levi origine ſumpſit initium, &c.

*Verbum Dei comparatum ſinapi quam utile.*

4. *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis*. Quæ convenientia eſt inter granum ſinapis, quod ex omnibus ſeminibus minimum eſt, & inter regnum cælorum, quod regnorum omnium maximum eſt? ut ſtatim ad nucleum parabolæ penetremus! per granum ſinapis intelligi poteſt Verbum Dei, quod ubi in corde Chriſtiani radices egerit, ſenſim ac ſucceſſive ad ubertimos virtutum fructus, & ad ipſam denique æternæ ſalutis mercedem excreſcit. Advertite analogiam! 1. Sinapis caput expurgat, & ſuperfluos ſalivæ humores ad excreationem promovet. 2. Caliginem, ſeu nebulas oculorum detergit. 3. Vim igneam habet, qua frigeſcentia corporis membra calefacit. 4. Stomacho ad concoctionem utiliſſimum eſt. 5. Lethargum diſſipat, & ad actiones hominem excitatum & alacrem reddit. &c. Hæc omnia ſuo modo facit Verbum Dei! Mundanæ vanitatis dictamina in intellectu corrigit: cæcitatem mentis ad agnoſcendas æternas veritates illuminat: cor amore cæleſtium inflammat: nauſeam rerum ſacrarum emendat: ſomnolentiam & languorem in negotio ſalutis diſpellit. En! quantum ſinapis Verbi Divini ad regnum cælorum conducat! Beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud! &c.

Dominica Septuageſimæ.

*De pænitentia non differenda.*

1. C*Um veniſſent, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios*. Matth. 20. Sicut peccatores, præſertim inveterati, Scripturam mala interpretatione ad ſuam vafritiem corrumpunt; ita nullum eſt fere Evangelium toto anno, quod illos in ſua malitia magis audaculos faciat, quam hodiernum. Quid enim! ajunt, ſi ille qui undecima primum hora in vineam venit, parem cum ceteris, a ſummo mane laborantibus, mercedem accepit, quidni nobis liceat pœnitentiam uſque ad undecimam, id eſt, ad ſenectutem differre? Periculoſa hæc eſt deceptio infernalis inimici. Scitis quare? Dabo rationes! Sanctus Auguſtinus ait: *Hora undecima venienti denarium promiſit, ſed horam undecimam non promiſit*. Dabo, mi peccator, quod propter ſeram pœnitentiam hora undecima denarium accepturus ſis, ſed quis vitam uſque ad undecimam ſuperſtitem tibi certo appromiſit? Vide Barz. ſerm. 6. n. 8. Scias, in voluntariis operibus gratiæ male fieri conſequentiam: quod Miſericordia Divina uni indulſit, non æque alteri indulgere tenetur. Vide Barz. ſerm. 13. n. 14. Multi hac opinione decepti perierunt, uti Pharao. Ibidem n. 15. Et Ammon Ibid. n. 17. & ſeq. Quid igitur agendum? imitandi ſunt potius, qui viam ſecuriorem eligentes, vita adhuc vegeta pœnitentiam egerunt, quam temerarii, qui cum periculo ſuæ damnationis illam diſtulerunt. *Qui timent Dominum, invenient judicium juſtum*. Ibid. n. 10. Vide etiam Tit. Pœnitentia.

*Homo ad laborem natus, factusque eſt.*

2. *Exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam*. Matth. 20. Hæc mens & intentio plurimorum hominum eſt, quod vellent vitam vivere commodam, otioſam, ab omni labore alienam, inter convivia, compotationes, diſcurſus joviales, riſus, tripudia, & voluptates. Sed o quantum aberrant a fine ſuæ creationis: labor homini proprius eſt, ſicut volatus avi! ſine labore non homo, ſed monſtrum hominis eſt. Videamus, quot titulis labor conveniat Homini! 1. Homo laborare tenetur; quia *Homo eſt*, & quidem *a primo mane*, id eſt a prima adoleſcentia, operarius id eſt labori deditus eſſe debet *in Vinea*, id eſt in Eccleſia Dei, ad Dei honorem, & proximi ſalutem. Divinus Creator Adamo & Evæ perizomata fecit, ut ſignificaret illos ad laborem, quaſi ad metallum, natos factoſque eſſe. Certe mundus, in quo degimus, quaſi officina eſt, in qua pro nutriendo corpore, pro ſalvanda anima, pro colligendis meritis ſine fine ſudandum eſt. 2. Homo laborare tenetur, quia *Peccator eſt*. Militia eſt hæc vita præſens, in qua contra tentationes mundi, carnis, & dæmonis continuo pugnandum: quod ſi vel unica



ca vice victus ſuccumbat, perdit omnia merita hactenus collecta, heu! quanti moliminis eſt, hanc ruinam denuo reparare: verum noli ceſſare, ora, & labora, Deus ad hanc reparationem offert ſuam gratiam, cui, ſi ſalvari cupis, debes pœnitendo, gemendo, cooperari, & ſic emendari. 3. Homo Chriſtianus tenetur laborare, quia *Chriſtianus eſt*. Quid tibi quæſo Lex Chriſtiana ante oculos ponit? id maxime, quod non propter mundum, ſed propter cælum creatus ſis! in hac vita ſerviendum eſt Deo, ut vitam æternam conſequaris; operæ pretium eſt, pro hac vita beata, diu noctuque laborare, & ſudare, prout omnium Sanctorum, & Chriſti ipſius exempla nobis demonſtrant. Quod ſi arduam putas hanc legem, eja oculos a cælo ad infernum converte! vides quomodo ibi inter ignium tormenta ardeant & ejulent deſides & otioſi, qui in hac vita pro ſalute animæ ſuæ laborare noluerunt. Vide Tit. Homo: Labor hominis, Damnati. &c.

*De tempore male perdito contra finem ultimum.*

3. *Quid ſtatis hic tota die otioſi?* Matth. 20. Nihil frequentius dici & audiri ſolet, quam illud, *tempus eſſe pretioſiſſimum*. Quæ cauſa tam excellentis prædicati? nempe quia tempus, etiam modicum, pretium eſſe poteſt totius æternitatis! peccator maximus, ſi uno vel altero momento ſerio compungitur, & peccata ſua ex animo amore Dei deflet, quis non admiretur? lucratur mercedem æternam! hinc omne tempus vitæ noſtræ Deo, & animæ ſaluti impendendum eſt, tempus quod alio fine vivitur, perditum & inane eſt: Rex Saul, utut compluribus annis ſolium tenuerit, tantum duobus annis regnaſſe dicitur; quia duobus tantum bene regnavit. Deploremus jacturam irreparabilem temporis apud multos, de quibus Seneca ait, quod vivant vel male agendo, vel nihil agendo, vel aliud agendo! 1. Multi hominum ſunt, qui vitæ tempus perdunt *Male agendo*, nempe illi, qui a juventute vitioſis habitibus depravati, inter nugas & delicias ſæculi, dæmoni potius quam Deo ſerviunt, ſibique ſimul perſuadent, cum ad ſenium, ipſaque mortis confinia venturi ſint, ſat temporis ſibi ſuperfuturum ad operandam animæ ſalutem, ſicque vinum bonum offerunt Mundo & fœcem Deo. Deceptio hæc eſt infernalis inimici; qui ſuadet homini: *Da mihi id, quod fluit temporis, futurum Deo*, & ſic utrumque perdunt. Vide Tit. tempus vitæ humanæ, &c. 2. Alii ſunt, qui vitæ tempus perdunt *Nihil agendo*! Et quinam illi? qui rebus terrenis immerſi ſolum tranſitoria, uti voluptates, honores, divitias totis viribus quærunt. Eſto etiam quod abunde inveniant, quod quærunt, quid tandem illis ſupererit? purum Nihil! mors omnia hæc rapit, ac ſi nunquam fuiſſent. Quid autem meritorum afferent ad Divinum tribunal? Etiam nihil; quia temporalia cæleſtibus præhabuerunt. 3. Denique ſunt, qui vitæ tempus perdunt *Aliud agendo*, & ſunt illi, qui nihil minus curæ habent, quam ut muneri ſtatus ſui ſatisfaciant, in nugas & res prorſus alias effuſi. Abſurdæ nonnunquam fuerunt occupationes Principum: aliqui enim, uti Domitianus Imp. muſcas capiebant, alii lucernas, alii crepidas reficiebant, alii in ſtabulo equos pectinabant. Sic frequenter fit inter Chriſtianos! unus, qui juſtitiam deberet adminiſtrare, mercaturam exercet, alius qui pauperum cauſas deberet defendere, gulæ & luſui vacat! alius qui vitia deberet extirpare, domi otio, & ſomno torpet! &c. Quid tandem fit. O quanto cum luctu hi miſeri poſt mortem unicam horam utilem rogabunt, & non impetrabunt, &c. Vide Tit. Otium, Divitiæ &c.

Dominica Sexageſimæ.

*Quomodo utiliter audiendum Verbum Dei.*

1. F*Ructum affert centuplum*. Luc. 8. Illi Chriſtiani, ut ait B. Albertus Magnus, utiliter & ſancte audiunt Verbum Dei, *qui audientes interiori auditu retinent illud affectu, memoria, & operis impletione*. (Vide ærarium Manſi hac Dom.) Videamus, quid hac trimembri inſtructione dicere velit. 1. Audiendum eſt Verbum Dei *affectu*, id eſt, magni æſtimandum eſt, tanquam magiſterium Divini Legiſlatoris. Errant hac ex parte, qui ſub concione garriunt, dormiunt, mentem quaquaverſum evagari permittunt. Pejus adhuc errant, qui illud non curant, vilipendunt, aut omnino explodunt, dicentes: Sinite hos popas loqui, via cæli non eſt adeo periculoſa, infernus non adeo calidus, ut ajunt, &c. 2. Audiendum eſt *Memoria*, ita recoquatur, malliceтur, in ſuum emolumentum con-

convertatur, & aliis etiam, qui non interſuerunt, enarretur. Errant hac ex parte, qui ſtatim ad nugas revertuntur, & dicta aut ſententias ſibi utiles ac neceſſarias e mente elabi patiuntur, tam tepidi, & laxi, quam antea. 3. Audiendum eſt *Operis impletione*, ad emendationem morum, ad virtutis exercitium, & extirpationem vitiorum. Errant hac ex parte, qui audita non in ſuam utilitatem convertunt, ſed ut in alios dicta interpretantur, dicentes, hodie concionator egregie perſtrinxit ſuperbos, avaros, guloſos, alioſque: quid quæſo aliena vitia ad te, tu tua corrige. &c. Vide Segneri Quadrages. Dom. 1. &c. Vis compendioſiorem inſtructionem audiendi Verbi Dei? Diſce Verbum Dei magni æſtimare, avide audire, tibi applicare & opere exercere. Aut ſi mavis, cura, ut Verbum Dei audias Corde, Ore, & Opere: *Corde* per attentam auſcultationem. *Ore* per enarrationem & repetitionem. *Manu* per executionem ſeu emendationem. &c.

*Cur Verbum Dei fructum non ferat?*

2. *Aliud cecidit ſupra petram, aliud inter ſpinas &c.* Luc. 8. Verbum Dei, cum gratia Divina conjunctum tantam habet efficaciam, ut Apoſtolus Petrus una concione tria, alia quinque hominum millia ad ſalvificam fidem perduxerit. Legitur etiam in faſtis Eccleſiæ, innumerabiles Sanctos, a vita vitioſa, ad virtutem, ſanctitatemque opera Verbi Divini fuiſſe converſos. Cur nunc non amplius fiunt tam mirabiles converſiones: an defectus eſt penes Deum? Non ita! ille enim dat gratiam abundantem, & efficacem! An penes Concionatores? Poteſt eſſe, ſi ſolum ad oſtentationem, aut delectationem perorent! An penes Auditores? Omnino ita eſt! Aliqui enim ſunt ut Petra, nempe obſtinati, indurati, qui non admittunt ſemen. Alii ſunt ut ſpinæ, nempe demerſi in divitias, & ſæculi ſollicitudines. Alii ſunt velut via, qua ſemen Verbi pedibus conteritur, & a diabolo & malis ſociis abripitur. Vide Lib. IX. tit. Verbum Dei. Item Speranzam Punct. 16. & 21.

*Qua diſpoſitione audiendum ſit Verbum Dei.*

3. *Semen eſt Verbum Dei.* Luc. 8. Homo Chriſtianus accedens concionem, non eo contentus ſit, ut ſimpliciter audiat, ſed curet, ut utiliter audiat, & fructum referat. Quomodo id fieri poterit? Fiet ſi tres ſecum comites in Eccleſiam ducat; 1. *Reverentiam*, ut Sacerdotem, tanquam Deum ſibi loquentem percipiat, atque modeſte, digneque in conſpectu Angelorum ſe habeat. 2. *Attentionem*, ut mens coerceatur, ne ad alia objecta diffluat & evagetur. Dicat in introitu Eccleſiæ, quod S. Bernardus ad orationem acceſſurus, ad ſua negotia dicere ſolebat: Exſpectate hic cum aſino &c. 3. *Devotionem*, quæ voluntatem inflammet, ne languide & remiſſe, ſed ingenti cum fervore, & ſolerti ſtudio cum Deo de ſtatu animæ ſuæ loquatur. Vide Tit. Verbum Dei. Item Cardinal. Bona de Sacrificio Miſſæ fol. 528.

*De ſeminando bonorum operum ſemine.*

4. *Fructum facit centuplum.* Luc. 8. Præſens hæc vita non eſt, niſi mera ſeminatio, aut negotiatio, qua Homo Chriſtianus ingentem meritorum theſaurum pro vita futura ſibi comparare debet; cum enim ad judicium olim pervenerit, non interrogabitur, an Nobilis ſit? an dives fuerit auro, & argento? an dies joviales in hoc mundo vixerit? Nihil ſimile! ſed quæſtio erit, an & quantas meritorum divitias pro emendo cælo ſecum afferat; ſicut enim Romani Belliduces, cum triumphos agebant, ſpolia, trophæa, & urbium devictarum inſignia ſecum trahere ſolebant; ita, qui in cæleſte capitolium triumphaliter admitti cupit, ſimiliter operum, quæ operatus eſt, theſaurum, & trophæa contra Mundum, carnem, dæmonem reportata ſecum ferre, & exhibere debet; ait enim Chriſtus: qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam! Audiamus, quomodo Chriſtianus ſeminare, & negotiari debeat! 1. Certus ſit, opera bona ad ſalutem adeo eſſe neceſſaria, ut ne fides quidem ſine operibus proſit, dicente Jacobo Apoſtolo: *Quid proderit, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* certe fides ſine caritate, & operibus eſt corpus ſine anima, id eſt, mortua (Vide Corn. a Lap. in Ep. Jac. c. 2. v. 14.) 2. Sciat Chriſtianus, hoc exercitium bonorum operum non eſſe difficile; ſicut enim circini pes unus fixus manet in centro, alter vero circumcurrit; ita cor per caritatem affixum Deo negotia externa conficere poteſt, quin a Deo avellatur, conſequenter ſive comedat, ſive bibat, ſive dormiat, aut ſtudeat, ſemper

laudat



laudat Deum, ſi amore Dei id faciat. 3. ſtudeat Chriſtianus, ut opera etiam parva non negligat; quia ſæpe Deo magis placent quam magna, cum fere in modum, quo Propheta Samuel in Regem Iſraelis non maximum natu Eliab, non Aminadab, ſed minimum fratrem David elegit. &c. Hanc ſpiritualiter diteſcendi induſtriam Chriſtianus ſummopere ſibi commendatam habeat; quia poſt mortem ne unum quidem opus meritorium operari poterit. O quantum tunc lugebit, ſi nunc hanc diteſcendi artem neglexerit. Vide Barz. ſerm. 6. n. 11. Item Tit. Bona opera! &c.

## Dominica Quinquageſimæ.

*De gravitate peccati.*

1. C*Æcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans*. Luc. 18. Si præſenti Bacchanaliorum tempore, ubi delirare ſapere eſt, interrogarer, quis maximus omnium ſtultus eſſet, ſine hæſitatione reſponderem, Peccator, qui Deum ſibi inimicum facit. O quanta ſtultitia, quanta infelicitas! Infelix utcumque eſt, qui ſibi ſimilem v. g. civem inimicum habet: Infelicior longe, qui Principem irritat: Infeliciſſimus autem, qui Deum, cæli terræque Dominum, e cujus nutu totus orbis, & omnia elementa dependent. Audiamus, ſi capere poſſumus, quam immenſum odium Deus habeat adverſus peccatum! 1. Menſura odii divini adverſus peccatum eſt ipſa menſura immenſæ caritatis, qua Deus ſeipſum, tanquam fontem omnis perfectionis, ab æterno amat; ſicut enim hic amor in ſe infinitus eſt, ita & odium infinitum eſt adverſus peccatum; hinc illud ab origine mundi cataclyſmo, peſtibus, bellis, aliiſque terribilibus malis perſecutus eſt, quibus tamen omnibus adeo non ſatiatur odium Divinum, ut inſuper æternum damnationis malum peccatori decreverit: quin, quod etiam æterno inferni ſupplicio, vindicta Dei nunquam placatur, nunquam minuitur, multo minus extinguitur. 2. Omnia ſancta Virtutum opera, quæ a cunabulis mundi uſque hanc horam Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, omneſque Sancti operati ſunt, non præponderant uni peccato, multo minus pro illo ſatisfaciunt, neque poteſt Deus immenſum hoc meritorum pretium in tantum amare, in quantum odit unicum peccatum; hinc ſi Deus capax eſſet triſtitiæ, magis triſtaretur de unico peccato, quam lætitiam capere poſſet de meritis omnium Sanctorum. Ideo etiam nunquam velle poteſt, ut homo peccatum amet, etiamſi hoc peccato v. g. minimo mendacio, totum mundum convertere poſſet. 3. Eouſque excrevit Divini Patris odium adverſus peccatum, ut illud, voluntarie aſſumptum, etiam in Divino Filio ſuo, quem infinito amore non minus quam ſeipſum amat, terribilibus pœnis, ipſaque crucis morte vindicarit. Quæſo, ſi Principem noſſes, qui adamantinum vaſculum iratus in fruſta comminueret, ideo ſolum, quia aliquando veneno fuit imbutum, nonne diceres, implacabile eſſe odium hujus Principis contra venenum? quantum igitur debet eſſe odium Dei adverſus peccatum, qui Divinum Filium ſuum, Vas omnium gratiarum & ſanctitatis, pure propter ſimilitudinem peccati tam miſerandum in modum excarnificari permiſit? &c. Quanta igitur, quam enormis ſtultitia eſt peccare, & hujus infiniti odii ſe dignum reddere! quid malorum non conſequi poteſt, una cum æterno interitu ad tantum odium? Chriſtus Dominus eo ipſo tempore, quo Hieroſolymitani adornabant triumphi lætitiam, in die Palmarum flevit ſupra civitatem (Vide ærarium Manſi Dom. 9. Pent.) quis ſcit, an non jam modo Chriſtus fleat ſuper unum aut alterum peccatorem, qui jam in Bacchanaliis exultat? &c.

*De damnis cæcitatis ſpiritualis.*

2. *Cæcus quidam ſedebat ſecus viam.* Luc. 18. Cauſa peccatorum omnium, quæ fiunt in mundo, revera eſt cæcitas ſpiritualis peccantium, qui in memoria, intellectu, & voluntate tenebris obfuſcati, non vident, quæ videre deberent, & vident, quæ videre non deberent. De his enuntiat Theodoretus: *Carent alimento lucis, qui ſedent in tenebris peccatorum.* Vide Mich. a Calvo conc. 29. §. 1. Nam 1. *Vident, quæ non ſunt*, v. g. vident in bonis temporalibus felicitatem, quæ non eſt: Vident in peccato innocentiam, quæ non eſt: Vident in Deo Miſericordiam illimitatam, quæ non eſt. Terribilis omnino cæcitas, quam miſer homo peccatis ſibi contraxit, eamque, quamvis pernicioſa ſit, ut ſibi gratam amat. 2. *Non vident, quæ ſunt*, vere cæci, qui tenebris ignorantiæ circumfuſi, utut terrena, & tranſitoria ament, cæleſtia tamen & æterna non vident,

De

De his verificatur illud : Stella cecidit de cælo in puteum , & aſcendit fumus , ita , ut obſcuraretur ſol : ſtella Satan eſt per peccatum , puteus cor hominis, ſol obſcuratus privatio luminis gratiæ , & miſericordiæ . ( Vide Mich. a Calvo conc. 29. §. 1. n. 5. ) hujus cœcitatis cauſa eſt fumus ſuperbiæ , & pulvis terreſtrium bonorum , juxta illud Apocalypſis : occiſa eſt tertia pars hominum de igne & fumo. Item Baruch : oculi eorum pleni ſunt pulvere, & ſic in tenebris, quaſi in luce ambulant , ut ait Job. Impiiſſimus Herodes voluit in Chriſto videre thaumaturgum Meſſiam , & impietate depravatus decrevit in illo videre ſtultum alba veſte deluſum. Ibidem.

*Quam grande malum ſit , pervertere animam.*

3. *Et qui præibant , increpabant eum , ut taceret , ille autem multo magis clamabat .* Luc. 18. Homo Chriſtianus non ſibi ſoli , ſed & aliis vivit ; ad ſervitutem Dei , & æternam ſalutem , verbo , & exemplo etiam alios promovere viribus omnibus debet. *Mandavit unicuique de proximo ſuo !* diliges proximum tuum ſicut te ipſum, quam male igitur agunt , & ab æterna damnatione haud procul abſunt , qui proximum a bono avertunt , & ad malum inſtigant ? Perſpiciamus utriuſque periculum. 1. Damnabile eſt , proximum a bono avertere: Id fecit hodiernus populus , qui cæcum pro lumine oculorum ſuorum clamante , & orante , tacere juſſerunt ! Id faciunt hodiedum multi , qui riſibus , cachinnis & ſibilis aliorum devotionem explodunt , templorum frequentiam , ipſumque Verbum Dei tanquam aniles devotiunculas contemnunt . Verum o quam bene egit cæcus , quod populi increpationes non curaverit ! ſanitatem oculorum obtinuit , quam , ſi tacuiſſet , non fuiſſet obtenturus. Tu mi Chriſtiane fac ſimiliter , Dei potius quam populi vocem ſequere : &c. 2. Adhuc damnabilius eſt , proximum ad malum provocare. Idque frequentiſſime fit hoc tempore Bacchanaliorum ! invitantur animæ , etiam innocentes , ut loco templi , ſecum abeant ad choreas , ad compotationes , ad nugas impudentes, & quoties proh dolor fit, quod hæ ex reſpectu humano diabolum , non Chriſtum ſequantur ? O infelix anima , deſpice reſpectum humanum ! reſpectus humanus dedit alapam Chriſto, crucifixit Chriſtum , & in cauſa fuit, quod multi ex Principibus , qui crediderunt in eum, propter Phariſæos non auſi ſint confiteri Chriſtum . Et tu tam crudelem conſiliarium conſilio adhibebis ? Vide Tit. Reſpectus humanus. Item Paciuchell. in Jonam Lect. 4. n. 26. Item P. Segneri Manna 31. Julii. Et Quadrageſ. Serm. 8.

## Dominica I. Quadrageſimæ.

*De tentationibus vincendis.*

1. D*uctus eſt JESUS in deſertum a Spiritu , ut tentaretur a diabolo .* *Matth.* 4. Certum eſt , quod militia ſit vita hominis ſuper terram , in qua ad ultimum fere halitum contra mundi , carnis , & dæmonis tentationes pro Deo pugnare debet . Cum igitur nihil frequentius ſit , quam quod peccatores vitiorum ſuorum culpam in tentationes rejiciant , inculcabo miſeris ex S. Anſelmo tres veritates , quid ſentiendum ſit de tentationibus , & quid agendum ? Prima veritas eſt , *Tentationes non ſentire Angelicum eſt* . Soli Angeli immunes ſunt a tentationibus ; quia nullis paſſionibus agitantur , in gratia confirmati , & a Deo hominibus in tentatione auxiliatores conſtituti ſunt . Cum igitur , mi homo Chriſtiane , in moribus & vita Angelus non ſis , fruſtra deſideras a tentationibus eſſe immunis . Apoſtolus Paulus vitam angelicam vixit , & tamen ſenſit aliam legem in corpore , repugnantem legi mentis ſuæ . Secunda veritas : *Tentationes ſentire & vincere Chriſtianum eſt* , imo obligatio eſt , ut per ſedulam pugnam mereatur coronam , ut anima ejus per tunſionem elaboretur , in lapidem cæleſtis Solymæ , ut fidem in Baptiſmo juratam Chriſto integram ſervet . Remedia habet efficaciſſima , fugam occaſionum , mortificationem paſſionum , orationis frequentiam , laborem , & alia &c. Tertia Veritas , *Tentationibus conſentire , diabolicum eſt* . Diabolus Dei adverſarius eſt ; omnia ejus molimina in id collimant , ut Eccleſiam deſtruat , quam Chriſtus ſanguine ſuo ædificavit . Dic Chriſtiane , an in opere tam nefario diabolo operam conferes ? abſit hoc a te ! ſi omnia regna mundi tibi offerret , noli conſentire peccato ; quid enim prodeſt homini , ſi mundum univerſum lucretur , animæ vero ſuæ detrimentum patiatur ? Vide Tit. Tentationes , Concupiſcentia , Diabolus ! &c.





*Cur bellum ſpirituale contra tentationes infeliciter geratur ?*

2. *Et accedens tentator dixit ei: Matth.* 4. Importunus tentator , qui Chriſto non pepercit , nemini parcit ; quotidie accedit , quotidie pugnas inſtaurat . Quomodo ergo pugnandum eſt , ut vincamus ? Reſpondeo , ita pugnandum eſt , ut ſcite & prudenter arma tractare ſciamus , juxta effatum Sapientis: *Melior eſt ſapientia , quam arma bellica* . Hac ſapientia multi carent , & ideo vincuntur ; quia multos in bellando errores admittunt . Agite , ut diſcamus pugnare contra tentationes quotidianas , conſideremus hos errores haud paucos . 1. eſt , quando arma ſunt nimis onerosa , id eſt , ſi auſteritas ſit indiſcreta ; ita enim certandi ſtrenuitas perditur . 2. Quando arma non ante , quam primum in pugna quæruntur . 3. Quando pugnans ex illa parte , ubi acrior eſt conflictus , ſe protegere negligit , & ubi periculum minus eſt , ſe munit . 4. Quando differtur hoſtem percutere dum parvulus eſt , & ſic creſcere permittitur . 5. Cum arma in ipſa pugna abjiciuntur ex diffidentia , aut puſillanimitate . 6. Cum pugnans contra adjutores pugnat , & eorum adjutorio , aut conſilio reſiſtit . 7. Cum cominus pugnatur cum hoſte , qui eminus vinci deberet . 8. Cum pugnans non vult contraria contrariis oppugnare . 9. Cum clypeo perforato utitur . 10. Cum operoſe hoſtem aggreditur , quem certius , ſecuriuſque ſine ictu ſuperare poſſet . 11. Cum de aliena morte fiduciam vitæ ſumit . 12. Denique dum ſeipſum ultro vulnerat , & occidit . &c. &c. Vide Speranzam Script. Select. Punct. 37. &c.

*De fallaciis diaboli tentantis .*

3. *Ductus eſt JESUS in deſertum a Spiritu . Matth.* 4. Grandis infelicitas , quod JESUS hodie a civitatibus recedat in deſertum ! Et hanc infelicitatem per omnes ſuas artes & machinationes intendit diabolus , videlicet , ut animabus Chriſtum , ejuſque gratiam eripiat . Hunc in finem ſuadet bonum ex malo fine , ſuadet malum ſub ſpecie boni . Diſſuadet bonum tanquam nocivum , diſſuadet malum minus , ut ducat ad pejus . Perpendamus fallacias , & deceptiones tentatoris , ut diſcamus aures animumque obturare ejus ſuggeſtionibus . *Prima deceptio diaboli* eſt : Oſtendit ſolum quod delectat , & ſtudioſe occultat , quod affligit & cruciat . Sic Chriſto Domino in monte cum plauſu exhibuit omnia regna mundi , & gloriam eorum : verum de calamitatibus , morbis , fame , bellis , & mutuis perſecutionibus populorum , quibus hæc regna turbantur , ne mentionem quidem fecit . Sic & decepit quondam Iſraelitas , quos ut rebellione contra Moyſen inflammaret , & in Ægyptum retraheret , ollarum tantum , non laboris , & mancipatus commonuit . Vide Barz. Serm. 4. n. 3. & ſeq. Item Tit. Dæmon , Tentatio &c. *Altera deceptio Diaboli* eſt , quod peccatores ad grandia crimina audaces faciat , ſub ſpe Miſericordiæ Divinæ , quæ illis extraordinario auxilio eſſet ſubventura . Sic Chriſto Domino in ſummitate montis ſuaſit : Mitte te deorſum ! utque perſuaderet , commonuit , Deum & Angelos ſuo auxilio non illi defuturos . O quoties impoſtor repetit illud : Mitte te deorſum ; de quo S. Ambroſius ait : Vere diabolica vox eſt ; quia , ut ſubjungit Bernardus : Deus ſuum , & Angelorum auxilium , non in præcipitiis , ſed in viis promiſit . Vide Barz. ſerm. 12. num. 4. *Tertia deceptio tentatoris eſt* , quod liberaliter promittat felicitatem , quam præſtare neutiquam poteſt . Sic Chriſto Domino promiſſionem fecit : Hæc omnia tibi dabo , ſed falſiſſimo ! quis enim poteſtatem dedit diabolo omnium regnorum ? ſed eſto etiam illum Dominum eſſe totius mundi , tamen deceptor , & ſycophanta eſt ; Nonne enim hactenus per quater mille annos peccatores magnis promiſſionibus tentavit ? An præſtitit , quod promiſit ? ſi præſtitit , jam non poteſt promittere omnia ! ſi nihil præſtitit , quis jam nunc , poſt tot inania promiſſa , fidem illi adhibere poterit ? nempe , ut ait S. Chryſologus : *Hæc dicit , non quod poſſit dare , ſed fallere* . Vide Barz. Serm. 14. nu. 14. Sed ponamus ultro , quod poſſit dare , quod promittit , quanti tandem valent mundanæ opes ? Deus in Levitico præcepit , ut bona , & prædia tanto minore pretio venderentur , quanto propinquior eſt annus jubili ; quia ibi omnia bona revertebantur ad primos poſſeſſores . Conſidera ergo , mi Chriſtiane , quando annus jubili , id eſt , mors tua ventura ſit ? Ah ! forſan haud procul abeſt . Cur ergo tam caro emis bona terrena , quæ brevi poſt relinques ? cur fidem das diabolo , & Deo ſummo Bono tergum vertis ? Vide Barz. Serm. 17. num. 25. Item Serm. 49. §. 3. & ſeq.

## Dominica II. Quadrageſimæ.

*Quomodo, & quibus ex motivis adverſitates patienter ſufferendæ ſint?*

1. *ASſumpſit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & duxit illos in montem excelſum. Matth.* 17. Myſterioſa quæſtio conſurgere poteſt ex hodierno Evangelio, quare Dei Filius in monte Thabor, glorificandus, ex omni Apoſtolorum numero, hos tres præ ceteris elegerit, Petrum, Jacobum, & Joannem? An forſan, ut eos ad excellentiorem virtutem præ ceteris extolleret, & confortaret, quia Petrus electus eſt, ut eſſet primus in Regimine, Jacobus primus in Martyrio, & Joannes primus in Dilectione? Eſt hæc conveniens ratio. Verum audite, quid ſentiam. Decreverat Mundi Redemptor, quod hos tres Apoſtolos ſecum in montem Oliveti ducere velit Petrum, Jacobum, & Joannem, ubi amariſſimæ Paſſioni ſuæ initium erat daturus: ut ergo illos ad triſtiſſimum ſpectaculum, periculumque roboraret, illos prius ad intuendam ſuam gloriam in montem Thabor aſſumpſit; nihil enim magis confortat ad perferenda adverſa, quam recordatio, & intuitus cæleſtis gloriæ. (Vide Manſi v. Beatitudo Diſcurſ. 21. n. 9.) Mi Chriſtiane, quid tibi frequentius, quam conqueri contra adverſitates, quas pateris? Age, dabo rationes, quibus onus, ut putas, intolerabile alleviare tibi poſſis. Prima ratio excitandi animum ad ferendas generoſe adverſitates, eſt recordatio culpæ, ſeu peccatorum, quibus meritus es pœnam, id eſt, afflictionem a Deo immiſſam. O quam enormia, quam numeroſa ſunt delicta, quibus Deum offendiſti? cum ergo unum peccatum ſit infinitæ malitiæ, & infinitam mereatur pœnam, an conqueri vis, quod Deus a te exigat ſatisfactionem in hac vita, ne æternam exigere cogatur in altera? &c. Secunda ratio alacriter ferendi adverſitates eſt ſpes & confidentia auxilii Divini: non ſolus geris onus, ſed gratia Dei tecum! gaude, quod tam fidelem habeas adjutorem. Tertia ratio eſt conſideratio æternitatis! perpende, quid, quantum, & quamdiu in inferno patiantur peccatores tui ſimiles, aut multo innocentiores! tua afflictio finem habet, & forſan paullo poſt: illi autem in ſuppliciis æternum ejulabunt. Quarta denique ratio eſt intuitus æternæ mercedis, quam promereri potes tua patientia & reſignatione! cum aliquando centenis & amplius annis Deo frueris in cælis, gaudebis te multa paſſum fuiſſe, optabiſque te paſſum fuiſſe plura, & incomparabiliter graviora. Vide P. Segneri Manna 13. Martii n. 1. & ſeq.

*De paucitate ſalvandorum.*

2. *Aſſumpſit Petrum, Jacobum, & Joannem. Matth.* 17. Ex toto Apoſtolorum Collegio, quare tam paucos? Nonne Chriſtus Dominus, prout loquitur Ludolphus Carthuſianus, omnes hominum ſtatus commendare, oſtendereque voluit, neminem ex quocunque ſtatu hominum non poſſe ſalvari? *Nam per Petrum deſignantur conjugati, per Jacobum Pœnitentes, per Joannem Virgines, per Moyſen Prælati, per Eliam Toroici.* Quidquid de hoc ſit! aliter ſentit S. Ambroſius inquiens: Dominus paucos ſecum detulit ad intuendam ſuam gloriam, ut oſtenderet, ex omnibus hominum ſtatibus paucos eſſe, qui ad cæleſtem gloriam ſunt aſſumendi. (Vide Speranzam Script. ſel. punct. 142.) Scriptura ſacra de hac veritate multas inſinuat figuras. 1. Per Arcam Noe ex univerſo humano genere tantum octo animæ fuerunt ſalvatæ. Ex Ægypto exierunt ſexcenta hominum millia, & tantum duo venerunt in terram promiſſionis. Vide Speranz. Ibid. & Mich. a Calvo conc. 36. §. 3. num. 7. & alios. 2. Suffragantur aſſerta SS. Patrum. S. Gregorius ait: *Ad fidem multi veniunt, ſed ad cæleſte regnum pauci perducuntur.* 3. Accedunt Hiſtoriæ. Inter triginta millia, qui cum S. Bernardo moriuntur, tantum duo ſalvantur. Vide Speculum Exempl. V. Damnatus, num. 1. 2. Item V. Prædeſtinatio. Item Barz. Serm. 47. n. 37.

*Ludolph. Cart. ap. Dedinger Dom. 2. Epiph.*

*S. Greg. hom. 19. in Evan.*

*Cæleſtis gloria non obtinetur ſine labore & meritis.*

3. *Duxit illos in montem. Matth.* 17. Cur Chriſtus Dominus glorioſam ſuam transfigurationem non oſtendit in aperta campi planitie? cur in monte Thabor? Nimirum ut demonſtraret, cæli gloriam obtineri non poſſe ſine ardua montis aſcenſione; laborandum eſt, anhelandum eſt, ſudandum eſt! hinc Chriſtus Dominus illos ipſos Apoſtolus, quos in hortum Oliveti ad paſſionis ſuæ tragœdiam duxit, etiam in montem transfigurationis aſſumpſit. Scito, mi Chriſtiane, qui commode, ac delicioſe vivere amas, cælum non obtineri ſine labore, ac certamine! Intuere 1. Sanctos Apoſtolos, qui fidem Chriſti Evangelizando totum orbem percurrerunt. 2. Sanctos Martyres, qui terribilia tormenta pro gloria Dei exantlarunt. 3. Sanctos Confeſſores, qui in eremis & ſpeluncis oratione, jejuniis ac lacrymis die ac nocte ſe macerarunt. 4. Sanctas Virgines, quæ procul a mundo in ſolitudine, contra carnis, & dæmonis tentationes uſque ad mortem pugnarunt, &c. Vide Tit. Beatitudo, Sancti &c. Regius Pſalmiſta David interrogat: *Quis aſcendet in montem Domini?* & ſibi ipſi reſpondet: qui non accepit in vanum animam ſuam! quid eſt, in vanum accipere animam? Reſpondetur: in vanum eſt veſtis in ciſta, in vanum lampas extincta, in vanum gladius in vagina: ita in vanum accepit animam, qui eam non dirigit, & operibus non exercet ad finem, ad quem creata eſt, uti ſunt, qui anima, ejuſque potentiis abutuntur ad vanitates, ad voluptates, ad otium, ad acediam, & de cetero cæli, ad quod nati, factique ſunt, obliviſcuntur. Cum aliquando Chriſtiani ad portam cæli venientes admitti cupient, conſurget quæſtio inter Angelos: Hi qui ſunt & unde venerunt? ſi reſponſio huic interrogationi reddatur: Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione! hi ſunt, qui contra mundum, carnem, & dæmonem ſtrenue pugnarunt! hi ſunt, qui orationibus, jejuniis, & eleemoſynis vacarunt! hi ſunt, qui cruces, morbos, perſecutiones, & injurias pro Deo patienter tolerarunt! tunc inſonabit mandatum: Attollite portas! O felices, quibus beata hæc ſors obtigerit! &c.



## Dominica III. Quadrageſimæ.

*De malitia, & infelicitate relapſus.*

1. *ASſumpſit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe. Luc.* 11. Peccare, grande malum, ſive Deum offenſum, ſive offendentem, ipſiuſque offenſæ ſupplicium ſpectes. Verum poſt peractam pœnitentiam, impetratamque remiſſionem, relabi in idem peccatum, incomparabiliter gravius malum eſt; quia relabens ſeptemplicem malitiam committit, conformiter ad illud Sapientis monitum, ubi ait, fidendum non eſſe inimico, utut amicum ſe ſimulet; *Ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius.* Has autem ſeptem nequitias deſcribit S. Antonius Paduanus, cujus verba ſunt: Anima recidiva ſeptem tranſgreſſiones committit: 1. fracturam ſceleris. 2. Subſannationem Miſericordiæ. 3. Contumeliam Sacramenti. 4. Ingratitudinem veniæ. 5. Iniquitatem retributionis. 6. Perditionem Dei. 7. Malitiam tranſgreſſionis. Vide Tit. Relapſus. Item Barz. Ser. 60. §. 1. 4. & 6. ubi porro de damnis ſeptem tranſgreſſionum. O quam verum eſt pronunciatum S. Chryſoſtomi, de relapſu dicentis: *Jam enim non ſimplex peccatum eſt, ſed duplex & triplex.* Erunt poſteriora pejora prioribus!

*S. Chryſ. Hom. 1. in Act.*

*De cauſis relapſus tollendis, & emendandis.*

2. *Revertar in domum meam. Luc.* 11. Damnabilis eſt impudentia infernalis inimici, quæ animam pœnitentem, & Deo reconciliatam, *Domum ſuam vocat*: qua fronte, & audacia id agit? Reſpondet Paulus Granatenſis: *Si hoſtes noſtros in nobis habet, qui arcem ſe illi daturos promittunt, mirum non eſt, quod domum ſuam dicat*; indubitanter enim ſperat, ſe illam paullo poſt iterum occupaturum. Quinam ſunt illi hoſtes? 1. Reſpondet idem Auctor, eſt otium & tepiditas, quæ hoſti intrare volenti facile portas aperit. 2. Eſt mala occaſio & familiaritas, quæ pedicis ſuis incautum ad nefas retrahit. (Vide Barz. Serm. 60. num. 14.) 3. Eſt negligentia vincendi inimicas paſſiones, quæ ſunt origo mali! quid juvat, demetere, aut avellere zizania? niſi radix evellatur, iterum repullulant. Quid juvat ab aranearum telis cubiculum purgare? niſi aranea ipſa occidatur, cras in muris eadem telarum ſordes apparebunt. Ibid. num. 15. Vide Tit. Relapſus, &c.

*Deus per pœnitentiam expellit triplex dæmonium.*

3. *Erat JESUS ejiciens dæmonium. Luc.* 11. Utinam ſaperent homines & intelligerent infeliciſſimum ſtatum hominis peccatoris! ille revera ſecundum animam cæcus eſt, quia dæmon illi lumen rationis extinguit, ne videat, quæ videre deberet. Mutus eſt, quia dæmon illi linguam ligat, ne confiteatur. Surdus eſt, quia dæmon illi aures obſtruit, ne ſalutaria monita audiat. (Vide Mich. a Calvo conc. 19. §. 1. 2. & 3.) Quid in hoc ſtatu deeſt infeliciſſimo peccatori, quam deſpe-

peratio, & æternum exitium? verum age, admirare immenſam Dei Miſericordiam, qui triplex hoc dæmonium ejiciens, peccatorem per pœnitentiæ gratiam ex abyſſo damnationis ad ſpem ſalutis reducit. Hæc enim Miſerationis gratia, 1. oculos miſeri cæci illuminat, ut veritates æternas, & fidei lumen aſpicere incipiat. 2. Linguam illi ſolvit, ut ad laudes Dei, & peccatorum confeſſionem, tacentia prius ora aperiat. 3. Aures illi aperit, ut monita Verbi Dei externa, & inſpirationes internas audiat, ſicque ad veram pœnitentiam, & quærendam animæ ſalutem reſipiſcat. Vide Titul. Miſericordia Dei, Pœnitentia, &c.

*De noxia, ac peccaminoſa taciturnitate mutorum.*

4. *Et illud erat mutum. Luc.* 11. Sicut canes domeſtici, muti ac taciturni domui nocent, dum caſu, quo fures ac latrones domino domus noctu inſidiari audiunt, non latrant; ita nihil nocivius eſt mundo, quam cum illi homines muti ſunt, qui vel maxime deberent eſſe loquaces; ſua enim taciturnitate dæmonem inſidiantem audaciorem faciunt, ad multiplicanda peccata. Horum mutorum tria ſunt genera inter Chriſtianos. Primo ſunt *Timidi*, qui publica vitia deberent reprehendere, uti Patresfamilias, & Superiores, & illa ex reſpectu humano, aut metu perſecutionis diſſimulant; hi non ſolum contra præceptum correctionis fraternæ graviſſime peccant, ſed inſuper omnium peccatorum, quæ diſſimulant, coram Deo ſe reos ac participes reddunt. Secundo ſunt *Sacrilegi*, qui peccata ſua, maxime impudica, in ſacramentali confeſſione ſubticent, non ſine riſu, & exultatione diaboli: nequiſſimus hic ſpiritus, cum ſciret, quod peccatum *verecundiam* habeat, pœnitentia autem *fiduciam*, ordinem pervertit, pœnitentiæ dedit verecundiam, & peccato fiduciam. Hi miſeri non ſolum ſaluberrimum pœnitentiæ remedium in ſalutem animarum inſtitutum, in ſuam perniciem profanant, ſed inſuper, dum hodie coram uno homine ſalubriter confundi nolunt, coram Deo judice confundentur pernicioſe. Tertio ſunt *Ingrati*, qui ex officio Deo laudes cantare, rudes inſtruere, errantes in viam virtutis reducere deberent, & tamen muti ac ſocordes Dei gloriam, & animarum ſalutem negligunt, & ſic fontes Divinæ Miſericordiæ ſua negligentia obſtruunt, ſibique & aliis damna tam temporalia, quam æterna irrogant. O quam grave judicium miſeri hi ſubire debebunt! Vide Tit. Acedia, Tepiditas, &c.

*I. Chryſ. Proœm. in Gala.*

Dominica IV. Quadrageſimæ.

*Panis quotidianus comparandus hominis labore, & Dei Benedictione.*

1. *Colligite, quæ ſuperaverunt, fragmenta, ne pereant. Joann.* 6. De duodecim cophinis fragmentorum, quæ hodie poſt ſaturatum populum ſuperaverunt, adhuc hodiedum Divinam Providentia paſcit omnem populum, qui a duodecim tribubus Iſrael generatione deſcendit, & a duodecim Apoſtolis ad Chriſti fidem converſus eſt, id eſt, univerſum orbem. Non eſt buccella panis in orbe, quæ non deſcendit a Deo totius humani generis Nutritio? Verum adverte: Chriſtus Dominus præcepit: *Colligite fragmenta*! non voluit illa aſſervari per Angelos, aut per ſuam potentiam, ſed præcepit Apoſtolis & populo, *Colligite*! ut indicaret, hominem cooperari, & laborare debere pro pane colligendo. Laborandum eſt, hæc prima pars ſermonis! quodſi homo labore deficiat, ſperandum eſt nutrimentum a Providentia Dei, hæc altera pars! 1. Deus Adamum in paradiſo præcinxit perizomatis, præcepitque ut terram foderet, & panem in ſudore vultus ſui lucraretur. Igitur homo ad laborem natus eſt, ſicut avis ad volatum? Quæſo, ſi avis, v. gr. corvus prætenderet, quod ſine conatu alarum, ab Angelo in aere circumferri deberet, quam abſurdum id foret? abſurdum non minus eſt, ſi homo a Deo ſine labore velit nutriri? hinc Chriſtus exprobravit illis in foro: Quid ſtatis hic otioſi? & alias aridam manum ſanavit pauperculo, ut laboraret, & non prætextu manus mendicaret. (Vide Tit. Labor Hominis, Nutrimentum Hominis.) 2. Quodſi homo labori, aut labor homini deficiat, tunc enimvero non deerit Providentia, ut miſerum nutriat. Juvenes corvi, dum ex ovis excluduntur, adhuc implumes albeſcunt: id videntes, nigra mater & pater, putantes partum eſſe ſpurium, illos deſerunt. Verum Dei Providentia, quæ etiam ad infima animalcula ſe extendit, dicitur illos rore paſcere, & conſervare, donec plumeſcant. Si Deus tam bonus eſt erga abjectiſſimam volucrem, quanto magis hominem infirmum, ſui



ſui impotem curabit, quem creavit, & redemit? Exemplum certe habemus in hodierno Evangelio; quia in ſolitudine nihil aderat annonæ, Deus pavit populum; quia familiare eſt Deo ſuccurrere in rebus deſperatis. Vide Calamatum hac Dom. punct. 2. Item Menochium cent. 7. c. 33. Item Tit. Providentia Dei, Nutrimentum hominis? &c.

*Deus per prodigia confirmat fidei veritatem.*

2. *Cum vidiſſent, quod JESUS fecerat ſignum. Joan.* 6. Benigniſſimus Deus, qui neminem vult perire, ad convertendos peccatores & infideles non tantum ſigna quotidiana, qualis eſt mirabilis gubernatio Mundi, ſed interdum etiam extraordinaria, & prodigioſa opera adhibet, ut reluctantes convincat. Hodie numeroſum populum in ſolitudine, multiplicatis prodigioſe panibus paſcit, illique miraculo etiam Judam proditorem adeſſe vult, ut peſſimus Nebulo, qui miracula Chriſti hactenus ut phantaſticas imaginationes ac deceptiones exploſit, duodecim cophinos panis, qui ſuperaverant, oculis intueri & manibus palpare, adeoque convinci poſſet, Chriſtum revera eſſe Dei Filium, ac Mundi Salvatorem (Vide Pacciuchelli in Jonam Tom. 1. lect. 3. §. 5.) Ejuſmodi prodigia hodiedum operatur Deus, ut peccatores, & infideles convincat de veritate ſalvificæ fidei (Vide Lect. 3. Nocturni in hodierno Breviario) Tale prodigium eſt 1. Converſio totius Mundi per duodecim Apoſtolos, Viros pauperes & infirmos, &c. 2. Tale prodigium eſt conſervatio fidei ſeu Eccleſiæ, quam armati Imperatores ac Reges per decem crudeliſſimas perſecutiones extirpare non poterant: O quot hæreſes, velut vapor in aere, etiam ſine adverſario diſparuerunt: Eccleſia autem per innumerabilium Martyrum ſtragem, immenſumque effuſum ſanguinem adeo non defecit, ut potius creverit: ſanguis Martyrum fuit ſemen Chriſtianorum. (Vide Tit. Perſecutiones Eccleſiæ, Martyres. Item vide P. Segneri Incredul. non excuſab. &c.) 3. Tale prodigium, ceteris omnibus majus, eſt præſentia Chriſti Domini in Sacramento Euchariſtiæ, innumeris miraculis comprobata. (Vide Tit. Euchariſtia) Merito ergo cum S. Chryſoſtomo exclamamus: Qui tantis ſplendoribus non illuſtratur, cæcus eſt! qui ex tantis indiciis veritatem non advertit, inſipiens eſt. Vide Speranzam punct. 120.

*In eſu panis quotidiani homo reſpicere debet Deum, ſeipſum, & proximum.*

3. *Diſtribuit diſcumbentibus. Jo.* 6. Beneficium, quo Chriſtus Dominus hodie famentem populum ſatiavit, Deus quotidie renovat in conſervatione, & nutritione totius humani generis. Non eſt bolus panis in ore tuo, non eſt nummus in crumena tua, qui non veniat a Deo. Operæ igitur pretium eſt, mi Chriſtiane, ut inſtruam te, quomodo his mediis temporalibus ad tuam ſalutem uti poſſis ac debeas! nempe reſpicere debes Deum, teipſum & proximum. 1. Reſpice *Deum*! id eſt, panem quotidianum a Deo ſperare, & humiliter petere debes, qui ſegetes creſcere facit, & implet omne animal benedictione. (Vide Nutrimentum Hominis) Contra hoc principium errant ingrati, qui ſuas divitias arti ſuæ, induſtriæ ſuæ, & ingenio adſcribunt, jactabunde dicentes: Ego mihi, & meis panem abundantem procuro! Falleris miſer! Non tu, ſed Deus procurat, qui in momento per infortunium, incendium, rapinam, aut morbum poſſet te redigere ad paupertatem, &c. 2. Reſpice *Teipſum*! id eſt, hoc pane, quo frueris, non ad voluptatem, & ingluviem, ſed ad neceſſitatem, & frugalitatem utere, &c. Contra hoc principium errant, qui in deliciis helluantur, & ſtomachum guloſe ſaginant. (Vide Tit. Gula.) 3. Reſpice *Proximum*, id eſt, compatere pauperi, illique famenti & indigenti de abundantia tua bolum porrige! &c. Contra hoc principium errant immiſericordes, qui nullam pauperum curam habent, audituri aliquando terribile illud: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Vide Tit. Eleemoſyna, &c.

Dominica Paſſionis.

*De triplici infelicitate peccatoris.*

1. *JESUS autem abſcondit ſe, & exivit de templo. Joann.* 8. Grandius infortunium contingere non poſſet orbi, quam ſi luculentiſſimus Mundi oculus Sol extingueretur. Heu! quanta in tenebris confuſio, quantum in actionibus humanis chaos, quanta in terra ſterilitas, quanta in civitatibus & regnis conſurgeret triſtitia & lamentatio. Idem proportionaliter infortunium contingit peccatrici animæ, a qua Chriſtus cum ſua

ſua gratia recedit. Conſideremus hanc infelicitatem! 1. *Infelix eſt, qui peccatum committit*; quia Dei Filium, gratiam cæleſtem, jus hereditatis æternæ amittit, & in diaboli, inimici infenſiſſimi, poteſtatem incidit. Vide Tit. Peccatum, Peccator! 2. *Infelicior eſt, qui in peccato perſeverat*; quia gratiam converſionis contemnit, & ipſo facto indicat, ſibi dulcius eſſe jugum dæmonis, quam Chriſti. Vide Tit. Peccator inveteratus, &c. 3. *Infeliciſſimus eſt, qui in peccato communicat*; quia cæleſtem medicinam convertit in venenum, & Chriſtum in impuro corde cum diabolo conſociat. Vide Tit. Eucharistia, Communio Sacra &c. Pugnemus ergo contra tentationes, ut non peccemus! Acceleremus pœnitentiam, ut recuperemus gratiam amiſſam! Vincamus in confeſſione verecundiam, ut non indigne accedentes ad communionem, judicium & damnationem manducemus. Vide Tit. Pœnitentia, &c.

*Nullus hominum ſtatus eſt ſine nævo peccati.*

2. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Joann.* 8. Vere Filius Dei, Redemptor noſter Sanctiſſimus & innocentiſſimus provocare inimicos ſuos ſumma cum veritate potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Latrent Judæi, accuſent Phariſæi, condemnent Pontifices, vociferetur populus: Crucifigatur, reus eſt mortis! eſt ſeductor, potator vini, in Belzebub ejicit dæmonia, clament hoc, & efferata bile evomant calumnias! Chriſtus innocentiſſimus eſt, nemo poterit illum arguere de peccato! An plures ſunt hominum ſtatus, qui idem de ſe jactitare poſſint? Indagemus! 1. Ingrediamur aulas Regum, ac Principum, veneremur hos Deos terreſtres, e quibus pax ac tranquillitas temporum, atque ſalus ſubditorum dependet! ſoliciti utique ſunt, vireſque omnes impendunt pro Deo, pro Eccleſia, pro populo! Verum non ſunt ſine nævo! per adulatores, ac paraſitos in tranſverſum ſe agi ſinunt, non ſine damno totius regni! &c. 2. Luſtremus curias, ubi Magiſtratus & judices pro tribunali ſedent, & querelis litigantium aures præbent: Omnino præbent: ſed quoties proh dolor! aures obturantur auro! triumphat dives, quia non lingua ſolum, ſed manibus loquitur, ſuccumbit pauper, quia lingua quidem diſſertus, manibus autem mutus eſt. 3. Videamus quid agant Advocati? pro cauſa clientum erudite ac potenter perorant, ſed litigia per menſes & annos protrahunt, ut ſuam crumenam ſaginent, & alienam emungant. 4. Aſcendamus ad arces Nobilium! Illi quidem modeſtiam ad extra ſpirant, & bono utcunque exemplo præeunt. Sed ut faſtum ultra ſtatum prorogent, debita ultra vires contrahunt, & ſubditos inclementer emunctos ad inopiam, & mendicitatem redigunt. 5. Forſan Mercatores ſunt melioris farinæ? optandum id maxime, quia laboribus, ratiociniis, itineribus, & periculis ſine fine fatigantur. Verum dicitur, quod merces corrumpant, quod lucra ultra dimidium capeſſant, quod promiſſis decipiant, & injuſta non refundant. 6. Quid agunt cives, opifices, ruſtici? Pro pane lucrando & ſuſtentanda familia ſtrenue laborant, ſed quod triduo lucrantur una die obliguriunt, dein crapuloſi totam domum furiis implent, de cetero educationi prolium & curæ famulorum parum invigilant, ſuaque hac negligentia multorum ſcelerum cauſa ſunt. 7. Faxit Deus, ut ſaltem pauperes in virtute ſint excellentes; quia ipſa paupertas eſt magiſtra humilitatis, & capiſtrum contra vitia! verum o quot ſunt, qui amant eſſe pauperes, ut poſſint eſſe otioſi, corpore & ætate validi ac robuſti ſunt, & tamen fingunt infirmitates, quas pigritiæ ut pallia obtendere, & aliis vere indigentibus eleemoſynas ſuffurari poſſint, &c. En! a primo ad ultimum nullus eſt hominum ſtatus, qui ſit ſine nævo! nemo poteſt dicere cum Chriſto: *Quis arguet me de peccato?* Bene! Bene! oblatrat hic nonnullus: Etiam Sacerdotes non poſſunt hoc dicere! Forſan verum loqueris! At meum non eſt Sacerdotum mores hic carpere, quorum ego minimus ſum! Rogemus Deum unanimi corde, ut gratia ſua omnes Chriſtianos in vitæ ſuæ ſtatu ita confortet, ut ſaltem olim in judicio contra accuſatores ſuos dicere confidenter poſſint: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Vide Michael. a Calvo conc. 33. §. 1. nu. 13. Item Tit. Status Hominum Sacri, & Profani, &c.

*De ſacrilega Communione, terribili ſcelere.*

3. *JESUS abſcondit ſe, & exivit de templo. Joann.* 8. Peccator ſacrilege communicans, reus eſt læſæ Divinæ Majeſtatis, & Judæ proditori ſimillimus, qui fur erat, & latro. 1. Sacrilege communicans

*Fur*



*Fur eſt*, quia Divinum Corpus pretioſiſſimum invita Dei Matre, invito Divino Patre, & Spiritu Sancto furatur, reus corporis, & ſanguinis Domini. 2. *Latro eſt*, quia atrociorem mortem Chriſto infert, quam Judas intulit; in morte enim crucis Chriſto ſolatium fuit redemptio humani generis; in hac autem morte, quam Sacrilegus Chriſto in Euchariſtia infert, non aliud ſolatium capere poteſt, quam triſte illud, quod colliget juſtitia Divina, cum æterno ſupplicio vindicabit ſcelus, &c. &c. Vide P. Segneri in Inſtruct. Parochi c. 15. §. 1. &c.

## Dominica Palmarum.

*De fallacia mundani honoris.*

HOſanna Filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21.* Sic Mundus agit! Nulla ſæculorum hiſtoria mundani honoris inconſtantia ac falſitas magis elucet, quam hodierno Chriſti ingreſſu in urbem Hieroſolymitanam. Sicut enim Divino Redemptori hodie quadruplex honor fuit exhibitus; ita paucos poſt dies quadruplex erit illius ignominia. Audiamus! condoleamus, & mundanos favores contemnere diſcamus! 1. Honor fuit Chriſto Domino perſonaliter delatus, quia in propria perſona populus illi obviam proceſſit. Ita poſtea perſonaliter ipſum deſpexerunt, & ad crucem, tanquam mortis reum magno cum tumultu popoſcerunt. 2. Sicut nunc verbis laudaverunt: Hoſanna Filio David, Benedictus qui venit! &c. Ita poſtea injurioſis verbis contra ipſum clamarunt: Crucifige! crucifige! 3. Sicut nunc triumphali pompa, & ramis palmarum in via ſtratis ipſum glorificarunt: ita poſtea catenis, flagellis, virgis, ſputis, ſpinis, clavis, ac blaſphemiis inhonorarunt. 4. Sicut nunc illi ingredienti veſtimenta ſua ſubſternunt: ita poſtea ex urbe ignominioſe expulſo propria veſtimenta diripuerunt, &c. Compatiamur mitiſſimo Salvatori, & deteſtemur, fugiamuſque fallacis mundi inconſtantiam, &c. Vide Speranzam de Paſſ. Dom. punct. 27.

*Meditatio, cur Chriſtus Dominus inclinato capite mortuus ſit?*

2. *Ecce Rex tuus, tibi manſuetus. Matth.* 21. Ineunte Sacra hebdomada, animos noſtros ab omnibus mundanis affectibus alienos, Dominicæ Paſſionis meditatione occupemus! conſideremus *Opus*, & admiremur Domini patientiam! conſideremus *Modum*, & admiremur Domini humilitatem! conſideremus *cauſam*, & admiremur infinitam Redemptoris caritatem. Præcipue vero attollamus oculos in Crucifixum! *Ecce Rex tuus, tibi manſuetus!* Ab omnibus derelictus, vulneratus, ſanguine perfuſus, inclinato capite tradidit Spiritum! Agite! hæc materia hodiernæ meditationis eſto, cur Chriſtus Dominus moriens caput inclinarit? Dabo rationes! Vos ad fructum attendite, quem exinde eruere debetis! 1. Chriſtus inclinato capite mortuus eſt, ut demonſtraret gravitatem peccati! Peccatum tam ponderoſum eſt, ut rebelles Angelos per undecim cælos in infernum depreſſerit: cum ergo Chriſtus illud voluntarie in ſe ad ſatisfaciendum Divino Patri aſſumpſerit, tam graviter cervici & capiti Crucifixi incubuit, ut pondere ſuo illud depreſſerit, & ad pectus uſque inclinarit. Mi Chriſtiane, diſce peccatum, malum graviſſimum odiſſe, & declinare, &c. 2. Chriſtus inclinato capite mortuus eſt, ut oſtenderet paupertatem; non enim habuit, ubi ſpinis coronatum caput reclinaret. Obſtupeſcat cælum & terra! Mundi Conditor & Dominus, non habet ad obſequium unicam culcitram, ubi doloroſum caput reponeret! Diſce amare paupertatem, & a rebus omnibus tranſitoriis affectum avelle, ut Chriſto pauperi conformeris. 3. Chriſtus inclinato capite mortuus eſt, ut Divino Patri, & toti mundo probaret ſuam humilitatem! caput hoc adorabile eſt cælo & terræ, atque exaltari dignum ſuper omnes choros Angelorum, Chriſtus Crucifixus tamen illud in reverentiam Patris ad terram deprimere voluit, ut peccatores illi commendaret. Diſce, intuitu tui nihili teipſum deſpicere, & reputa te, qualis forſan es, peccatorum omnium maximum. 4. Chriſtus inclinato capite mortuus eſt, ut gratitudinem ſuam Divino Patri exhiberet pro opere Redemptionis, gratias etiam ageret crucifixoribus ſuis pro tormentis, quæ ſibi paullo poſt immenſam in cælis gloriam erunt paritura. Diſce Domino Deo etiam pro adverſis gratias agere, gaude de cruce & afflictione tua, quæ tibi erit meritum ad cæleſtem coronam! &c. Vide Speranzam de Paſſ. Dom. punct. 27. Et punct. 36. Item Titul. Paſſio Chriſti, &c.



*Hebdo-*

*Hebdomas ſancta in ſanctis virtutibus tranſigenda.*

3. *Cum appropinquaſſet JESUS Jeroſolymis. Matth.* 21. Hebdomas major dicitur ſancta, ut animæ noſtræ memoria Dominicæ Paſſionis ſanctificentur. Hæc ſanctitas autem conſiſtit in conformitate cum Chriſto Patiente, ad quam nos hortatur Eccleſia verbis S. Bernardi: Pudeat nos ſub ſpinoſo capite eſſe membrum delicatum. Agite, modum docebo, & virtutum exercitium, quibus Paſſionem Domini colere, & ſanctificari nos oportet. Prima virtus eſt Mortificatio corporis non indiſcrete auſtera, ſed ſaltem aliqua ex amore Dei, & odio peccati procedens: Quondam Angelus præcepit occidi hædum ſupra petram, ubi S. Gregorius: Carnes ſupra petram ponimus, cum corpus noſtrum Chriſti imitatione cruciamus. Nemo Chriſtianorum ſit, qui non ſacro hoc tempore amore Chriſti patientis a cibo delicatiore jejunet, oculos curioſitati, linguam confabulationibus, ſeipſum conſortiis inanibus ſubducat, & in ſolitudine triſtetur, &c. Altera virtus eſt abſtinentia a deliciis mundanis, a veſtium luxu, a riſibus, a conviviis, a comœdiis, & quantum fieri poteſt, a negotiis etiam ſæcularibus! Dicamus cum S. Pachomio: JESUS meus in cruce pendet, & ego peccator deliciis fruar? &c. Tertia Virtus eſt pœnitentia, & continuus dolor de peccatis! attollamus oculos & animum continuo in Crucifixum, cum affectu amoroſo dicentes: O Deus, ſummum Bonum, tu pendes in cruce inter decumanos dolores, & ego in deliciis & commoditatibus vivo. Et quare in cruce pendes, Domine Deus meus! Propter peccata mea! O maledicta peccata, utinam vos nunquam commiſiſſem! lubens vellem cum Deo meo pendere in cruce, ſi vos infecta reddere poſſem! &c. Vide Tit. Paſſio Chriſti, Pœnitentia, Mortificatio &c.

Joſue 6. S. Greg. l. 3. Mor. c. 19.

Dominica Paſchatis ſeu Reſurrectionis Domini noſtri JESU Chriſti.

*Pœnitentia Paſchalis debet eſſe ſeria, efficax & conſtans.*

1. *SUrrexit, non eſt hic. Marc.* 16. Quomodo, & qua ratione ſollemnitatem Paſchalem ſanctis operibus celebrare debeamus, ipſa vox *Paſcha* nobis inſinuat, quæ nihil aliud ſonat, quam *Tranſitus*. Tranſeundum eſt, ait S. Ambroſius *De pejoribus ad meliora! Bonus tranſitus eſt tranſire de peccatis ad juſtitiam, de vitiis ad virtutem.* Videamus de hoc tranſitu, ut felicem ſuum effectum ſortiatur, quas qualitates habere debeat. 1. Hic tranſitus, cui per confeſſionem Sacramentalem datum eſt initium, debet eſſe *Serius*. Qui tranſit e Germania in Italiam neceſſe eſt, ut tergum obvertat Germaniæ: ita qui de vitiis tranſire cupit ad virtutem, neceſſe eſt ut tergum obvertat vitiis, & nulla fronte amplius aſpiciat. An ita agis, mi Chriſtiane? O quam multi confitentur ut lupus, qui dum in confeſſionali ſuas rapinas enarrat, audiens ante fores Eccleſiæ balare oviculam, cito cito abſolvi petiit, ut balantem facere prædam poſſit. Ecce! non egit ſerio. 2. Hic tranſitus debet eſſe *Efficax*, adhibendo remedia ad compeſcendas inimicas paſſiones, fugiendo occaſiones, amando ſolitudinem. O quam multi deſunt huic efficaciæ! Quamdiu animalia fuere incluſa in Arca Noe, erant durante diluvio pacifica: poſt diluvium autem facta iterum ſunt ferocia, & belligerantia. Ita multi poſt diluvium Sanguinis Chriſti paſſionibus denuo frænum laxant, & in priſtina vitia relabuntur. (Vide Mich. a Calvo conc. 42. §. 2. n. 9. & ſeq.) 3. Hic tranſitus debet eſſe *Conſtans*, & perſeverans, eradicando pravos vitiorum habitus, tollendo amicitias & familiaritates noxias, reſtituendo bona injuſta, & famam &c. In nocte Paſchali, ait Cornelius a Lapide, omnia idola Ægypti corruerunt, & comminuta ſunt. Ita in animo pœnitentis omnia idola ex peccato reſidua everti & extirpari debent. Vide Corn. a Lap. in Exod. 12. v. 12. Verum eheu! nimis verum eſt, quod deplorat S. Bernardus: *Peccandi tempus facta eſt reſurrectio Chriſti, &c.* Vide Mich. a Calvo ubi ſupra.

S. Ambr. llum. 2.

Cornel. a Lap. in Exod. 12. v. 12.

S. Bern. de Reſurr. Chriſti.

*De remediis, quibus conſervanda eſt gratia Sacramentalis.*

2. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* 1. Cor. 5. Non eſt facile dictu, quantum ſit gaudium ægroti, qui cura Medici convaluit; jam totus ſolicitus eſt, ut valetudinem conſervet, ad quam conſervandam tribus præcipue remediis opus habet: primo, ut abſtineat a noxio eſu & potu, Secundo ut ſalubri utatur nutrimento, Tertio, ut moderata exercitatione commoveat corpus. Parem





in modum lætari debet peccator, qui per Paſchalem Chriſti gratiam a letali animæ morbo ad ſpiritualem valetudinem rediit, omnemque curam conferat, ut hanc iiſdem proportionaliter remediis a relapſu præſervet. Videamus quomodo: 1. remedium eſt fuga eſus & potus noxii, id eſt, peccati, & quidquid ad peccatum diſponit, fugiat pericula non tantum proxima, ſed & remota: fugiat inſuper ægrotos, a quibus contagionem contrahere poteſt, id eſt, malos ſocios, & familiaritatem vitioſam. 2. convaleſcentis remedium eſt bonum ac utile nutrimentum: tale ſunt frequens ac devota oratio, lectio libri ſpiritualis, pia colloquia, & frequentatio Sacramentorum. 3. valetudinis conſervandæ remedium eſt conveniens exercitatio corporis, quod idem & valetudini ſpirituali conducit. Studeat Chriſtianus vivere in continua exercitatione piorum operum, non tantum eorum, quæ præcepta ſunt, ſed & ſupererogatoria, pugnet indefeſſe contra tentationes, quærat occaſiones virtutum quotidianas, & ſic conſervabit valetudinem animæ, & in gratia ſemper proficiet. Vide P. Segneri Manna an. 2. Mart. num. 2. &c.

*Reſurrectio pœnitentiæ debet eſſe vera, & perſeverans.*

3. *Surrexit vere.* Marc. 16. Tria reſurrectionum genera exhibet nobis Scriptura. Prima *apparenter* facta, qualis fuit illa Samuelis per Magicas artes Sauli exhibita, quæ pure fuit deceptio, & illuſio oculorum. Secunda fuit *Vera ſed imperfecta* Lazari, qui iterum fuit poſt reſurrectionem mortuus. Tertia *vera, & conſtans* Chriſti Domini, qui reſurgens a mortuis jam non moritur. Ita ſe habet reſurrectio multorum peccatorum, per pœnitentiam Paſchalem! 1. Aliqui tantum reſurgunt apparenter, qui ſine ſerio propoſito, ſolum ex neceſſitate, vano reſpectu, aut ex conſuetudine accedunt ad confeſſionem, retinentes affectum in animo ad priſtinas amicitias, & peccata. 2. Aliqui reſurgunt per pœnitentiam vere ac ſerio cum compunctione, & propoſito, prout decet. Verum poſtliminio revertuntur ad occaſiones, & familiaritates periculoſas, & ſic perdunt denuo vitæ gratiam, majores peccatores, quam antea, quia jugum diaboli jam ſemel expertum, ſuavi jugo Chriſti præferunt. 3 Aliqui reſurgunt vere & conſtanter, qui non amplius peccant, ſed in vita gratiæ cum Chriſto perſeverant. His ex animo gratulor ad recuperatam vitam gratiæ, & impetrandam cum tempore vitam gloriæ, adhortorque ut non amplius retroſpiciant, ſed in via ſalutis ſtrenue pergant, &c. Vide Tit. Pœnitentia, Inconſtantia. Item Didacum Miſſ. in Serm. Quadrageſ. ſerm. ult.

Feria II. Paſchatis.

*Mala conſuetudo eſt lapis ponderoſiſſimus impediens pœnitentiam.*

1. *QUis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti.* Marc. 16. Sine dubio, corpus Chriſti in ſepulcro jacens adorare, unguentis illud condire, & publice ad invidiam Judæorum ſe Chriſto addictum profiteri, ingentis meriti opus eſt. Verum impedit obſtaculum! quale illud? Lapis ſepulcralis immenſi ponderis; hinc anxia illa deliberatio mulierum: *Quis revolvet nobis lapidem?* Parem in modum, confeſſio Paſchalis eſt humilis adoratio Chriſti, ſed obſtat difficultas. Quænam illa? Conſuetudo peccati, lapis ponderoſiſſimus, qui & aliis lapidibus ſuperimpoſitis magis, magiſque aggravatur, ita ut verificetur illud Iſaiæ: *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper lapidem.* Quinam ſunt lapides illi ſuperimpoſiti, quibus difficultas confeſſionis aggravatur? Enumeremus; ſunt enim quaterni, ad mentem Sancti Bernardi. 1. Lapis aggravans conſuetudinem peccati, & occludens os, & cor confitentis, eſt Pudor, quo confitens erubeſcit confiteri, quod non erubuit committere. Sed dic, dum peccaſti, nonne putas ſpectabilem adfuiſſe Deum & Cuſtodem Angelum? adfuere ſine dubio! cur ergo erubeſcis fateri coram homine, quod non erubuiſti facere coram Deo & Angelo? 2. lapis aggravans, & claudens os, eſt *Timor* inanis ille, quo triſtatur peccator, quod abſtinere deinceps debeat a delictis hactenus aſſuetis: ita ſecum luctabatur S. Auguſtinus, deplorans: An non amplius videbo vos? 3. lapis eſt *Spes* longioris vitæ, quæ peccatori dicit, non eſt neceſſitas feſtinandi, juvenis es, produces vitam ad decrepitam ſenectutem, interea lætare & fruere bonis! Verum conſidera vitam humanam eſſe candelam ardentem omni vento extinguibilem. 4. lapis præ ceteris formidandus, eſt denique *deſperatio*, quæ ex vita peſſime acta,

& peccatis in immenſum auctis conſequitur. Eheu actum eſt, niſi infinita Dei miſericordia ſpecialibus auxiliis ſuccurrat! &c. En! hos peſſimos effectus poſt ſe trahit conſuetudo peccandi, ita ut ajat S. Gregorius: *Lapis ſuperimponitur lapidi, cum dura conſuetudine mens in peccato ſolidatur, ut etſi velit reſurgere, jam utcunque non poſſit, quia moles deſuper malæ conſuetudinis premit.* Vide Barz. ſerm. 11. n. 29. Et ſerm. 55. n. 5. Item Tit. Pœnitentia, Confeſſio, Deſperatio, &c.

*Sine Cruce, & adverſitate non obtinetur gloria reſurrectionis.*

2. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam?* Luc. 24. Nemo eſt ex Chriſtianis, qui non velit ſalvari! ſed pauci ſunt, qui volunt ire ad cælum per viam, quam Deus vult, nempe per viam crucis! vellent in hoc mundo commode vivere, deliciis, divitiis, honoribus frui, & ita in cælum invehi ſine moleſtia. Sed actum agunt! cælum vim patitur, & violenti rapiunt illud! non illuc pervenitur, niſi per cruces, per tribulationes, per morbos, dolores & mortem! Audiamus motiva pro præterito, pro præſenti, & futuro, quam æquum ſit, ut tribulationes & cruces patiamur pro cælo! 1. Æquum eſt, mi Chriſtiane, ut patiaris pro cælo, ſi oculos reflectas *ad præteritum*! cogita peccata tua multa & magna, quibus Deum O. M. graviter offendiſti! felix es, ſi horum reatum expiare valeas per tribulationes hujus vitæ, quæ incomparabiliter mitiores ſunt, quam vitæ alterius. (Vide Tit. Peccatum, Patientia &c.) 2. Æquum eſt, ut patiaris pro cælo, ſi oculos attollas *ad præſens*! Intuere Crucifixum, & in hodierno Evangelio auſculta ſententiam Chriſti: O*portuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam*! ſi Dei Filius, cui jure hæreditatis & proprietatis debebatur gloria, illam per vulnera, crucem, & mortem promereri debuit, certe tibi non donabitur gratis! omnes Sancti in via crucis ſecuti ſunt Chriſtum præeuntem cum cruce, hac a via ſi declinaveris, cælo aberrabis. 3. Æquum eſt, ut patiaris pro cælo, ſi oculos aperueris *ad futurum*! quodnam illud? ad cæleſte præmium, quod infinities majus erit tuo merito! cum diſcipuli hodierni in via Chriſto adhuc incognito enarraſſent terribilia tormenta, quæ elapſa ſeptimana Magnus ille Propheta in urbe Jeroſolymitana paſſus eſt, Chriſtus interrogavit: *Quæ?* O Bone Deus! an non recordaris amplius funium, flagellorum, ſpinarum, vulnerum, clavorum, crucis ipſiuſque mortis? recordatur utique, ſed tam abjecte, & ſtricte de illis loquitur per unicum *Quæ*, ut indicaret, illa omnia reſpectu gloriæ, qua nunc fruiturus erat, vix poſſe venire in comparationem. Sic in cælo loquentur omnes Sancti &c. Vide Speranz. punct. 148. & De paſſ. Dom. punct. 14. Item Mich. a Calvo conc. 43. §. 1. Item Calamatum Dom. ult. poſt Pentecoſt. &c.

*Qui in peccatum remiſſum relabuntur, timeant maledictionem Divinam.*

3. *Hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri.* Act. 10. Deo ſint infinitæ laudes! Divinus Mundi Redemptor non tantum e ſepulcro, ſed & in cordibus noſtris per gratiam Paſchalis Sacramenti reſurrexit. Precor, ut poſt tam lætum Paſcha non amplius ſequatur Paraſceve! Sed quid agendum deinceps? Audite, timete! Poſtquam Bellidux Joſue urbem Jerichuntinam expugnavit, & funditus delevit, ſimul terribiles anathematis minas adjecit. *Maledictus, qui ſuſcitaverit, & ædificaverit Jericho*: Qualis ergo Urbs erat Jericho? S. Auguſt. ait: Duo diverſi amores ædificarunt duas diverſas civitates; *Terrenam amor ſui uſque ad contemptum Dei! cæleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Jericho itaque, teſte Abulenſe, ſignificabat civitatem diaboli, munitam muro carnalis concupiſcentiæ, muro temporalis affluentiæ, muro mundialis excellentiæ. Hos muros Chriſtus, & Apoſtoli deſtruxerunt. Quis autem reædificat? reſpondet S. Eucherius: *Cum ad agenda ſcelera, quæ ei Dominus* JESUS *in die Baptiſmatis condonaverat, redit, quaſque ipſe anathematizaverat, diaboli pompas, luxurioſe vivendo repetit, ruinas Jericho reſuſcitat.* En! qui has ruinas reſuſcitat, qui peccatum pœnitentia deletum vel in ſe, vel in aliis reviviſcere facit, maledictionem Divinam in animam ſuam contrahit, quod Deus benigne avertat! &c. Vide Barz. ſerm. 41 §. 1.

Feria III. Paſchatis.

*De remediis curandi relapſum in peccata.*

1. O*portebat Chriſtum pati in remiſſionem peccatorum.* Luc. 24. Inter corporis morbos fere maligniſſimus eſt morbus caducus, ſeu Epilepticus: iſtiuſmodi miſeri homines volvuntur in terra oculos diſtorquent, labiis ſpumant, rugiunt ut bruta. Dicitur remedium illis eſſe ultimum, ſi ſanguinem malefici decapitati bibant, dein violenter currant, & inter duos equos raptati fatigentur. Grande malum! ſed longe terribilius eſt Epilepſia animæ, qua miſeri peccatores in peccata priſtina, & jam remiſſa relabuntur; tunc enimvero volutantur in luto malitiæ, oculos, quos ad cælum erexerant, ad terrena detorquent, vivunt ut bruta ratione carentia. Vultis ut remedia infelici morbo præſcribam? Paratus ſum, Audite! 1. Bibant ſanguinem illius, qui elapſa ſeptimana inſtar Malefici in monte Calvariæ interfectus eſt, id eſt, ſtudeant confeſſionem ſerio contritam, & ſumptionem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, tanquam medicinam ſaluberrimam ſæpius frequentare. 2. Dein currant ſine intermiſſione, id eſt, pravas occaſiones, & conſortia periculoſa fugiant; morbus enim iſte contagioſus eſt, & libidinoſum, nil minus metuentem, velut ignis paleam accendit. 3. Raptentur inter duos equos, id eſt, inter miſericordiam & juſtitiam, inter ſpem & metum! in tentatione reſpiciat juſtitiam, poſt victoriam tentationis laudet Dei miſericordiam, & ejus gratiam ſæpius humillime imploret. Id omne ſi ſincere coram Deo agat, hæc remedia illi proderunt contra Epilepſiam ſpiritualem, ſeu relapſum in peccata. Vide Lohneri Bibl. Tom. 2. V. Peccatum §. 7. num. 13. ubi peccatum comparat morbo caduco. Item Vide Tit. Relapſus, Peccatum! Et Barz. ſerm. 60. per totum.

*De cauſis relapſus in priſtina peccata.*

2. *Oportebat Chriſtum pati, & prædicari pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum.* Luc. 24. Iſraelitæ in captivitate Ægyptiaca detenti licentiam petiere a Rege Pharaone, nonnihil abeundi, & Deo ſacrificandi. Dedit Pharao licentiam, ſed non ultra tres dies, & ut eſſet ſecurus de eorum reditu, præcepit, ut ſuas reculas pignori relinquerent. Eundem in modum agit infernalis Pharao! hoc Paſchali tempore dedit quidem peccatoribus licentiam, ut ſacrificaturi, id eſt, SS. Sacramenta ſumpturi abirent, ſed non ultra tres dies, & reculas ſuas pignori relinquerent. Et hæc cauſa eſt proh dolor!! quod multi pœnitentes Sacramenti gratiam facile iterum perdant, & ad captivitatem dæmonis revertantur. Forſan multi ſunt ex præſentibus, qui his feriis Paſchalibus, Deo iterum tergum verterunt, & jugo peccati jam de novo ſe mancipatarunt. Sed quænam ſunt illæ reculæ, quibus dæmon illos retrahere ſtudet? Sunt pravæ affectiones ex peccato reſiduæ, ſunt pravæ occaſiones, ſunt malæ conſuetudines. Vide Barz. ſerm. 41. §. 4. & 5. O quantum olim S. Auguſtinus ad Deum rediturus luctabatur cum aſſuetis voluptatibus, quaſi deplorans, quod illis deinceps frui non amplius ſibi liceret. Vide Barz. ſerm. 49. n. 16. Sicut puer aviculam filo ligatam tenens, illam, dum avolare tentat, retrahit: ſic infernalis ludio peccatorem amore occaſionis tenet & retrahit, exemplum habemus cum Herode, & Herodiade. Vide Speranz. punct. 107. Item Tit. Pœnitentia. &c.

*Quomodo ſananda infirmitas relabentium in peccata.*

3. *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum.* Luc. 24. Sanctus Gentium Apoſtolus, dum Chriſtianos, præſertim Neoconverſos ad conſtantiam & perſeverantiam hortatur, exemplum Chriſti reſurgentis illis ante oculos ponit, inquiens: *Chriſtus ſurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Verum cur Apoſtolus ſolum Chriſti reſurrectionem exemplo allegat? cur non meminit Lazari, aut eorum, qui in morte Chriſti e ſepulcris prodierunt? nimirum ideo, quia Lazarus, & illi reſurgentes denuo mortui ſunt, Chriſtus autem reſurgens a mortuis in æternum vivit. O utinam par eſſet pœnitentium in vita gratiæ conſtantia & perſeverantia! verum quam facile, qui Chriſti videbantur, fiunt Lazari. Vide Barz. ſerm. 62. n. 16. Item Mich. a Calvo conc. 42. §. 1. Quid ergo agendum? Sicut ægro convaleſcenti a Medico vitæ norma una cum alexipharmacis præſcribitur; ita idem S. Paulus præſcripſit Corinthiis quinque remedia. Et quænam ſunt illa? Sunt credenda, agenda, vitanda, ſperanda, timenda. Vide Barz. ſerm. 62. per totum, præſertim nu. 9. Per *credenda* admonetur Chriſtianus, ut articulis ſanctæ fidei ſine ulla hæſitatione, inconcuſſa firmitate adhæreat. Per *agenda* admonetur, ut per bonorum operum exercitationem theſaurum meritorum pro cælo emendo ſibi comparet. Per *Vitanda* admonetur, ut peccatum ſuper omnia mala fugiat, occaſiones etiam

etiam & pericula peccatorum ſtudioſe declinet. Per *Speranda* admonetur, ut pro vincendis tentationibus, & adverſis pro Deo perferendis cælum frequenter ſuſpiciat, & promiſſam ibi mercedem æternam conſideret. Per *Timenda* denique admonetur, ut in ſuperandis difficultatibus, ipſaque morte exantlanda intuitu pœnarum infernalium ſeipſum excitet, & confortet. Fac hoc mi Chriſtiane, & in peccatum non relaberis. &c.

### Dominica I. poſt Paſcha.

*De SS. Vulneribus Chriſti, & gratiis exinde profluentibus.*

1. *Oſtendit eis manus & latus, & gaviſi ſunt Diſcipuli.* Joan. 20. Immenſa erat lætitia populi Iſraelitici, dum per deſertum in ſumma aquarum penuria denique regionem Elim attigit fontibus irriguam, ubi quilibet ſe refocillare, & ſitim reſtinguere potuit. Et tamen quid ſunt fontes Elim comparari fontibus SS. Vulnerum, quibus Chriſtus aquam gratiarum in nos effudit? Hos fontes hodie Chriſtus Diſcipulis ſpectandos dedit, dum *oſtendit eis manus & latus*, his viſis gaviſi ſunt Diſcipuli, ſcientes, hos fontes in præſentis vitæ deſerto eſſe noſtras delicias. Videamus, quibus deliciis in noſtram ſalutem ſcaturiant hi ſacri gratia-
Iſa. 12. rum fontes, de quibus Propheta: *Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris!* Tres qualitates habet aqua fontana, lavat, fœcundat & ſitim extinguit. Eundem in modum aqua gratiarum e Sacris Vulneribus, 1. Lavat; quia maculas animæ
Ezech. 36. abſtergit: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Imo, quod aqua naturalis non poteſt, non tantum purgat maculas, ſed pulchritudini animæ tribuit majorem pulchritudinem, quam antea habuit. 2. Aqua fontana fœcundat, & conducit ad plantas irrigandas. Ita aqua gratiarum e SS. Vulneribus profluens fœcundat animas, ut ſemper ſint velut horti aquis irrigui, bonorum operum feraces: imo plus facit aqua gratiarum, quia etiam aridas & ſteriles animas ſucco vitali animat. 3. Aqua fontana ſedat ſitim: id etiam facit gratia! verum duplex eſt ſitis, mala & bona: Mala & pernicioſa eſt, quam patiuntur laſcivi, avari, ambitioſi: Et hanc ſitim extinguit gratia, quia tollit deſideria ſcelerata & ſuperflua. Bona ſitis eſt, quæ anhelat ad ſummum Bonum, & hanc accendit gratia; quia ſemper majus inſpirat deſiderium videndi & amandi Deum: *Qui bibent me,* Eccl. 24.
*adhuc ſitient, &c.* Tu igitur, mi Chriſtiane, ad SS. Vulnera Pedum roga, ut laveris! ad SS. Vulnera Manuum roga, ut fecunderis! ad SS. Vulnus Pectoris roga, ut ad cæleſtia deſideria evcharis. Cape aliam praxin valde devotam: Sacerdos quidam omnes afflictiones, quas paſſus eſt, in ſchedula ſcribens, illas in Vulnus SS. Cordis Chriſti Crucifixi repoſuit, tentationes, perſecutiones, morbos, dolores, aliaque dum ad mortem pervenit, has ſchedulas omnes ex S. Vulnere protraxit, & in iis ingentem ſalutis ſpem concepit. Fac tu ſimiliter, & erunt tibi SS. Vulnera fontes aquæ ſalientis in vitam æternam! Vide P. Segneri Manna an. 21. Maji.

*Quibus motivis propoſitum firmandum ſit contra peccata.*

2. *Noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Jo. 20. Gratulor immenſam felicitatem Chriſtianis illis, qui ex expiata per Sacramentum Paſchale conſcientia cum Deo reconciliati ſunt, precorque illis contra relapſum invictam fortitudinem, qualem habuit Joſephus Ægyptius: Tentatus a Domina domus turpiſſime, quomodo ſe habuit? elatis in cælum oculis, repoſuit: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Ecce! non tantum difficile, ſed omnino impoſſibile ſibi judicavit peccare contra Dei legem! ſed quibus motivis ſtabilivit hanc impoſſibilitatem, & invincibile propoſitum? Id hodie diſcutiamus, ut dicere tibi poſſim, mi Chriſtiane, *noli eſſe incredulus ſed fidelis!* 1. Tentatus S. Joſeph reflexit oculos in præteritum, nempe in Beneficia a Deo a teneris accepta, in perſecutione, venditione, & inſidiis fratrum. Tu mi Chriſtiane, tentatus a mundo, carne, & dæmone, cogita, quam benigne te Deus crearit, conſervarit, contra millena corporis & animæ pericula defenderit, &c. 2. Tentatus S. Joſeph aperuit oculos ad præſens, nempe ad Deum omnia videntem, & audientem. Tu mi Chriſtiane, in tentatione, imaginare tibi præſentiam Dei, & Angeli Cuſtodis, eorumque vel gaudium in victoria, vel indignationem in tuo peccato. 3. Tentatus S. Joſeph præ oculis habuit futurum, nempe diſtrictum Dei judicium. Tu fac ſimiliter, & perpende, quanto tibi dedecori futurum ſit in judicio ſi vincaris, quantæ gloriæ ſi vincas, &c.

Id



Id ſi facias, timor Dei in animo tuo ſic operabitur, ut cum S. Joſeph impoſſibile tibi videatur, peccare contra Deum, quod ex animo precor! Vide Corn. a Lap. in Gen. c. 39. v. 9.

*Peſſimi effectus relicti a peccato retrahunt ad relapſum.*

3. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Eccli. 5. Nunquam vidiſtis, quomodo ludibundus puer aviculam filo alligatam decipiat? interdum illam in liberum aerem avolare permittit, at cum illa exultat, & cantillat, miſeram filo in caveam, & captivitatem retrahit. Sic agit infernalis auceps cum multis pœnitentibus, qui hoc tempore Paſchali ſe liberos, & ſecuros putant! ſubito miſeros in peccati captivitatem retrahit. Sed quo filo? quadruplici, ex peccatis reſiduo; ita ut plane moneri indigeant: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu!* Per quadruplex filum intelligo peſſimos effectus, quos peccatum, juxta Thomam Angelicum, in anima relinquit. 1. effectus peccati eſt, quod per illud *ratio hebetatur;* quia per peccatum mens hominis adeo obtenebratur, ut ad cognoſcendas veritates ſupernaturales non amplius ſit tam ſerena & expedita, quam fuit antea. 2. Per peccatum *voluntas induratur*, ita, ut ad inſpirationes Divinas fiat obſtippa, & inſenſibilis, &c. 3. Per peccatum *difficultas bene agendi creſcit*, eum in modum, quo æger a febre convaleſcens, non aptus eſt ad labores arduos, quibus antea par erat. 4. Per peccatum *concupiſcentia exardeſcit:* Flamma candelæ per flatum oris extincta, dum lychnus adhuc fumigat, facillime reaccenditur; ita concupiſcentia, quæ paullo ante arſit, per obviam occaſionem ardere de novo incipit, &c. Vide Barz. ſerm. 43. num. 8.

### Dominica II. poſt Paſcha.

*De vigilantia, & cura Superiorum ſuper animas ſibi a Deo commiſſas.*

1. *Ego ſum paſtor bonus: bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Joan. 10. Errant, qui nomen paſtoris ſolis Sacerdotibus & Parochis proprium putant! Paſtores ſunt Superiores reſpectu ſubditorum, Parentes reſpectu filiorum, Patresfamilias reſpectu domeſticorum: horum omnium curam habere, & de eorum vita & vitiis Deo Judici rationem reddere debebunt. De his omnibus ſoliciti ſint. 1. ut illos a teneris in legendo, in ſcribendo, in addiſcendis fidei principiis erudiant, aut erudiri ab aliis procurent. (Vide Tit. Parentes) 2. Illos verbo, & exemplo, piiſque monitis, ad virtutem, ad audiendum Verbum Dei, ad catecheſin frequentandam, aliaque pia opera extimulent. 3. Illos a vitiis, a malis occaſionibus, a conſortiis ſuſpectis retrahant, aut ſi monitis obedire nolint, e ſervitiis manumittant; quia unicus peccator maledictionem Divinam ſupra totam domum provocat, & inducit. Vide Tit. Patresfamilias, Peccator &c. Id triplex munus ſi Superiores, Parentes, & Patresfamilias negligant, non paſtores ſed mercenarii ſunt, qui & ipſi una cum ſcabioſis ovibus in dentes infernalis lupi incident, &c.

*De ſignis prædeſtinationis explicatis ſub qualitatibus oviculæ.*

2. *Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Joh. 10. Non puto frequentiori cogitatione turbari Chriſtianorum conſcientias, quam illa: Heu! quid de me fiet? ubi in illa die collocandus ero, a dextris vel a ſiniſtris? Erone inter oviculas Chriſti, aut inter hædos impiorum? Cogitatio hæc ſine dubio plena eſt anxietatibus. Sed macti animis eſtote! Divinus Paſtor dicit: *Cognoſco oves meas!* Ergo oves Chriſti habent ſigna, ex quibus cognoſcantur. Habent! quænam ſunt hæc ſigna? Dabo hodie tria, alias daturus cetera! 1. Qualitas oviculæ eſt magna orexis ad ſalem: & primum ſignum oviculæ Chriſti eſt magna æſtimatio & appetitus ad Verbum Dei, quod ſale ſignificatur. Qui Germanus eſt, libenter audit linguam Germanicam, Gallus Gallicam & ſic de ceteris: Parem in modum, qui ad cæleſtem patriam deſtinatus eſt, libenter audit linguam cæleſtem. Oves meæ vocem meam audiunt, &c. 2. Qualitas oviculæ eſt odium adverſus lupum: Et alterum ſignum oviculæ Chriſti eſt implacabilis nauſea & averſio adverſus peccatum. Hujus vel umbram fugere, & omne periculum declinare, atque potius mala corporis ſuſtinere, quam in peccatum, quo Deo nihil eſt execrabilius, conſentire debet. (Vide Tit. Peccatum) 3. Qualitas oviculæ eſt manſuetudo, & concordia cum aliis. Ita tertium ſignum oviculæ Chriſti eſt caritas proximi, cui tam in neceſſi-

tate

tate ſpirituali, quam corporali compatiendum & ſuccurrendum eſt. Vide Tit. Caritas Proximi &c. Item Barz. ſer. 48. a num. 13. & ſeq.

*Continuatio de ſignis prædeſtinationis.*

3. *Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Joan. 10. Explicata ſunt paullo ante tria ſigna prædeſtinationis per qualitates oviculæ, nempe auditio Verbi Dei, odium peccati, & manſuetudo, ſeu caritas proximi. Pergamus, & hodie iterum quatuor id genus qualitates & ſigna explicemus. 1. ſeu potius quarta qualitas oviculæ eſt, quod lanam ad veſtimenta, lac ad ſitim reſtinguendam, & carnes ad eſum famelici ſatiandam libenter ſubminiſtret. Ita ſignum oviculæ Chriſti, ad ovile cæli prædeſtinatæ, eſt miſericordia erga pauperes, ita, ut cum tempore laudari a Divino Judice mereatur: Eſurivi & dediſti mihi manducare, ſitivi & dediſti mihi bibere, nudus eram & cooperuiſti me, peregrinus eram, & ſuſcepiſti me. 2. ſeu quinta qualitas oviculæ illa eſt, quod ſi a via aberret, balatum edat indeſinenter, donec ad Dominum redierit: Ita ſignum oviculæ Chriſti eſt, quod ſi per peccatum a ſemita mandatorum declinarit, ſine mora operam conferat, ut feria pœnitudine ad viam ſalutis revertatur. 3. ſeu ſexta qualitas oviculæ eſt mirabilis patientia, qua cædi, duci, pungi, maſtari ſe paratiſſime permittit. Ita ſignum eſt oviculæ Chriſti, quod adverſitates, perſecutiones, morbos & mortem, uno verbo, proſpera & adverſa pleniſſima cum reſignatione ſuſtineat. 4. denique ſeu ſeptima oviculæ qualitas eſt, quod imminente hyeme plus, quam alias comedat. Ita ſignum eſt oviculæ Chriſti, quod vita declinante ad mortem in uſu, & participatione Sacramentorum, præſertim Euchariſtiæ frequentior ſit; quanto longius eſt iter, tanto major debet eſſe ſolicitudo de Viatico ſibi comparando, &c. Vide Barz. ſerm. 48. per totum.

*De Pſeudo-paſtoribus animarum.*

4. *Paſtor bonus animam ſuam dat pro ovibus &c.* Quod Paſtor pro tuenda totius gregis incolumitate officio ſuo deſit, & oves ſuas fidei commiſſas luporum inſidiis ex incuria aut negligentia relinquat, grande delictum eſt. Verum longe execrabilius, ſi Paſtor ipſe in lupum migret, & in perniciem ovium conſpiret. Eſtne poſſibile tam grande malum? Eſt omnino poſſibile, & frequens. 1. Quid ſunt Patresfamilias, niſi a Deo conſtituti paſtores, qui vices ſuas gerant, & commiſſas ſibi domeſticorum animas doctrina & exemplo ad cælum manuducant? quid autem agunt? dormiunt, ludunt, jurant, inebriantur, impudicitiæ vacant, ſicque peſſimo exemplo domeſticos depravant, imo rident, ſi famulos & famulas non minus impudentes, vitia ſua æmulari conſpiciunt. Lupina hæc crudelitas eſt. 2. Quid ſunt parentes, niſi conſtituti a Deo filiorum paſtores? Quid autem agunt? Mater ipſa filiam vanitatibus aſſuefacit, pecuniam illi ſubminiſtrat, ad conſortia & choreas emittit, inſtruitque, quomodo proco placere, ejuſque animum demulcere poſſit, &c. Lupina hæc crudelitas eſt. 3. Sunt & alii, qui ſe paſtores jactitant, populum enormibus contra fidem mendaciis pervertunt, juventuti perſuadent, per ſolam fidem hominem ſalvari, mandata Dei non debere, imo nec poſſe obſervari, adeoque portam libere aperiunt ad ſcelera impudentiſſima, cum ruina, & damnatione innumerabilium animarum! Lupina hæc & diabolica crudelitas eſt! &c.

## Dominica III. poſt Paſcha.

*Modica tam in vitiis, quam in virtutibus non contemnenda.*

1. M*odicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.* Joan. 16. Cum ingenti animi deſiderio vellem optare, ut hodiernum Evangelii Modicum in cordibus Chriſtianorum indelebili charactere inſculperetur; quia certe tunc plures ſalvarentur animæ, & pauciores damnarentur. Modicum hoc terribile aliquid eſt in genere mali, Modicum hoc inæſtimabile aliquid eſt in genere boni, propter effectus, quos poſt ſe trahunt. Agite, edoceamur utrumque! 1. Diſcat Chriſtianus timere modica in vitiis! quia per gradus, & ſenſim ſine ſenſu perducunt ad maxima! qui hodie cum riſu effutit mendacium jocoſum, cras erumpet in pernicioſum, & qui hodie audet furari obolum, paullo poſt non exhorreſcet extendere manum ad florenum; veriſſimum enim eſt; *qui ſpernit modica paullatim decidet.* Interroga omnes damnatos cauſam æternæ ſuæ infelicitatis, invenies, quod ab infimo gradu mali inceperint, & ſucceſſive ſemper audaciores



res ad ſummum malitiæ apicem aſcenderint, &c. 2. Diſcat Chriſtianus æſtimare modica in genere boni; quia per hæc ſucceſſive aſcendet ad magnam ſanctitatem! Sancti non ſemper exercuerunt actus heroicos, ſed ad actiones quotidianas ſui officii ſolicite attendebant, in orando ſine diſtractione, in ſufferenda levi injuria, in mortificatione paſsionum, in labore cum bona intentione peragendo erant attenti ac ſoliciti, eum in morem, quo Mulier fortis colum, & linum & lanam & lucernam ſolerter tractavit, & ſic de ſingulari pietate laudari, & Sanctis comparari meruit. Nonne, mi Chriſtiane, miracula facere, Eccleſias ædificare, Hoſpitalia pro pauperibus fundare, eleemoſynas ingentes diſtribuere non potes, ſi ergo modicas, eaſque fere horarias occaſiones merendi negligas, quale meritum in morte pro cælo ſperando allegabis? &c. Vide P. Segneri Manna an. 8. Auguſti, & 27. Martii n. 2. Item, Cura minimorum Lib. VI. Tit. Virtus.

*Magna felicitas latet ſub tribulationibus.*

2. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* *Joan.* 16. Quis credat, niſi expertus, ſub amaro nucis cortice tam ſapidum & dulcem nucleum deliteſcere? Plus dico, quod magis admirandum eſt! Quis credat, ſub amaritudinibus hujus ſæculi, uti ſunt adverſitates, perſecutiones, morbi, paupertas tam dulce, illudque perenne gaudium latere, ut Sancti immenſo cum deſiderio mundi tribulationes a Deo rogarint, & impetratas ſuper divitias & voluptates amarint, & æſtimarint. Quænam ergo ſunt felices illæ utilitates adverſitatum? Prima eſt, quod doceant nos timere juſtitiam; certum enim eſt, quod juſtus Deus exigua, & quotidiana delicta per temporales tribulationes expiet, & puniat; id conſiderantes homines juſti, cauti attentique redduntur ad cavenda etiam modica, gaudentque, quod pro horum reatu per temporales hujus, & non alterius vitæ pœnas juſtitiæ Dei ſatisfacere poſsint. Secunda tribulationum utilitas eſt irreconciliabile odium adverſus peccatum, quod cauſa fere unica eſt malorum a Deo immiſſorum. Sicut filius prodigus in exilio ſuo per inopiam, famem, & ſiliquas tandem edoctus eſt, damnare ſuam libertatem, & reverti ad Patrem, ita homo afflictus per temporalia mala illuminatur ad agnoſcendam, ac deteſtandam gravitatem peccati, illamque expiandi per veram pœnitentiam. Tertia denique tribulationum utilitas eſt, quod animus per amaritudinem vitæ temporalis trahatur ad deſpicienda mundana & deſideranda gaudia vitæ æternæ, id quod Chriſtus Dominus hodie Diſcipulis triſtantibus ſolatio edixit: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis!* &c. Vide Barziam Serm. 75. num. 14. Item Tit. Adverſitas, Patientia &c.

*Dæmon, caro, mundus decipiunt, ſuadendo, ut contemnantur modica.*

3. *Mundus gaudebit, vos vero contriſtabimini.* *Joann.* 16. Quiſquis ſapit, malet cum Diſcipulis Chriſti triſtari, quam cum mundo gaudere; quia certum Dei oraculum eſt, quod triſtitia illa vertetur in gaudium, econtra gaudium iſtod vertetur in triſtitiam, forſan ſempiternam. Et tamen eheu! quomodo fieri poteſt, quod evanidus homo, in voluptates, divitias, & honores demerſus tam turpiter ſe decipi permittat, ut contrarium eligat? Quis ergo illum decipit? Ecce! Spiritus Sanctus per Sapientem id inſinuat: *Tres ſpecies odivit anima mea: Pau-* Eccl. 25.
*perem ſuperbum, divitem mendacem, & ſenem fatuum ac inſenſatum.* Quinam ſunt hi tres deceptores? ſunt mundus, caro, & dæmon! Audiamus enucleatim! Primus Deceptor vaniſsimi Mundi Amatoris eſt, *pauper ſuperbus*, id eſt, dæmon, qui licet omnibus gratiæ donis privatus, inter vincula inferni retinet ſuam ſuperbiam, & volens eſſe Dominus Mundi, divitias immenſas appromittit nimis credulo, eum in morem, quo olim in monte Chriſto omnia mundi regna promiſit, *Hæc omnia tibi dabo!* Hoc modicum, quod reſpectu cæli minus eſt, quam guttula reſpectu integri maris, jactabundis laudibus extollit. Et revera contemptibile nihilum eſt. Alter Deceptor hominis mundani eſt *Dives mendax*, ſeu Caro! perſuadet homini mortificationem, jejunia, modeſtiam morum, victoriam paſsionum, fugam voluptatum, jacturam periculoſæ familiaritatis & arctam virtutis ſemitam eſſe impoſsibilem, adeoque quod muſculus eſt, per modum elephanti deſcribit, vociferans, non poſſum! non poſſum! Tertius denique Deceptor eſt *Senex fatuus* id eſt, Mundus, qui jam ultra ſexaginta ſex ſæcula conſeneſcens, & pueriliter in moribus agens, Sapientiæ Dei ſe opponit, ſuadens,

dens, dignitates ſuas ac honores eſſe felicitatem maximam, qui tamen modicum ſunt paullo poſt diſparens, & in æternum contemptibile. Dicit, eſſe probroſum, inimicis ignoſcere, amplecti paupertatem, & quæ ſunt ſimilia &c. Avertat Deus, ut quis fidem tribuat his deceptoribus! &c. Vide P. Segneri Manna an. 26. Aprilis, nu. 2. Item Jo. a Buſmanſhauſen in Feſto S. Catharinæ.

## Dominica IV. poſt Paſcha.

*De fine ultimo hominis.*

1. V*Ado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?* Joan. 16. Navigium Jonæ, contra mandatum Domini abire volentis in urbem Tharſis, coorta terribili tempeſtate parum abfuit ab exitio: ubi vero nautæ edocti ſunt, hoc malum pœnam eſſe fugitivi Prophetæ, examinarunt illum interrogando: *Quæ eſt terra tua? quo vadis? & quod opus tuum?* Videtur malorum fere omnium, quæ inſtar tempeſtatum nobis iter hujus vitæ tam temporaliter, quam ſpiritualiter perturbant, cauſam eſſe maximam, quod pauci ſint, qui trinam hanc nautarum interrogationem cordi habeant. Quilibet Chriſtianorum finem ſuum ultimum, ad quem creatus eſt, ſerio præ oculis habere, quotidie ſe ipſum examinare deberet (Percipite ſcopum ac diviſionem hodierni ſermonis) 1. *Quæ eſt terra tua?* Reſponde, mi Chriſtiane, terra mea eſt vita hæc corruptibilis, proſperis & adverſis, bonis & malis intermixta, in juventute erat mera ignorantia, in adoleſcentia mera malitia, in ætate virili cura de terrenis, oblivio de Divinis, in ſenio tandem metus & anxia puſillanimitas de futuris, &c. 2. Nautarum interrogatio erat: *Quo vadis?* Reſponde mi Chriſtiane, tot paſſibus, quot temporis momentis vado ad æternitatem! Ad qualem? Beatam, vel infelicem? ſi Beatam Deo miſerente attigero, laudabo Bonitatem infinitam, quæ non meis meritis, ſed ſua miſericordia me ſalvum fecit, ſimulque quantum potero, mihi ipſi indignabor, quod tam Bono, & Amabili Domino adeo languide ſervierim. Si in æternitatem infelicem incidero, eheu! in tormentis deplorabo per omnem æternitatem, quod caducis & inanibus rebus plus quam cæleſtibus inhiarim. 3. Nautarum interrogatio erat, *Quod eſt opus tuum?* Reſponde, mi Chriſtiane, opus meum ſeu opera mea, teſte conſcientia mea, adeo ſunt ambigua, ut dubitem, an ſim in Dei gratia, vel in ſtatu peccati mortalis! Et in hoc ſtatu vel momentum vivere auſim? creatus ſum in hunc finem, ut Domino Deo ſerviam, & denique ſalvus fiam? Et ego mundo, carni, dæmoni potius ſervivi, quam Deo! Quid fiet de me? Eja! revertar ſerio in ſemitam ſalutis! pœnitentiam agam! implorabo Dei Miſericordiam! &c. Vide Barz. Serm. 14. §. 1.

*Quomodo arguendus ſit mundus de peccato, de juſtitia, & de judicio.*

2. *Arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.* Joan. 16. Hodierna Mundi indoles, & mores ita comparati ſunt, ut libertas contra leges præſcripſiſſe videatur: quilibet credit, quod vult, cuilibet licet, quod libet, omnes, præſertim tepidi ſemi Chriſtiani, terrenis inhiant, cæleſtia negligunt, de iis, quæ poſt mortem futura ſunt, dubitant, aut omnino inter fabulas rejiciunt. Et hæc erit ſeveriſſima Spiritus Sancti accuſatio, dicente Evangelii veritate: Arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. Videamus, quæ & qualis erit hæc triplex accuſatio! 1. Spiritus Sanctus arguet mundum *de peccato* tam in genere, quam in ſpecie! In genere quidem, quia licet ut offenſa Dei maximum ſit malum & omnium malorum fons & origo, tamen hodie parum curatur, & in omnibus fere hominum ſtatibus, ſine horrore dominatur. In ſpecie autem Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato infidelitatis, quia jam omnes hæreſes, & ipſe Indifferentiſmus, & Atheiſmus primatum tenent, & ille habetur doctior, qui in negandis, aut diſputandis fidei articulis eſt impudentior. 2. Arguet mundum *de Juſtitia*. In uno ſenſu juſtitia eſt interna, quæ denominat Juſtum, & conſiſtit in ipſa conſcientiæ, & vitæ ſanctitate: Et hæc deridetur, & exploditur: habetur pro ſimplici, aut ſemi-fatuo, qui de obſervatione Legis Divinæ aut humanæ multum eſt ſolicitus. In altero ſenſu Juſtitia Virtus eſt, quæ jus ſuum cuilibet tribuit. Et hæc eheu! quantum in curiis, in aulis, in tribunalibus, favore aut munere corrumpitur! præterea heu quantum deficit in eo, quod tranſitoria plus æſtimari videantur, quam æterna. 3. Arguet Mundum *de Judicio*, quia ſunt quamplurimi, qui judicium Dei vel





non credunt, vel ſi credunt, non timent, vel ſi timent, non ſtudent evitare, & ſic ſalutem ſuam cæco caſui committunt, &c.

*Quomodo ad ſalutem noſtram expediat aſcenſio Chriſti.*

3. *Expedit vobis, ut ego vadam.* Joan. 16. Si Divinum Mundi Redemptorem ſubmiſſiſſima cum veneratione, de omnibus actionibus vitæ ipſius interrogare auſi fuiſſemus: Domine, cur de cælo in terram deſcendiſti? cur aſſumpta humana natura, a ſtabulo Bethleemitico uſque ad montem Calvariæ mille ærumnas, contemptus, perſecutiones, dolores, & ipſam mortem amariſſimam in cruce ſuſtinere voluiſti? reſpondiſſet certe Servator: *Expedit vobis!* id eſt, veni in mundum, pure ex amore veſtri, ut per actiones totius vitæ, ipſamque mortem meam ſaluti veſtræ conſulerem! cum ergo vidit Chriſtus, quod Apoſtoli propter ſuum reditum ad cælos, ſuamque abſentiam triſtarentur, idemmet repetiit: *Expedit vobis!* Videamus, quas ergo utilitates noſtras Dei Filius per ſuam aſcenſionem ad cæleſtem patriam intenderit? 1. Expedit nobis Chriſtum aſcendiſſe ad cælos, ut per hanc aſcenſionem opus noſtræ redemptionis compleretur, ut cæli, qui per peccatum Adami clauſi, ac obſerati erant, aperirentur, & ut Electis, ſeu prædeſtinatis æternæ gloriæ ſedes præpararentur; hinc certum eſt, quod Chriſtus aſcendens, turmam Patrum hactenus in limbo exſpectantium ſecum duxerit, captivam ducens captivitatem. 2. Expedit nobis Chriſtum aſcendiſſe, ut munus Advocati apud Divinum Patrem pro genere humano, & ſpeciatim pro peccatoribus ſuſciperet; hinc retinuit in corpore Sacra Vulnera, quibus nihil potentius perorat; & ideo ſtatim poſt aſcenſionem miſſi ſunt Apoſtoli in univerſam terram, ut gentes in unitatem fidei, & peccatores ad pœnitentiam congregarentur. 3. Expedit nobis Chriſtum aſcendiſſe, ut mitteretur in mundum Spiritus ſanctus, qui docebit nos omnem veritatem. Præparemus corda per fidem, ſpem, caritatem, omniumque virtutum exercitia, ut cæleſtem Hoſpitem digne recipiamus, &c. Vide Diotallevi Dom. 4. poſt Paſcha.

## Dominica V. poſt Paſcha.

*Oratio debet fieri digne, attente, & devote.*

1. S*I quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan. 16. Veriſſima quidem eſt hæc promiſſio Chriſti, ſi quid petieritis Patrem, dabit vobis: verum non omni oranti, nec omni orationi facta eſt hæc promiſſio; quia tam oranti quam orationi, ut impetrent, neceſſariæ ſunt certæ diſpoſitiones. Et quænam illæ? Notate! Sacerdos, antequam Preces Canonicas Breviarii, ut vocamus, inchoat, in oratione præparatoria rogat Deum gratiam, ut Digne, Attente, ac Devote hoc Officium recitare valeat. Triplex hæc diſpoſitio ad omnem orationem indiſcriminatim neceſſaria eſt! Videamus quomodo! 1. Oratio debet fieri *Digne*, id eſt, mente pura, ab omni peccato libera, & gratia Dei exornata: Sanctus Apoſtolus Petrus, non lingua, ſed oculis veniam impetravit, quia oculi erant innocentes a negatione Chriſti, non lingua. (Vide Barz. Serm. 63. n. 23.) 2. Oratio debet fieri *Attente*, id eſt, cum reverentia, & recollectione animi ad verba, vel ad myſteria orationis, exemplo Annæ Matris Samuelis, de qua S. Chryſoſtomus ait: Multiplicabat preces in conſpectu Domini: nempe ſicut Deus præſens eſt precibus ſupplicantis; ita etiam præſentem vult eſſe animum ſupplicantis. (Vide Speranzam punct. 7.) 3. Oratio debet fieri *Devote*, id eſt, cum firma fiducia in Deum, exemplo Abrahami (V. Speranz. punct. 22.) item cum conſtantia, & perſeverantia, exemplo ægroti ad piſcinam, Davidis, Chananææ, & aliorum (Speranza punct. 7.) Tali orationi his qualitatibus prædicta Chriſtus promittit exauditionem. Præterea eſt ſolatium oranti in omni afflictione, dicente S. Bonaventura: *Frequens, & fervens oratio, diſſipat omne malum.* Vide Tit. Oratio. S. Bonav. in Spec. ſol. 6.

*Oratio defectuoſa non exauditur.*

2. *Petite, & accipietis,* Joan. 16. Quid eſt, cogitat Chriſtianorum nonnemo, quid eſt, quod veraciſſimus, & fideliſſimus Deus ſincere promittat, *Petite, & accipietis,* ego tamen in precibus meis jam diu continuatis non exaudior? quid conquereris? Ex parte Dei promit-

tentis certo non eſt defectus, videamus, an non ex parte tui, vel ipſius orationis defectus inveniatur, quo minus dignus ſis exaudiri. 1. Oratio indigna eſt exaudiri, ſi procedat ex corde impuro, ſine gratia Dei; ideo Iſraelitæ orantes nihil impetrarunt; quia adhuc erant idololatræ, (Vide Barziam Serm. 67. n. 16.) 2. Oratio defectuoſa eſt & indigna, ſi ſit diſtracta & negligens: Deus ipſe conqueritur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum procul eſt a me. Qua fronte prætendere potes, quod Deus te intelligat, cum te ipſum non intelligis? 3. Oratio non exauditur, cum petit rem noxiam contra Dei gloriam, aut contra ſalutem petentis: aut ſi petit rem mere terrenam, inanem, neglectis cæleſtibus, & æternis, quæ animam concernunt, &c. 4. Denique oratio defectuoſa eſt, & indigna exaudiri, ſi ſit puſillanimis, & inconſtans, &c. Vide Tit. Oratio, &c. Caveat Chriſtianus orans hos defectus, & ita orationem ſuam meritoriam faciat, ut, quod paucis requirit S. Auguſtinus, ſit oranti præſidium, Deo ſacrificium, & dæmoni flagellum „ & ſic verum erit illud *Petite, & accipietis!* Vide Corn. a Lap. in Exod. c. 17. v. 11.

*Oratio immunda, & negligens nihil impetrat.*

3. *Si quid petieritis Patrem, dabit vobis. Jo.* 16. Si quis ſubditorum gratiam exoraturus Principi libellum ſupplicem porrigeret, ſed ſordidum & maculoſum, nugis nugarum plenum, ac charactere obſcuro illegibilem, certe e veſtigio faceſſeſe juſſus, nihil gratiarum impetraret. Oratio, quam ad Deum fundimus, quid eſt, niſi libellus ſupplex? quodſi hæc oratio iiſdem maculis conſpurcata, & defectuoſa ſit, quid mirum, quod contra Dei promiſſionem, id quod petimus, non impetremus? Explicemus, quænam ſint hæ maculæ ac defectus! 1. Oratio maculoſa ac ſordida eſt, cum ex corde peccatis contaminato procedit! Quæſo, ſi occiſor regii filii, manus adhuc ſanguine rubentes, ad patrem Regem elevaret, gratiam rogaturus, nonne indignationem potius, quam commiſerationem referret? Peccator latro eſt Divini Filii! ni ergo peccatum pœnitentia abluat, non vitam ſed mortem reportabit. 2. Oratio nugis nugarum plena eſt, cum ſolum funditur pro rebus mere terrenis v. g. pro divitiis, nuptiis, aut officio conveniente, & quidem ſine conditione appoſita, ſi ad Dei gloriam, & animæ ſalutem cedat? &c. 3. Oratio obſcuro, & inintelligibili charactere ſcripta eſt, ſi ſit diſtracta, ex animo circum circa evagante aſcendens &c. Hi ergo defectus orationem faciunt inefficacem, ita ut negligens orans potius cum novo peccato, quam cum merito a Deo recedat. Vide Tit. Oratio!

## Dominica VI. poſt Paſcha.

*Qua præparatione Spiritus Sanctus in cordis hoſpitium recipiendus ſit.*

1. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis. Joan.* 15. Sancta Virgo Mechtildis ex Sponſo Divino quærens, quænam eſſet optima ratio ad Sacram Communionem ſe digne præparandi, hoc tulit reſponſum: Fac id, quod fecerunt Apoſtoli mei, quando eos miſi, ut pararent mihi Paſcha! Hoc idem reſponſum vellem referre iis, qui me interrogarent, quid faciam, ut advenienti Spiritui Sancto dignum in corde meo habitaculum præpararem? Fac id, quod fecerunt Apoſtoli! Videamus, quid fecerint. (Vide Micam Panis die 28. Octob.) Prima præparatio Apoſtolorum erat ſeparatio per hos dies a creaturis: *Cum introiſſent in cænaculum.* Parem in modum, anima Chriſtiana, his diebus, profanis ac inanibus negotiis, quantum fieri poteſt, ſe ſubducat, & in ſolitudine ſacris cogitationibus, & deſideriis vacet. Secunda præparatio Apoſtolorum fuit frequens, & ardens oratio: *Erant perſeverantes in oratione.* Parem in modum anima Chriſtiana oratione, & meditatione rerum cæleſtium ſeſe occupet, frequentes virtutum actus eliciat, Scripturam legat, aut ſi his par non ſit, orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolicum conſiderabunde quotidie percurrat; ait enim S. Iſidorus: Omnis latitudo Scripturarum in oratione Dominica, & Symboli brevitate concluditur. *S. Iſid. de ſummo bono l. 1.* Tertia præparatio Apoſtolorum erat pax cum proximo, & ſecum ipſo, juxta illud: *Unanimiter.* Parem in modum anima Chriſtiana, lites cum proximo per reconciliationem, & remorſus ſuæ conſcientiæ per ſacram exomologeſim componat. Quarta demum præparatio Apoſtolorum fuit recurſus ad Beatam Virginem pro cordis diſpoſitione: *Cum Maria Matre JESU.* Parem in modum, anima Chriſtiana, pro impetranda cordis diſpoſitione ad recipiendum Divinum Hoſpitem ad ſanctiſſimam, puriſſimamque Virginem recurrat, &c.



*De peccato ſcandali.*

2. *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Joan.* 16. Quid ergo locutus eſt Dominus Apoſtolis? prædixit illis perſecutiones, & promiſit fortitudinem Spiritus ſancti confortantis. An ergo Apoſtoli fuiſſent ſcandalizati, ſi hæc illis Dominus non prædixiſſet? fuiſſent omnino! cum enim in manus incidiſſent perſequentium tyrannorum, cogitaſſent ſecum ipſis: De his ærumnis & tormentis nihil audivimus a Divino Magiſtro, ſicque puſillanimes manum retraxiſſent ab aratro, id eſt, a converſione gentium. Verum hoc ſcandalum fuiſſet mere acceptum, non datum. Quid autem eſt, ſcandalum acceptum, quid datum? Hoc edoceamur in præſenti diſcurſu, ubi agemus de ſcandalo, grandi malo quo depravatur mundus, & innumera peccata cauſantur! 1. Scandalum acceptum evitari non poteſt; quia etiam ex ſanctiſſimis actionibus, ſiniſtre & maligne interpretatis ſumitur, eum in modum, quo ex eodem floſculo apicula mel, & aranea venenum ſugit: ſic Judæi ſcandalizati ſunt in operibus Chriſti, & hodiedum hæretici in functionibus & dogmatis Eccleſiæ ſcandalum capiunt. 2. Scandalum datum eſt actio, vel locutio peccaminoſa, quæ videnti vel audienti præbet occaſionem ſpiritualis ruinæ. Hoc ſcandalum dum ſua vitæ licentia præbent Principes, Magnates, Nobiles, populum peſſimo exemplo poſt ſe trahunt ad peccata, ad hæreſim, ad Atheiſmum. Hoc ſcandalum præbent Mulieres impudicæ, minus decenter veſtitæ, impuri blaterones verba obſcena latrantes, Parentes, ac Patresfamilias & alii per crapulas, juramenta, impudicitias, & alia crimina &c. 3. Væ illis, quia pœnæ peccatorum omnium, quæ cauſant, in caput eorum redundabit: Deus præcepit, *Si ignis egreſſus invenerit ſpicas, reddet damnum, qui ignem ſuccendit.* Quanto magis reddet damnum ille, qui alteri cauſa fuit ignis æterni? &c. V. Tit. Scandalum. Item Barz. Serm. 37. n. 3 4. 32. &c.

*De bono perſecutionum.*

3. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Adeſt revera tempus & hora, qua Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, quibus ex officio incumbit, oppugnare, & extirpare crimina, paſſim odio habeantur a mundo, & qui corrigunt peccata, magis perſecutionem patiantur, quam qui illa committunt. Sed qua de cauſa permittit Deus homines juſtos, famulos ſuos injuſtis tribulationibus ita tribulari, ut & perſecutores putent, ſe obſequium præſtare Deo? Dabo cauſas in ſolatium Sacerdotum, & in terrorem peccatorum! Cur homines juſti peccatorum correctores odium mundi, & perſecutiones patiantur, 1. ratio eſt, ut augeantur ipſorum merita; longe enim difficilius, magiſque meritorium eſt, prodeſſe proximo ingrato, quam benevolo, & pro labore referre potius contemptum, quam præmium. 2. Ratio eſt, ut quotidianos defectus expient; cum enim Sacerdotes, & animarum curatores quotidie inter homines vitioſos verſentur, facile fieri poteſt, ut inter tot ollas maculam contrahant: hanc maculam Deus abſtergit, & dealbat per perſecutiones, 3. ratio eſt, ut peccatores ſuo exemplo terreant: ſi cicurari vult leo, canis in illius conſpectu faſtigatur: ſic caſtigatur juſtus, ut emendetur injuſtus. Moyſes, Aaron, Lot, Ananias & Saphyra puniti ſunt, & tamen non peccarunt graviter. Quare? ut peccatoribus eſſent terrori, ſeu exemplo. Vide Barz. Serm. 13. §. 8. & ſeq.

## Dominica Penteceſtes.

*De ſignis inhabitantis Spiritus Sancti.*

1. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joan.* 14. Feliciſſimum Cor hominis Chriſtiani, in quod Spiritus ſanctus venit, & manſionem facit! Econtra infeliciſſimum cor, quod Divinus Spiritus tranſit, aut veniens iterum relinquit! Ex quorum numero ſumus Dilectiſſimi, felicium aut infelicium? Eheu! neſcit homo, amore, an odio dignus ſit! Verum agite, ex ſignis argumentemur! Spiritus ſanctus apparuit ſub ſpecie ignis; igitur ex operationibus ignis conjecturam faciamus, an Divinus Hoſpes in corde noſtro reſideat. Attendite! 1. Ignis excitat ſonitum, ut patet in tonitru, in exploſione ſclopeti, in ligno viridi, & aliis. Ita Spiritus ſanctus in corde peccatoris ſtrepitum facit, qualis erat in urbe Hieruſalem, quæ in ingreſſu Chriſti Domini tota commota

eſt: peccator incipit ſe movere, & quærere, quis eſt iſte, quem offendi, & quis ego miſerrimus homuncio ſum. 2. Ignis rem mutat, cibos ſapidos, & ferrum molle reddit: Ita Spiritus ſanctus cor terrenum in cæleſte tranſmutat, ut dicere cum Apoſtolo poſſit: Vivo ego, non jam ego, vivit in me Chriſtus. Sic Diſcipuli Domini in Feſto Pentecoſtes, ſic S. Geneſius, dum in theatro ludit cæremonias Baptiſmi, ex hiſtrione factus eſt Chriſtianus & Martyr: hæc mutatio dexteræ Excelſi. 3. Ignis non patitur ſe conſtringi, omnia perrumpit obſtacula: Ita Spiritus ſanctus invictos adeo facit Apoſtolos, ut qui prius ad vocem ancillæ proſtrati ſunt, nunc regibus, tyrannis, ipſique dæmoni fortiter reſiſtant. 4. Ignis calidus eſt: ita Spiritus ſanctus animum calefacit amore, ut etiam proximo benefaciat. 5. Ignis lucet: ita Spiritus ſanctus illuminat intellectum ad agnoſcendas æternas veritates, & mundi fallacias. 6. Ignis ſemper tendit ſurſum: Ita Spiritus ſanctus animam, quam occupat, ita ad cœleſtia elevat, ut nihil niſi Deum deſideret, & mundum deſpiciat, &c. Compendio hæc omnia repetit S. Antonius Paduanus, inquiens: Ignis *urit, purgat, calefacit, illuminat: Sic Spiritus Sanctus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illuminat.* Jam dic, mi Chriſtiane, an hæc ſigna, has operationes in corde tuo ſentis? ſi ita eſt, ſpem concipe inhabitantis Divini Spiritus, & ante omnia curam habe, ut nullo peccato cæleſtem Hoſpitem expellas, &c. Vide Corn. a Lap. in Levit. c. 9.

S. Ant. Pad. Ser. in Pentec.

*Quomodo ignis amoris Divini in corde reaccendi poſſit.*

2. *Ignem veni mittere in terram. Luc.* 12. Ignis iſte miſſus in terram eſt Divini amoris incendium, dum per ardorem Spiritus ſancti, prout loquitur S. Gregorius, afflata mens a carnalibus deſideriis purgatur. Quid autem intelligitur per terram? *Veni mittere in terram.* Intelligitur homo (Vide Barz. Serm. 11. n. 4.) cur ergo non ardet? aut cur ignis extinctus in corde non reaccenditur? forſan, quia multi non ſciunt artem accendendi ignem! Agite, docebo hanc artem! 1. Accenditur ignis extinctus per flatum oris, id eſt, per orationem ferventem, & continuam. Quando Apoſtoli erant perſeverantes in oratione, tunc venit ſuper ipſos Spiritus ſanctus in ſpecie ignis. Homo ex ſe tam miſer eſt, ut ne nomen quidem JESU pronuntiare, multo minus amare poſſit ſine auxilio Dei: hoc auxilium autem impetrandum eſt per orationem. 2. Accenditur ignis ſpeculo colligente, & intendente radios ſolis. Speculum eſt vita Chriſti & Sanctorum! cum experiris, mi Chriſtiane, cordis tepiditatem & frigus, aſpice, & meditare myſteria Chriſti pro te patientis, & morientis: cogita, quid Sancti pro Chriſto fecerint, & paſſi ſint, & tum demum, ut ſpero, dicere poteris: In meditatione mea exardeſcit ignis. 3. Accenditur ignis colliſo ſilice & calybe, quibus ſcintillæ excutiuntur, & fomite recipiuntur. Per colliſionem hanc intelligo contritionem cordis! ſi cor tuum inſtar lapidis induratum fuerit, contere illud malleo, & clavis ferreis, quibus Chriſtus confixus eſt cruci! percute pectus cum publicano, dole, & clama: Deus propitius eſto mihi peccatori. 4. Demum ignis accenditur igne. Conjice oculos in ignem infernalem peccatoribus præparatum, dic tibi ipſi: quis poterit habitare cum igne devorante? &c. Vide Tit. Infernus, contritio, Oratio, &c.

*De triplici viſitatione cordis per Spiritum Sanctum.*

3. *Ad eum veniemus, & manſionem apud ipſum faciemus. Joan.* 14. Cum magnus Princeps in ædes noſtras adveniat, tota domus a ſordibus purgatur, & exornatur. Dilectiſſimi! hodie in eo eſt, quod Princeps cæli in cor noſtrum advenire, illudque tanquam ſuum habitaculum occupare deſideret. Admonemur ergo a S. Gregorio. *Tergat ſordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis.* (Vide hodiernum Breviar. Lect. 3.) Sed videamus, quomodo hæc Viſitatio S. Spiritus apud multos conſtituta ſit, videamus inquam ad noſtrum terrorem, vel emendationem, vel ſolatium. 1. Ad aliqua corda venit, & pulſat, ſed non admittitur, non aperitur! Et hæc ſunt corda obdurata peccatorum, quorum fœtorem nauſeans Spiritus ſanctus cito declinat & recedit: econtra in hæc corda revertitur immundus ſpiritus aſſumens ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, quibuſcum habitat ibi. Infelix cor! heu, quando liberaberis ab inimico poſſeſſore? 2. Ad aliqua corda venit S. Spiritus, & hoſpes admittitur,





ſed paulo poſt iterum ejicitur! Et hæc ſunt corda inconſtantum, qui tempore tentationis recedunt, ſicque ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi hæc tempore Paſchali minime planxiſſent. O mi Chriſtiane, perpende ſerio felicitatem, a qua receſſiſti, & infelicitatem, ad quam acceſſiſti. 3. Ad aliqua denique corda venit Spiritus Sanctus, & manſionem in illis facit. Et hæc ſunt corda Sanctorum, & ſerio pœnitentium, qui ſuperatis omnibus difficultatibus, jam parati ſunt vitam potius, quam Divini Hoſpitis gratiam perdere! O! quibus verbis ſatis gratulari ipſis poſſum hanc felicitatem? Vide Tit. Gratia Dei, Inconſtantia, Peccatum, &c.

Feria II. Pentecoſtes.

*De beneficiis Dei una cum Filio Dei mundo datis.*

1. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, Joan.* 3. Non ſatis fuit Divino Patri, quod mundum ex nihilo crearit, quod homini vitam dederit, illique ad ſuſtentationem, & ad delicias uſque innumerabiles creaturas in omnibus quatuor elementis addiderit: non ſatis hoc fuit, inquam, Divino Creatori, ſed inſuper adeo dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum nobis dederit. O ſancta fides, quid doces? Perpendamus, quid hoc ſit, quod Deus Filium ſuum dederit, & in Filio quid nobis dederit, metiamur exinde noſtram gratitudinem. 1. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, humana natura incarnatum, & in ſtabulo Bethlehemitico ſub ſpecie amabiliſſimi infantuli natum, ut omnium hominum corda ad amorem provocaret. In Veteri Teſtamento Deus timeri potius, quam amari voluit, hinc cum Moyſe aliiſque inter tonitrua & fulmina e nubibus terribili voce loqui, & peccatores ſtatim igne, ſubmerſione in mari rubro, abyſſo terræ punire ſolebat: in ſtabulo vero natus tanquam magnes amoris omnium corda ad ſe amoroſo affectu traxit. 2. Deus Filium ſuum unigenitum dedit ſub obedientiam Parentum, & præſertim Divinæ Matris, a qua natus & educatus eſt, ut nobis eſſet virtutum omnium exemplar. Quis unquam antea hominem ſanctum ſibi imitandum proponere potuit, cum antiqui Patriarchæ & Prophetæ ſolum in propaganda familia, in paſcendis gregibus, in vaticiniis fundendis, in delictis puniendis occuparentur: ubi autem Chriſtum, virtutum omnium exemplar aſpeximus, in ejus vita amorem Dei & proximi, manſuetudinem, dilectionem inimicorum, contemptum rerum terrenarum, & deſiderium cæleſtium, omneſque virtutes edocti ſumus. 3. Deus Filium ſuum dedit præcipue ut Redemptorem, ut per paſſionem, crucem, ac mortem ſuam nos a ſervitute inferni liberaret, & cæli hereditatem nobis compararet. Audiſtis hæc? qua gratitudine compenſare poſſumus immenſam beneficentiam? Væ! ſi ingrati ſimus! Quærit S. Chryſoſt. cur Spiritus ſanctus venerit, præcedente turbine? & reſpondet, ut inculcet nobis judicium; cum enim donum a Deo accipimus, ſtatim ſubſequitur judicium, quo diſcutitur, an beneficio recte cum gratitudine uſi ſimus. Vide Speranzam punct. 156.



*Peccatores fruſtra tenebris occultant ſua peccata.*

2. *Dilexerunt magis tenebras, quam lucem.* Non ſemper illaudabile eſt, amare tenebras; quia homines Sancti opera ſua bona, & prodigioſa coram mundi oculis occultare ſtuduerunt, quæ tamen a Deo contra illorum humilitatem in lucem protracta ſunt. Illi ergo, qui in hodierno Evangelio carpuntur, quod tenebras ament, peccatores ſunt; quia additur, *opera eorum erant mala.* Sed fruſtra agunt! Etiam mala opera ad illorum ignominiam protrahentur in lucem. 1. Peccatum occultum prodit ipſe peccator: Prophetæ Jonæ in facie videri, & notari poterat, quod fugeret contra Deum. (Vide Mich. a Calvo conc. 9. §. 2. n. 2.) 2. Peccatum occultum, præſertim luxuriæ proditur ab ipſa domo, & cubiculo, in quo committitur, juxta illud: *Lapis de* Habac.
*pariete clamabit, & lignum, quod inter* c. 2.
*juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* (Vide Mich. a Calvo conc. 6. §. 2. n. 7.) 3. Peccatum proditur etiam ab animantibus: In domum Pharaonis irruperunt innumeræ ranæ coaxantes: quare ex aquis vocatæ ſunt? ad confuſionem regis, qui in aquis juſſit ſubmergi infantes; in domo tua ſunt ejuſmodi ranæ ſatis clamoſæ, famuli, ſocii, ancillæ, ſchedæ, munuſcula, & alia. 4. Peccatum, præſertim crudelitatis, & injuſtitiæ proditur per propriam conſcientiam, Herodes non poterat occultare cædem Joannis, ſed vi-

dens Chriſtum, exclamavit timidus: Vere hic eſt Joannes Baptiſta! Sic de aliis peccatis, quæ olim protrahentur in lucem coram Judicio. Vide Tit. Luxuria, &c.

*Quomodo lux Divini Spiritus in cor admittenda ſit.*

3. *Dilexerunt magis tenebras quam lucem.* Divina gratiarum lumina, quæ Spiritus Sanctus per Sacramentorum participationem in corda noſtra infundit, tanta eſt amoris beneficentia, ut ejus ſublimitatem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem nec Angelicus intellectus menſurare aut capere poſſet, (Vide P. Segneri Manna an. 25. Martii) Et tamen non æqualiter ab omnibus, imo ab aliquibus omnino non admittuntur, quia dilexerunt magis tenebras, quam lucem. Videamus tres Chriſtianorum claſſes hic conſiderari dignas: 1. claſſis & quidem feliciſſima illa eſt, quæ omnes cordis feneſtras Divino lumini, paratiſſimo obſequio aperit, atque Divinis inſpirationibus prompte, humiliter & alacriter morem gerit: atque hi ſunt homines ſancti, in omnibus actionibus ſuis clamantes: Veni Sancte Spiritus; (Vide Tit. Inſpirationes Dei.) 2. claſſis eſt eorum, qui Divino lumini cordis feneſtram nec omnino claudunt, nec omnino aperiunt, & hi ſunt ſemi-Chriſtiani, qui hodie pœnitentiam agunt, paulo poſt autem, quæ planxerunt, iterum committunt, ſicque damnabili ac periculoſa inconſtantia nunc Deo, nunc dæmoni ſerviunt. (Vide Tit. Inconſtantia, Tepiditas;) 3. denique claſſis infeliciſſima eſt eorum, qui feneſtras cordis obſtinata duritie ſemper claudunt, & hi ſunt inveterati peccatores, & hæretici (Vide Tit. Peccator inveteratus, Hæretici &c.) His merito exprobrari poteſt, quod S. Stephanus Judæis exprobravit: Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Quando Spiritus Sanctus nolebat ſacrificia, vos ſacrificaſtis, quando volebat, vos omiſiſtis, quando noluit dare præcepta, requirebatis: quando dedit, non obſervaſtis! huc multi adhuc deveniunt; leges, præcepta, conſilia Patrum ſpiritualium eludunt. &c. Vide Speranzam punct. 98. Item P. Segneri Manna ann. 12. Aprilis n. 2.

## Feria III. Pentecoſtes.

*De vera Eccleſia per ſigna credibilitatis demonſtratur.*

1. Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, fur eſt & latro. Joan.* 10. Per ovile, de quo loquitur Chriſtus Dominus, intelligi Eccleſiam, communis eſt SS. Patrum ſenſus: ad demonſtrandum oſtium, quo intrandum eſt in Eccleſiam, Chriſtus non ſapientibus hujus ſæculi, non Ariſtotele aut Platone uſus eſt, ſed rudibus & incultis piſcatoribus, ut tanto clarius eluceret potentia Dei, & manifeſtiora eſſent ſigna, quæ nos ducunt ad ovile Eccleſiæ. Quænam ſunt hæc ſigna, quibus veritas Eccleſiæ, præ ceteris omnibus ſectis, nobis demonſtratur? Audiamus. Primum ſignum veræ Eccleſiæ eſt, quod ſit una, unitate doctrinæ, quæ in omnibus Mundi temporibus, & locis ſemper fuit invariabiliter eadem. E contra novi ſectatores, ac hæretici quam diſſormes ſunt inter ſe, hic & nunc docent duo, alias & alibi tria Sacramenta, &c. Secundum ſignum veræ Eccleſiæ eſt, quod ſit *Sancta*, id eſt, quod omnia ejus dogmata, & ritus hominem ad ſanctitatem, ad imitationem Chriſti, ad fugam peccati perducant. Econtra doctrina Novatorum impia & ſeductoria eſt, v. g. Præcepta Dei non poſſe, nec debere obſervari: nonne per hanc deceptionem aperitur oſtium ad omnia ſcelera? &c. Tertium ſignum veræ Eccleſiæ eſt, quod ſit *Catholica*, ſeu univerſalis, id eſt, per totum orbem ita diffuſa, ut nullus ſit terræ angulus, in quo doctrina, & Verbum Dei populis non eſt prædicatum. Econtra in Aſia, in Africa, in America neſcitur, & certe per quindecim ſæcula neſciebatur, quid ſit Lutheraniſmus, quid Calviniſmus &c. Quartum denique ſignum veræ Eccleſiæ eſt, quod ſit *Apoſtolica*, id eſt, ab ipſis Chriſti Apoſtolis der vata. Hæc doctrina a S. Petro primo Pontifice, per omnes Pontifices ad noſtra uſque tempora continua ſerie fuit propagata, ita ut contra tot ſucceſſores Romanos per octodecim fere ſæcula, nec tyranni nec hæretici, protegente Divina Providentia, prævalere potuerint. Jam redit quæſtio, cur Chriſtus Dominus rudes Apoſtolos ad prædicandam fidem, & propagandam Eccleſiam elegerit? S. Ambroſius reſpondet: *Ne traduxiſſe potentia,*





*ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ, nobilitatiſque authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur*, adeoque ut tanto manifeſtius eluceret potentia, & auxilium Dei. Vide Barz. ſerm. 39. n. 14. & ſeq. Item ſerm. 40. per totum. Item P. Segneri Incredul. non excuſab. &c.

*De differentia inter Spiritum bonum & malum.*

2. *Oves vocem ejus audiunt, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo.* Lupus ovinam pellem induit, & accedens ad gregem ovium perſuadere illis voluit, ſe eſſe paſtorem fideliſſimum! ne dubitate, ajebat, vos fidei meæ concredere, amicus ſum veſter optimus, cupio vos felices reddere. Oviculæ obſtupeſcentes ſuſpectum habebant deceptorem; utque noſſent, quale animal eſſet, petierunt, ut vocem ederet, & ſecum balaret. Lupus volens non poterat balare, ſed horrendum ululavit, quo territæ oviculæ omnes aufugerunt. Chriſtus Dominus admonet, nolite omni ſpiritui credere; multi enim ſub pelle ovina paſtores ſe ſimulant, & lupi ſunt. Sed quo indicio agnoſci poſſunt. Ex voce, ex *S. Bern. ſerm. de 7. ſpir.* ululatu, & aliis ſignis: Audite S. Bernardum, qui ſigna ejuſmodi enumerat. 1. Si ſpiritus malus amicum ſimulans, aut intus in corde loquens tibi mollia ſuggerat, v. g. de potu, de cibo, de ſomno, de capienda voluptate, aliiſque ad curam corporis pertinentibus, ita, ut aliquali deſiderio erga has ſuggeſtiones inardeſcat, certus eſto, lupum ſub ovina pelle, id eſt, Spiritum carnis tibi loqui: hunc ergo ut adverſarium repelle, dicens: Vade retro Satana, non ſapis, quæ Dei ſunt, ſapientia tua inimica eſt Deo. (Vide tit. luxuria) 2. Si cogitatio interna de ambitione ſæculi, de jactantia, de arrogantia, de captandis honoribus tibi loquitur, ſpiritus mundi eſt (Vid. Tit. Ambitio) 3. Si cordis ſuggeſtio, ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocat, ſpiritus nequitiæ eſt, qui ad triſtitiam, ad peccati frequentiam, ad nauſeam Divini ſervitii, ad puſillanimitatem, & deſperationem te impellere conatur. Cave! 4. Quando vero ſalubris cogitatio in mente tua verſatur ſuper caſtigando corpore, humiliando corde, caritate fratribus exhibenda, ſeu ceteris virtutibus acquirendis, & conſervandis, Divinus ſine dubio Spiritus eſt. (Vide Tit. Inſpirationes Dei!) Vide Speranzam punct. 35. &c.

*De virtutibus & ſignis inhabitantis Spiritus Sancti.*

3. *Rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis.* Joan. 14. Non dubito, quin multi Chriſtianorum his diebus per ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ animas ſuas præpararint, ad recipiendum in cordis habitaculo Spiritum Sanctum, & nunc memores veterum peccatorum ſolicite cogitent: Domine Deus, vellem deſideranter noſſe, an coram te ſim in numero corvorum, vel columbarum. Macti animis eſtote! Explicemus, cur Spiritus ſanctus ſub columbæ ſpecie apparere voluerit, nempe, quia proprietates columbæ conferuntur, & congruunt cum donis S. Spiritus, atque ex hac explicatione veſtro dubio quodammodo ſatisfacere poteritis. 1. Per columbæ ſimplicitatem exprimitur donum ſapientiæ. 2. Per viſum acutiſſimum donum ſcientiæ. 3. Per benignitatem erga alias aves donum Conſilii. 4. Per habitationem circa rivos donum intellectus. 5. Per carentiam fellis donum pietatis. 6. Per nidificationem in petris donum fortitudinis. 7. Per meticuloſitatem donum Timoris Domini, qui præ ceteris utilis & neceſſarius eſt. Jam, mi Chriſtiane, ſi hæc dona Sancti Spiritus ſignificata per proprietates columbæ in anima tua quodammodo advertas, ſpem concipe non inanem, quod Divinus Hoſpes in cordis tui habitaculo reſideat! ſin minus! non deſine proſequi pœnitentiam, & pugnare contra vitia his donis S. Spiritus contraria, ut magis magiſque animam præpares, &c. Vide P. Segneri Manna an. 16. Aprilis n. 1. & ſeq.

## Dominica SS. Trinitatis.

*De Beneficio Creationis, Redemptionis & Juſtificationis.*

1. F*aciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. Humana anima vere eſt imago SS. Trinitatis; ſicut enim Deus unus eſt in ſua eſſentia, & trinus in Perſonis; ita anima una eſt in ſua natura, & trina in potentiis, memoria, intellectu, & voluntate. Quid ſequitur: Sequitur, quod ſemper oculos, animumque ad Divinum Prototypon defixos habere, & immenſa cum gra-

titudine Beneficia a SS. Trinitate accepta recolere debeamus, præſertim Beneficium Creationis, quod Divinus Pater, Beneficium Redemptionis, quod Divinus Filius: Beneficium Sanctificationis, quod Divinus Spiritus nobis contulit. Agite! Præibo, vos mente ſequimini! 1. Divinus Pater Creator meus eſt! ante quinquaginta aut centum annos adhuc in nihilo delitui purum nihilum! & tunc jam Deus recordatus eſt mei, atque in tempore me ex nihilo produxit! dedit mihi ſubſtantiam, vitam, voluntatem, corpus, & animam, beneficio tanto liberaliori, quod antea nihil potuerim promereri. Quomodo autem his donis uſus ſum ad Dei gloriam? (Vide Lib. 1. Tit. Beneficium Creationis) 2. Divinus Filius Redemptor meus eſt! dolores ac pœnas mihi pro peccato debitas in ſe ſuſcepit, ſanguinem, & vitam pro me in cruce dedit, atque ita redemit me ex ſervitute diriſſima, redemit pretio ſuperabundante, redemit exceſſivo amoris modo. Quid retribuo Domino? quomodo fugio peccatum ut cauſam mortis Redemptoris mei? *Si totum me debeo pro me facto*, ait S. Bernardus, *quid addam pro me refecto!* (S. Bern. de dilig. Deo.) (Vide Tit. Beneficium Redemptionis) 3. Divinus Spiritus eſt ſanctificator meus! qui Dei gratiam in Baptiſmo, in Confirmatione, in Pœnitentia, aliiſque Sacramentis animæ meæ infudit. Et quidem ille prior me prævenit, excitavitque, ut cum Petro vellem educi ex carcere peccati. Quomodo me gratum ſatis exhibebo? (Vide Tit. Beneficium juſtificationis) Laudabo ſine fine Deum Triunum, & millies ac millies cantabo; Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto! &c. Vide Barziam ſerm. 44. §. 2. & ſeq.

*Quam obligationem Baptiſmus nobis imponat.*

2. *Baptizantes eos in Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Mat. 28. Merito hodiernum feſtum refricat nobis memoriam Sacramenti Baptiſmi, quo in nomine SS. Trinitatis renati ſumus, Beneficio prorſus inſigni, quod millenis ac millenis in regionibus barbarorum, ac infidelium denegatum eſt. Chriſtiani ſumus! quam gratitudinem poſſumus Deo rependere pro tanta miſericordia? Audiamus, quam gratitudinem Deus a nobis exigat! Quod Chriſtus Dominus petiit a Sponſa, id ipſum a nobis exigit: (Cant. 8.) *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*, ubi S. Ambroſius advertit, triplicem nobis obligationem imponi. 1. ut Nomen & gratiam Dei ponamus ut *ſignaculum in fronte* per vivam fidem, quam in Baptiſmo acceptam invicta fortitudine ſemper profiteri oportet. (Vide Tit. Fides) 2. ut Nomen & gratiam Dei ponamus *ſignaculum in corde*, id eſt, Deum ſuper omnia amemus, parati potius vitam perdere, quam Deum ullo peccato offendere &c. (Vide Tit. Caritas Dei) 3. ut Nomen & gratiam Dei ponamus *ſignaculum in brachio*, id eſt, quod fides docet, & caritas ſuadet, opere exerceamus, atque ingentem bonorum operum theſaurum colligamus. (Vide Tit. Bona opera) Rogemus humillime SS. Trinitatem, ut Divinus Pater veniat ad noſtram memoriam, Divinus Filius ad intellectum, Divinus Spiritus ad voluntatem, eaſque potentias a vitiorum ſordibus purgent, atque cæleſtibus donis exornent. Vide Corn. a Lap. in Joan. 14. v. 23.

*De merito, & utilitate Eleemoſynæ.*

3. *Date, & dabitur vobis.* Luc. 6. Monaſterium quoddam valde opulentum paulo poſt ad incitas fuit redactum. Cum cauſa hujus infortunii ignoraretur, venit ad portam peregrinus, & janitori edixit: Scis, cur hoc Monaſterium ab aliquo tempore valde depauperetur? Dicam tibi! Erant in hoc Conventu olim duo fratres, qui ſemper ſolent eſſe intimi ac conjunctiſſimi: unus expulſus eſt, & alter expulſum ſecutus ſponte abivit. Primus vocabatur: *Date!* & alter, *Dabitur vobis!* ſi ergo Monaſterium priſtinis opibus diteſcere cupit, revocet fratrem, *Date*, & alter, nempe *Dabitur*, ultro revertetur. Hac hiſtoriola anſam capio, vos excitandi ad commiſerationem erga pauperes, quia Deus eleemoſynam triplici remuneratione compenſat: In vita, in morte, & poſt mortem, promittens in hodierno Evangelio: Date, & dabitur vobis. 1. Eleemoſyna compenſatur a Deo *in vita*; quia non minuit, ſed auget fortunas, eum in morem, quo quinque panes, quos Puer ille Evangelicus Chriſto in manus dedit, mirabiliter multiplicati ſunt, &c. 2. Eleemoſyna compenſatur a Deo *in morte*; juxta illud: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, ubi addit S. Ambroſius: Sola miſericordia comes eſt defunctorum, &c. 3. Eleemoſyna compenſatur a Deo *poſt mortem*; quia eleemoſynario theſauros cæli refundit. Vide Lib. VI. Tit. Eleemoſyna.

De



*De gratitudine pro Beneficiis erga SS. Trinitatem.*

4. *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Matt. 28. Hodie non eſt dies lætitiæ & exultationis, ſed triſtitiæ, humiliationis, & timoris; quia dum Eccleſia nobis SS. Trinitatis myſterium ante oculos ponit, ſimul nos commonefacit gratitudinis, quam Deo Trino debemus, & hactenus per omnem vitam turpiter neglesimus. Regius Pſalmiſta David rogat Divinam Benedictionem, inquiens: (Pſal. 62.) *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus!* En! triplicem mentionem Dei facit, ut indicet, ſe loqui de SS. Trinitate, atque ſtatim ſubnectit: *Et metuant eum omnes fines terræ!* Quare metuant? quia pauciſſimi ſunt, qui debitam gratitudinem pro beneficiis acceptis SS. Trinitati rependerunt, atque hæc ingratitudo, ſi non unica, ſaltem maxima cauſa eſt paucitatis ſalvandorum! Audiamus! 1. Beneficium creationis habemus a Deo Patre, ille creavit hominem eo fine, ut ſibi ſerviat, & denique ſalvus fiat! Mi Chriſtiane, ante paucos annos fuiſti purum putidum nihilum, Deus te hominem fecit, corpus & animam tibi, in anima memoriam, intellectum & voluntatem, in corpore quinque ſenſus dedit, ut his potentiis, & facultatibus ad Dei gloriam utaris! Nec ſolum creavit, ſed & hactenus conſervavit, pro tui conſervatione hunc mundum, hæc elementa, in aere volucres, in aqua piſces, in terra animalia & fruges tibi adjecit ad ſuam gloriam! Quid egiſti? nonne his omnibus ad tuum guſtum, & commoditatem, ad divitias, ad voluptates, ad peccata abuſus es, ſine reſpectu ad Deum, quaſi tibi ſoli natus eſſes, non Deo? Hæccine tua gratitudo pro beneficio creationis? Quid reſpondebis Divino Judici? 2. Beneficium Redemptionis habemus a Deo Filio! Ille infinite magnus cæli terræque Dominus humanam naturam aſſumpſit, e Virgine natus pauperem vitam vixit, quam tandem effuſo omni ſanguine inter immenſos dolores in cruce concluſit. Quem in finem? ut nos ab inferni captivitate liberaret, ut Divino Patri pro peccatis noſtris ſatisfaceret, ut peccati gravitatem, horroremque nobis inculcaret, ut ad ſui ſequelam, ad patientiam, ad mortificationem nos provocaret? Quid egiſti? nonne vitam vitæ Chriſti prorſus contrariam, voluptuoſam, nimis commodam, mere mundanam, ethnicis & infidelibus ſimillimam vixiſti? nonne cruces, ſpinas, adverſitates, omnemque mortificationem cane pejus & angue exhorruiſti? nonne peccata peccatis cumulaſti & propoſita in Sacramentorum uſu concepta millies ac millies fregiſti, haud ſecus ac ſi lex ac mors Chriſti ad te non attineret? Hæccine eſt gratitudo debita pro Beneficio Redemptionis? Quid reſpondebis Deo Judici? 3. Beneficium ſanctificationis in Baptiſmo, in Pœnitentia, aliiſque SS. Sacramentis debemus Spiritui Sancto: hanc gratiam conſervare in nobis ſtuduit cæleſtis Magiſter per aſſiſtentiam S. Angeli Cuſtodis, per pia monita parentum, per exempla juſtorum, per Verbum Dei & ſacras exhortationes, per externa peccatorum ſupplicia, & internas animi inſpirationes. Verbo! per remedia ſalutis innumera! Quid egiſti? Eheu! hæc omnia parum curaſti! devotiones debitas ſuperficialiter & perfunctorie deproperaſti, terrena cæleſtibus præhabuiſti, interna externaque animi monita ſpreviſti, caritatis opera ut ſemi-Chriſtianus neglexiſti! Hæccine eſt debita gratitudo pro Beneficio juſtificationis? quid reſpondebis Divino Judici? Age! firmiora concipe propoſita! vitam muta! terrena deſpice, cœleſtibus inhia! concipe ſerium timorem Domini, ut ſperare poſſis te futurum de exiguo numero ſalvandorum! Benedicat nos *Deus Deus* noſter, benedicat nos *Deus*, & *metuant eum omnes fines terræ!* Laudetur SS. Trinitas pro Beneficio Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis! &c.

## Dominica infra Octav. Corp. Chriſti.

*Præparatio ad SS. Communionem a Chriſti Domini exemplo addiſcenda.*

1. *HOmo quidam fecit cænam magnam, & vocavit multos.* Luc. 6. Cum de utiliſſima præparatione ad ſacram Communionem recipiendam, de qua non ſolum efficacia Sacramenti, ſed omnis vitæ Chriſtianæ, virtutumque coordinatio dependet, ſolicite circumſpicio, optimam me inveniſſe arbitror ab exemplo ipſius Chriſti Domini, dicentis, & docentis: Exemplum dedi vobis, ut quod ego feci, ita & vos faciatis. Videamus ergo, quid Chriſtus Dominus fecerit! *Surgit a cæna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum,* (Joan. 13.)

præ-

*præcinxit ſe: deinde miſit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes diſcipulorum.* Ubi quinque notat Cardinalis Hugo, quæ ante Euchariſtiæ ſumptionem facere debemus. Primo Debemus ſurgere a cæna, id eſt, relinquere immoderata commenſalium conſortia, & ſolicitam nimis aut voluptuoſam nutritionem corporis; caro enim delicate ſaginata petulcit & rebellat contra ſpiritum; hinc ait Apo-
1.Cor.10. ſtolus: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Secundo Debemus deponere veſtimenta, id eſt, exuere veterem hominem, deponere habitus, & conſuetudines pravas, atque coram oculis proximi comparere tanquam exuti a pompa & vanitate ſæculi, cum contemptu omnium, quæ externa ſunt, & animam non concernunt. Tertio Debemus nos præcingere linteo, id eſt, edomare internas paſſiones vitioſas per contrariarum virtutum exercitium: opprimi debet ſuperbia per humilitatem, libido per caſtimoniam, ira per manſuetudinem, & ſic de ceteris. Quarto Debemus mittere aquam in pelvim, id eſt commiſſa peccata etiam exteriori ploratu & lacrymis expiare. &c. Quinto Debemus lavare pedes diſcipulorum, id eſt, etiam eorum, qui nobis ſubditi, aut curæ noſtræ commiſſi ſunt, delicta caſtigare, licentiam morum refrœnare, verbo, & exemplo ad virtutis ſemitam adducere. &c. Vide Speranzam puncto 152.

*Ad normam Agni Paſchalis præparatio facienda ad Sacram Communionem.*

2. *Fecit cœnam magnam.* Luc. 6. In Libro Exodi Dominus Deus inſtruxit Moyſen & Aaron, atque per hos totum populum Judaicum, quomodo, & quibus ritibus Agnum Paſchalem ante tranſmigrationem ex Ægypto, & poſtea in ejus memoriam immolare & comedere deberent. Per Agnum Paſchalem intelligitur Agnus Divinus in Sanctiſſimo Communionis Sacramento: Videamus quomodo ritus illi a Deo præſcripti ad noſtram inſtructionem cedere poſſint! 1. Agnus comparari debebat decima die menſis, id eſt, quatuor diebus ante immolationem aut tranſmigrationem, quo tempore indagari in Agnum debebat, an non ſit maculoſus aut defectuoſus. Parem in modum Chriſtianus ante Sacram Communionem ſolicite præcavere debet, ne ſuis maculis ac defectibus Agnum Divinum commaculet; proinde in conſcientiam ſuam indaget, pœnitentiam agat, & lacrymis peccatorum maculas abluat. &c. 2. Ad Agni balatum parare ſe, tanquam ad tubæ vocem, debebant, ad exitum, ad immolationem, ad eſum. Parem in modum Chriſtianus Communicans, dum in ipſa ſumptione Chriſtum in cor recipit, ad ejus monita, & inſpirationes diligenter attendat, atque obedientiam ſpondeat. Patriarcha Jacob ædificaturus altare, convocat totam familiam domus: Ita pius communicans omnes ſenſus tam externos, quam internos in obſequium Chriſti convocare, atque memoriæ, intellectui, & voluntati ſuæ, item oculis, auribus, linguæ, cunctiſque ſenſibus pias leges, ad emendationem vitæ, & Dei gloriam præſcribere debet; tertio hunc Agnum Paſchalem continuo intueri, & ante oculos habere debebant, ut ejus aſpectu occaſionem haberent colloquendi de mirabili ſua redemptione ex ſervitute Ægyptiaca. Parem in modum pius Communicans poſt communionem Agnum Divinum nunquam ex oculis, nunquam ex animo ſibi elabi permittat, ejus Beneficia, præſertim redemptionis ex ſervitute dæmonis per pœnitentiam ſemper memoria teneat, pia propoſita ibi concepta renovet, & ante omnia felicem tranſmigrationem ex hac vita mortali ad beatam patriam ſibi exoret. &c. Vide Corn. a Lap. in Exod. 12. v. 3.

*Injuriæ Deo Euchariſtico illatæ compenſandæ a fidelibus.*

3. *Et cæperunt ſimul omnes excuſare.* Luc. 6. Hæ excuſationes erant enormes injuriæ & contemptus cœnæ, ad quam erant amici invitati, ita, ut merito indignatus Dominus loco illorum pauperes, debiles, & claudos vocari juſſerit, illiſque inurbanis juraverit, quod nemo illorum cœnam ſuam ſit guſtaturus! O Chriſtiani quid terribile debeo vobis enarrare? Injuriæ & contemptus, quibus hodiedum Chriſtus Dominus in SS. Euchariſtiæ cœna vilipenditur, ſunt longè enormiores. Obſtupeſcite! 1. Chriſtus in SS. Pane Euchariſtico inhonoratur ab impiis Judæis, qui damnabile odium contra hoc Sacramentum gerentes, illud pugionibus, igne, & ſputis perſecuti ſunt, prout conſtat ex tragicis hiſtoriis Deggendorffii in Bavaria, Paſſavii, Badorgi, & plurimis aliis locis. Vide Ginthari Cor JESU, Conſid. 26. n. 4. &c.) 2. Chriſtus in Euchariſtia crudeliſſime injuriatur a Magis & Sagis,

qui



qui hoc SS. Sacramentum ſæpe in ſuis conventiculis pedibus conculcarunt, in fimetum, & rogos projecerunt, aut pecudibus devorandum dederunt. (Vide Fridericum Fornerum de Paſſ. Dom. conc. 36.) tertio Chriſtus in SS. Euchariſtiæ Sacramento injurioſiſſime habetur ab hæreticis, qui illud in fornaces, in cloacas, quis non exhorreſcat? impiiſſime projecerunt. (Vide Gintherum ubi ſupra. Item Laurent. Surium in Commentario Hiſtor. &c.) 4. Chriſtus in SS. Sacramento ſceleratiſſime injuriatur ab impiis Chriſtianis ſacrilege illud devorantibus: Sanctus VVicterpus apparens S. Herlucæ Virgini oſtendit illi Chriſtum, prout populo a Pilato fuit exhibitus, crudeliſſime vulneratum, eique edixit, ſic Dei Filium hodiedum peſſime tractari ab indigne communicantibus. (Vide Calend. perpetuum 8. Aprilis. Item tit. Euchariſtia.) Quid nobis per has injurias inculcatur? Id certe, ut Dominum in SS. Sacramento tanto majore reverentia, amore, & adoratione complecti, & damnabiles impiorum injurias compenſare ſtudeamus.

## Dominica III. poſt Pentecoſten.

*Peccator pœnitens Miſericordiam Dei exaltat.*

1. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Luc. 15. Quid eſt Diviniſſime Paſtor, quod tibi potius, quam oviculæ inventæ gratulari cupis? quis plus recuperavit, quis felicior fuit, tu an ovicula? nempe ita amat oviculam, ut illius felicitatem ſuam putet; hinc ait Sanctus Gregorius: *Non dicit congratulamini inventæ ovi, ſed mihi, quia ejus gaudium eſt vita noſtra.* (Vide Barz. ſerm. 10. n. 2. &c.) Certe ſancti Angeli ut innocentes animæ, ſi invidia ardere poſſent, arderent adverſus pœnitentes peccatores, quia, fere dixerim, plus amantur a Deo, quam ipſæ. Quæ autem cauſa hujus amoris & æſtimationis majoris? Audite! Chriſtus Dominus ſemper amice cum peccatoribus converſatus eſt, illis mille beneficia in infirmitatibus contulit, Joanni innocenti Petrum pœnitentem in primatu Eccleſiæ prætulit. Cur? 1. quia peccator pœnitens magnificat Chriſtum Redemptorem, & opus Redemptionis. (Vide Raphael Bonherba Diſcurſu in die Cinerum n. 6. & 7.) 2. Auget Deo gloriam ex eo, quod majus erit gaudium in cælo ſuper peccatore pœnitente, quam ſuper nonaginta novem juſtos. (Bonherba Ibid. num. 8.) 3. Quia Deus non eſſet plene beatus ſine myſterio Incarnationis: Incarnationem autem debet peccatori pœnitenti, juxta illud: qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. 4. quia peccator exaltat juſtitiam Dei, Liberalitatem, Providentiam, & præcipue Miſericordiam Dei. Vide Bonherba l. c. n. 8. 9. 10. &c.

*Dei Filius conteſtatur ſuam Miſericordiam erga peccatores.*

2. *Erant appropinquantes ad JESUM publicani & peccatores.* Luc. 15. Regum quidam miſit filium ſuum in exteras regiones, ubi ille pulcherrimæ Virgini nupſit, dein quatuor nuntios miſit per integrum regnum, ſubditis nunciaturos, ſe revocare, & condonare rigorem Patris! certi eſſent, ſe omnes benigne habiturum, & paterno affectu complexurum. Hac declaratione omnes ſubditorum animos ad ſe traxit. Quis eſt rigoroſus ille Rex? Eſt Deus Pater, qui cum Angelis, cum protoparentibus, aliiſque peccatoribus auſtera juſtitia proceſſit. Filius autem humanæ naturæ nubens, per orbem terrarum nuntios mittens, invitavit peccatores, ut ad ſe venirent. Hi nuntii ſunt quatuor Sancti Evangeliſtæ. 1. S. Matthæus, denuntians: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis.* 2. Sanctus Lucas, enarrans, quomodo Chriſtus Dominus adulteram abſolverit, & contra furorem accuſantium defenderit. 3. S. Marcus inducens Chriſtum cum paralitico loquentem: *Fili, remittuntur tibi peccata tua.* 4. Sanctus Joannes declarans: *Tranſlati ſumus de morte ad vitam.* Hi quatuor nuntii peccatores magno cum ſolatio certos reddunt de Miſericordia Dei. Vide Piſtorium hac Dom. ad finem. &c.

*Deus Miſericors peccatorem triplici benignitate vocat.*

3. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam.* Luc. 15. Rex David ad compeſcendum rebellem filium Abſalon miſit armatum exercitum, ſed quia Pater ſimul erat, non poterat celare amorem, rogans Duces, & milites, ut Abſaloni filio parcerent, eumque vivum & incolumem ſervarent. Dominus Deus ex Juſtitiæ Zelo iraſcitur quidem peccatori,

verum

verum ita, ut non poſſit cohibere Miſericordiam, qua illum ſalvum cupit, id quod triplici indicio manifeſtat, ut ait Bernardus: 1. *Tardat ferire peccantem!* longanimi patientia diſſimulat illius malitiam, imo dum actu peccat, erga illum miſericors eſt, Matthæum convertit, dum in telonio uſuris vacat, Petrum dum Chriſtum negat, Paulum dum Eccleſiam perſequitur: Ego te offendebam, & tu me defendebas, ait S. Auguſtinus. 2. *Dat gratiam reſipiſcendi!* Internis inſpirationibus, externis monitis & exemplis invitat ad pœnitentiam, Longino, dum crudeliſſime ſauciat cor JESU, gratiam fidei & pœnitentiæ dedit. 3. *Peccati jugum excutit!* nempe cum peccator gratia miſericordiæ motus, reſipiſcit, illum benigniſſime ſicut filium prodigum recipit, ſtola amicitiæ exornat, & jugum Divinæ Legis, quod ille exhorruit, per cœleſtia auxilia illi leve facit. &c. Vide Tit. Miſericordia Dei, &c. Verum adverte, O peccator, hæc Bonitas, & Miſericordia Dei exigit ſeriam tuam cooperationem. &c. Vide Ibid.

## Dominica IV. poſt Pentecoſten.

### *De bona intentione ad opera meritoria.*

1. IN *verbo autem tuo laxabo rete.* Jo. 5. Admonet nos Eccleſiaſticus: *In omnibus operibus tuis præcellens eſto.* Quo vult dicere, labores & opera cujusvis vocationi congrua, non perfunctorie ſed meritorie, ad normam virtutis Chriſtianæ peragenda eſſe; quia totum tandem ſanctitatis negotium in eo verſatur, ut opera ſtatui tuo conformia bene facias! Sunt aliqui, qui ad opera alterius ſtatus manus extendunt! ſunt alii, qui non niſi opera excellentia, admiranda, fere miraculis ſimilia vellent operari! Decipiuntur! quia tua opera, tibi convenientia debent te coram Deo ſanctificare, & ut ſanctificent, quatuor ſunt neceſſaria. 1. Dirigenda ſunt ad Deum, ejuſque gloriam, & beneplacitum, tanquam ſcopum & finem noſtrum unicum, ad quem creati ſumus. 2. Unienda ſunt cum meritis Chriſti; ſicut enim ſtannum, aut argentum ſi deauretur, ex auro pretioſius fit; ita opera noſtra ex unione cum meritis Chriſti & Sanctorum, ad mercedem æternam dignificantur. 3. Accedere debet deſiderium, plura ac plura pro Dei gloria faciendi ver. gr. qui unum peccatorem convertit, dicat, O Domine, utinam omnes totius mundi peccatores ad te adducere, & omnium hominum corda tuo amore accendere poſſem. 4. Denique Deus in auxilium vocandus, eum in modum; quo omnes Horæ Canonicæ Sacerdotum hoc initio inchoantur: Deus in adjutorium meum intende! Domine ad adjuvandum me feſtina! Idque tanto ſæpius, ac devotius repetendum, quanto certius eſt, quod ex nobis ipſis infirmiſſimi ſimus, & vix pares invocando Nomini JESU ſine adjutorio gratiæ Divinæ. &c. En mi Chriſtiane, hæ ſanctæ intentiones ſunt ars illa quæſtuoſiſſima, qua ſæpe homines ſæculares ac laici in ſuis opificiis & laboribus plura collegerunt merita, quam Anachoretæ in eremis. Vide P. Segneri Manna an. 27. Martii.

### *Difficilius eſt mundo, quam Deo ſervire.*

2. *Tota nocte laborantes nihil cepimus.* Indigna res! ſæpe pro lucro temporali operoſius laboratur, quam pro æterna ſalute! En! Petrus tota nocte inſomnis in captura piſcium fatigatur, in monte autem Oliveti non potuit una hora vigilare pro Chriſto. Sic fit! Mundanis hominibus nihil arduum videtur pro vano honore, pro inani voluptate, pro exiguis divitiis; verum ſi una hora orationi vacandum eſt, ſtatim tædere, & fatiſcere incipiunt. Videamus, an non verum ſit, quod ajo! 1. Quantis laboribus deſudat ſuperbus, ut officium honorificum, quod affectat, aſſequatur? Amman totis noctibus vigilat aliis dormientibus, ne quis illi vel de nocte gratiam regis ſuffuretur. Sic ambitioſi omnes dum aſſequi honorum celſitudinem cupiunt, ſub ponderibus populorum gemunt. Bene ait S. Paulinus: Blandum nomen honos, ſed mala ſervitus. (Vide Tit. Ambitio.) 2. Quantis laboribus deſudat avarus ad comparandas divitias! longinquis itineribus, ipſique infido mari ſe committit, diurna nocturnaque fatigatione vires atterit, jugi timore fures metuit, famulis non credit, & nonnunquam a filiis ſpoliatur. Miſera eſt avarorum conditio. (Vide Paoletti Dom. 3. Adventus. Item Tit. Avaritia.) 3. Quantis laboribus deluditur Luxurioſus? ut favorem perſonæ amatæ, aut nuptias auſpicatas ſibi comparet, quam arduam ſervitutem ſervit! quantum Zelotypia infatuatur? &c. Vide Tit. Luxur. &c. O ſi evanidi id genus homines dimidiam partem laborum, quos mundo impendunt, Deo conſecrarent, ſancti fierent. &c.

*Deus*



### *Deus obſequia ſibi præſtita centuplo remuneratur.*

3. *Aſcendens in unam navim, quæ erat Simonis.* Luc. 5. Dominus Deus Rex cæli & terræ, cujus divitiæ exhauriri non poſſunt, ſupra omnes mundi Reges & Principes adeo liberalis eſt, ut ne minimum quidem obſequium ſine centuplici remuneratione ſibi deferri patiatur: quo hauſtu frigidæ dat integrum cælum! Id patet 1. in Patriarcha Abraham! paratus ille erat ad Dei beneplacitum filium ſuum immolare, & ecce! in compenſationem generoſi facinoris Deus illum inter progenitores ſuos adlegit, de cujus familia Divinus Filius, Mundi Redemptor erat naſciturus. 2. Patet in Moyſe! Fuit ille in Ægypto electus regius Nepos, ad quem ſuo tempore ſceptrum regium devolvi poterat. Verum pro ſceptro elegit virgam prodigioſam a Deo ſibi datam, & amore juſtitiæ populum electum, non ſine diſcrimine, & inſidiis Pharaonis, e ſervitute eduxit. Et ecce! Deus illi melioris gentis regnum, totumque mundum hereditarium ſubjecit. 3. Patet hodie in Petro! qui navim ſuam piſcatoriam Chriſto Domino commodans, ab illo conſtitutus eſt piſcator hominum, princeps Apoſtolorum, & Eccleſiæ caput, &c. O quam magna eſt eorum inſania, qui mundo ſerviunt, decipiuntur decies in mercede, ſicut Jacob in domo Laban! ſi Deo ſervirent, ad quem nati, creatique ſunt, corpore & anima tenus beati forent. &c. Vide tit. Anima Hominis, Finis ultimus, &c.

## Dominica V. poſt Pentecoſten.

### *Cauſæ diſſenſionum in Matrimonio quomodo tollendæ.*

1. V*Ade prius reconciliari fratri tuo.* Matth. 5. Pauper quidam ruſticus Agyrtam circumforaneum conſuluit, qua ratione egeſtati ſuæ remedium invenire, & rem domeſticam ad convenientes divitias extollere poſſit? reſpondit Agyrta, faceret libellum ſupplicem Deæ Fortunæ, & rem omnem in melius ituram. Amplectitur conſilium ruſticus, & a Fortuna promiſſum accipit, quod cras hora prima in domum ipſius venire velit. Imminente hora ruſticus cum uxore altercari cœpit, quis adventanti Deæ obviam ire deberet. Vir ſuum id eſſe, uxor ſui muneris eſſe prætendit, tanta contentione, ut tandem lis ad rixas & verbera excreverit. Adveniens Dea, ut tumultum audiit, mox tergum domui obvertit, & litigantes in ſua paupertate reliquit. En! ubi diſſenſiones inter conjuges, nulla eſt proſperitas, nulla Dei Benedictio. Tollendum igitur hoc malum per reconciliationem ſeriam! ſed quæ cauſæ diſſenſionum in Matrimonio? 1. cauſa eſt improvidentia parentum, qui liberos ex malo, aut inani fine, pure propter pecuniam aut divitias conjungunt. 2. cauſa diſſenſionum eſt diverſitas geniorum non ſatis antea explorata; ſi enim una pars ſit tenax, altera prodiga, una bellicoſa, altera crapuloſa; quid mirum quod in jurgia quotidie exardeſcant. 3. cauſa eſt Zelotypia, ſi ab exteris ſuſurronibus, libenter audiri ſoliti, magis, magiſque inflammentur, &c. Tollantur hi folles & fomenta, & ſimul tolletur ignis diſſenſionum. Vide Tit. Matrimonium. &c.

### *Iracundia quibus remediis compeſcenda.*

2. *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Matt. 5. Ira duplex eſt, Juſta & laudabilis, quæ ad Dei gloriam, ad extirpationem vitiorum, & vindictam ſcelerum exardeſcit. Et Injuſta ac damnabilis, quæ ex intemperante animi paſſione cum bile & tumultu conſurgit. Hæc in Republica Chriſtiana grandia damna cauſat; repugnat enim commodo proprio, quia quietem turbat: repugnat honori proprio, quia æſtimationem & amorem apud alios tollit: repugnat Religioni, quia hæc manſuetudinem Chriſtianam, & amorem inimicorum præcipit. Operæ pretium igitur eſt, ſtatuere huic malo remedia. Attendite! 1. remedium, quod præſcribit Seneca, eſt mora, qua animi impetus retardatur, ne ſtatim ad extra erumpat; hinc idem Seneca ſuadet iracundo, ut quamprimum bilem commoveri ſentit, prius ſecum ipſo viginti quatuor Alphabeti litteras percurrat, id dum fit, interim prima efferveſcentia, ſicut aqua ebulliens ſubducto igne tepeſcere incipit. 2. remedium iræ eſt refrænatio fervoris, ita ut iracundus in ipſo æſtu nihil decernat; nam cum ira eſt brevis furor, & iratus ab inſano non niſi tempore differt, non poteſt ab inſaniente prudens quid dici, aut reſponderi: igitur compeſcenda eſt inſania, donec ſenſim ſine ſenſu redeat animi ſerenitas.

tas. 3. remedium eſt, ut iracundi, ſi fieri poteſt, ipſimet invicem colloquantur, & arbitros, ſeu mediatores, qui ſæpe incendiarii ſunt, & ignem magis inflammant, non admittant: ſi ipſi colloquantur, ſæpe intelligent, injuriam aut malo animo non eſſe datam, aut pure conſiſtere in verbis male intellectis. 4. Remedium iræ eſt, ſi iracundi ſuſurrones non audiant, qui ſæpe ex malitia aut inſcitia malum augent, & garrientes in utramque partem, unam contra alteram exaſperant. Julius Cæſar omnes conjuratorum epiſtolas ſimul exuſſit: quod factum laudans Seneca ait: Gratiſsimum putavit genus veniæ, neſcire, quod quiſque peccaſſet. &c. Vide Corn. a Lap. Jac. 1. v. 19. Item ad Epheſ. 4. v. 26. & v. 31.

*De perfectione Chriſtiani erga Deum, proximum, & ſeipſum.*

3. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 5.* Scribæ & Phariſæi erant elati ſuperbia homines, qui oculis intuentium ſervientes, ſuperciliosè virtutes ſuas jactitabant, de cetero vero erant hypocritæ, ad extra columbæ, ad intra corvi. Dominus Deus in hodierno Evangelio requirit, ut incomparabiliter major ſit juſtitia, ſeu perfectio Chriſtiana, alias certo regnum cælorum non aſſecutura. In quo ergo conſiſtit juſtitia Chriſtiana? Reſpondeo, plenitudo juſtitiæ habet tres partes, nam ternario numero perfectio completur, & ideo Chriſtianus juſtitiam habere non poteſt, niſi ſit juſtus in ſe, juſtus cum proximo, & juſtus erga Deum. Audiamus, quomodo! 1. Homo Chriſtianus debet eſſe *juſtus in ſe*, id eſt, debet abundare illis virtutibus, quæ in ſeipſo complentur, uti ſunt Verecundia, Mortificatio, Manſuetudo, Puritas, Obedientia, Humilitas, Patientia, & aliæ &c. 2. Homo Chriſtianus debet eſſe *juſtus cum proximo*, id eſt, ut ipſum audem inſtruat, ad bonum inſtiget, a malo retrahat, in neceſsitate illi ſuccurrat, fidem ſervet, & quæ ſunt ſimilia: quodſi ille fidelitate, & caritate tua abutatur, edoctus non diſcat, monitus non reſipiſcat, ille quidem malitiæ ſuæ pœnas dabit, tu vero propter conatum tuum merito coram Deo non carebis. 3. Homo Chriſtianus debet eſſe *juſtus coram Deo*, id eſt, ad Deum tanquam finem ultimum per virtutis exercitia tendere, illum in fide, ſpe, & caritate adorare, præcepta illius tam ſancte obſervare, ut malit mori, quam Deum offendere. O quanto præmio coronabitur in cælis hæc perfectio! &c. Vide P. Segneri Manna an. 6. Aprilis.

## Dominica VI. poſt Pentecoſten.

*Ad panem lucrandum neceſſaria eſt oratio, cooperatio, & mortificatio.*

M*Anducaverunt, & ſaturati ſunt. Marc. 8.* 1. Ne animo cadas propter triduanam inediam, fidelis popule, neque recedas a ſequela Chriſti; manum Dei tecum habes, quæ implet omne animal benedictione! En ſeptem panibus mirabiliter multiplicatis ſaturata ſunt quatuor eſurientium millia! Ne diffidas, mi Chriſtiane, eadem eſt Providiſſimi Dei ſolicitudo tui, quæ fuit famentis populi! paratus eſt te, quem creavit, etiam conſervare & nutrire, dummodo ex parte tui non deficias. Quid ergo agam, ut pane quotidiano non caream? Tria ſunt ad hoc tibi neceſſaria: Oratio, cooperatio, & mortificatio. Audiamus quomodo hoc intelligendum. 1. Neceſſaria tibi eſt *Oratio*, invoca, & inſtanter roga Deum, quia omnia bona a Deo procedunt, & viribus tuis pro lucrando pane tibi ipſi non ſufficis; conſidera, quam paterne te hactenus Deus ſuſtentarit, & quam mirabilis ſit ejus Providentia in nutriendo humano genere (Vide Tit. Providentia Dei) ad hunc Benigniſſimum Dominum nunquam deſine elevare manus, & clamare: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 2. Neceſſaria tibi eſt *Cooperatio*, Deus inertium & pigritantium curam non habet, ſed vult, ut homo labore manuum Providentiæ ſuæ cooperetur (Vide Nutrimentum hominis, labor hominis) 3. Neceſſaria tibi eſt *Mortificatio*, id eſt, diſcreta frugalitas, & abſtinentia a deliciis. Quid prodeſt Patrifamilias in cælum clamare pro pane, dum interim lautitiis, conviviis, & ebrietatibus vacat, familiam in eſu & potu, & ſplendidis veſtibus ſupra ſtatum ſuſtentat, atque immoderatas recreationes plus quam laborem domeſticum amat, coarctet ſe parſimonia, atque nonnunquam amore Divini Nutritii bolum delicatiorem ſibi ſubducat, & pauperibus porrigat. (Vide Tit. Mortificatio.) Id ſi fecerit pie orans, labore cooperans, & diſcrete ſe mortificans, pane nunquam carebit. (Vide Tit. Mortificatio.)

Cur



*Cur Dominus Deus famem & penuriam mittat.*

2. *Unde iſtos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Marc. 8.* Tanta eſt Dei Providentia & Potentia, ut ex ſolitudine agrum fertiliſſimum & viciſſim ex agro fertiliſſimo ſterilem ſolitudinem facere poſsit! Primum illud videmus in hodierno Evangelio, ubi Chriſtus Dominus famentem populum mirabiliter pavit. Alterum ab uno vel alio anno, proh dolor, experimur, ubi Dominus Deus liberalem manum ſuam a nobis retrahit, & regionem ac viciniam noſtram jejune paſcit. Deficiunt tam homini quam pecudi vitæ ſubſidia, nonniſi caro valde pretio comparanda. Quæ autem cauſa, quod Dominus Deus famem, & inediam interdum mittat? Videtur eſſe operæ pretium, ut in cauſas indagemus! Deus nonnunquam parcus eſt in ſubminiſtrando victu, & annona, ait Novarinus, 1. Ut homines intra Modeſtiæ limites contineat; ſaginatus enim venter plus, quam jejunus petulcit: Exemplum habemus inter Ægyptum, & regionem Chanaan: in Ægypto Sara Abrahæ uxor periculum habuit, ne violaretur; quia Ægyptii divitiis & rerum affluxu abundabant: In Chanaan autem procul erat a tali periculo; quia Chananæi tunc egeſtate, & inedia affligebantur. 2. Deus famem & inopiam mittit, ut contriti ad pœnitentiam recurramus: ſic Filius prodigus ad Patrem reverſus eſt propter eſuriem, & egeſtatem. 3. Ut corda noſtra a mundi voluptatibus avertat, exemplo Joſephi Ægyptii, qui tempore caritatis & inopiæ filium non genuit, ſed poſtea, cum abundantia crevit. 4. Denique Deus ſterilitatem, & famem mittit, ut ejus Miſericordiam humiliter imploremus: Apud Diſcipulos in Emmaus Chriſtus ſe finxit longius ire, non quod cogitaret abire, ſed quia voluit audire illud: *Mane nobiſcum Domine!* (Vide Barziam Ser. 65. n. 19. & ſeq.) Clamemus uno corde, & ore in cælum: Mane nobiſcum Domine, & noli nobis paternam manum ſubtrahere. &c.

*Miſericordia pauperi exhibenda eſt corde, ore, & opere.*

3. *Miſereor ſuper turbam. Marc. 8.* Divinus Mundi Redemptor, ſicut in mundo converſatus, in omni virtutum genere nos inſtruxit; ita in hodierno Evangelio ſpeciatim Caritatem proximi, & miſericordiam nos edocuit, quam famenti populo tripliciter, videlicet corde, ore & opere exhibuit. Notate! Corde, ore, & opere! Videamus, quomodo Chriſti exemplum imitari, & miſeris ſuccurrere debeamus. 1. Chriſtus miſericordiam exhibuit populo *Corde*, inquiens: Miſereor ſuper turbam. Parem in modum proximo in afflictione, in ægritudine, in paupertate compati, & ſi facultas nobis non ſit, aliorum commiſerationem excitare, ac opem implorare debemus. O quam multi ſunt duro corde, ita, ut canis ægroti magis, quam hominis afflicti commiſeratione tangantur. &c. 2. Chriſtus miſericordiam exhibuit populo *Ore*, dicens: Ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Parem in modum miſeros ſolari, ad patientiam, & confidentiam in Deum exhortari debemus. Quid autem fit? O quam multi divites, ore & lingua perſequuntur pauperes, illos auxilio & ſolatio indignos reputant, tanquam homines nauci, qui ſua inertia, & otio ſibi hanc miſeriam conſciviſſent. 3. Chriſtus Miſericordiam exhibuit populo etiam *Manu*: Accipiens ſeptem panes dabat diſcipulis ſuis. Parem in modum, non ſolum affectu & verbo, ſed etiam opere miſeris ſuccurrere, atque eſurientes paſcere, ſitientibus potum dare, nudos veſtire debemus. O quam multi ſunt ſaxei, & ferrei, qui obſoletos calceos, & veſtes libentius a muribus & tineis corrodi, quam pauperi porrigi permittunt. Quid dicent infelices Divino Judici exprobranti: Eſurivi & non dediſtis mihi manducare, ſitivi & non dediſtis mihi bibere, nudus eram, & non cooperuiſtis me! &c. Vide Tit. Caritas proximi, Miſericordia, Eleemoſyna, &c.

## Dominica VII. poſt Pentecoſten.

*Falſi Prophetæ ſunt mundus, caro & dæmon.*

1. A*Ttendite a falſis Prophetis. Matt. 7.* Nihil eſt tam ſanctum, quod non æmulatione corrumpitur: Vitia transformant ſe in virtutes, avaritia vocatur providentia, prodigalitas laudatur ut liberalitas: Parem in modum Pſeudo-Prophetæ induunt Prophetas a Deo miſſos, & ſicut illi vaticinantur, quæ ad Dei gloriam, & animarum ſalutem cædunt: ita illi homines deceptionibus circumve-

ve-

veniunt, ut illos in perniciem trahant. Quinam ſunt hi falſi Prophetæ? ſunt infamis illa trias, Mundus, Caro, & Dæmon! Detegamus illorum impoſturas ad noſtram cautelam! 1. Mundus, ut peccatores in malo firmet, imo audaciores, & impudentiores reddat, decipit illos exemplo peccatorum, qui ſalvi facti ſunt! Verum attendite! Miſericordiæ Divinæ exempla non ſunt trahenda in conſequentiam! ex eo, quod latro a dextris ſalvatus ſit, non ſequitur etiam alium a ſiniſtris ſalvari debere. Mundus quam læta prophetavit Ammano, & ſuſpenſus in patibulo crepuit. (Vide Barz. Serm. 49. §. 1.) 2. Caro ſub ſpe futuri temporis ſuadet peccatori dilationem pœnitentiæ: Dicit nunc fruere bonis, ede, bibe, lude, cum ſenueris, ſat temporis habebis ad orandum & triſtandum. Sic decepit Epulonem, eumque immiſericordem fecit erga Lazarum: credidit Epulo deceptioni, & damnatus eſt. &c. 3. Dæmon decipit peccatorem præſumptione Miſericordiæ Dei: ſic primis parentibus perſuaſit eſum vetiti pomi, inquiens: tantum abeſt, ut pœnam metuere debeatis apud Deum, ut potius felicitatem veſtram promoturi ſitis: *Eritis ſicut Dii*. (Vide Barz. Serm. 49. §. 2. 3. & 5. &c.) Quisquis ergo ſalvari cupit, caveat hos falſos Prophetas! ſi propter eorum deceptiones unus unicus fuiſſet damnatus, digni eſſent æterna fuga & odio, quanto magis fugere & odiſſe illos oportet, cum propter illos milleni ac milleni damnati ſunt. &c.

*Quomodo cælum vim patiatur, & violenti rapiant illud.*

2. *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. Matt.* 7. Non datur duplex cælum, hic & ibi! nec eſt poſſibile in hac vita jocari, lætari, epulari cum mundo, & poſt mortem æternum regnare cum Chriſto. Huic, aut illi renuntiandum eſt, quia cælum vim patitur, & nonniſi violenti rapiunt illud: Dicere autem Domine Domine non eſt violentum. In quo ergo conſiſtit hæc violentia? conſiſtit in eo, quod homo Chriſtianus vim facere debeat, & vim pati. Audiamus quomodo! 1. Homo Chriſtianus, ſi ſalvari cupit, *vim facere* debet cælo: ſicut urbs munitiſsima non expugnatur niſi laborioſa obſidione, machinis curulibus, tormentorum globis, ſubterraneis cuniculis, & ſtrage inimicorum; ita cælum non expugnatur, niſi orando, jejunando, lacrymando, pauperibus ſubveniendo, carnem mortificando. Hi ſunt actus violenti, quibus Chriſtianus ſe probat eſſe cæli candidatum. Ponamus, quod vanus & commodus, qui nunc voluptatibus, divitiis, & honoribus inhiant, olim in morte ad Deum dicturus ſit verbis illis Davidicis: *Tuus ſum ego*! ridebitur a toto cælo, ait S. Ambroſius: Reclamabit *libido, & dicet meus es! Veniet avaritia, & dicet meus es! Veniet ambitio, & dicet, tu plane meus es*! (Vide Barz. Serm. 49. num. 29.) 2. Homo Chriſtianus, cæli candidatus etiam *vim pati* debet. Sicut aqua calida, & lapis ſuſpenſus in aere ſunt in ſtatu violento; ita Chriſtianus, dum pugnat contra inimicos, id eſt, contra congenitas inclinationes, & paſſiones habituatas animi, vim pati debet haud exiguam: Inclinat caro ad delicias, ad jocos, ad nugas, inclinant inveteratæ conſuetudines ad conſortia prava, ad epulas, ad choreas, inclinat innata ſuperbia ad dignitates, ad iram, ad vindictam; hæ omnes paſſiones compeſcendæ, & mortificandæ ſunt, quod certe facile non eſt, ſed violentum. (Vide Tit. Mortificatio ſenſuum &c.) Quis autem eſt qui hanc violentiam ſibi infert, & cælo? ex centenis nec unus! omnes ſperant ſalvari per illud: *Domine, Domine*! &c.

*De ſignis prædeſtinationis.*

3. *Omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur, & in ignem mittetur. Matth.* 7. Magna eſt differentia inter arborem, quæ deſtinatur ad ignem, & aliam, quæ ad transplantationem: illa ſucciditur, iſta eradicatur: prior radices relinquit in terra, altera una cum radicibus transfertur in aliam terram. Ex hoc præludio ſatisfacere volo interrogationi ſatis frequenti inter Chriſtianos! O Bone Deus, inquiunt, quid de me fiet? an ero aliquando in numero eorum, qui ad cælum prædeſtinati ſunt, vel illorum, qui reſervantur ad ignem? Attende! dabo ſigna prognoſtica, facem mihi præferente S. Euthymio, qui in textum pro themate allegatum ita gloſſat: *Securis eſt mors, arbores ſunt homines, radices eorum vita, ignis eſt gehenna*. 1. Ante omnia perpendendum eſt Evangelii effatum: Omnis arbor bona bonos fructus facit: per fructus bonos intelliguntur opera bona, omni homini Chriſtiano neceſſaria: vel enim verſatur in

ſtatu



ſtatu primæ innocentiæ, vel pœnitentiæ; ſi innocens eſt, opera bona ſunt inſtar olei, quo lampas ardens conſervari ac nutriri debet: ſicut deficiente oleo deficit lumen, ita deficiente operum nutrimento deficit innocentiæ decus. 2. Quodſi effuſum eſt oleum, & ſucceſſit ſtatus pœnitentiæ, opera ſancta neceſſaria ſunt, ut pravi habitus deſtruantur, eum in modum, quo frigida calidis curantur. Non ſufficit hic una confeſſio, ſed actus contritionis per omnem vitam prorogari debent. 3. Quod ſi vita ad finem vergit, quæro, an arbor ſuccidatur, aut eradicetur? ſi ſucciditur, & radices, id eſt, pravi habitus, terrenæ affectiones, & deſideria voluptatum, divitiarum, vanitatum remaneant, eheu! peſſimum ſignum eſt, arborem deſtinari ad ignem. Si vero arbor radicitus evellatur, id eſt, ſi animus a terrenis affectibus liber & purus ſit, plaude Chriſtiane! ſignum eſt, quod in hortum paradiſi, in cæleſtem patriam transferendus ſis. Vide Barz. Serm. 30. §. 1. Item Serm. 49. n. 2. ad finem.

## Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

*De danda ratione circa bona fortunæ, naturæ, & gratiæ.*

1. R*Edde rationem villicationis tuæ. Luc.* 16. Arduum eſt examen Juvenum, quod ad finem anni ſcholaſtici pro aſcenſu aut pro præmio ſubire debent; hæſitant, tremunt. Rigoroſius eſt examen maleficorum, ubi de vita & tormentis agitur; expalleſcunt miſeri, & deliquia patiuntur. Terribile autem præ ceteris eſt examen Divini Judicii, ubi homo de tota vita, a prima uſque ad ultimam horam, nec non de beneficiis a Deo acceptis rationem inſtar villici dare debebit. O quantum contremiſcent infeliciſſimi peccatores, & contra Judicis faciem a montibus & vallibus cooperiri optabunt. Quænam autem ſunt Beneficia hæc a Deo accepta? Enarremus & diſcutiamus unum vel alterum. 1. Rationem reddere debebis, mi Chriſtiane, villicationis tuæ circa *Bona Fortunæ*, quæ a liberali manu Dei in tuo officio, opificio, aut negotiatione accepiſti. Exquiretur, ad quid & quomodo illa impenderis? an ad corradendos pecuniæ theſauros, an ad luxum & luxuriam, an ad veſtium ſplendorem, & ſuperbiam: Væ tibi ſi alter Epulo fuiſti dicens tibi ipſi: Anima mea, multa bona habes, interim pauperem Lazarum fame & inopia perire permiſiſti. 2. Rationem reddere debebis circa *Bona Naturæ*, quomodo uſus ſis valetudine, corporis robore, an ad nugas, ad delicias, ad ebrietates? interrogaberis, cur talenta in terram defoderis? cur intellectum ſatis perſpicacem neglexeris exornare iis ſcientiis, artibus & principiis, quæ potuiſſent cedere ad Dei gloriam, & animarum ſalutem? &c. 3. Rationem reddere debebis de *Bonis gratiæ*, quomodo te habueris ad inſpirationes internas, & admonitiones externas? an pia propoſita in- & extra confeſſionem concepta Deo fideliter ſervaveris? an gratias Sacramentales diligenter cuſtodieris, & contra occaſiones periculoſas obmunieris? &c. Væ tibi, ſi villicus inutilis, & infidelis inveniaris, &c. Vide Barz. Serm. 2. §. 1. Item Lib. VII. Tit. Divitiæ. Lib. V. Tit. Sanitas corporis. Item Lib. I. Tit. Gratia Dei, &c.

*De danda ratione circa dona a Deo accepta.*

2. *Redde rationem villicationis tuæ. Luc.* 16. Marchioni Gonzagæ oblati ſunt decem malefactores, de quibus certo aſſerebatur, unum ex his commiſiſſe furtum pridie in civitate factum. Sapientiſſimus Princeps examinavit unum poſt alterum, negantibus autem omnibus, pectora eorum manu tangebat, & deprehenſo uno, cui præ ceteris cor palpitabat, ajebat, tu es reus criminis, te ad mortem condemno. Mi Chriſtiane, cum hodiernum Evangelium prælegi audiiſti, an non cor tibi palpitabat, cogitanti, quod coram Divino Judice, falli & fallere neſcio, rationem dare debebis de crimine furti, quo Deo debitum honorem ſuffuratus, & donis acceptis peſſime ad peccata abuſus es? Loquamur fuſius. 1. Donum Dei fuit, quo dedit tibi *Intellectum* ſatis perſpicacem, quomodo uſus es? omnia vana addiſcuntur, ſaltare, equitare, digladiari: leguntur libri faceti, ſuperſtitioſi, hæretici? ſolæ veræ ſcientiæ, quæ fidem, Dei gloriam, & animæ ſalutem concernunt, negliguntur! Diſputas de rebus naturalibus, & politicis Latine, Gallice, Italice ut Doctor, verum de ſupernaturalibus ad virtutem & perfectionem pertinentibus loqueris ut puer? quid dicet Divinus Judex ad hanc negligentiam? 2. Donum Dei eſt perfecta corporis *Valetudo*, quomodo hac uſus es? Nempe ad ebrietates, ad decumanos hauſtus, ad convivia immoderata: cum autem adveniebat

dies jejunii, dolebas imbecillitatem ſtomachi. Quid dicet Divinus Judex ad hanc tepiditatem? &c. 3. Donum Dei fuit æſtimatiſſimum *Tempus* vitæ ſatis prolixæ, quomodo uſus es? Proh dolor! ad otium, ad ſomnum, ad nugas, ad inutiles confabulationes, in popinis, in comœdiis, in ambulationibus, tres, quatuor, aut quinque horas continuas conſumpſiſti; cum autem Verbo Dei intereſſe, aut ſacrum dimidia hora audire debebas, tempus nimis longum, & mora tibi moleſta videbatur. Quid dicet Divinus Judex ad hanc ſalutis incuriam? &c. Vide Tit. Intellectus animæ. Item Sanitas corporis. Item Tit. Acedia, Tepiditas &c.

*De obligatione correctionis fraternæ.*

3. *Quid hoc audio de te? Luc.* 16. Nemo credat, quod ſibi ſoli vivat! vivit etiam proximo, cujus curam habere, & tam commoda promovere, quam mala avertere, Jure Divino, & naturali tenetur: *Mandavit unicuique de proximo ſuo!* Sicut ergo, cum Viatorem ſemicæcum vides foſſæ ingenti aut crepidini fluminis appropinquare, illum admonere, & in viam ſecuriorem revocare teneris: ita & cum videris proximum a via ſalutis aberrantem, inferno approximare, obligaris illi remedio correctionis fraternæ ſuccurrere. Hæc certa omnino ſunt, ita, ut ſolum circa modum, tempus & perſonam explicandum, quomodo fieri debeat correctio? 1. Quæritur, *a quo* facienda ſit? Reſpondeo, Principaliter facienda eſt a Superioribus, Parentibus, ac Patribus-familias, qui ad vitia ſubditorum, filiorum, & famulorum tenentur eſſe centoculi: quodſi Superior non ſis, non ideo exemptus es a lege correctionis vel per teipſum, vel per delationem ad Superiorem procurandæ; quia ſemper malum eſt, aliorum putredines occultare, prout loquitur Chryſoſtomus. 2. Quæritur, quando facienda ſit? Reſpondeo, quando certo conſtat peccaſſe fratrem tuum, & certo ſpes emendationis ſupereſt &c. 3. Quæritur, quomodo facienda ſit? Reſpondeo, non ex ira aut vindicta, ſed cum diſcretione in ſpiritu caritatis, inter te & ipſum ſolum, ſine diffamatione delinquentis: Filium prodigum Pater prius veſtiri voluit, ut ipſi ſoli nota eſſet ipſius nuditas, &c. Vide Lib. VI. Tit. Correctio Fraterna. Item la Selve Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadrag.

## Dominica IX. poſt Pentecoſten.

*De arcana peccatorum menſura a Deo ſtatuta.*

1. E*O quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Luc.* 19. Heroum Maximus, Magnus Alexander, urbem oppugnaturus, in conſpectu civitatis facem accendere, obſeſſiſque ſignificare ſolebat, quamdiu fax arderet, ſupereſſe veniæ, & gratiæ tempus: illa autem extincta, decretam eſſe crudeliſſimam civium ſtragem & urbis ruinam. Eundem in motem Dominus Deus impietati urbis Hieroſolymitanæ terminos poſuit! quadraginta annis poſt occiſum Dei Filium, cum pœnitentiam non ageret, terribili excidio funditus everſa eſt, ita ut luctuoſior Hiſtoria vix ab orbe condito inveniatur. (Vide Foreſti Hiſt. in Vita Titi Imp. part. 1.) Quid ex hoc præludio eruo? Horribilem Veritatem, qua audita peccatori ambæ aures tinnire debent! Deus cuilibet peccatori talem facem, id eſt, arcanum peccatorum numerum & menſuram ſtatuit, qua completa deſinit tempus miſericordiæ, & ingruit tempus implacabilis juſtitiæ. Ut veritatem hanc cordi, cum timore Domini imprimamus, præmittendæ ſunt aliquæ poſitiones. 1. Poſitio eſt, Peccator non ſolam Miſericordiam, nec ſolam Juſtitiam reſpicere debet; non ſolam illam, ne præſumat, nec ſolam iſtam, ne deſperet! cum populus Iſrael terram promiſſam ingrederetur, pars una ſtetit ſupra montem Garizim, altera ſupra montem Gebal, illa clamare debebat Benedictionem, iſta Maledictionem, idque ſimul & ſemel, ne Miſericordias Domini audirent ſine juſtitia, nec juſtitiam ſine Miſericordia. Cum intuemur Crucifixum, a dextris videmus latronem ſalvatum, a ſiniſtris latronem reprobatum, &c. (Vide Barziam Serm. 10. n. 14. & ſeq.) 2. Poſitio: Etiamſi Miſericordia Dei infinita ſit, habet tamen certam menſuram: Chriſtus a Diſcipulis abivit ad jactum lapidis, lapis autem propius aut longius poteſt projici: Aliud enim eſt Miſericordia in ſe, aliud in ſuis miſerationibus, illa infinita eſt, non autem iſtæ: *Multæ ſunt miſerationes ejus,* (1. Par. 21.) dicit Scriptura, non infinitæ. (Vide Tit. Miſericordia Dei. Item Barz. Serm. 49. n. 21. & ſeq.) 3. Poſitio: Exempla Miſericordiæ Divinæ non debent trahi in conſequentiam: Nazaræi male petebant prodigia facta in Capharnaum: Pharao male confidit, viam Iſraelitarum per mare etiam ſibi permeabilem eſſe. &c. (Vide Ibid. Et Barz. Serm. 13. num. 15.) 4. Poſitio: Cum arcana peccatorum menſura completa eſt, deſinit Miſericordiæ tempus, & ingruit pœna juſtitiæ: eaque menſura non æqualis, ſed incerta eſt. Nabuchodonoſor reſipuit, & ſalvatus eſt, & Nepos illius Balthaſar ob eadem peccata damnatus. (Vide Ibid. Et Barz. Serm. 12. n. 14.) Quid ex his Poſitionibus concluſionis eruitur? Illud certe, omne peccatum timendum eſſe ultimum, &c.

*Chriſtianus ſalvari cupiens conſideret præterita, præſentia & futura.*

2. *Si cognoviſſes & tu! Luc.* 15. Quid Benigniſſimus Redemptor per hæc verba inſinuare voluit infelici Hieroſolymæ? voluit illi exprobrare incredulitatem, obſtinaciam, & duritiem cordis, dicendo, ſi crediſiſſes, quæ tibi a me, a meis Diſcipulis, & Apoſtolis dicta ſunt, ruinæ & excidii pœnam evadere, & in civitatem ſanctam migrare potuiſſes! O miſer peccator, patere ut inculcem tibi hæc verba, ſi cognoviſſes, id eſt, ſi ſolitudine domeſtica nonnunquam ſeria cognitione conſiderares præterita, præſentia & futura, næ tu certo ex peccatore in pœnitentem, ex tepido Chriſtiano in ſanctum migrares. Age 1. Cogita *Præterita!* perpende Bonum quod omiſiſti, malum quod commiſiſti, & tempus quod perdidiſti! O quoties Deo & proximo ſervire, & merita augere potuiſſes per preces, eleemoſynas, jejunia, aliaque opera, tu tamen infrunita libertate ad jocos, ad nugas, ad familiaritates effuſus, præcepta fere omnia violaſti! negare non potes, convincit te tua conſcientia! 2. Cogita *Præſentia*, nempe vitæ brevitatem, ſalvandi difficultatem, ſalvandorum paucitatem. Multi tui ſimiles ad mortis confinia adducti, vitam hanc velut ſomnium intuebantur: dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis! lugebant, tremebant, flebant, quod opinione citius morbo extremo correpti nihil meritorum per annos vitæ ſuæ pro æternitate collegerint, &c. 3. Cogita *Futura*, videlicet Judicium, quo nihil terribilius, & infernum, quo nihil intolerabilius! ſi necdum pœnitentia expiatus & morte præoccupatus ſiſtaris Divino Judici, quo luctu, qua deſperatione comparebis, quam ſententiam audies, quis erit locus tuus in æternitate? Eheu! ſi



hæ meditationes ad frugem non reducant peccatorem, eheu! conclamatum eſt! (Vide Tit. Pœnitentia, Infernus, Æternitas &c.)

*De irreverentia in templo ejuſque malis effectibus.*

3. *Ingreſſus in templum cæpit ejicere vendentes in illo & ementes. Luc.* 19. Huc tandem fidei imbecillitas, & vitæ tepiditas perducunt Chriſtianos, ut in domo Dei vix majori cum reverentia compareant, quam in domo profana, eaſque irreverentias coram Deo garriendo, jocando, ridendo committant, quas committere coram terreno Principe non auderent. Grande malum, quo Deo, Proximo & ſibi ipſis nocent. 1. Irreverentiæ in templo ſunt *injurioſæ Deo*: quia ſanctitatem loci, & Divini cultus profanant, contra illud Dei effatum: Elegi, & ſanctificavi locum iſtum. 2. Irreverentiæ in templo ſunt *proximo ſcandaloſæ*, quia ipſi contemptum rerum ſacrarum inſpirant: amittit ille reverentiam Deo debitam, & impudentior factus putat eſſe licitum, quod eſt commune & publicum. 3. Irreverentiæ in templo ſunt nobis ipſis *pernicioſæ*, quia fructu orationis nos privant; quomodo enim a Deo exaudiri ſperamus, quem in ipſo loco, ubi exaudiri poſcimus, ad iram & averſionem provocamus? &c. Vide Nicolaum Dijon Capuc. hac Dom. Item Tit. Irreverencia in templo. &c.

## Dominica X. poſt Pentecoſten.

*Bona opera multipliciter poſſunt eſſe mendoſa.*

1. N*On ſum ſicut ceteri hominum; ... jejuno bis in Sabbato. &c. Luc.* 18. Videant jactabundi, & præſumptuoſi, qui in ſuis meritis confidunt, & ceteros aſpernantur, videant ex hodierno Evangelio, quam parum de operibus meritoriis glorianduum ſit. Eſto enim, quod jejunes, quod ores, quod largas eleemoſynas diſtribuas, o quam facile hæc opera a vanis intentionibus, ſicut pannus a tineo, & pomum a latente vermiculo corrumpuntur. Quænam ſunt hæ tineæ, & vermiculi operum? Audi. 1. Bona opera ſæpe vitiantur ex motivo mere vano & inani. 2. Ex mera conſuetudine. 3. Ex naturali propenſione. 4. Ex delectatione & ſolatio interno. 5. Ex

amore proprio. 6. Ex ſuperbia, & vani amoris complacentia: quin ipſa etiam humiliatio ſæpe ſuperbiam ſpirat: hic Phariſæus gratias agit Deo, quod non ſit ſicut ceteri hominum, ſed hoc tantum facit, ut ſub humilitatis ſpecie laudem ſuam tanto jactantius debuccinaret. S. Auguſtinus ait: *Aſcendit quidem orans, noluit autem Deum rogare, ſed ſe laudare. &c.* Vide Barz. Serm. 26. n. 15. & ſequent.

*In ſtatu peccati mortalis opera bona non ſunt omittenda.*

2. *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. &c. Luc. 18.* Inter infelicitates peccatoris illa certe maxima eſt, quod in ſtatu peccati conſtitutus nullum opus meritorium operari poſſit. Eſto quod oret, jejunet, eleemoſynas large diſtribuat, tamen hæc opera, utut in oculis hominum ſint laudabilia, coram Deo nullius ſunt meriti, quia Dei gratia deeſt: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Sunt opera mortua ſine vita, ſunt palea ſine tritico, ſunt ignis fatuus, lucet non urit, ſunt bombarda ſine globo, ſtrepitum facit non effectum. Si ita eſt, cogitat peccator, præſtat otiari, dormire, & genio indulgere, quam bona opera exercere! Valete preces, jejunia, eleemoſynæ! Falleris miſer! per Dei amorem te rogo, ne deſinas operari bene; quamvis enim opera tua ad Dei gratiam & cœli meritum nil proſint, tamen alias, eaſque magnas tibi afferunt utilitates! Percipe quales. 1. Conducunt ad *Temporalium conſecutionem!* propter opera mortua Deus tibi auget bona fortunæ, familiam locupletat, periculoſam agris tempeſtatem avertit, aliaque bona tibi confert, quæ tu ipſe tanti æſtimas, ut illa æternæ ſaluti præferas; ſic Deus olim Romanæ Reipublicæ juſtitiam mundi imperio coronavit, & hodiedum hæreticorum, & infidelium opera bona terrena proſperitate compenſat; quia etiam imagines bonorum operum, ſicut Pater amat filii ſui depictam imaginem. 2. Bona opera mere naturalia conducunt ad *Diſpoſitionem ad gratiam*, & ſunt media, quæ prodeſſe poſſunt ad pœnitentiam & converſionem. Ideo Salvator in Evangelio cuidam Scribæ ſiniſtra cum intentione interroganti reſpondit: *Non es longe a regno Dei!* fax recenter extincta, & adhuc fumigans facilius reaccenditur, quam quæ diu jam frigeſcit: ita peccator, qui bonis ſtudet operibus, facilius ad frugem reducitur, quam qui ab omni bono opere abſtinens frigeſcit, &c. 3. Opera in ſtatu peccati peracta conducunt *ad aſſuetudinem bonorum operum.* Verum eſt, clavis cerea non aperit oſtium, ſed tamen exemplar præbet ſecundum quod alia ex ferro, quæ aperiat, fabricari poſſit: ita orationes, eleemoſynæ, & alia opera, quæ peccatores faciunt, ſunt forma, juxta quam ipſa opera deinde facilius, ſed majori valore a peccatoribus jam pœnitentibus peraguntur, &c. Quapropter caveat peccator, ne ſolitas devotiones, dum in miſerando ſtatu peccati vivit, intermittat, ut viam ſibi paret, per pœnitentiam redeundi ad Deum. Vide P. Segneri Homo Chriſt. part. 2. Diſcurſu 13. a n. 14. & ſeq. Item Vide Tit. Opera bona, &c.

*Humilitas homini neceſſaria & conveniens.*

3. *Non ſum ſicut ceteri hominum.* Luc. 18. Quis non indignetur faſtuoſo thraſoni? a Deo vult auxilia & gratias emendicare, & ſe faſtuoſa cervice ſuper omnes homines virtute eminere gloriatur: quid hoc eſt aliud, ait S. Bernardus, quam quod Phariſæus hic ſtipem mendicans, manus divitiis & auro plenas oſtendat. Econtra humillimus publicanus ne accedere quidem auſus ad altare miſericordiam Dei ſuper ſua peccata implorans, juſtificationis gratiam ſecum in domum reportat. O Mundana pectora! mementote, quod ſuperbia Luciferum e cœlo dejecerit: *Similis ero Altiſſimo!* Mementote, quod ſuperbia Adamum ex paradiſo expulerit: *Eritis ſicut Dii!* Humiliamini coram Deo cœli & terræ, atque in nihilum veſtrum abjecti miſericordiam implorate! cauſas autem humiliationis, mi Chriſtiane, in te ipſo invenis innumeras: *Humiliatio tua in medio tui!* Oſeæ 9. Enumeremus triplicem cauſam! 1. Memento, quis ante tempus *fueris?* Ante quinquaginta aut ſexaginta annos purum nihilum! ex hoc Dei Miſeratione extractus, & creatus, in infantia quam inutilis & imbecillis! Baptiſmalem innocentiam, quam cito perdidiſti, jam ſervus ſatanæ factus, & ad ignem infernalem deſtinatus antequam puerum exuiſti. 2. Memento quis *jam modo ſis?* Dei Miſericordia e ſtatu peccati ereptus quam ingratum te exhibes liberatori tuo? quomodo reſpondes Domino tuo, qua induſtria ſtudes intellectum æternis veritatibus, memoriam Dei beneficiis, voluntatem virtutibus excolere? Nullus eſt fervor tuus, nullum deſiderium ſerviendi Deo, ita, ut potius ſervias cupiditatibus, vanus, iracundus, impatiens, & ad quodcunque genus peccati propenſus. 3. Memento, qualis *futurus ſis* deinceps! an divinare potes, quid tecum futurum ſit? vidimus nutare columnas firmamenti, imo & prolabi; quid de te fiet arundine fragili, quæ ad omnem ventum ſe inclinat? unde ſcis: quomodo ſis moriturus, & poſt mortem quo perventurus? O mi homo, cauſas habes innumerabiles, te corde, ore, & opere profundiſſime humiliandi. Vide Manſi hac Dom. v. 14. n. 6. Item P. Segneri Manna an. 4. Martii n. 1. & ſeq. Item Tit. Humilitas.





## Dominica XI. poſt Pentecoſten.

*De fine Dei, propter quem dedit homini uſum loquelæ.*

1. S*Olutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.* Marc. 7. Non puto præſtantius encomium de homine Chriſtiano deprædicari poſſe, quam illud: *Loquebatur recte!* lingua enim ſenſus, & membrum eſt millenis erroribus præ ceteris obnoxium? ideo Chriſtus Dominus ſanans hodie mutum: *Expuens ... & in cælum ſuſpiciens ingemuit;* quia in hac unica lingua, innumerabilia peccata & errores intuitus eſt; hinc S. Bernardus ait: *O Bone Deus! excruciaris mille tormentis, & non gemis, nunc autem ad linguæ ſolutionem gemis: eſtne tibi impiorum lingua ſeverior omni mortis telo!* Vide Trauner Gallus cant. fol. 964. Quomodo ergo corrigendi ſunt errores! quomodo uſurpanda lingua, ut loquatur recte? Hoc deſumendum eſt ex triplici fine, propter quem Dominus Deus homini loquelam dedit, prout explicat Cardinalis Hugo. Audiamus! 1. Loquela data eſt *ad Laudandum Deum!* Deus ab omni æternitate in omnem æternitatem ex ſeipſo felix nullius quidem obſequio indiget, nihilominus dignus eſt, ut omnium Angelorum & hominum cordibus ametur, & linguis laudetur: præterea ſummæ gratitudinis lex exigit, ut grates illi rependamus infinitas pro Beneficio creationis, redemptionis, conſervationis, aliiſque innumeris, &c. 2. Loquela data eſt *ad ædificandum proximum!* quilibet Chriſtianus operam conferat, ut proximo pia monita & conſilia ad ſalutem ſuggerat, ad virtutem extimulet, & a vitiis retrahat. &c. 3. Loquela data eſt *ad accuſandum ſeipſum.* Idque facere cum profundiſſima humilitate quilibet Chriſtianus debet, non tantum coram Deo, ſed & coram ejus Vicario, accuſando ſe contrito corde de omnibus peccatis. &c. Vide Barz. ſerm. 22. n. 28. Homo triplici modo debet eſſe bene diſpoſitus, ad Deum, ad proximum, & ad ſeipſum; igitur verba illius ad hunc triplicem finem debent eſſe ordinata. *Qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, ad exhortationem, & conſolationem.* Vide P. Segneri Manna an. 26. Junii. n. 3.

*Quomodo, & quibus obſervatis obſervandis peccator converti debeat ad Deum.*

2. *Adducunt ei ſurdum & mutum.* Marc. 7. Prodigioſa ſanatio ſurdi & muti cum omnibus circumſtantiis & ceremoniis, allegorice ſignificat, quid faciendum ſit homini peccatori ſerio ad Deum ſe convertere volenti; ſicut enim Divinus Redemptor miſerum hominem duxit ſeorſim de turba, digitum in aures ejus inſeruit, cælum ingemiſcendo ſuſpexit, & demum per vocem Epheta loquelam ei præcepit; ita pariformiter peccator ſerio converti deſiderans: 1. *Duci debet ſeorſim de turba*, id eſt, a mundanis conſortiis, ab occaſionibus, & periculoſis familiaritatibus ante omnia ſeparandus eſt. Sicut enim ſeparanda eſt palea ab igne, ne novum oriatur incendium: ita verus pœnitens malam ſocietatem fugere debet, ne contrahat de novo contagionem peccati. 2. *Digitus Dei in aures illius inſerendus eſt*, id eſt, humiliter implorare debet gratiam Spiritus Sancti, qui per digitum Dei intelligitur, & quidem gratiam illuminativam intellectus, ut agnoſcat gravitatem peccati, & gratiam motricem Voluntatis, ut illud ſerio deteſtetur. 3. *Suſpicere & ingemiſcere debet in cælum*, id eſt, Miſericordiam Dei implorare, & indulgentiam per merita Chriſti confidenter ſperare. 4. Vocem *Epheta* ſibi commendatam habeat, & in confeſſione intima arcana conſcientiæ aperiat: deinceps vero in conſortio humano lingua ita utatur, ut obſervet monitum Spiritus Sancti: *Verbis tuis facito ſtateram*, id eſt, prout explicat S. Ambroſius, *ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, & in verbis modus.* Vide Speranzam punct. 115. Item Baſæum in Meditat. hac Dom. n. 2.

*Eſſe ſurdum & mutum nocentiſſimum malum eſt in Superioribus.*

3. *Adducunt ei ſurdum & mutum.* Marc. 7. Homo ſurdus & mutus in ſenſu phyſico inutile pondus terræ eſt, nec ſibi, nec aliis prodeſt. Verum ſi in ſenſu morali ſurdus & mutus, adhuc infelicior eſt, quia non tantum ad nihil prodeſt, ſed inſuper nocet, præſertim ſi hoc utrumque vitium inhæreat Superiori, qui ex officio debet eſſe auritus, & eloquens, non eſt deſcriptu facile, quanta damna & ſibi & aliis irroget. Utinam hæc damna poſſem energice explicare! 1. Ponamus Superiorem, quales ſunt Magiſtratus, Patres-familias, Judices & alii, eſſe ſurdaſtrum, ita, ut ſubditorum vitia ignoret, aut ſtudio ignorare affectet, aut etiam ea, quæ fideles delatores ipſi inſinuant, audire recuſet, quid fit? delinquentes fiunt impudentiores, & majori cum audacia repetunt impunita ſcelera: Abſalon quare auſus eſt contra Patrem rebellare? quia in aliis delictis, uti in fratricidio Ammonis a Patre non fuit punitus: ideo ait S.
S. Chryſ. ſerm. de Abſalon. Chryſoſtomus: *ſemper ſcelera, dum non reſecantur, increſcunt, & in augmenta facinorum proſilitur, quoties ſecura impunitate delinquitur, &c.* 2. Ponamus Superiorem eſſe mutum, & ad delicta ſubditorum, etiam ea quæ perbene novit, proſus elinguem, quid fit? ſcelera, quæ non corriguntur, nec caſtigantur, quotidie magis increſcunt, & per modum contagionis multiplicantur, ita ut aiat Bernardus; *Impunitas incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix.* Et Seneca: Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit. Si archiater non ſecat, & urit, carcinoma creſcere facit. Vide Barz. ſerm. 34. §. 6. n. 14. Item ſerm. 35. n. 31.

## Dominica XII. poſt Pentecoſten.

*De ſignis ſeriæ Dilectionis Dei.*

1. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Luc. 10. Quod quis impenſius amat, tanto ſolicitius cuſtodit, & quo magis æſtimat, eo acerbius fert illius jacturam. Praxiteles ſtatuarius cum ipſi falſo diceretur, ſua artificia una cum domo fuiſſe incendio conſumpta, præ ceteris deploravit ſtatuam Cupidinis; quia hanc præ aliis omnibus artefactis æſtimavit. Eundem ordinem obſervavit Jacob, cum itinerans ex Meſopotamia, armatum fratrem Eſau in ſe, ſuoſque irruentem vidit; quos enim præ ceteris incolumes voluit, a furore magis removit, & in medium agmen recepit. ( Vide Barz. ſerm. 24. n. 12. & 13. ) Videamus, quid tu, mi Chriſtiane, & quomodo Deum diligas, ejuſque gratiam magis quam res tuas cuſtodias: ( Dide Ibidem §. 2. & ſeq. ) 1. Diligere Deum eſt legem illius cuſtodire, prout Rex David de ſeipſo fatetur: *Habeo legem tuam in medio cordis mei*, & ita habeo in corde meo concluſam, ut ſiquis lædere vellet legem, prius neceſſe haberet lædere cor meum, & me occidere. ( Dide Speranzam punct. 117. ) Quomodo tu, mi Chriſtiane, legem Dei amas? Habeo illam, inquis, in corde meo! ſed aliud eſt, habere illam in medio cordis, aliud habere in angulo cordis. Saul in extrema parte civitatis unctus eſt, & ideo regalem unctionis dignitatem facile perdidit: ita qui legem Dei non in medio cordis, ſed in angulo cordis tenent, facile illam perdunt: venit aliquis reſpectus humanus, venit occaſio prava, & legem caritatis, & caſtitatis ex angulo cordis expellunt. ( Vide Speranzam punct. 117. ) 2. Diligere Deum, eſt Deum præhabere creatis omnibus, & malle vitam, omneſque poſſeſſiones, quam Dei gratiam amittere. An ita comparatus es, mi Chriſtiane? Eheu! quoties temporale lucrum, vanum honorem, amicitiam patroni, fortunas, imo canes Deo, ejuſque gratiæ prætuliſti! &c. 3. Diligere Deum eſt illi toto corde ſervire, & obſequia etiam ardua, cum proprio ſuo incommodo præſtare. An id feciſti, mi Chriſtiane? O quot ſunt, qui tantum dimidio corde Deum amantes in ſervitute Dei ſtatim fatigantur! non ipſis arduum eſt cum Apoſtolo Petro tota nocte laborare pro piſcatu, arduum autem ſtatim videtur, in horto Getſemani una hora cum Chriſto vigilare, &c. Vide Tit. Caritas Dei, Tepiditas, &c.

*De iis, qui temere Deum tentare audent.*

2. *Quidam Legis peritus ſurrexit tentans illum.* Gentilium quidam dubitans de Divinitate ſui idoli paſſerculum, ſeu aviculam occulte in manum ſumpſit, accedenſque ſtatuam idoli interrogavit: Audi Jupiter, ſi Deus es, dic mihi, an id, quod manu teneo, eſt aliquid vivum, aut mortuum? cogitabat ſecum ipſo, ſi reſpondeat idolum eſſe aliquid vivum, una ſtatim compreſſione manus exanimabo paſſerem! ſi aiat, eſſe aliquid mortuum, avem avolare libere permittam, & ſic mentietur idolum quidquid dixerit. Reſpondit autem diabolus ex idolo: *Prout vis!* id eſt, potes habere vivum, aut mortuum, prout tua tibi malitia ſuggeſſerit, & ſic eluſit tentatoris vafritiem. Eadem vafritie maligniſſimi Phariſæi tentarunt Chriſtum Dominum, ut caperent eum in ſermone; hodie iterum accedit unus, interrogando, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? non deſiderio, aut amore ſalutis id fecit, ſed ut reſponſionem Chriſti carpere, & in ſenſum alienum, cum ejus diffamatione detorquere poſſit. Quæro jam, an hodiedum dantur ejuſmodi tentatores Dei? Dantur utique! quinam ſunt illi! 1. Qui occaſiones pravas frequentare non deſinunt, & tamen ſperant, ſe ſine peccato evaſuros! habent ab experientia, ſe decies, vigeſies, & ſæpius peccaſſe, & tamen hodie putant, ſe gigantes fore invincibiles! fallunt, & falluntur! arundines erunt, ad primum ventum mobiles! &c. ( Vide Tit. occaſio mala! ) 2. Deum tentant, qui ſemper male viventes, bonum finem ſibi promittunt. Decipiuntur! Mors eſt Eccho vitæ! qui clamat in ſylvam *Non non!* non poteſt ab Eccho exſpectare reſponſum, *Ita ita!* &c. ( Vide Tit. Mors. ) 3. Tentant Deum, qui differunt de die in diem, & demum ad ipſa mortis confinia pœnitentiam, & tamen Miſericordiam exſpectant. Falluntur miſeri! Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum; Exemplum boni latronis non eſt deducendum in conſequentiam! &c. ( Vide Tit. Miſericordia Dei! Peccator inveteratus! &c. )

*De Regulis caritatis proximi.*

3. *Diliges Dominum Deum tuum -- & proximum ſicut te ipſum.* Luc. 10. Non puto procul abeſſe ultima mundi tempora; quia inter ſigna adventus Filii hominis oraculum Divinum etiam illud ponit, quod *refrigeſcet caritas, multorum!* quid autem apertius hodie, quid manifeſtius in mundo, quam caritatem intepuiſſe, refriguiſſe, defiiſſe. Initio Eccleſiæ erat Chriſtianis cor unum & anima una, nunc unus Chriſtianus habet duplex cor, calidum erga ſe, & frigidum erga proximos, periit antiqua ſinceritas, extincta eſt fidelitas, exulat mutuus amor: his ſucceſſit ambitio, invidentia, mendacitas, & calumniandi pruritus? ille habetur pro homine aſtuto & ingenioſo, qui fratrem ſupplantare, denigrare, & decipere dexterrime callet: nil ſupereſt amplius de obſervantia Legis: Diliges proximum tuum, ſæpe canis tenerius amatur quam frater! Conabor ergo reſuſcitare extinctum ignem caritatis! clamabo vociferans ad ravim uſque: diliges proximum tuum, regulas dabo vel invitis, quomodo diligendus ſit proximus; non enim ideo deſiit lex obligare, quia deſiit obſervari. 1. Regula ſic ſonat: Diliges proximum ſicut teipſum, conſequenter ejus mala velut tua ſentire, ejus famam ſicut tuam tueri, ejus defectus ſicut tuos velare debes. Quid autem fit? eheu! oppreſſus magis opprimitur, diffamatus magis diffamatur, calamitoſus nova calamitate obruitur. 2. Regula caritatis ſic habet: Diliges proximum, ſicut viciſſim ab ipſo diligi cupis. Practice loquendo! vides pauperem? cogita, ſi ego pauper eſſem, & iſte dives, vellem ut iſte paupertati meæ liberali munere ſuccurreret! Vides ægrotum? cogita ſi ego hac ægritudine laborarem, cuperem ab aliis viſitando, conſolando, medicinas parando adjuvari. Vides miſerum perſecutione afflictum? cogita, & iterum ad teipſum argumentare, dein conclude: ergo æquum eſt ex lege caritatis, ut & ego miſero ſuccurram &c. 3. Regula eſt: Diliges proximum, ſicut Chriſtus Dominus nos dilexit! ille autem dilexit ſine noſtro merito, ſine ſuo commodo, imo cum vitæ ſuæ diſpendio! &c. O Caritas ubi es? O ultima tempora! Vide Franc. Nepveu Cogit. Chriſtian. 24. Maii.

## Dominica XIII. poſt Pentecoſten.

*De ingratitudine hominis erga Deum.*

1. *Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt.* Luc. 17. Quæſtio non inutilis proponi poteſt, cur Dominus Deus virtutem gratitudinis non expreſſa Lege præceperit, & vitium ingratitudinis expreſſa Lege prohibuerit, eo modo, quo in aliis virtutibus, & oppoſitis vitiis fecit? Reſpondeo, quia Lex ipſa naturæ gratitudinem erga Benefactores congenito lumine cordibus noſtris impreſſit, & horror naturalis vitium ingratitudinis nobis abominabile facit, hinc ipſa etiam animalia ratione carentia erga ſuos benefactores gratitudinem ſpirant, prout innumeræ teſtantur hiſtoriæ, & contra ingrati-

gratitudinem axioma inolevit : Ingrato nihil monſtroſius. Et tamen, quid in mundo frequentius monſtroſo hoc ſcelere tam erga Deum, quam erga homines. Diſcamus abominari hoc ſcelus, audiamus illius gradus. 1. Magna eſt Ingratitudo, beneficiis grates non rependere, ipſique Deo O. M. incurioſa, & deteſtabilis: Mirabile eſt, quod de gratitudine Adami noviter creati erga Deum Creatorem nihil legatur in Scriptura: vidit ſe eſſe hominem, qui ante pauca momenta fuit nihilum! vidit ſe ſenſibus corporis, & potentiis animæ præditum! debuiſset in genua procidere, & intenſiſſimo amoris actu laudare Deum factorem ſuum, & tamen nihil de hoc legitur! ideo forſan a Deo derelictus eſt, ut primo vetiti eſus peccato & ſe & totum humanum genus infelix reddiderit. Sic Deus punit ingratitudinem. 2. Major eſt ingratitudo beneficia oblivisci, aut vilipendere! Aratores Ægypti nunquam cælum aſpiciunt, quia agri eorum non a pluviis (quæ in Ægypto non dantur) ſed exundatione Nili fluminis humectantur. Quid fit in noſtra patria, ubi ſalutares pluvias, & agrorum fertilitatem a Deo exſpectamus: pauci ſunt, qui cælum ſuſpiciunt, multi vero, qui blaſphemias & juramenta tanquam lapides furſum contra Deum ejaculantur, qui dein multiplicato grandine e nubibus in capita noſtra relabuntur. 3. Maxima ingratitudo eſt beneficiis contra Deum benefactorem injurioſe abuti: Et tamen quoties, proh dolor! id fit? unus bonum ingenium ad ineptias & ſcurrilitates, alter ſanitatem corporis ad decumanas ebrietates, tertius divitias ad luxum & luxuriam, alii alia dona Dei ad injuriam dantis peſſime uſurpant! quid mirum, ſi Dominus Deus illis in pœnam hæc dona adimat, eum in modum, quo Regi Ezechiæ ademit ſanitatem, quia pro victoria ab hoſtibus reportata gratias non egit. &c. Vide Speranzam punct. 136. Item P. Segneri Manna an. 8. Martii. Item Tit. Gratitudo, Ingratitudo! &c.

*De Beneficiis negativis Dei & gratitudine pro his debita.*

2. *Non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo. Luc. 17.* Gratitudo virtus eſt, qua homo Deo Benefactori vel Patrono ob beneficia accepta ad mutua obſequia, debitamque venerationem obſtringitur. Beneficia autem hæc ſunt duplicis generis, Poſitiva & Negativa: *Poſitiva* ſunt, quibus homo bono aliquo inſigni & æſtimabili donatur, qualia ſunt Beneficium creationis, redemptionis, conſervationis; beneficium firmæ valetudinis, nobilitatis, perſpicacis ingenii, divitiarum, & quæ ſunt ſimilia. *Negativa* ſunt, quibus Homo a malis tam corporis, quam animæ benigna Dei Providentia præſervatur. Jam quod Divino Benefactori pro primis illis, quæ poſitiva vocare placuit, quotidie a Chriſtianis grates rependantur, non dubito! quis autem eſt, qui pro ſecundis illis gratum ſe exhibeat? certe pauciſſimi. Patere, mi Chriſtiane, ut gratitudinis erga Deum, tam circa mala corporis quam animæ te commonefaciam! 1. Circumſpice orbem univerſum, numera ſi potes, pauperes & ærumnoſos, qui eſurie, & inopia, & quidem non ſua malitia, aut negligentia, ſed bello, furto, incendio, aut alio infortunio premuntur. Cur tu in opibus & divitiis commode vivis, qui forſan plurium ſcelerum, quam illi omnes, coram Deo reus es? Ulterius perluſtra carceres, noſocomia, domos & plateas, quot innumerabiles invenies miſeros, captivos, ægrotos, luſcos, claudos, cæcos, paralyticos compluribus annis lecto affixos! cur te non eadem, aut ſimilis calamitas corporis invaſit? &c. 2. Loquamur de malis animæ! quot ſunt homines fatui, amentes, catenis illigati, ſine intellectu vix brutis meliores? cur tu compos rationis humanam vitam agis? Denique aſpice miſeros peccatores, qui ab uno ſcelere in aliud prolapſi, & peſſima conſuetudine obruti, in continuo æternæ damnationis periculo verſantur. Cur tu tranquilla conſciencia, Dei gratia frueris? Nempe id omne debes Beneficentiſſimo Deo, qui ab his malis omnibus, a tentationibus, ab occaſionibus paterne te cuſtodivit! &c. Quid ſequitur? Illud ſequitur, quod pro Beneficiis non ſolum poſitivis, ſed etiam negativis, ſumma cum gratitudine Deum laudare debeas, non enim eſt malum in mundo, quod non & te invadere potuiſſet, niſi Deus te protexiſſet. &c.

*Deus tanto magis amandus, quanto impudentius offenditur a peccatoribus.*

3. *Non eſt inventus, qui daret gloriam Deo.* Deus tam *in ſeipſo*, quam *erga nos* infinite bonus eſt! in ſeipſo: quia ab omni æternitate in omnem æternitatem felix, nullius creaturæ obſequio indigus, potuiſſet loco hominum, totidem Angelos ad ſuum ſervitium creare. *Erga nos*; quia quidquid boni habemus, a Deo bono, bonorum omnium fonte habemus; ille creavit, redemit, juſtificavit nos: in illo vivimus, movemur & ſumus, ab illo nutriri, conſervari, & ſalvari debemus. Hæc ſunt motiva, propter quæ Divinam Majeſtatem adorare, illique ſervire tenemur. Sed his motivis addam hodie novum, quod forſan nunquam advertiſtis. Audite! Servire, & illum nos Chriſtiani amare debemus, quia pauci ſunt, qui illi ſerviunt, & amant, imo innumerabiliter plures, qui illum offendunt & inhonorant. 1. Sunt milliones infidelium, idololatrarum, Turcarum, & gentilium, qui Deum non agnoſcunt, illique boves, vitulos, & monſtroſiſſima ſimulacra, imo etiam Lunam, & Machumetem præferunt. 2. Sunt Milliones Judæorum, qui Chriſtum Redemptorem implacabili odio tam in ſe, quam in ſuis imaginibus, imo etiam in SS. Euchariſtia perſequuntur, uti horribiles narrant hiſtoriæ. 3. Sunt milliones hæreticorum, qui verbum illius corrumpunt, legem contemnunt, & ſibi ipſis vivendi normam, a Deo nunquam approbatam pertinaciter confingunt. 4. Sunt milliones peccatorum inter ipſos Chriſtianos, qui voluptatibus mundi potius quam Deo ſerviunt. &c. Igitur, mi Chriſtiane, ut Deo tot injuriæ compenſentur, decerne, ex toto corde, tanto ardentius diligere Deum, quanto plures habet adverſarios, & inimicos. &c. Vide Tit. Idololatræ, Judæi, Hæretici, Peccator &c.

## Dominica XIV. poſt Pentecoſten.

*Non eſt poſſibile dimidio corde Deo ſervire.*

1. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Matth. 6.* Samaritani ex Aſſyria gentili regione tranſlati Samariam, ſimul Deum Iſraelis, & Deos Aſſyriorum colere volebant, putantes, utrumque Deum ſibi propitium fore, ſi hunc ante prandium, alterum poſt prandium adorarent. Ita multi dantur Chriſtiani, ambidexteri, & tepidi, qui ita volunt ſervire Deo, ut non offendant diabolum, volunt mundi deliciis & ſimul Dei gratia frui, volunt hic gaudere cum ſæculo, & ibi regnare cum Chriſto. Verum falluntur miſeri, quibus exprobrat hodiernum Evangelium: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire* &c. Audiamus rationes hujus impoſſibilitatis. 1. Illi ſemi-Chriſtiani, qui dimidio tantum corde Deo ſervire cupiunt, altero dimidio carni, mundo, dæmoni, in periculoſiore ſtatu verſantur, quam peſſimi peccatores; hi enim ſæpe ex ipſa deformitate ſuorum ſcelerum convertuntur, dicente Propheta: *Arguet te malitia tua.* At illi bonis, quæ agunt, confiſi, ſecure in peccatis vivunt: ſicut piſcator piſci hamum; ita dæmon ſæpe funem extendit peccatori, ut bonum faciat, & ſic ſuorum peccatorum obliviſcatur, eum in modum, quo Herodes libenter audiebat conciones S. Joannis, non tamen emendabatur. 2. Deus ſemper averſatus eſt dimidiata obſequia: Ananias & Saphyra morte puniti ſunt, quia partem bonorum ſuorum Apoſtolis tradiderunt, alteram partem ſibi reſervarunt, taceo innumera alia exempla, &c. Quid ergo agendum? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*, non dimidio, *corde tuo.* Petrus receptus eſt in Apoſtolatum, cum dixit: *Reliquimus omnia*, non aliqua. Ita Deo ſoli ſerviendum! ille ſolus toto corde amandus! &c. Vide Diez in communi Conf. conc. 2. n. 6. 7. & ſeq.

*Multi Chriſtiani exiguam habent ſalutis curam.*

2. *Quærite primo regnum Dei & juſtitiam ejus. Matth. 6.* Quanto majoris momenti negotium eſt, tanto magis humana induſtria conatus omnes in illud convertit: Sic Rex totus quantus verſatur in ſtabilienda corona & ſceptro, miles viribus omnibus tendit ad victoriam: Mercator ad lucrum, ſtudioſus ad ſcientiam, & ſic de ceteris. Negotium maximum, propter quod vivimus, eſt ſalus animæ! cur ergo negotium hoc negligitur, aut languidius tractatur, quam temporales nugæ? cum tamen æterna Veritas moneat, *quærite primo regnum Dei?* In quo ergo conſiſtit deploranda hæc negligentia? Audiamus! 1. Sane Chriſtiani exiguam ſalutis curam habent, quia parum aut raro de illa cogitant. Indicium, quod negotium aliquod curæ nobis ſit, ab eo ſumimus, ſi crebro de illo ſermocinemur, & inquiramus: Sic Jacob de Labano peregre vagante paſtores interrogat. Joſeph quærendis fratribus per avia, & invia currit, Saul ad quærendas aſinas tranſcendit montes & juga. Quis autem Chriſtianorum eſt, qui dimidiam partem laboris ſuſcipit pro anima! certe pauciſſimi ſunt! omnes in curas temporales abſorpti. 2. Quamvis Chriſtiani pretium animæ ſuæ agnoſcant, illud tamen flocciſaciunt, nec contra pericula peccati defendunt, nec pro recuperanda gratia laborant. 3. Curam ſalutis, & agen-

agendæ ſeriæ pœnitentiæ in ultimam ſenectutem rejiciunt, & huic omnia alia mundi negotia præferunt, quaſi vero ad ſalutis negotium ſufficeret unicum momentum. 4. Animam tentationibus, occaſionibus, & pereundi periculis ultro objiciunt, & dæmonem quaſi dormientem excitant & provocant. &c. En! tanta eſt negligentia Chriſtianorum in cura ſalutis, ut exclamare liceat cum Bernardo: *Unde hæc tam periculoſa tepiditas, unde hæc ſecuritas maledicta?* &c. Vide S. Segneri Quadrag. ſerm. 7. Item Mich. a Calvo conc. 24. §. 2. n. 6.

*Servire ſimul Deo & mundo nemo poteſt.*

3. *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ. Matth. 6.* Quemadmodum dies & nox, lupus & ovis, fullo, & carbonarius in una domo non conveniunt; ita affectus ſæculi & amor Dei reſidere non poſſunt in uno corde. Vis Deum habere inquilinum cordis tui? exeant & ejiciantur affectus terreni erga voluptates, honores, & divitias! Vis bonis terrenis replere ac ſatiare animum? fugiet Deus. Et hoc idem eſt, quod S. Evangelium nobis inſinuat: *Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.* Bona enim terrena, ut ait S. Bernardus, poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. Id quod nunc demonſtratum ibo, in fine patebit, quid concluſionis exinde deducendum ſit. 1. Bona terrena *poſſeſſa onerant*: quietem & pacem animi turbant: Anacreon duobus talentis donatus cum duas noctes ſomnum capere non poſſet, ea donatori remiſit, addens, plus ſibi moleſtiæ ab his pecuniis, quam lætitiæ cauſari, &c. 2. Bona terrena *Amata inquinant*; raro enim inveniuntur divitiæ conjunctæ cum pietate; hinc comparantur ſpinis, quia ſicut ſpineta ſunt latibula animalium venenatorum; ita divitiæ ſunt receptaculum vitiorum, &c. 3. Bona terrena *amiſſa cruciant*: cum enim avarus ad vitæ terminum devenerit, nihil inveniet in manibus ſuis, quantus luctus, quanta afflictio, decumanos labores tota vita ſuſtinuiſſe pro nihilo! præſertim in iis, qui bona tranſitoria nonnunquam ardentius amarunt, quam æterna, &c. Quid ergo agendum? an opes terrenæ abjiciendæ? non ita: ſed ſi Domino Deo ſervire cupias, exuendus eſt terrenus affectus, more ſanctorum, qui licet divitias non abjecerint, tamen animum illis non alligarunt, & ſic libere Deo ſervierunt. &c. Vide Tit. Divitiæ: Item Corn. a Lap. in Habacuc c. 2. n. 6.

Dominica XV. poſt Pentecoſten.

*Peccatum cauſa eſt mortis temporalis, ſpiritualis & æternæ.*

1. E*Cce! defunctus efferebatur filius unicus Matris ſuæ. Luc. 7.* Filius hic unicus Matris ſuæ, in urbe Naim, in deliciis, vitiis, & divitiis enutritus, in flore juventutis præcoci morte abreptus, & jam ad tumulum cum luctu comitantis populi deportatus, dicitur fuiſſe Amaſius S. Magdalenæ ante converſionem, quæ tunc temporis erat animarum offendiculum, & laqueus. ( Vide Biblioth. Manſi Tom. 3. Tract. 50. Diſc. 11. n. 1. ) Fidem relinquo penes auctores. Verum ſi ita fuit, ſi familiaritas inter utrumque interceſſit, & quidem ſuſpecta & ſcandaloſa, non miror, quod in florida ætate, præmatura ſtrage fuerit proſtratus; peccatum enim ſeminarium eſt, & acceleratio mortis, & quidem triplicis, uti demonſtrandum jam erit. 1. Peccatum eſt cauſa *Mortis temporalis*; certum eſt, quod peccatum primitus introduxerit mortem in mundum: ergo hodie retinet poteſtatem eam accelerandi, & præmature accerſendi. *Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo. Iniqui ſublati ſunt ante tempus ſuum*, ait Spiritus Sanctus. Idque vel maxime fit, cum arcana peccatorum menſura a Deo conſtituta completur. ( Vide P. Segneri Manna an. 23. Maji. n. 3. ) 2. Peccatum eſt cauſa *mortis ſpiritualis*. Mors ſpiritualis eſt privatio gratiæ ſanctificantis, quæ in anima peccatrice cum offenſa Dei conſiſtere non poteſt; ſicut cera fluit a facie ignis, ita imago Dei in anima diſparet in peccatore. O deplorabile damnum! per peccatum perditur amicitia Dei, meritorum theſaurus hactenus collectus, jus ad cœleſtem hereditatem, quæ finis eſt noſter ultimus, &c. 3. Peccatum eſt cauſa *mortis æternæ*, ſeu damnationis æternæ in inferno. Eheu! an ergo peccatum unicum meretur infinitam pœnam? Ita eſt, quia continet malitiam infinitam, dum vilem creaturam præfert infinito Bono. Vide Tit. Peccatum, &c.

*Mors animæ per peccatum infelicior, quam corporis.*

2. *Dixit illi: Noli flere. Luc. 7.* Quid eſt, quod Divinus Mundi Redemptor Matrem flere, & deplorare prohibet unicum



cum filium præmatura morte extinctum? an forſan ſolari mœrentem voluit, eique ſpem facere reſuſcitationis, quam mente cogitabat? Ita ſenſit quidem Ven. Beda! Verum S. Auguſtinus putat increpatam fuiſſe Matrem, cui Chriſtus exprobrare quaſi & dicere voluerit: Imprudens mulier, quid lacrymas affundis filio corporaliter mortuo, cui potius ſi ſpiritualiter mortuus fuiſſet, & Dei gratiam per peccatum perdidiſſet, illacrymari debuiſſes? *Noli flere!* Non mors corporis, ſed potius animæ deploranda eſt! *Chriſtiani ſumus*, ita verba ſonant Auguſtini, *& tamen plerumque ſi filius moriatur, plangit illum, ſi peccet non illum plangit, tunc pejus mortuus luxurioſe vivens, quam moriendo luxuriam finiens.* Audite hæc Chriſtiani Parentes! veſtra eſt obligatio, ut majori ſolicitudine in filiis præcaveatis mortem animæ, quam corporis! Quare? 1. Mors animæ ſeu peccatum eripit filiis veſtris Dei gratiam, quæ æſtimabilior theſaurus eſt, quam ſint omnia regna mundi! eſto igitur quod filiis veſtris hereditatem deſtinetis millies millenorum florenorum, quid proſunt hæc crepundia per mortem brevi peritura: infelicior eſt filius, ſi gratiam, pignus hereditatis æternæ, quam hanc temporalem amittat. &c. 2. Mors animæ ſeu peccatum eripit filiis veſtris amicitiam Dei! cum ergo deſideratis filios veſtros ab omnibus amari & honorari, a Regibus & Principibus ad officia honorifica aſſumi, cur non viribus omnibus collaboratis, ut illi in ſervitio, & amicitia Dei perſeverent, & ad æternæ gloriæ honores dignitateſque aſſumantur. 3. Mors animæ ſeu peccatum eripit filiis veſtris vitam æternam! cum ergo, cum forte filius ægritudine corripitur, omnem induſtriam in medicinis & Medicorum conſiliis ad ejus convaleſcentiam adhibetis, & cum forte filius ægritudini & morti ſuccubuerit, inconditis lamentis ejus jacturam deploratis, cur dum vitam æternam peccato amittit, diſſimulatis, imo ridetis? O miſeri Parentes, quid reſpondebitis ſuo tempore Divino Judici hujus incuriæ & negligentiæ rationem expoſcenti? Vidua in Naim deploravit mortem temporalem filii! Sancta Monica deploravit mortem ſpiritualem ſui Auguſtini! O quam hæc longe prudentius ſanctiuſque quam illa! Vide Bonherba Diſc. pro Die Jovis poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ. &c.

S. Aug. in Pſ. 37.

*Mors peccatorum tripliciter infelix eſt.*

3. *Defunctus efferebatur filius unicus Matris. Luc. 7.* Quod Mater defleverit filium utcunque tolerabile, & nihil mali ominis eſt; quia poterant hæ lacrymæ ex affectu materno, & carnis, ſanguiniſque ſenſualitate proficiſci. Verum ſi Chriſtus Dominus ſupra defunctum lacrymas fudiſſet, eum in modum, quo ſupra civitatem Hieroſolymitanam flevit, id enim vero terribile & luctuoſum infelicis mortis ſignum fuiſſet. O mi peccator non expedit tibi, ut beatam Sanctorum mortem ſolum reſpicias; id enim quodammodo præſumptuoſum te reddere poteſt: intuere potius peccatorum mortem, ut ſalutariter timere incipias, eſt enim infeliciſſima triplici ex cauſa: 1. Impii in morte anguſtiantur *ob præteritum*, nempe ob peccata per omnem vitam impudentiſſime commiſſa, & nunquam ſeria pœnitudine deplorata, quæ ſe morientis oculis, animoque cum omnibus circumſtantiis offerent. 2. Impii in morte anguſtiantur *ob præſens*, nempe mundana omnia modo relinquenda. Videbit moriens voluptates, honores, & divitias magno labore comparatas jam nihil ſibi prodeſſe, niſi ad majorem triſtitiam, & deſperationem propter peccata, quorum fuerunt occaſio, &c. 3. Impii in morte anguſtiantur *ob futurum*, id eſt, Divinum judicium, & dandam rationem de omnibus cogitationibus, verbis & operibus, & jam tinniunt ipſi aures a ſententia paulo poſt audienda, &c. Nihil ex his tribus metuunt juſti. &! quiſquis igitur ſalvari cupit, differentiam inter mortem juſtorum, & impiorum ſæpe conſideret, &c. Vide P. Segneri Manna an. 14. Aug. n. 2. Item Barz. Serm. 57. n. 1. Item Tit. Mors impiorum. &c.

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

*Quomodo ſanctificanda Feſta exemplo Chriſti.*

1. S*I licet Sabbato curare? Luc. 14.* Sabbato Judaico veteris Legis a Chriſto & Eccleſia in nova Lege Dominicam, & ſacra Feſta ſubſtituta, eaque tam bonorum operum exercitio, quam fuga malorum ſanctificanda eſſe, nemo eſt Chriſtianorum, qui ignoret. In hoc maxime laborant, ut rationem, & methodum calleant, qua hanc ſanctificationem

nem exercere, & practice proſequi poſſint. Attendite! edocebo praxin ex ipſo Chriſti Domini ægrotos in Sabbato ſanantis exemplo! Quinque infirmos Dei Filius valetudini reſtituit: 1. Hodiernum hydropicum, ubi ſimul interrogavit Phariſæus: *Si licet Sabbato curare?* quo facto docuit, die Feſto ſanandum eſſe hydropem peccatorum, qua inſatiabili ſiti terrenas voluptates ſitiunt, &c. 2. Die Feſto ſanavit Chriſtus Dominus mulierem ſpiritu infirmitatis adeo incurvatam, ut furſum reſpicere non potuerit. Quo docuit, die Feſto oculos, qui per totam ſeptimanam ad terram, & res terrenas erant depreſſi, erigendos eſſe ad cœlum, conſiderando cœleſtia & æterna. 3. Die Feſto ſanavit Chriſtus manum aridam dicens: Extende manum tuam. Quo docuit; die Feſto extendendas eſſe manus ad miſeriam, & inopiam pauperum per eleemoſynas; hinc olim panes per ſingula Sabbata mutabantur. 4. Die Feſto Chriſtus cæco nato viſum oculorum reſtituit: quo docuit, peccatorem, quem ſua malitia excæcavit, die Feſto Dei & rerum æternarum agnitionem per Verbum Dei recuperare debere. 5. Die feſto ſanavit Chriſtus paralyticum apud piſcinam probaticam, & illi uſum membrorum reſtituit, quo docuit, diebus feſtis adeundam eſſe Eccleſiam, tanquam piſcinam ſanatoriam, ibi abluendas eſſe peccatorum maculas, excutiendum torporem acediæ, & commovendas potentias corporis & animæ ad bonorum operum exercitia, &c. Vide Barz. Serm. 50. §. 3.

*In virtute & perfectione Chriſtiana ſemper aſcendendum.*

2. *Amice aſcende ſuperius.* Luc. 14. Moris eſt in ſcholis, ut diſcipuli ad finem anni ſcholaris ſcribant pro aſcenſu, id eſt, erudita ſcriptione eorum, quæ didicerunt, dignos ſe probent ad altiorem ſcholæ gradum admitti. Sic ſingulis annis probationem faciunt, & ſucceſſive ab inferioribus diſciplinis ad ſcientiam Philoſophicam, ab hac ad Theologicam aut Juridicam, & demum ad Doctoratus lauream eluctantur. Vita Chriſtiana, talis continua eſt ſcriptio pro aſcenſu! in via ſalutis ſemper progrediendum, nunquam ſiſtendum, ita ut quilibet Chriſtianus ſibi dictum putet: *Amice aſcende ſuperius.* Vultis ſcire quomodo, & quid exinde concludendum ſit? Attendite. Prima virtutis diſciplina, in qua ad ſolum n excoli debet Chriſtianus, eſt *Schola Purgativa!* in qua delicta juventutis per ſeriam pœnitentiam & contritionis lacrymas abluenda, & vita in meliorem conſtanti emendatione mutanda eſt. (Vid. Tit. Pœnitentia, Contritio!) Secunda Diſciplina Chriſtiani eſt *Schola Illuminativa*, in qua ille peccati irreconciliabile odium radicitus cordi imprimere, æternas veritates agnoſcere, & continuo virtutum exercitio animam excolere debet, &c. (Vide Tit. Virtus.) Tertia Diſciplina Chriſtiani eſt *Schola Unitiva*, in qua anima procul ab omni vitio purgata, & virtutibus exornata, ad unionem cum Deo, per actus perfectiſſimos amoris, & reſignationis cum Divina Voluntate, ad morem Sanctorum contendere debet, &c. Unde ergo fit, quod multi Chriſtiani per viginti & amplius annos in eodem tramite ſiſtant, peccata diu aſſueta non emendent, voluptates mundi præ cœlo ament, & nec uno paſſu in virtute Chriſtiana progrediantur? Eheu! metuo, ne retrogrediantur, & ad finem ſuæ creationis non pertingant. Eja! Chriſtiane! excute torporem, Amice aſcende ſuperius! Vide Tit. Virtus, Perfectio Chriſtiana, &c.

*De levitatibus & vitiis, quibus inhonorantur feſta.*

3. *Si licet Sabbato curare.* Luc. 14. Quis mihi dixerit, cur & quem in finem in Eccleſia inſtitutæ ſint Dominicæ & Feſta? Eſt inſolita quæſtio, etiam pueris catecheticis nota! Feſta inſtituta ſunt, ut Deo impenſius, quam aliis diebus per bona opera ſerviamus, animam a maculis peccatorum mundemus, & per ſacroſancta myſteria illam contra futura pericula præmuniamus; cur ergo tam inuſitata quæſtione examinamur, ad quid inſtituta ſint Feſta? Putavi diabolum feciſſe ſua, quæ olim erant conſecrata Deo! Dicite enim, quando præcepta Domini impudentius violantur, quando peccata omnis generis magis crebreſcunt, quando mundus, caro & dæmon inſolentius contra Deum cervicem erigunt, quam diebus feſtis? Dubitatis? convincam, & ita convincam, ut ſimul obligationes diebus feſtis obeundas vobis de novo cordi, & memoriæ inculcem. 1. Dies Feſti honorandi ſunt abſtinendo a labore ſervili. In hoc accuratiſſimi erant Judæi, die Sabbati non præparabant cibos, non colligebant Manna, non faciebant iter, nec quidquam aliud. Chriſtiani vero paſſim Feſta laboribus profanant. (Vide Tit. Mala obſervatio Feſtorum. Item Paoletti Fer. 3. poſt Dom. Paſſion.) 2. Dies Feſti honorandi ſunt exercendo bona opera, fundendo orationes, faciendo eleemoſynas, viſitando infirmos, inſtruendo rudes, conſolando mœſtos, & quæ ſunt ſimilia. Chriſtiani vero nil ſimile! poſtquam mane ſacro ſeſquiquadrante interfuerunt, reliquo die ſtertunt, otiantur, confabulantur, ludunt, venantur, putantque ſe ſatis honorare Feſta, cum nihil mali faciunt. (Vide Tit. Mala obſervatio Feſtorum.) 3. Dies Feſti honorandi ſunt, plangendo, & fugiendo peccata; hunc in finem deberent diſcutere conſcientiam, examinare opera totius ſeptimanæ, obire confeſſionem, ſumere SS. Euchariſtiam, & ſimilia! Sed quid fit? Eheu! omnino contrarium! quando enim magis redundant popinæ, quando magis frequentantur periculoſa conſortia, quando magis reſonant choreæ, clamores ebriorum, juramenta, & pugnæ rixantium, &c. Quid mirum quod Dominus Deus conqueratur: *Solemnitates veſtras odivit anima mea;* quia magis luxuriæ & dæmoni, quam mihi conſecrata videntur. &c. Vide ubi ſupra! Item la Selve in Quadrag. fer. 3. poſt Domin. Paſſionis.



## Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

*De quatuor ſignis dilectionis Dei.*

1. Diliges *Dominum Deum tuum.* Matth. 22. Si omnes Chriſtianos a primo ad ultimum interrogarem: Diligis Deum? ſine hæſitatione omnes reſponderent: Diligo! verum ſigna amoris non concordant cum reſponſione; ſi enim ſcrutarer corda, aliqua invenirem frigida, alia tepida, aliqua modice calida. Quænam ergo ſunt ſigna dilectionis? reſponit S. Bonaventura, amorem Dei deſumi ex quatuor ſignis ſeu affectionibus animi, videlicet ex ſolicitudine cogitationis, ex fortitudine affectionis, ex rectitudine intentionis, & ex promptitudine operationis. Diſcutiamus ſingula! 1. Dilectio ſe prodit *ex ſolicitudine cogitationis;* anima enim amans ſolicita eſt quomodo Deum inveniat, teneat, & eidem in omnibus placeat. Surgam, exclamavit ſponſa, circuibo civitatem, per vicos & plateas, quærens, quem diligit anima mea. Ecce! his tribus verbis exprimitur amor: Surgam, circuibo, & quæram: ſurgit enim anima, mentem a terrenis elevando: circuit conſiderando opera & beneficia Dei præſertim Paſſionis Dominicæ: Quærit in civitate, id eſt, in Eccleſia per plateas mandatorum, per vicos conſiliorum; & ideo Dominus ſe nonnunquam occultat, ut ardentius quæratur, ait S. Bernardus. 2. Dilectio ſe prodit ex *fortitudine affectionis*, fortis eſt enim dilectio ſicut mors; ſicut morti reſiſti non poteſt, ita nec dilectioni. Bene ſponſa rogat: Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum; ſicut enim ſigillum molli ceræ, ita caritas cordi per contritionem, & devotionem emollito ita imprimitur, ut cor nihil cogitet, lingua nihil loquatur, manus nihil operetur, niſi ex caritate Dilecti. 3. Dilectio ſe prodit *ex rectitudine intentionis*, rectitudo autem amoris in eo conſiſtit, ut Deo ſervias, non timore gehennæ, non ſpe commodi tranſitorii, ſed puriſſimo amoris affectu: Rectus igitur eſto in fuga & odio peccati, rectior in operatione virtutis, rectiſſimus in intentione erga Deum ſine ambagibus creaturarum. 4. Dilectio ſe prodit *ex promptitudine operationis*. In quo conſiſtit hæc operatio? in obſervatione mandatorum; qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me: Probatio dilectionis eſt exhibitio operis: homo non poteſt diligere Deum, niſi ei uniatur, uniri non poteſt, niſi eum cognoſcat, cognoſcere non poteſt, niſi tribus animæ potentiis, memoria, intellectu, & voluntate in eum tendat, &c.

*De qualitatibus amoris Divini.*

2. *Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. 22. Quod de ſe bonum, & amabile eſt, neceſſario naturæ inſtinctu amamus: ſic amamus Parentes, ut vitæ noſtræ, & educationis auctores, amamus Principes & Reges, ut patriæ tutelam, & defenſores, & quanto quid melius eſt, tanto magis illi amorem noſtrum conſecramus. Cum igitur Dominus Deus ſummum bonum ſit, omnium bonorum fons, & origo, qui omnem creaturarum bonitatem infinito exceſſu complectitur, amandus eſt ſuper omnia, ita ut illius voluntatem in omnibus facere, de illius felicitate immenſum gaudere, & potius vitam, ſanguinem, totumque mundum, quam illius amorem & gratiam perdere parati ſumus. Sed quomodo amor Dei conſtitutus eſſe debet? Id modo explicabitur. 1. Amor Dei debet eſſe *Integer*, ſeu purus, ſine admixto creatura-

turarum ſeu rerum ſenſibilium affectu: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, non dimidiato; ſicut Arca & Dagon in uno templo ſimul commorari non poterant; ita Deus in uno corde profanum amorem non ſuſtinet; amari vult, prout æquiſſimum eſt, ſuper omnes creaturas, non patitur rivalem. (Vide P. Segneri Diſc. 7. n. 5. 6. & 7.) 2. Amor Dei debet eſſe *conſtans*, non vacillans, non alterans, ſed æmulus amoris beatifici, qui perennat in omnem æternitatem. Sunt aliqui male Chriſtiani, inſtar vertumni inconſtantes, hodie calidi, cras frigidi, nunc Deum, nunc mundum amantes, nunc templum, nunc lupanar frequentantes, quorum amor coram Deo abominabilis eſt. (Vide P. Segneri ibidem n. 8.) 3. Amor Dei debet eſſe *Perfectus*, purus, & ſummus appretiative, comparative, & terminative, non mixtus & maculoſus; ideo Chriſtus Dominus in Pantheo Romano noluit collocari; quia totum cor ſibi ſoli vendicat, & non ſuſtinet ſimilem. Minus te Domine amat qui aliquid amat, quod propter te non amat, ait S. Auguſtinus. Si denique noſſe cupias, in quo revera amor Dei conſiſtat? an in interno affectu animi, aut externo bonorum operum exercitio? Reſpondeo, conſiſtit principaliter in fuga peccati, & obſervatione mandatorum: Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me! Vide Lohner Biblioth. Verb. Caritas §. 3. n. 12. Item P. Segneri ubi ſupra n. 8. Item Manna an. 28. Julii &c.

*Quomodo Chriſtianus proximum diligere debeat, ſicut ſeipſum.*

3. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Menſura amoris Divini eſt infinita, nempe ipſe Deus infinite amabilis: menſura vero amoris proximi eſt quilibet ſibi ipſi; non enim dicitur, diliges proximum tuum ex toto corde tuo, ſed, diliges proximum tuum ſicut teipſum: conſequenter amor proximi in eo conſiſtit, ut quidquid mihi gratum & optabile ab aliis fieri prætendam, id amore Dei proximo pariter exhibere ſtudeam, in bonis famæ, in bonis fortunæ, & in bonis animæ. Loquamur tripartita explicatione. 1. Quid mihi gratum & optabile deſidero in *Bonis famæ*? Reſpondeo, ut omnes bene de me ſentiant, & ſi forte in delictum grave prolapſus ſum, id alii ſilentio celare, & occultare contendant. En! idipſum proximo lege caritatis debes! crede illum optimum Chriſtianum, & coram Deo forſan te meliorem! O quam pauci ſunt, qui id ſibi dictum putent! Judas fuit inceſtuoſus adulter, & tamen ſororem Thamar condemnavit ad ignem, quia putavit illam eſſe prægnantem ab alio. (Vide Trauner Gallus Cantans anno 4. c. 6. num. 3. Item Stapleton. Dom. 12. Pent. Text. 6.) 2. Quid mihi gratum & optabile deſidero in *Bonis fortunæ*? Reſpondeo: Ut omnes in inopia, in infortunio, in infirmitate mihi ſuccurrant: En! idipſum proximo tuo præſtare debes! (Vide Tit. Caritas proximi, Eleemoſyna.) 3. Quid mihi gratum, & optabile deſidero in *Bonis animæ*? Reſpondeo, ut omnes errantem me corrigant, rudem inſtruant, a ſcandalis mihi parcant! En! idipſum proximo tuo debes, errantem diſcrete corrigere, aut ſi cetera non proſint, ad Superiorem cauſa correctionis deferre, inſtruere, & præſertim illi a ſcandalo parcere teneris &c. O quam pauci ſunt, qui proximum amant ſicut ſeipſum! Rex David, occiſor Uriæ, ſtatim ad mortem condemnavit, qui ovem pauperi rapuit, quamdiu putavit delictum eſſe alienum, &c. Vide Tit. Caritas proximi, Correctio fraterna, Scandalum, &c.

Dominica XVIII. poſt Pentecoſten.

*Occaſio, & familiaritas mala ſunt cauſæ multorum peccatorum.*

1. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9.* Confiteri, & non emendari, pœnitentiam hodie agere & cras in priſtina peccata relabi, reconciliari cum Deo & de novo ſe ſubmittere jugo diaboli, quam abominabilis inconſtantia inter Chriſtianos! & unde iſta? quæ cauſa? Auſim dicere, quia non faciunt, quod Chriſtus hodie præcepit paralytico, non tollunt lectum ſuum, non vadunt in domum ſuam! Quid intelligitur per lectum? intelligitur occaſio peſſima! quid per domum? intelligitur ſolitudo a conſortio periculoſo aliena! ex eo enim fiunt innumeri in peccata priſtina relapſus, quia occaſio mala non declinatur, & ſolitudo domeſtica non amatur! Audiamus utrumque! 1. Fiunt relapſus innumeri in peccata, & nulla fit emendatio poſt pœnitentiam, quia occaſio non declinatur; Sicut Lucus mandato Dei debebat deſtrui, quia fuit occaſio idololatriæ, ita occaſiones tolli debent, quia ſunt irritamenta ſcelerum.

Exper-



Experti ſunt Iſraelitæ qui putabant poſt quinque ſteriles annos ſeredituros in patriam, & dein ultra centenos in Ægypto perdurarunt, ac infantes genuerunt. Dicis forte, adibo occaſionem, ſed non peccabo! Erras! id enim majus foret miraculum, quam quo pueri Hebræi conſervati ſunt in fornace ardente. (Vide Barz. Serm. 41. n. 11. Item Serm. 45. n. 18. Item Serm. 58. n. 11. & n. 39.) 2. Committuntur innumera peccata, & etiam poſt pœnitentiam nulla fit emendatio, quia cordi non habetur alterum monitum: Vade in domum tuam, id eſt, quia ſolitudo domeſtica negligitur, & familiaritates periculoſæ quæruntur, quæ tamen declinandæ ſunt, cum omni cautela & ſolicitudine (Vide Barz. Serm. 62. n. 34.) Sara prudentiſſima femina, ubi vidit Iſmaelem cum Iſaaco ludere, ſtatim petiit ab Abrahamo, ut Iſmael ejiciatur e domo; quia ludus erat impudens & laſcivus. Parem in modum abrumpendæ, & fugiendæ ſunt familiaritates, choreæ, convivia, popinæ & conventicula, quæ ſunt fomenta impudentiæ (Vide Barz. Serm. 35. n. 29. Item Serm. 36. n. 17. & ſeq.) Dices: Perſonæ illæ ſunt mihi amicitia junctæ! Quid tum? ſi pes tuus, vel oculus tuus ſcandalizat te, abſcindere & eruere illum ac projicere abs te debes, quanto magis amicum ſcandaloſum! Vide Barz. Serm. 58. n. 32. & ibidem §. 9.

*Paralyſis deſignat acediam.*

2. *Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Paralyſis morbus eſt in paucis noxius, & miſerabilis; quia hominem toto corpore, & membris omnibus inhabilem reddit ad omnes actiones humanas. Verum nocentior adhuc eſt paralyſis ſpiritualis, quia animam cum omnibus potentiis, memoria, intellectu, & voluntate inſtupidat, & ineptam reddit ad Dei ſervitium! Quænam eſt hæc paralyſis ſpiritualis? Eſt acedia, & languor in obſequio Divino. Audite comparationem. 1. Sicut paralyſis oritur ex frigore, & craſſis humoribus, quibus nervi obſidentur: ita acedia originem capit ex ſpirituali frigore, & defectu caritatis. 2. Sicut paralyſis nervos ſolvit, atque hominem inſenſibilem, ac impotentem reddit; ita acedia animam, & virtutum habitus omnes enervat ac torpeſcere facit. 3. Sicut paralyſis ſequitur ad affluxum phlegmatis, ita acedia ad carnis voluptates. 4. Sicut paralyſis eſt totius corporis & membrorum apoplexia: ita acedia hebetat omnes animæ potentias, earumque operationes. 5. Sicut paralyſis corpus ponderoſum ac plumbeum facit: ita acedia mentem ſtupidam reddit, hinc otium, ſomnus, languor & tepiditas. 6. Sicut paralyſis maxime contingit ſenibus, ita acedia veteranis, cum primævus ardor deferbuit. Vide Corn. a Lap. in Matth. c. 9. v. 8. Quid autem remedii huic morbo? Calor optimum remedium. Ita acedioſis conducit 1. calor Solis, id eſt, conſideratio Miſericordiæ & juſtitiæ Divinæ. 2. Conducit calor ignis infernalis. 3. Conducit calor ignis purgatorii. His remediis, quiſquis non excitatur ad operationes ſalutares, pro conclamato habendus eſt! &c.

*Peccatum eſt fons & origo omnium malorum.*

3. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Obſervatu digniſſimum eſt, quod Chriſtus Dominus hodiernum paralyticum prius anima, quam corpore ſanarit. Rogabatur ſanare miſerum, & Dei Filius reſpondet: Fili remittuntur tibi peccata! quid hoc rei? nimirum egit Chriſtus ſicut experti Medici, qui prius radicem morbi tollunt, quam morbum ſanent. Peccatum radix eſt omnium malorum; igitur prius animam a peccato, quam corpus a morbo liberare voluit. Remittuntur tibi peccata. Non creditis, peccatum eſſe radicem omnium malorum? Demonſtro. Inprimis Peccatum Originale, a Protoparentibus commiſſum omnibus malis portam aperuit, & omnes poſteros infelices reddidit: per hoc peccatum homo contraxit rebellionem concupiſcentiæ, infirmitatem carnis, & amorem proprium, qui eſt fomes, & fons perditionis innumerabilium animarum. (Vide Sanchez Regn. Dei p. 2. c. 2.) Secundo, Peccatum publicum eſt cauſa calamitatis publicæ, belli, famis, peſtis aliorumque malorum. Multa civitates & Reſpublicæ perierunt, ſed perierunt tunc, cum malitia peccantium tranſiit in mores populi. (Vide Barz. Serm. 63. n. 12. Et Menoch. cent. 10. c. 59.) 3. Peccatum privatum etiam Divinam maledictionem, & omnia mala in domum & familiam, ubi committitur, inducit. De iis, qui lingua contra Deum peccant, dicit Spiritus Sanctus: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum*; ſicut enim ſepulcrum non clauſum ſed apertum cadaveroſo fœtore aerem intoxicat, eoſque qui e vicinia habitant, variis mor-

bis

bis ac morte afficit: ita peccator in domo, & familia intolerabilem ſpirat fœtorem, eoque fœtore Deum, cœleſtes ſpiritus, & cum his omne bonum in fugam agit, &c. Vide Mich. a Calvo conc. 31. aſſ. 2. n. 7. Item Tit. Peccatum.

## Dominica XIX. poſt Pentecoſten.

*Gratia Dei ſuper omnia bona terrena æſtimanda.*

1. A*Mice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Matth.* 22. Terribile ſpectaculum! ille, qui ſine veſte nuptiali convivio aſſidebat, juſſus eſt ligatis manibus & pedibus ejici in tenebras exteriores! Quid ergo, & in quo deliquit miſer? nonne Rex in vias & vicos emiſit famulos, mandans, ut obvios quoſque convocarent ad epulas? inter hos etiam erat miſer ille, & quomodo in inſtanti comparare ſibi poterat veſtem nuptialem? Reſpondet Paulus Granatenſis: veſtem hanc in ipſo liminis ingreſſu convivis fuiſſe donatam, & hunc miſerum, vel non acceptaſſe, vel acceptatam denuo amiſiſſe! hæc culpa illi æterna damnatione ſtetit. ( Vide Barz. Serm. 51. n. 22. ) Quid ergo intelligitur per veſtem nuptialem? Intelligitur, juxta S. Hilarium, gratia Spiritus Sancti! Ex quo patet, infeliciſſimum eſſe hominem, qui coram Deo comparet ſine gratia Divina! laborandum eſt viribus omnibus pro conſervanda gratia Dei, plus quam pro theſauris totius mundi; quia gratia elevat hominem non jam ad Angelicam, ſed ad Divinam dignitatem, facit animam Divinæ conſortem naturæ, ſanctam, juſtam, dilectam Deo, paradiſum Creatoris, Spiritus Sancti habitaculum, ſanctuarium Divinitatis. Conſideremus nobiliſſimos effectus gratiæ, ut eam æſtimare diſcamus! 1. Expellit omne peccatum mortale. 2. Facit hominem amicum intimum Dei, ejuſque voluntatem ſubjicit legi Dei, ita ut vere ſit filius, & heres Dei. 3. Secum ducit omnes virtutes theologicas & morales. 4. Dat pignus æternæ gloriæ, & principium augendi merita, ac cœleſtem coronam. Vide Cornel. a Lap. 2. Petri c. 1. v. 4.

*De veſte nuptiali, in quibus virtutibus conſiſtat.*

2. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Matth.* 22. Cum S. Mechtildis Virgo hodiernum Evangelium legens, conſideraret verba illa: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? dixit ad Dominum: Dilecte JESU mi, quid eſt veſtis nuptialis, ſine qua nullus ad nuptias tuas pervenire poteſt? Et ecce! Dominus confeſtim illi veſtem oſtendit ex purpureo, albo, & aureo colore mirum in modum contextam, inquiens: Hæc eſt veſtis nuptialis præ ceteris mihi grata & beneplacens, (Vide Revel. S. Mechtild. l. 3. c. 39. ) Videamus quid nobis inſinuent hi colores. 1. Color purpureus denotat humilitatem, virtutem illam, quæ eſt fundamentum ceterarum: actus illius ſunt, fugere honores, dignitates ac laudem ſui ipſius, viliter de ſe ipſo ſentire, ac eligere obſequia viliſſima ad normam & exemplum Chriſti, & Sanctorum. ( Vide Tit. Humilitas. ) 2. Color albus ſignificat puritatem animi ab omni nævo peccati alienam: actus illius ſunt, fugere prima initia impudentiæ, declinare ſexum alterum, caſtitatem illibatam tueri, pugnare contra primos incurſus cogitationum, & paratum eſſe potius mori, quam fœdari, ad exemplum & imitationem Sanctorum & Sanctarum. (Vide Tit. Caſtitas. ) 3. Color aureus ſymbolum eſt caritatis intenſiſſimæ tam erga Deum, quam proximum. Operationes illius ſunt duplicis generis, nimirum Agere, & Pati. Agendo ſe prodit caritas, dum Dei gloriam, & proximi ſalutem ſemper habet in corde, in ore, & opere. Patiendo ſe oſtendit, dum adverſitates, convicia, paupertatem, perſecutiones, aliaque mala, amore Dei libenter ac patienter ſuſtinet, &c. Vide Corn. a Lap. in Act. Apoſt. c. 11. Item Titulo Caritas &c.

*Peccata omiſſionis tam periculoſa quam commiſſionis.*

3. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Matth.* 22. Siquod Evangelium totius anni decurſu, certe hodiernum nobis demonſtrat, in æternæ damnationis periculo verſari non ſolum eos, qui mala agunt, ſed etiam illos, qui bona facere negligunt. Inurbani illi a rege humaniſſime ad nuptias invitati, dum gratiam illam neglexerunt, ad alia ſua negotia dilapſi, quid illis tandem evenit? certe non meliori ſorte uſi ſunt, quam miſer ille, qui nuptialem veſtem in ipſo limine ingreſſus non ac-





ceptavit, & ſic vili ac ſordido habitu oculos regis offendit, juſſus eſt, ligatis manibus, ac pedibus ejici in tenebras exteriores. Ex quo patet, peccatum omiſſionis, non minus quam commiſſionis, æternæ damnationis periculo eſſe obnoxium. Vultis audire rationes? Prima ratio eſt, quod peccata omiſſionis tam gravia ſint, quam commiſſionis. Servus negotiari negligens non minus ad carceres damnatur, quam ille qui bonis Domini furtive uſus eſt: Non ſoli malefactores cruciantur, ait S. Chryſoſtomus, verum & qui bona facere negligunt. ( Vide Barz. Serm. 5. n. 39. ) Secunda ratio eſt, quia peccata omiſſionis tam grandia mala poſt ſe trahunt, quam commiſſionis; cum enim Principes, Superiores, Prælati, officia ſua languide, neglecta juſtitia faciunt, etiam ſubditi id videntes in vita Chriſtiana tepeſcunt, ad delicta domeſticorum rident, & viam latam vitiorum inambulant, putantes ea, quæ de morte, de judicio, de inferno dicuntur eſſe mera terriculamenta. Tertia ratio eſt, quia peccata omiſſionis difficilius corriguntur, quam peccata commiſſionis: ſicut venenum aſpidis mortem affert ſine dolore; ita peccata omiſſionis, quia parum curantur, animam ſæpe necant ſine advertentia. Scortator, adulter, aut homicida, ſæpe ipſa fœditate ſui criminis reſipiſcit: verum cum homo ſui officii negligens admonetur, continuo objicit: Quid ergo mali facio? &c. Vide Tit. Peccatum omiſſionis, &c.

## Dominica XX. poſt Pentecoſten.

*Exempla Superioris trahunt ſubditos ad ſequelam.*

1. C*Redidit ipſe, & domus ejus tota. Joann.* 4. Quod hodiernus Regulus abjurata gentilium ſuperſtitione in Chriſtum crediderit, mirum non eſt; quia vidit oculis, & auribus audivit prodigia Divini Redemptoris, imo a famulis obviantibus edoctus eſt, quod heri hora ſeptima, eo momento, quo dixit Chriſtus: Filius tuus vivit, illum febris prodigioſe reliquerit. Illud vero admirandum magis eſt, quod ſacer textus ſubnectit: Credidit domus ejus tota! quod ergo motivum credendi habere potuit domus, ſeu domeſtici omnes? Motivum habuere exemplum Reguli Domini ſui; quia nihil efficacius trahit ſubditos ad ſequelam, quam exemplum Superioris, quin imo, veriſimile eſt, ait Tertullianus, totum regnum, cui imperabat Regulus, crediđiſſe. ( Vide Barz. Serm. 35. n. 10. ) O! ſi Superiores, & Patresfamilias præirent exemplo, quo deberent, quam facile totus mundus poſſet reformari! Dubitas de hac veritate? convincam, oſtendendo, quid bonum exemplum Patrumfamilias proſit, quid malum noceat! 1. Certum eſt, quod in inſtruenda juventute, in arte aut opificio vocis inſtructio non ſufficiat, præeundum eſt practico exercitio; quia revera longa eſt via per præcepta, brevis per exempla: ita & in virtute ſe res habet, ſubditi imperatum ſibi putant, quod in Superioribus vident, languent virtutes ſubditorum, ſi deficiant exempla Superiorum: plus manui Eſau creditur, quam voci. 2. Certum eſt, quod Patresfamilias & Superiores ad hanc boni exempli ædificationem juventuti præſtandam, non tantum conſilio, ſed præcepto obligentur; ſicut enim tenentur curam habere corporum, ita & obſtringuntur curam habere animarum. O quam lamentabiliter deploravit Rex David ſuum publici peccati errorem: Erravi, ſicut ovis quæ periit! cur ovi ſe comparat? quia ſi una ovicula in puteum inſilit, totum gregem in exitium poſt ſe trahit: ita Rex Jeſſæus, ait Salvianus, multos poſt ſe præcipitaverat in ruinam! Agite Chriſtiani Patresfamilias, ac Superiores, cauti eſtote dictis, & factis, quia revera forma, & norma eſtis totius domus, & familiæ, &c. Vide Tit. Bonum Exemplum, Patresfamilias &c.

*Contra relapſum neceſſaria ſunt tria remedia.*

2. *Heri hora ſeptima reliquit eum febris.* Necdum res omnis compoſita eſt, etiamſi febris reliquerit ægrotum; ſi modica iſte intemperantia excedat, incautus in eſu & potu, in bile, & motu animi & corporis, recrudeſcit febrile malum, periculoſiore æſtu, quam antea. Parem in modum ſe res habet de peccato: non ſatis eſt illud in aures confeſſarii, contrito corde, expoſuiſſe, neceſſe eſt, poſtliminio maxima cum cautela, & circumſpectione fugere & averſari pericula & occaſiones, quibus grande hoc malum poteſt, & ſolet reviviſcere. Sicut ergo Medici reconvaleſcentem contra recrudeſcentiam morbi triplici medicina præmunire ſolent; ita eadem remedia peccatori contra relapſum adhibenda ſunt. Quomodo? Primo pœni-

tens peccator confortandus eſt *Medicina curativa*: expellendi ſunt maligni pravorum habituum humores ex animo, id quod Origenes ad ipſam peccati confeſſionem requirit, inquiens: *Dum accuſat ſeipſum & confitetur, ſimul evomit & delictum, & omnem morbi digerit cauſam*. Eructandæ ſunt pravæ inclinationes, & appetitus, qui ad relapſum diſponunt. (Vide Barz. ſerm. 55. n. 16. & ibidem §. 5.) Secundo, ſicut febricitans, ita & pœnitens peccator confortandus eſt *Medicina conſervativa*, id eſt, piis affectibus, & bonorum operum exercitiis, quæ non ſolum generice, ſed & ſpecifice opponuntur illis peccatis, quibus hactenus laboravit pœnitens, & quorum radices ſeu motus adhuc ſentit & experitur. &c. Tertio ſicut febricitans, ita & pœnitens confortandus eſt *Medicina præſervativa*, quæ certe contra relapſum optima eſt fuga occaſionis, & familiaritatis periculoſæ, &c. Vide Mich. a Calvo conc. 39. §. 1. n. 13. Item Barz. ſerm. 62. n. 9. & ſeq. Item Vide Tit. Mala occaſio, Familiaritas noxia &c.

*Adverſitates non nocent, ſed proſunt.*

3. *Rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus, incipiebat enim mori.* Errat, quiſquis adverſitates tanquam malum intolerabile odit, & averſatur; amandæ revera & æſtimandæ ſunt, quia ſub amaro cortice dulcem, ac ſalutarem nucleum complectuntur. Nunquid Regulus Capharnaita fuit gentilis, & idololatra? Fuit! quid ergo animum ejus tam pie commovit, ut Chriſtum Dominum humiliter accederet, & in eum tanquam mundi Redemptorem cum tota familia crederet? Commovit eum adverſitas, ſeu ægritudo filii jamjam cum morte luctantis: Non veniſſet ad JESUM ait S. Bonaventura, niſi habuiſſet filium ægrotantem! (Vide Manſii Ærar. hic v. 47. n. 15.) Eja! Reſpirate afflicti, & adverſitatem, quam hactenus odio habuiſtis, amare incipite; quia non nocet, ſed quam maxime prodeſt; nam 1. Adverſitates ducunt ad Deum, quem in proſperitate fere obliti ſumus. 2. Sunt remedium efficax ad correctionem peccatorum, quorum etiam reatum pœnæ expiant. 3. Docent mundana contemnere, quorum vanitate hactenus inordinate delectati ſumus. 4. Aperiunt oculos ad videndas veritates ſupernaturales, & inſuper ſunt ſignum, ſi patienter ferantur, æternæ prædeſtinationis, prout patet exemplo Sanctorum. Vide Tit. Patientia, Adverſitas. &c.

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

*De methodo ſolvendi debitum peccatorum.*

1. P*Atientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth.* 18. Quomodo hæc promiſſio famuli vera eſſe potuit ad tam enorme debitum? atque ut ſtatim a figura ad figuratum tranſeamus, quomodo id ipſum dicere poteſt peccator ad Deum offenſum; cum nulla creatura ſatisfacere poſſit pro peccato, etiamſi haberet merita omnium Sanctorum? Res vere ardua! Nihilominus macti animis eſtote peccatores, docebo methodum, quomodo peccatorum debitum compenſare valeatis! Redditio una eſt *Formalis* v. g. ſi pro decem aureis reddo decem aureos: alia eſt *Virtualis* v. g. ſi pro decem aureis reddo adamantem. Jam 1. Quod concernit redditionem formalem, monet S. Paulus, ut ſimus *redimentes tempus*. Qua ratione hoc fieri poteſt? S. Auguſtinus ait, qui emit ſeu redimit, aliquid perdit, & aliud acquirit: emens panem perdit nummos, & acquirit panem: ita redimens tempus debet aliquid temporale perdere, ut acquirat æternum, nempe debet aliquid ſubtrahere ſomno, & recreationi, idque adjicere ſervitio Dei. Sic Miles ille per biennium tot recitabat roſaria, quot per ſexaginta annos neglexit, & Mulier Japonenſis converſa toties quotidie nominabat Nomen JESU, quoties antea nominaverat nomen ſui idoli, nempe millenis ac ſexcentis vicibus. (Vide P. Engelgrave Cælum Empyr. Embl. 2. §. 2. nu. 41. & ſeq.) 2. Altera redditio eſt virtualis, nempe per intenſionem actuum, & opera heroica v. g. per contritionem ardentiorem! Jacob mortuus ab Ægyptiis defletur ſeptuaginta diebus, & a ſuis filiis tantum diebus ſeptem, ſed planctu adeo intenſo, qui æquivaleret planctui Ægyptiorum. Publicanus, Zachæus, filius prodigus, latro in cruce palmam præripuerunt Apoſtolis propter intenſionem amoris & doloris. (Vide Engelgr. ibidem:) S. Hieronymus ad Paulinum ſcribens ait: *Noli fidem penſare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quod prior in exercitu Chriſti cœperim militare. Paulus Apoſtolus de perſecutore mutatus noviſſimus, primus in meritis eſt, quia plus omnibus laboravit. Subitus calor longum vincit teporem.* Vide Corn. a Lap. in Matth. 20. fol. 381. c. 2. in fine. &c.

*De*



*De infinita Miſericordia Dei erga peccatores.*

2. *Miſertus Dominus ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Matth.* 18. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, cujus Miſericordiæ non eſt numerus, non eſt finis, qui ſervo infideli, ideo ſolum, quia procidens in genua patientiam rogavit, omne debitum decem millium talentorum remiſit, & totum condonavit, laudetur, benedicatur, glorificetur! quis eſt iſte Dominus? Non Princeps terrenus, ſed Rex cæli & terræ, qui nullius opera aut opibus indiget, ſibi ipſi, etiamſi mundus nunquam extitiſſet, ſufficiens ab omni æternitate in omnem æternitatem. Quis ſervus debitor, immenſi debiti reus? Eſt peccator homo, in comparatione Dei Creatoris ſui pulvis, & cinis, ac purum nihilum! Et huic ſervo inutili paratus eſt Deus remittere enorme debitum peccati? Paratus eſt! Adeſte miſerrimi peccatores! conſiderate mecum infinitam Dei Bonitatem ac Miſericordiam, ut deſperare deſinatis! Sciendum Primo, admirandam eſſe Bonitatem Dei, qua Abraham ex igne Chaldæorum, Lot ex incendio Sodomæ, tres pueros ex fornace Babylonica eripuit, ſed hoc fecit amicis: mirabilius eſt, quod inimicum, videlicet peccatorem eripiat ex infernali igne, & in amicum recipiat. Sciendum ſecundo! quod hæc Miſericordia Dei infinities major ſit, quam miſericordia humana! ubi enim Rex in mundo, qui rebellem ſubditum in amicitiam recipiat? ubi homo, qui offenſus offendentem invitet ad veniam? Et Deus hoc facit, obſtupeſcite cæli! *Ipſe quem deſpeximus, vocat nos*, ait S. Gregorius. (Vide Barz. ſerm. 1. n. 13.) Sciendum tertio, quod, licet Juſtitia Divina non minus infinita ſit, quam Miſericordia, hæc tamen pronior ſit ad parcendum, quam illa ad puniendum: ſex diebus creavit Deus Mundum, & per quadraginta dies diluvio ſolvit. (Vide Mich. a Calvo conc. 7. §. 3. nu. 4.) Sciendum denique quarto, quod hæc Miſericordia infinita exigat noſtram cooperationem. Dum Mulier Chananæa clamat: *Miſerere mei*, nihil impetrat, ſed dum promittit, quod & ſuum conferre velit, *adjuva me*! exaudita eſt. Vide Barz. ſerm. 49. n. 23. &c.

*Non ſola Miſericordia reſpicienda eſt, ſed una cum Juſtitia.*

3. *Ejicite eum in tenebras exteriores. Matth.* 18. Terribile prorſus ſpectaculum! Ille ipſe ſervus, cui paulo ante Dominus inaudito liberalitatis, & Miſericordiæ exemplo debitum decem millium talentorum benigniſſime remiſit, ille ipſe nunc ab irato Domino manibus & pedibus ligari, & in tenebras exteriores ejici jubetur. Terribile ſpectaculum! quid ergo mali fecit infelix homo? Miſericordiam, quam a Deo recepit, proximo non exhibuit, ſicque incidit in juſtitiam! ad noſtram, Dilectiſſimi, inſtructionem, quod non tantum ſperare Miſericordiam, ſed & Juſtitiam timere debeamus. Sit ergo pro nobis Inſtructio prima. Peccator poſt commiſſum delictum confugiat ad Miſericordiam Dei, & certo ſperet, ſe, ſi ſua ex parte nihil defecerit, veniam impetraturum: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me*! Quid ergo debebatis? Decem millia talentorum: Nota in numero Decem continetur univerſitas numerorum: igitur Miſericordia Dei parata eſt in gratiam recipere peccatorem, etiamſi univerſi orbis peccata commiſiſſet. (Vide Speranzam Script. ſel. punct. 25.) Inſtructio Secunda! Quamvis Miſericordia Dei ſit infinita, non tamen ſola reſpicienda eſt, ſed una cum juſtitia, ne peccator incidat in præſumptionem, ſed ſimul conſervet timorem. Populus Iſrael ingrediens terram promiſſam ſimul & ſemel clamare debebat tam benedictionem, quam maledictionem &c. (Vide Tit. Miſericordia Dei.) Inſtructio tertia! ut caute ac ſecure procedat peccator, ſtudeat juſtitiam Dei reſpicere ante peccatum commiſſum, Miſericordiam vero poſt peccatum commiſſum: *Juſtitia ante eum ambulabit: Miſericordia tua ſubſequetur me.* Vide Tit. Miſericordia Dei.

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

*De bonis operibus, quibus cælum emitur.*

1. O*Stendite mihi numiſma cenſus: at illi obtulerunt ei denarium. Matth.* 22. Sanctus Auguſtinus Supremum cæli terræque Dominum, ſub ſpecie opulentiſſimi Mercatoris, cæleſte regnum venale habentis nobis proponit. Quo pretio igitur emitur cælum? Reſpondet, paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita. En! hæc ſunt pretia æternæ mercedis, bonis operibus emitur cælum! (Vide Tit. Beatitudo) quemadmodum autem venditor monetam prius examinat; ita opera noſtra



ſtra

ſtra examinabuntur, an habeant debitum pondus, figuram & materiam. Loquamur enucleatius! 1. Ut opera noſtra cælo emendo paria ſint, debent habere debitum pondus, alias velut moneta leviuſcula rejiciuntur. Pondus autem opera noſtra acquirunt a gratia Divina, ſine hac ſunt levis, & inanis palea. Jechonias dicitur ſterilis, quia illius liberi coronam non ſunt adepti: ita opera noſtra ſunt ſterilia, ſi coronam cæleſtem defectu gratiæ mereri non poſſunt. ( Vide Tit. Bona opera ) 2. Sicut moneta, ita & bona opera debent habere debitam figuram, ſeu formam, ita ut repræſentent effigiem Cæſaris, ſeu Dei; hanc autem acquirunt per ſanctam ac puram intentionem: non ſufficit bonum aliquod opus fieri in Dei gratia, ſed inſuper requiritur, ut ad beneplacitum, & gloriam Dei dirigatur: Multa fiunt in caritate, ait Albertus Magnus, quæ tamen non ſunt meritoria, eo quod non fiunt ex caritate. ( Vide Tit. Intentio Bona ) 3. Sicut moneta; ita & bona opera debent habere debitam materiam. Aureus ex plumbo cuſus nihil valet: ita opus bonum procedens ex ambitione, ex vana gloria, ex propria voluntate, contra obligationem ſtatus, ex amore proprio, ſunt opera Deo exoſa, conſequenter cælo indigna. &c. Vide Barz. ſerm. 25. §. 3. Item Tit. Bona opera &c.

*Homo vitam ſuam totam Deo debet.*

2. *Cujus eſt hæc imago & ſuperſcriptio?* Omnia ſub ſole creata hominis ſunt, ipſe vero homo Dei eſt, quaſi peculium, ideo illum ſigillo imaginis ſuæ indelebili notavit. Intuere teipſum, o Homo, & cum de anima tua teipſum interrogas: *Cujus eſt hæc imago, & ſuperſcriptio?* Reſponde tibi ipſi: Dei ſum! hujus imaginem in anima gero, tanquam ectypon Patris mei, tanquam mancipium Domini mei, tanquam Miles Ducis mei, tanquam adminiſtrator bonorum Heri mei. ( Vide Corn. a Lap. in Gen. c. 1. v. 26. ad finem. ) Quid ſequitur? Sequitur, quod Dei ſis corpore, & anima tenus, cujus honori & obſequio totam vitam tuam, ab hoc uſque ad ultimum momentum conſecrare debes. Vis noſſe, quibus titulis vitam tuam Deo O. M. debeas? Certe quadruplici titulo! 1. Vitam tuam Deo debes propter creationem! cogita, ante triginta, quinquaginta & amplius annos demerſus fuiſti in nihilo, purum nihilum, & Deus, qui in nulla re tui indiget, jam tum te prævidit, & amavit, atque in tempore ex nihilo productum hac vita, corpore & anima donavit, non alium in finem, niſi ut illi ſervires, & denique ſalvus fieres. 2. Vitam tuam Deo debes propter Redemptionem, beneficium illud incomprehenſibile, quo Dei Filius immortalis, mortalem naturam induit, & per paſſionem ac mortem ſuam in cruce obitam te a morte æterna redemit. 3. Vitam tuam Deo debes propter tempus a juventute peſſime impenſum, ut redimas innumerabiles dies ac horas Mundo, carni ac dæmoni per peccata conſecratas. ( Vide Tit. Tempus vitæ humanæ ) 4. Denique vitam tuam Deo debes propter æternam mercedem, quam exſpectas! illuc, mi Chriſtiane, viribus omnibus corporis & animæ tendere debes! felix, ſi ſcopum hunc, ad quem creatus es, attingas! infelix æternum ſi ab illo aberres! Vide Tit. Beatitudo. Item Speranz. punct. 156. &c.

*Anima ſigillum Dei impreſſum habere debet in ſignum Dominii.*

3. *Cujus eſt hæc imago, & ſuperſcriptio? Matth.* 22. Magna eſt differentia inter imaginem, & ſigillum Principis, imago imprimitur pecuniæ v. g. aureo numiſmati, & ad aliud non ſervit, niſi ad oblectationem oculorum, aut memoriam donantis. Econtra ſigillum ſeu ſignaculum Principis denotat jus proprietatis ſeu imperii in illam rem, quæ ſignatur. Ideo cæleſtis Sponſus petiit a dilecta anima, quam ſibi propriam habere voluit, ut non imaginem ſuam ſolum circumferret, ſed ſigillum ſeu ſignaculum ſuum intimo cordi, id eſt, memoriæ, intellectui, & voluntati imprimeret. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Imo S. Ambroſius ulterius progreſſus, vult, ut fidelis anima Chriſti Domini effigiem ut ſignaculum imprimeret in fronte, ut ſignaculum in corde, & ut ſignaculum in brachio. Quem autem in finem? Audiamus! 1. Chriſtiana anima ſignaculum Dei ſemper circumferre debet *In fronte*, ut fidem, & fidelitatem erga Deum conſtanter tam in proſperis, quam in adverſis profiteatur, exemplo Sanctorum, qui bona omnia, ipſamque vitam, quam Dei gratiam, & fidem perdere maluerunt. ( Vide Tit. Fides, Gratia Dei ) 2. Chriſtiana anima ſignaculum Dei ſemper circumferre debet *In corde*, ut Summum Bonum, bonorum omnium fontem

Deum



Deum ſuper omnia diligat, non tantum ut in ſe bonus eſt, ſed etiam ut bonus eſt erga nos, id eſt, propter beneficia prorſus indebita Creationis, Redemptionis, Vocationis ad ſalvificam fidem, conſervationis, & alia. ( Vide Tit. Caritas Dei, Beneficia Dei &c. ) 3. Chriſtiana anima ſignaculum Dei ſemper circumferre debet *In brachio*, ut nunquam non operetur ad Dei gloriam, nullam occaſionem placendi, & ſerviendi Deo prætermittat, & hanc etiam caritatem proximo per opera bona exhibeat. Vide Tit. Caritas proximi. Item Barz. ſerm. 44. n. 15. &c.

## Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

*De infelicitate peccatoris conſuetudinarii.*

1. E*cce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit. Matth.* 9. Magna eſt differentia inter vertiginem, & morbum caducum: illa ex imbecillitate ſtomachi facile oritur, & facile iterum ſanatur: iſte autem vitioſis humoribus ſanguinem corrumpens cerebrum perturbat, & ad levem bilis intemperiem recrudeſcens, ſæpe per plurimos annos miſerum hominem iteratis lapſibus affligit. Eadem eſt differentia inter primum peccatum, ex infirmitate quodammodo ortum, & mox pœnitentia deletum, & inter ſecundum ac tertium peccatum, quod iterato relapſu continuatum tandem in conſuetudinem excreſcit, eum in modum, quo hodierna mulier per duodecim annos ſanguinis fluxum paſſa, non niſi prodigio Divini Redemptoris ſanari potuit. O! Siquis adeſt peccator conſuetudinarius, audiat, & ſerio conſideret, quantam infelicitatem iterato peccati relapſu ſibi contraxerit! 1. Peccator conſuetudinarius facile degenerat in inveteratum & obſtinatum, qui veluti cera congelata ſignaculum Divinæ imaginis amplius non recipit: de illo loquitur S. Bernardus, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis nec flagellis. 2. Non curat ſuam miſeriam, ſicut miſer ille, qui ad portam templi ſpecioſam a Petro & Joanne eleemoſynam rogavit: cur non petiit ſanitatem? quia jam quadraginta annis miſer, malo ſuo ita fuit aſſuetus, ut de valetudine ne quidem cogitaret. 3. Difficillime convertitur; quia dæmones in illum allegant præſcriptionem: Chriſtus Dominus difficilius Lazarum reſuſcitat, quam adoleſcentem; quia iſte recentis peccatoris, ille conſuetudinarii, ſeu inveterati figura fuit. ( Vide Mich. a Calvo conc. 31. n. 8. & 9. ) 3. Ordinarie perit, niſi Deus extraordinaria miſericordia illi ſuccurrat. Scalam, qua ad infernum deſcendit, deſcribit Iſidorus: A cogitatione venit ad delectationem, a delectatione ad conſenſum, a conſenſu ad actionem, ab actione ad conſuetudinem, a conſuetudine ad neceſſitatem, a neceſſitate ad mortem. Vide Tit. Peccator inveteratus, mala conſuetudo, &c.

*Parentes plerumque ſunt cauſa peccatorum in filiis.*

2. *Filia mea modo defuncta eſt, ſed veni impone manum ſuper eam, & vivet. Matth.* 9. Sic fit! Parentes tunc demum amorem ſuum erga filios demonſtrant, dum illi pereunt, & malo non amplius eſt remedium! Princeps hodiernus conqueritur de morte filiæ, & prodigium a Chriſto petit, non tamen exprimit, an non ipſe ad mortem defunctæ negligentia ſua cauſam dederit. Eſto autem ut eſt! ſolum hic agitur de luctu Principis ſuper morte temporali filiæ, magis dolendum eſt de morte filiorum ſpirituali aut æterna, ad quam proh dolor! parentes cooperantur, quia in educatione liberorum non faciunt, ad quod tenentur. Nam 1. Ante peccatum, dum filii adhuc innocentiam redolent, Mater filiæ vanitatem, & luxum ſuadet, gaudetque ſi illa mores mundanos uſque ad proterviam ſpirare incipiat. Deberet illam erudire in rebus ſacris, & inſtruere, quæ ſint credenda, ſperanda, amanda; loco horum autem edocet illam adagia & cantilenas æquivocas a mundanis cum riſu excipi ſolitas, in quibus filia, cum videt ſe placere, adſtipulante corioſitate, ſemper fit audacior, ne dicam impudentior. Non ſic, miſeræ Matres, non ſic, ſed potius morem gerite S. Ignatio Martyri monenti: Nutrite filios veſtros in eruditione & diſciplina Domini, & docete eos ſanctas litteras, & artes honeſtas, ut non otio gaudeant. ( Vide Barz. ſerm. 26. n. 23. ) 2. Parentes cooperantur ad peccata filiorum dum committuntur: Mater, dum Vetula non amplius oculis placet, filiam ad omnes choreas, & conventicula ducit, aut ſaltem diſſimulat, & non impedit, & ſic omnium ſcelerum rea fit, ſicut Heli Sacerdos propter petulantiam filiorum

non coercitam. 3. Parentes cooperantur ad peccata filiorum & filiarum poſtquam fuerunt commiſſa, quia illa non caſtigant, familiaritates, & conſortia non abrumpunt, & tum demum cum infamia percrebuit, & omnes plateæ clamant, quod illi noſſe diſſimulant, tunc denique cogitant remedia non amplius profutura, eum in morem, quo hodiernus Princeps filiam vivere poſt mortem deſideravit. &c. Vide P. Segneri p. 1. diſc. 13. a n. 14. uſque 17. Item Tit. Parentes, &c.

*De periculis & abuſu chorearum.*

3. *Cum veniſſet JESUS in domum Principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem dicebat, recedite.* Matth. 9. Tibicines & cantores olim adhibebant antiqui in amicorum funere, qui nænias, & triſte carmen modulantes, amicis, & vicinis luctum, & lacrymas ciebant ob mortem defuncti. Hodie triſtis hæc muſica non amplius in uſu eſt in morte corporum, ſed in morte animarum. Ubi? quomodo? quando? in Hoſpitiis, in nuptiis, in encæniis. An hæc eſt muſica luctuoſa? Omnino; quia præludit morti animarum; dum enim utriuſque ſexus juvenes, ad omnem petulantiam ornati, paratique, ad chelin & cytharam ſaltando petulciunt, viam ſibi ad peccata turpiſſima ſternunt. Vah! ſaltavi ſæpius, & tam innocens a choreis redii, quam acceſſi! Non credo! Dicam rationes, quare non credam? Audite. 1. Ponamus juvenem & puellam innocentes, id eſt peccati immunes accedere ad choreas, eheu! infernalis tentator illos e veſtigio ſequitur, nec difficile illi eſt, animos etiam pios pervertere, quia ipſa concupiſcentia in juvenili ſanguine continuo ardens, oculos & animos ſaltantium ad aſpectus, cogitationes, & turpia deſideria trahit. Illa ingredientia, ex quibus conficitur atramentum, ex ſe albeſcunt, uti gallæ, aqua, & vitriolum: ſed ſi conjunguntur, nigreſcunt: ita fit in choreis! 2. Quodſi his innocentem recreationem dicis, cur Sancti Patres illas ut morum corruptelam damnant? præſtat, ait S. Auguſtinus, arare die feſto, quam ſaltare! &c. 3. Si ſine culpa ſunt, cur ergo a Deo luculentis ſuppliciis puniuntur? Puella ſaltans a dæmonibus toto corpore aduritur (Vide Spec. Exempl. V. Chorea n. 7.) Trajecti juvenes in ponte ſaltabant, cum moniti non deſiſterent, fracto ponte ducenti perierunt. &c. Vide Tit. Choreæ. &c.

Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.

*Abominatio deſolationis eſt peccatum.*

1. *CUm videritis abominationem deſolationis.* Matth. 24. Per abominationem deſolationis in hodierno Evangelio intelligitur terribile malum, quod horrore & gravitate ſua, cetera quævis mala immenſum ſuperat. Quod eſt illud malum? Si Mundum interrogem, dicet, eſſe paupertatem, morbos, perſecutiones, & ſimilia! verum errat; quia hæc omnia poſſunt eſſe materia bonorum operum, & promotio ad æternam in cælis felicitatem! ſolum igitur peccatum eſt abominatio deſolationis, quia hominem temporaliter, & æternaliter miſerum facit. O utinam hoc principium, Peccatum odio habendum, & fugiendum eſſe ſuper omnia alia mala, cunctis Chriſtianorum cordibus imprimere poſſem! tentabo! audite motiva. 1. Peccatum fugiendum eſt, antequam committatur: nempe concipiendum in animo contra illud implacabile odium, quia malum Dei eſt. Quid ergo nocet Deo? Legem ejus, auctoritatemque contemnit, qui autem contemnit legem, contemnit Regem, & quidem infinite amabilem, a quo omnia bona habemus, & deinceps exſpectamus. Moriendum eſt potius, quam Deus offendendus! &c. 2. Fugiendum, & odio habendum eſt peccatum, poſtquam fuit commiſſum; feſtinandum ad pœnitentiam, quia malum eſt infinitum, quod infinita cæli felicitate nos privat. Præterea eſt ponderoſiſſimum, quod nos, veluti Luciferum cum rebellibus Angelis in infernum demergit. Nil dicam, quod merita omnia nobis auferat, & animam, imaginem Dei turpiſſime deformet. 3. Fugiendum, & odio habendum eſt peccatum, poſtquam jam pœnitentia fuit deletum: obmuniendus eſt animus pœnitentis, ſanctis principiis tanquam armis tam offenſivis, quam defenſivis, qualia ſunt memoria præſentiæ Dei, Paſſionis Chriſti, Patrocinii Beatiſſimæ Virginis, mortis, judicii, inferni, aliaque, quæ ſtatim tentationi ſubeunti opponenda ſunt. Sic fecit pœnitens David, inquiens: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Vide Tit. Peccatum. Item P. Segneri part. 2. Diſc. 16. a num. 24. & ſeq.





*De infelici morte peccatoris.*

2. *Cum videritis abominationem deſolationis.* Nunc in hac vita dum mundani peccatores in terrena demerſi, & æternorum obliti, voluptatibus, honoribus, divitiis ſe abundare, & ſua deſideria ad vota ſibi fluere vident, exultant, & cum alios cum paupertate, contemptu, infirmitate, & perſecutionibus luctari cernunt, beatos ſe reputant, rident, epulantur, tripudiant. Sed quamdiu hic proſperitatis ſol illuceſcet? uſque ad veſperam! vertentibus annis, diebus, & horis tandem ingruet nox, id eſt, amara mors! ibi miſeri, apertis nimis ſero, oculis videbunt, ſe perdidiſſe tranſitoria, & incertos eſſe quoad futura; unde in hora illa ultima tanto obruentur luctu & anxietate animi, quæ merito dici poſſit *abominatio deſolationis.* Conſideremus miſerrimum ſtatum peccatoris in illo articulo, ut alieno malo ſapere diſcamus. 1. In hora mortis peccator immenſa obruetur triſtitia intuitu *præteritorum*, cum videbit ſe abripi ab omnibus terrenis, ingenti labore comparatis, & cum voluptate poſſeſſis: *Terribilis, & ei, qui aufert ſpiritum Principum:* ubi Septuaginta legunt, *effracti ſunt articuli cordis mei;* nam cogitationes, conſilia, divitiæ, & ſpes terrenæ ſunt quaſi pars cordis impii, de quibus S. Auguſtinus ait, non amittitur ſine dolore, quod cum amore poſſidetur. (Vide Speranz. punct. 128.) 2. In hora mortis peccator immenſa obruetur triſtitia intuitu *præſentium*, cum videbit erectum tribunal, & Judicis ſeveritatem, coram quo paulo poſt comparere debebit. Ingemiſcet, Eheu! necdum ſunt expunctæ obligationes eorum, quæ injuſte recepi, necdum conſtitutæ dotes filiorum, necdum ſcriptæ teſtamenti tabulæ, necdum expiata a peccatis conſcientia, jam inſtat Judex de his omnibus, imo de cogitationibus, verbis & operibus totius vitæ rationem accuratiſſime exacturus! hunc Judicem non poſſum fallere, non corrumpere, non precibus mitigare, & ſi vellem, obſtant morbi dolores, perplexitas animi, & perturbatio intellectus, ac voluntatis, &c. 3. In hora mortis peccator immenſa obruetur triſtitia intuitu *Futurorum*. Videbit dæmonem cum immenſo peccatorum catalogo paratum ad accuſandum, Angelum Cuſtodem & ſanctos Patronos triſtantes, cælum occluſum, & infernum apertum. Invocabit auxilium amicorum, ſed fruſtra! &c. O! quis non exhorreſcet ad tantam abominationem deſolationis? Quiſquis ſapit, nunc timere, nunc cavere, nunc rebus ſuis conſulere ſtudeat, &c.

*De præparatione ad Adventum Domini.*

3. *Videbunt Filium hominis venientem.* Matth. 24. Tempus eſt, Dilectiſſimi, quo Dei Filium aſſumpta humana natura venientem videbimus, primo ut infantem in præſepio, & denique ut Judicem in tribunali: haud parum noſtra intereſt, ut corda noſtra tanto adventui præparemus; ſed quomodo paranda ſunt corda? Per exercitium ſanctiſſimarum virtutum, & quoniam nullus dubito, quin frequens ſit veſtra Virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, Caritatis, in perceptione Sacramentorum exercitatio, dico quod ſentio: vellem, ut per quatuor Sacri Adventus ſeptimanas, quaternis virtutibus Cardinalibus, Juſtitiæ, Prudentiæ, Temperantiæ, & Fortitudini operam dare ſtudeatis! erit hæc præparatio adventanti Deo gratiſſima. Prima Adventus ſeptimana incipiamus a *Juſtitia*. Juſtitia virtus eſt, quæ jus ſuum cuilibet tribuit: diſcamus res quaslibet ſecundum ſuum pretium & dignitatem metiri, & conſequenter æterna, quæ Dei ſervitium & animæ ſalutem concernunt, ſuper omnia tranſitoria æſtimare: iniquum eſt iis, quæ pereunt, inhiare, & quæ æternum manſura ſunt, negligere. Secunda Adventus ſeptimana diſcamus *Prudentiam*, innitendo principiis ſanæ rationis, & reſpiciendo operum noſtrorum finem & effectus: hæc conſideratio erudiet nos, quomodo erga Deum, quomodo erga proximum, & quomodo erga nos ipſos nos habere debeamus. Tertia Adventus ſeptimana ſtudium noſtrum ſit *Temperantia*, cum libra & æquipondio, diſcamus moderari paſſiones, & illis uti velut armis & divitiis, ſine exceſſu & ſine defectu, ſemper nobis ſimiles, tam in proſperis, quam adverſis. Quarta denique Adventus ſeptimana induamus *Fortitudinem*, & quidquid adverſi vel iniqui in nos incurrerit, imperturbato, invictoque animo Dei amore perferamus, &c. Vide Tit. Virtutes Cardinales, &c.

# INDEX CONCIONATORIUS
## *P R O*
# FESTIS TOTIUS ANNI.

### In Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

*Quilibet Chriſtianus poteſt eſſe piſcator animarum.*

1. FAciam vos fieri piſcatores hominum. *Matth.* 4. Divinus Mundi Redemptor potuiſſet convertere gentes, & ſalvificam fidem in orbe propagare per armatos Reges, & potentes exercitus, prout nullum eſt dubium! cur ergo inopes, & infimos piſcatores elegit? reſpondet S. Ambroſius: *Ne traduxiſſe potentia, ne redemiſſe divitiis, ne nobilitatis authoritate traxiſſe ad ſuam gratiam videretur.* Eadem de cauſa Deus in exercitu Gedeonis ad victoriam meticuloſiſſimos trecentos elegit, qui non auſi procumbere, ſemper ad fugam parati ſtando bibebant, ut tanto magis *omnibus perſpectum eſſet auxilium Divinum.* Vide Barz. Serm. 39. n. 14. & ſeq.) Infimos Deus elegit, non fortes, ut agnoſcerent Chriſtiani omnes, piſcatum animarum, & victoriam inferni, etiam ad ſe, quamvis debiles & exiguos pertinere. An ergo omnibus dictum eſt illud: *Faciam vos fieri piſcatores hominum?* Omnibus dictum eſt! Quomodo autem fieri poteſt hæc piſcatura? Attendite, vos præſertim Superiores, Parentes, & Patres-familias, dabo inſtructionem! 1. Poſſunt animæ in profundo ſcelerum hærentes, inſtar piſcium extrahi, hamo, eſca contecto, id eſt correctione fraterna, prudente, & diſcreta. (Vide Tit. Correctio fraterna.) 2. Poſſunt animæ inſtar piſcium capi ſagena, id eſt affectione ſpirituali, juxta illud: Sagena cor illius, cui accedere debet ſalutaris inſtructio, & patientia in ſupportandis defectibus. (Vide Tit. Caritas proximi.) 3. Poſſunt animæ inſtar piſcium capi expanſa reti, id eſt exemplo, quod potentius eſt ad hanc capturam, quam verba. S. Andreas Apoſtolus, ut Chriſtum Dominum imitaretur, ardentiſſime deſiderabat crucem, eamque patientiſſime cum gaudio tolerabat, quo exemplo ingentem populi multitudinem non tantum convertit, ſed & ad ferenda acerba pro Chriſto animavit. Vide Tit. Bonum Exemplum &c.

*Crux ſeu adverſitas amanda ex triplici ratione.*

2. *Illi ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.* *Matth.* 4. Non eſt homo ſub ſole, quem non Deus ardentiſſime ſalvare deſideret; hinc omnibus, ſine exceptione omnibus, jam ab æterno præparavit media, ad ſalutem cuique proficua, prout ipſe promiſit per Oſeam: *Traham vos in funiculis Adam.* Quinam ſunt hi funiculi Adam? reſpondet S. Gregorius, ſunt proſpera & adverſa! ſicut Parens, cum filii vitia blandimentis corrigere nequit, adhibet verbera: ita Deus, ſi beneficia emendando peccatori non ſufficiant, immittit cruces. (Vide Speranz. Script. ſel. punct. 152. & ſeq.) Igitur crux non eſt exhorreſcenda, quia eſt remedium ſalutis a Deo paratum. Ita omnino eſt! cum itaque habeamus exemplum S. Andreæ Apoſtoli, qui ardentiſſime deſideravit, & amiciſſime ſalutavit, ſtudebo ex animis veſtris auferre nauſeam crucis, & inſtillare illius amorem. Crux non nocet ſed prodeſt, a Deo non irato, ſed ab amante venit. 1. Crux, ſeu adverſitas amanda & deſideranda eſt, quia præſervat a peccato. Cum Abraham profectus eſt in regnum Abimelech, mox Sara illius uxor abrepta eſt in domum regis. Deus autem percuſſit regem morbo gravi, & Medicis ignoto: Cur? ut eum impediret ab injuria Saræ inferenda. Sic Deus hodiedum agit; permittit, ut ille crus, aut brachium frangat, aut oculo privetur; quia melius eſt, debilem vel claudum intrare in regnum cælorum. 2. Crux ſeu adverſitas amanda & deſideranda eſt, quia a peccato commiſſo revocat. Sic filius nequam, qui abiit in regionem longinquam, per famem & inopiam revocatus eſt: ſic mala, quæ nos premunt, ait S. Gregorius, ad Deum ire compellunt. Ipſe etiam Auguſtinus, diu ſecum ipſo luctatus, dum ſtomachi doloribus affligi cœpit, ad Baptiſmum feſtinavit. 3. Crux ſeu adverſitas amanda & deſideranda eſt, quia a peccatis reſiduis purgat. Sicut debitor cum fugit creditorem, a judice ita-



citatur, & ad ſolvendum compellitur: ita peccator tribulatione cogitur, ut offenſo Deo ſatisfaciat. En! ait S. Auguſtinus, Tribulatio videtur pœna & ruina, & eſt Medicina &c. Vide Speranz. punct. 41. &c. Eja! amemus crucem, & ſicut Apoſtoli relictis retibus & patre ſequamur Chriſtum Crucifixum!

*Crux Chriſti dulces reddit omnes adverſitates.*

3. *O Bona crux diu deſiderata! redde me Magiſtro meo, qui per te me redemit.* *In Vit. S. Andr.* Cum dira fames in terra Galgala populum affligeret, filii Prophetarum juſſu Eliſei in agros egreſſi colocynthidas, aliaſque herbas collegerunt, eaſque conciſas in olla coxerunt. Verum ubi cibum guſtarunt, omni felle amariorem nauſearunt, clamantes: Mors in olla! accedens Eliſeus, & parum farinulæ cibo immiſcens, dulciorem illum omni melle effecit. Cruces & tribulationes mundi ex ſe ſunt amariſſimæ, verum crux Chriſti fuit illa farinula, quæ omnes adeo dulcoravit, ut viſa cruce S. Andreas Apoſtolus cum lætitia exclamarit, O Bona crux, diu deſiderata! & omnes Sancti Martyres cruce magis, quam mundi voluptatibus lætentur. Sed qua de cauſa Crux Chriſti tribulationes mundi adeo dulces reddit? Cauſa triplex! attende, mi Chriſtiane, qui in afflictione triſtitia fere contabeſcis. 1. Crux, ſeu tribulatio dulcis eſt *ad præteritam culpam, quæ remittitur!* peccatum ut offenſa Dei tam enorme crimen eſt, ut pura creatura pro illo Divinæ juſtitiæ ſatisfacere non poſſit! ſolus infernus eſt pœna proportionata delicto. Verum cum crux Chriſti cruces ſeu tribulationes Chriſtianorum pretioſas fecit, totum hoc debitum, ſi cetera non deſint, humili ac patienti tolerantia poteſt expungi. 2. Crux ſeu tribulatio dulcis fit *ad præſentem gratiam quæ immittitur*, & quidem gratiam tam actualem, quam habitualem: actualem, quia non eſt majus ſolatium, quam pati cum Chriſto, ideo omnes ſancti Martyres in tormentis exultarunt: habitualem, quia gratia ſanctificans ſeu amicitia Dei augetur, cujus unicus gradus æſtimabilior eſt, quam ſint omnia regna mundi. 3. Crux ſeu tribulatio dulcis eſt *ad futuram gloriam, quæ promittitur.* Non eſt certius pignus ſalutis, quam participatio dominicæ paſſionis. Olim ad limen portæ cæleſtis interrogabitur. Hi qui ſunt, & unde venerunt? & cum reſpondebitur, hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, mox mandabitur, attollite portas principes veſtras &c. Vide Tit. Adverſitas, Gratia Dei &c.

### In Feſto S. Nicolai Epiſcopi.

*Parentes bonæ educationi prolium invigilent.*

1. SErve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. *Matth.* 25. Abſurda conſuetudo, ſeu potius corruptela in patria noſtra invaluit, qua hodie perſonatum quemquam Nicolaum habitu Epiſcopali indutum in domos introducunt, qui teneros infantes terrere, examinare, iiſque per famulos ſuos inſaccationis pœnam comminari debet. Mos iſte nullius eſt frugis, quia ſæpe inconditos puerorum clamores, & inter famulos ac famulas domeſticas impudentes rixas poſt ſe trahit. Melius parentes conſulerent prolium educationi, ſi ipſi prudentia, & exemplari vita, pro ſtatus, & officii ſui munere Nicolaum agerent! certe facilius cum tempore a Deo Judice audirent: *Serve bone & fidelis.* Sed quomodo id fieri poteſt. 1. Quoniam teneræ proles parentibus a Deo commiſſæ ſunt, non tantum quoad corpus, ſed etiam quoad animam, tenentur erudire filios in primis fidei principiis; propterea curent illos inſtrui in ſcribendo & legendo: examinent illos de auditis in concione & catecheſi: doceant illos fugere peccata, adorare Deum, & bene meminiſſe, quod non propter vitam hanc temporalem, ſed propter æternam a Deo creati ſint: ſic inſtructi ſunt a parentibus filii Job, Tobias, Eſther, Suſanna, Machabæi, aliique qui hac methodo ad magnam ſanctitatem aſcenderunt, &c. 2. Studeant parentes præire bono exemplo; quia nihil certius, quam quod bono virtutum exemplo filii fiant boni Chriſtiani, malo autem peccatores: nihil eſt ſolennius pueris, cum de incomptis moribus arguuntur, quam dicere, Hoc didici a Patre! Hoc vidi in Matre! Ecce! Mali corvi malum ovum! Si ergo parentes volunt corrigere mores filiorum, prius corrigant ſuos. Et Mater quidem præluceat modeſtia ſine levitate & impudentia, Pater autem manſuetudine, & gravitate, ſine juramentis, & ebrietatibus; alias certe filii ſi errorum ſuorum admoneantur, idem reſpondebunt, quod

quod juvenis cancer, monitus, quod antrorſum non retrorſum incederet, repoſuit: Pater i præ! id eſt, doce prius exemplo, quod jubes verbo. 3. Diligenter attendant parentes, ubi, & cum quibus verſentur filii, nec ſinant illos in domibus alienis circumvagari: aſtutus eſt infernalis inimicus; hac occaſione utitur ad depravandos innocentes. Patriarcha Jacob moriturus magnam anxietatem paſſus eſt, ne forte reus ſit mortis filii ſui Joſeph, quia miſit illum in campum ad fratres, quos tamen illi inviſos ſciverat: O quantam habebunt anxietatem parentes ob peccata filiorum, quos tota die hinc inde vagari ſinunt, etiam ibi, ubi nihil boni ſperare poſſunt, &c. ( Vide Tit. Parentes ) Hæc puncta obſervate Parentes, & pro bona educatione filiorum non opus habebitis ſpectris comicis, &c.

*Peccata omiſſionis non minus periculoſa quam commiſſionis.*

2. *Vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Matth.* 25. Duo ſunt armaturæ genera, quibus hoſtilis exercitus munitam civitatem expugnare ſolet, unum tumultuoſum, quando tormentorum vi propugnacula ſternuntur, alterum ſubdolum & occultum, quando cuniculis fundamenta mœnium ſubtus terram ſuffodiuntur, neſcio, quodnam ex utroque obſeſſæ urbi ſit pernicioſius. Talis differentia eſt inter peccata commiſſionis & omiſſionis! prima illa, v. g. furta, adulteria, homicidia publice perſtrepunt, & populum grandi ſcandalo offendunt: iſta autem laneo pede ſilenter incedunt, & tamen non minorem animarum ſtragem cauſant, quam illa. Cavete, Dilectiſſimi, a peccatis omiſſionis, propter quæ forſan plures damnantur, quam propter peccata commiſſionis! Vultis, ut probem, quod ajo? 1. Dupliciter peccato omiſſionis delinqui poteſt, contra caritatem, & contra juſtitiam: contra caritatem peccatur, cum ignorantibus, errantibus, inopibus, & miſeris in gravi neceſſitate non ſuccurritur, atque hac de culpa periiſſe videtur dives Epulo, qui Lazarum famelicum non pavit. Contra juſtitiam peccatur, cum ſtatus, & officii obligationes negliguntur; & ſic hodiernus ſervus in carcerem conjectus eſt, quia talentum ſibi concreditum in terram defodit, nullamque cum illo lucrum fecit. 2. Sic continget cum tempore parentibus, qui in cura & educatione prolium negligentes, cauſa fuerunt, quod illi in tenera jam ætate in vitia declinarint, & pravos habitus contraxerint, in adulta ætate non corrigendos. 3. Sic punientur Præſides communitatum, Judices, Magiſtratus, ac Patresfamilias, qui ſua conniventia & negligentia inter ſubditos ac famulos ſcelera, etiam publica crebreſcere permiſerunt, & debita muneris ſui remedia contra non adhibuerunt. Paucis omnia! Illi auctores, qui aſſerunt, numerum reproborum incomparabiliter fore majorem numero Electorum, hujus ſui aſſertionem magis refundunt in peccata omiſſionis, quam commiſſionis! &c. Vide Tit. Peccatum omiſſionis.

*Quomodo Chriſtianus erga Deum, proximum, & ſeipſum habere ſe debeat.*

3. *Ecce, alia quinque ſuperlucratus ſum!* Præcipui, ac maximi momenti doctrina in eo conſiſtit, ut ſciat Chriſtianus, talenta & dona, quibus ex liberalitate Dei fruitur, uſurpare ad Dei gloriam, & animæ ſuæ ſalutem: id certe addiſcet, ſi cordi imprimat monitum S. Apoſtoli Pauli, qui vitæ Chriſtianæ officia in ſobrietate, Juſtitia, & pietate conſtituit: in ſobrietate erga ſeipſum, in juſtitia erga proximum, & in pietate erga Deum. Studeamus aſſequi hanc artem ſpiritualiter diteſcendi, ab exemplo, & monitis S. Nicolai Epiſcopi! 1. Sobrietas ſeu temperancia eſt mundanarum cupiditatum refrænatio, atque ab immoderatis illecebris continentia, quæ maxime Chriſtiano neceſſaria eſt, *quoad ſeipſum*, ut ſibi in edendo, bibendo, & corpus adornando, aliiſque oblectationibus limites ponat. S. Nicolaus ab infantia diebus Mercurii & Veneris a lacte materno abſtinuit, & per omnem vitam, hanc auſteritatem ſacroſanctam habuit. 2. Juſtitia *erga proximum* eſt, cuique ſuum relinquere, & tribuere, neminemque ſive ſubditum, ſive extraneum injuſte gravare, imo omnibus benefacere. S. Nicolaus divitias omnes in egenos diſperſit: inſtitorem monuit, frumentum in urbem fame vexatam convehere: Imperatori Conſtantino præcepit ſententiam revocare, quam in tres tribunos innocentes tulerat. 3. Pietas Chriſtiano convenit *erga Deum*, cujus honorem & obſequium in omnibus promovere laboret. Sic S. Nicolaus pro Eccleſiæ libertate carceres & vincula tulit: In Concilio Nicæno inter trecentos
octo-



octodecim Epiſcopos ſanctitate eminuit, viciſſim a Deo innumeris miraculis decoratus, &c. Vide S. Franc. Saleſii Directiones part. 2. cap. 2.

## In feſto Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

*Tria remedia contra peccatum laſciviæ.*

1. N*Unc ergo filii audite me, beati qui cuſtodiunt vias meas. Proverb.* 8. Infidum nimis & inimicum eſt mare, atque millenis pereundi periculis obnoxium; ideo Navarchi peritiores in locis, ubi ſcopuli, ſyrtes & brevia ſub aquis deliteſcunt, vel ubi navigia infelici naufragio ſubmerſa ſunt, columnas erexerunt, quarum aſpectu navigantes deterriti procul hæc diſcrimina declinare, & ſe, ſuaque exitio ſubducere diſcant. Hic Mundus immundus periculoſior, magiſque infidus eſt mari, atque quotidianis innocentiæ naufragiis infamis, præſertim ob vitium carnis, quod præ ceteris tam effræni impudentia inſoleſcit, ut ajant ſancti Patres, ſi centeni homines æternum damnantur, inter hos eſſe nonaginta novem, qui pereunt propter luxuriæ ſcelus. Cum igitur turpiſſimum hoc ſcelus Immaculatæ B. V. Conceptioni vel maxime contrarietur, gratiam apud ſanctiſſimam Dei Matrem me initurum ſpero, ſi columnas erigam, id eſt, remedia ſuggeram ad declinandum, ſuperandumque exitiale hoc malum! O Deus, da efficaciam verbis! 1. Efficaciſſimum ante omnia remedium contra laſciviam eſt Timor Domini, qui eſt initium ſapientiæ. Verebar omnia opera mea, ajebat Job, ſciens quia peccatori non parcis! cum ergo impudentiſſimum crimen ex una parte coram oculis Dei omnia videntis committitur, ex altera parte judicia Dei ſint inſcrutabilia, metue, mi Chriſtiane, ne derepente, cum nihil minus putaveris, illuc abripiaris, quo multi tui ſimiles abſque miſericordia abrepti ſunt, & hodiedum in inferno ardent. 2. Alterum remedium eſt mortificatio paſſionum, fuga familiaritatis & ebrietatis: ſcimus, Patriarcham Lot viſo Sodomæ, & Gomorrhæ incendio territum ac tremefactum, ubi fugitivus in montem aſcendit, & ibi liberius vino indulſit, etiam cum filiabus ſuis impudentiſſime converſatum eſſe. 3. Tertium remedium eſt modeſtia tam externa quam interna: externa, qua refrænantur oculi, & ſenſus corporis; unicus aſpectus Davidem adulterum fecit. Interna, qua primis impudentiæ initiis nec locus, nec ſpatium datur. Lapis a fulmine excuſſus duriſſimus eſt, & muros penetrat, cum tamen initio non niſi levis vapor fuerit. Sic ſucceſſive creſcit, & indureſcit malum, quod hodie ſuperatu facile eſt, tandem fit incorrigibile, &c. His remediis utere, mi Chriſtiane, iiſque adjunge quotidianam devotionem erga Immaculatam Conceptionem B. V. Mariæ, cogitans, ſi illibatam amore Virginis caſtimoniam ſervavero, ero quondam conſors illius gloriæ! S. Oringa Virgo hodierno feſto vidit, audivitque inſignem jubilum ac triumphum in cælis, ſimulque promiſſionem accepit ab Angelo, quod, ſi caſte viveret, hujus triumphi particeps futura ſit. Dic tibi ipſi, egone pro turpi voluptatula hanc gloriam vendam? Vide Roſſignol. cent. 2. part. 2. Mir. 26.

*Peccatum carnis damnabile in ſuis effectibus.*

2. *Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam. Prov.* 8. Quamvis humana mens inſtabilis, & omni arundine ad quemvis ventum mobilior ſit: tamen, opitulante Dei gratia, per ſancta virtutum principia, omni cedro magis firmari, & imperturbabilis, atque inexpugnabilis fieri poteſt. Talia principia pro conſervanda virtute caſtitatis ſunt ſeria, & ſæpius iterata conſideratio, quantum hæc Virtus a Chriſto Domino, quantum ab Immaculata Dei Matre, quantum a Sanctis Angelis Cuſtodibus, quantum a beatis Dei famulis ametur, & æſtimetur ( Vide Tit. Caſtitas ) & denique quam turpe & pernicioſum ſit vitium huic virtuti oppoſitum. Nos prætermiſſis, aut in aliam occaſionem reſervatis prioribus membris, hoc ultimum conſideremus. Deus mundas animas in ſua munditie conſervet, & immundas mundet, ac emendet! Peccatum, ut nauſeam, & odium in animo cauſet, non ſolum in ſe, ſed & in ſuis effectibus ſeu filiabus conſiderari debet, quæ plerumque ipſa matre ſunt pernicioſiores. Primus infelis effectus, quem vitium carnis poſt ſe trahit, eſt cæcitas mentis, qua cæleſtia omnia, & ipſæ etiam fidei veritates vel oblivioni dantur, vel parum curantur, dicente S. Paulo: *Radix omnium malorum eſt cupiditas* ( ſpurcæ voluptatis ) *quam quidam appetentes erraverunt a fide*. En! luxuria
non

non tantum voluntatem depravat, ſed etiam intellectum excæcat. ( Vide P. Segneri Manna an. 30. Mart. n. 2. Et 6. Sept. n. 3. ) Alter effectus luxuriæ eſt Inconſtantia in bono: miſeri hujuſmodi peccatores una die concipiunt mille propoſita, ſed & mille propoſita in una die frangunt, quia omnia agunt præcipiti impetu, nec admittunt reflexiones, quibus ceu frænis animus cohiberi poſſet: ita fit, ut, ſicut homines illi, qui aliquando crus, aut brachium fregerunt, per omnem vitam, præſertim turbida tempeſtate ſentiunt dolorem; ita qui ſemel luxuria lapſus eſt, ſemper ſit imbecillis, præſertim oriente turbine tentationis. Tertius effectus laſciviæ eſt inordinatus amor præſentium, & nauſea, ſeu deſperatio futurorum. Vultur tam pertinaciter cadaveri inhæret, ut potius occidi ſe, quam baculo abigi patiatur: ita luxurioſi libenter cælo renuntiarent, ſi in mundo ſemper ſuis voluptatibus frui poſſent. ( Vide P. Segneri Homo Chr. part. 2. diſc. 10. n. 13. ) Quodſi de morte, de æternitate admonentur, aut morbus prænuntius mortis eos invadit, quid fit! Erubeſco dicere! Dæmones a Chriſto Domino in regione Geraſenorum ex energumenis expulſi, rogarunt, ut ſibi liceret invadere gregem porcorum. Dedit licentiam Chriſtus! & ecce! Geraſeni ita irritati ſunt, ut Chriſtum rogarint a ſua vicinia recedere. Ita luxurioſi faciunt! malunt Chriſtum perdere, quam porcinas ſuas voluptates. Utinam non haberemus exempla tam inſanæ deſperationis. Vide P. Segneri Hom. Chr. part. 2. Diſc. 1. n. 8. &c.

*Quomodo pie celebrandum feſtum Immaculatæ Conceptionis.*

3. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino.* Prov. 8. Anno 1353. Duaci ampliſſima urbe in Flandria coorto repente incendio totum cœnobium una cum templo in cineres redactum eſt: illud autem mirabile, quod ferox flamma omnia quidem templi altaria conſumpſerit, altare vero cum Imagine B. V. *Immaculatæ Conceptionis* intactum omnino reliquerit, quæ propterea peculiarem exinde venerationem acquiſivit. Quid hoc prodigio aliud nobis in-
P. Henric. Scherer in Atlant. Mar. Tit. Imag. Belgii. ſinuat B. V. quam cultum ſuæ Immaculatæ Conceptionis ſibi eſſe gratiſſimum? Quomodo ergo hanc feſtam diem venerari poſſumus? 1. Poſſumus venerari *cogitatione*, nimirum credendo hoc ſanctum myſterium, &c. 2. Poſſumus venerari *Verbo* illud defendendo, laudando, & Deo gratias agendo. 3. Poſſumus venerari *Opere*, vitæ ſanctæ, ab omni macula peccati immunis ſtudio; hunc in finem rogemus B. V. nos a peccato præſervet, primo occaſionis ſubtractione; ſecundo, reſiſtendi data virtute; tertio, pia affectionis ſanitate, prout deſideravit S. Bernardus. Vide P. Lohner Bibl. Tom. 3. in Indice Conc. hoc feſto n. 6. Item P. Hoger Sylva cog. hoc feſto Theſi 6. &c.

In Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

*Dubitationes in fide unde oriantur, & quantum noceant.*

1. N*Oli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Joan. 20. Sanctus Apoſtolus Thomas revera male egit, dum coapoſtolis ſuis affirmantibus, Chriſtum Dominum a morte redivivum ſibi comparuiſſe non credidit: erant Viri graves a Divino Redemptore tanquam veritatis oracula ad propagandam in orbe fidem deſtinati, & tamen incredulus Thomas eorum auctoritati adeo fidem non habuit, ut perſeverans in ſua infidelitate dixerit: niſi oculis videro, & manibus tetigero, non credam! Male egit, & auſtera illa Divini Magiſtri increpatione ſe dignum reddidit: *Noli eſſe incredulus ſed fidelis!* Verum quid ego in ſanctum hunc Apoſtolum invehor? Dantur hodie innumeri increduli Thomæ, qui articulos fidei adeo in dubium vocant, ut ſibi ipſis nova credendi ſyſtemata pro libitu confingant, non jam hæretici, ſed athei. Quæ cauſa tantæ temeritatis? & quis tandem effectus? Agite! hoc utrumque in præſentiarum diſcutiamus! 1. Inter homines doctos variis ſcientiis excultos raro invenitur ea judicandi temeritas, quam damnamus, illi cæca obedientia norunt voluntatem captivare in obſequium fidei. Qui contra fidem cervicem erigunt, ſunt plerumque mundani naſutuli, vix mediocriter ſcientia tincti, qui dolent libertatem ſuam a præceptis fidei reſtringi in iis, quæ cuperent eſſe licita. Adeoque vita vitioſa ordinarie fomes eſt ad hunc fumum! examinet ſe impurus, an non ita ſit? legem caſtitatis ſibi ſentit moleſtam, ideo incipit credere, eſſe incertam. Præterea venenoſa radix hujus lolii eſt familiaritas cum hæreticis, quorum malitia inſtar contagii in diſcurſibus contrahitur. Fugiendi ſunt iſti cane pejus & an-



& angue. ( Vide Tit. Dubitationes in fide, Hæreſis, Hæretici ) 2. Hactenus de origine hujus vitii, jam de peſſimis illius effectibus. Primus eſt obſtinatia impudens, qua Deo volunt præſcribere regulam, quomodo aut quid debeat credendum proponere, eum fere in modum, quo Judæi Chriſto inſultarunt, ſi Filius Dei es, deſcende de cruce, & credemus tibi! Deinde per hanc ſentiendi, aut diſputandi libertatem ſcandalizantur hæretici, ita ut audaciores fiant in cavillandis fidei myſteriis: Moyſes deprecatus eſt legationem ſibi oblatam, dixitque ad Deum: Ecce filii Iſrael non audiunt me, & quomodo audiet Pharao? Parem in modum, ſi non credunt fideles, quomodo credent infideles? &c. Vide Tit. Dubitationes in fide, &c.

*Cur homines juſti nonnunquam in peccata labantur.*

2. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam.* Joan. 20. Cum nos miſeri peccatores millenis infirmitatibus obnoxii cum timore & tremore lapſum Sancti Apoſtoli Thomæ, obſtinate ſeſe aſſertioni ſuorum coapoſtolorum opponentis, conſideramus, merito in anxia illa verba erumpimus: Si hoc in viridi, quid in arido? ſi columna cadit, quid arundini metuendum erit? Cur autem Dominus Deus, cujus Providentia pro famulis ſuis ſine fine vigilat, cur lapſum hunc deplorandum permiſit? cur homines juſtos interdum labi permittit? Dabo rationes! 1. Dominus Deus ex immenſo judiciorum ſuorum abyſſo hominem juſtum nonnunquam in peccatum labi permittit, ut in humilitate conſervetur: Elias timuit minas Jezabelis, ut agnoſceret, quid in fortitudine prodigiorum per Deum poſſit, & quid in hac infirmitate per ſeipſum valeat. 2. Juſtus labi permittitur, ut diſcat aliis compati, ſic Petrus in ſupremum Eccleſiæ caput exaltandus, trinæ negationis delicto deſertus eſt, ut ad pietatem inſtitutus, etiam aliis infirmis parcere diſceret. 3. Juſtus labi permittitur, ut alii homines juſti ſemper inter ſpem & metum vivant: ſic Job tentationem vicit, ut ſpem noſtram erigat: & David proſtratus eſt, ut metum incutiat. ( Vide Barz. Serm. 32. n. 50. & ſeq. ) 4. Juſtus labi permittitur, ut tanto majori fervore ad virtutem, & Dei amorem reſurgat. Peccatum illi eſt inſtar fimeti aut ſtercoris, quo ager ſordidatur, ut tanto uberiores fructus ferat, &c. Laudemus immenſam Dei Bonitatem, qui etiam ex malo bonum eruere novit, non noſtris meritis, ſed ſua Miſericordia! &c. Vide Tit. Homo Juſtus, &c.

*Quomodo per pœnitentiam pax animi recuperari poſſit.*

3. *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus.* Joann. 20. Quomodo S. Thomas Apoſtolus hoc octiduo, quo peccati infidelitatis reus erat, in corde, & animo ſe habuerit, ego non dixero, poterit quilibet peccator, qui Divinæ offenſæ reatum expertus eſt, id ſibi melius imaginari. Luctuoſiſſimus peccati effectus eſt conſcientia lancinans, pungit ut ſpina, mordet ut coluber, latrat ut canis, imo tumultuoſum mare eſt, quod omnia flumina, quæ in illud infunduntur, amara facit; hinc triſtitia, anxietas, metus, puſillanimitas, & nonnumquam deſperatio. Miſer peccator incaſſum agis, non potes ſperare quietem, niſi ad Deum tuum, quem deſeruiſti, per veram pœnitentiam & converſionem revertaris. Sed quomodo fieri poteſt vera converſio? Imitemur exemplum S. Thomæ Apoſtoli! Poſtquam elapſo octiduo Chriſtus Dominus, januis clauſis rediit ad Diſcipulos, & conſcientiæ illius tenebras per felicem illam benedictionem diſſipavit: *Pax vobis!* 1. Ille ad pedes Divini Redemptoris proſtratus agnovit, & deprecatus eſt errorem, ſumma cum humilitate & fide. Ita initium converſionis a peccatore fieri debet cum humillima fide, qua obedientiſſime credit veritatibus a Deo revelatis, & per Apoſtolos promulgatis ſine omni hæſitatione. ( Vide Tit. Fides, Myſteria Fidei. ) 2. S. Thomas cum immenſa confidentia ſe projecit ad pedes JESU, clamans: Dominus meus, & Deus meus! Ita peccator pœnitens, toto corde ad Divinum Redemptorem dicere debet: Tu es Dominus meus, ego ſervus tuus, Tu Deus meus, ego creatura tua! atque ex hac confeſſione concipiat immenſam ſpem, quod Deus poſſit & velit ſibi remittere peccata. ( Vide Tit. Spes, Miſericordia Dei! &c. 3. S. Thomas digitos immiſit in ſancta Vulnera Chriſti. Ita peccator non minus ad hoc aſylum confugiat, præſertim ad Vulnus SS. Cordis! ibi habitet, ibi totam animam ſuam abſcondat! Quæſo cur Crucifixus Deus, qui ſemper multa ac magna pati deſideravit, SS. Vulnus Pectoris primum poſt mor-

mortem ſibi infligi voluit. Nempe, vulnera, quæ vivo corpore recipiuntur, ſunt adhuc ſanabilia, non autem illa, quæ poſt mortem recipiuntur: igitur Miſericors Deus primum poſt mortem vulnerari voluit, ut Vulnus eſſet inſanabile, & conſequenter miſeris peccatoribus ſemper apertum. Huc confuge pœnitens anima! Vide Tit. SS. Vulnera, Vulnus S. Pectoris, Caritas Chriſti, &c.

### In Feſto Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

*Stabulum Bethlehemiticum docet nos humilitatem & pœnitentiam.*

1. I*Nvenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* *Luc.* 2. Cum Miſericors Deus humani generis ex originaria labe perditi ruinam reparare, & Divinum ſanguinem in litrum Redemptionis noſtræ fundere decrevetit, quæritur, cur ſub ſpecie infantis, & non potius Viri adulti in mundo comparere voluerit? ſic enim prima ſtatim die operi Redemptionis manum admovere, peccatores convertere, innocentes confortare, omnibuſque ſalutis monita dare potuiſſet, id quod de facto ut infans non potuit. Reſpondet S. Bernardus, negatque, id Deum infantem non potuiſſe: *Infans quidem eſt, ſed Verbum infans; cujus ne ipſa quidem infantia tacet.* Necdum loquitur lingua, & quæcunque de eo ac circa eum ſunt, clamant, prædicant, evangeliſant. Audiamus, quam nobis lectionem loquantur! 1. Stabulum inauditam, & hactenus ignotam nobis humilitatem prædicat. Quis non obſtupeſcat? Rex cæli & terræ, qui Principum palatia ſibi vindicare, aut cælum in terra condere potuiſſet, dum diverſorium inter homines non invenit, inter pecudes ſeſe abjicit, ut ante omnia primum & maximum Redemptionis obſtaculum, nempe ſuperbiam extirpet; dicit enim S. Gregorius, evidentiſsimum reproborum ſignum eſse ſuperbiam, & humilitatem electorum, &c. 2. Præſepe duritie ſua & quidem frigidiſsima hyeme mortificationem nobis commendat; quis enim non admiretur, Dominum cæli & terræ, qui manibus ac humeris Angelorum portari dignus eſt, naſcentem jacere in palea, & morientem pendere in ligno; ut diſcamus, corpori non blandiri, ſed illud, quia fomentum eſt ſcelerum, duriuſcule habere, atque illius ſenſuales appetitus, ac paſſiones frænare & reprimere. 3. Vagientis Dei Lacrymæ inculcant nobis fugam, & odium peccati! certus eſto, mi Chriſtiane, jamtum Divinus Infans omnia vitæ tuæ peccata numeravit, ſuper reprobos, quibus nativitatem ſuam & mortem nihil profuturam prævidit, lacrymas triſtitiæ effudit. Electis autem, quos ſecum in cælis æternum regnaturos præſcivit, lacrymis gaudii applauſit. Eheu! de quorum numero eris? &c. 4. Quid denique panni nobis inſinuant? Nihil aliud, quam paupertatem! nempe quia fuerunt attriti, & obſoleti, docent nos perituras mundi divitias contemnere, & ad cæleſtes aſpirare: Et quia nihilominus fuere albi & mundi, docent nos puritatem animi ab omni ſenſuali amore alienam, &c. Vide Speranzam punct. 150.

*Quomodo ſanctiſſimi tres peregrini hoſpitio recipiendi.*

2. *Invenietis infantem pannis involutum & poſitum in præſepio.* *Luc.* 2. Audite Dilectiſsimi, quid heſterna die mihi acciderit! Neſcio an fuerim ſopitus, aut quomodocunque animo abſorptus, cum ecce! videbatur mihi ad ædium fores venire Vir grandævus, & ſpecie aliquid ſupra humanum referens, habens ſecum aſellum, cui inſignis, & plane cæleſtis pulchritudinis Domina inſidebat. Roganti mihi, quid rerum deſideraret? Repoſuit, rogare ſe hoſpitium! Adverti quod res erat! Agnovi Sanctum Chriſti Nutritium Joſephum, & in jumento Beatiſſimam Dei Matrem, quæ Divinum infantem ſecum brachiis tenebat. Aperui profundiſsima cum reverentia ſanctiſsimis Hoſpitibus fores, imo intimos etiam cordis aditus, & inſuper promiſi, quod Parochianos meos, ſi fors eadem fors ipſis contigerit, inſtruere velim, quomodo decenter hos Hoſpites domi ſuæ recipere, iiſque obſequioſe ſervire ac demereri valeant. Attendite monitis! 1. Sancto Joſepho, quia Faber lignarius eſt, date modica ligna ſeu aſſeres, ex quibus Divino Infanti cunas conficiat. Cunæ ſunt lectica mobilis, qua infantibus ſomnus procuratur. Volo dicere, ante omnia per interceſsionem Sancti Nutritii rogandus eſt JESULUS, ut ad peccata noſtra præterita dulci ſomno oculos claudat, nec illa irato vultu aſpiciat: agenda eſt ſuper his ſeria pœnitentia cum firmiſsimo propoſito! Quod ſi JESULUS dormire incipiat, tunc ſiſtendæ ſunt cunæ, id eſt, hoc



hoc ipſum propoſitum emendationis immobiliter eſt firmandum. (Vide Tit. Pœnitentia, Propoſitum.) 2. Beatiſsimæ Virgini Matri commodandus eſt puriſsimus lectulus, & telæ lineæ mundiſsimæ, quibus ſanctiſsimum Infantulum involvat. Quid intelligo per telas lineas? intelligo omnimodam conſcientiæ, in cogitatione, verbo, & opere munditiem, ab omni peccato, & a vanitatibus etiam ſæculi prorſus alienam. Quodſi in domo vitiorum ſordities ſit, jurando, procando, conſortia periculoſa & ſuſpecta conſerendo, corrigantur, tollantur, ex ædibus ejiciantur; quia ſumma Divinæ Matris puritas, & ſumma peccati turpitudo ſub eodem tecto non conveniunt. 3. Divino Puſioni coquendum eſt pulmentum (intelligo germanice Ein Mus) reſignando ſe plene in Divinam voluntatem, & dicendo: Domine debeo (Ich muſs) debeo vivere in paupertate! debeo perferre iniquam perſecutionem! debeo ſuſtinere dolores in diuturno morbo! hoc pulmentum gratum & ſapidum erit infanti JESULO! ſi vis, poteris addere cantilenam Parvulo, ſed non aliam præter illam, quam hodie cantarunt Angeli: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus!* id eſt, omnia opera illuc dirigenda, ut exaltetur Dei gloria, & peccata impediantur, & emendentur! Sed quid agendum denique de aſino? De hoc loquar, in die Palmarum! &c. Vide Tit. Conformitas cum Voluntate Divina! &c.

*Sanctiſſimi Peregrini non volunt hoſpitare in corde impuro.*

3. *Non erat eis locus in diverſorio.* *Luc.* 2. Cur ergo Sanctiſsimis Sponſis cum Divina prole non erat locus in diverſorio? an in urbe Bethlehemitica non dabantur cauponæ ad hoſpitandos peregrinos? Dabantur utique, id quod ſatis indicatur per hederas, & ſigna ante domos pendula! Perluſtremus plateas! 1. En! ibi caupona apud *Pulchrum pavonem*, domus hæc ſicut ceteras ædificio ſuperat; ita intus in hypocauſtis, in abacis, in perizomatis inſolito ſplendore ſuperbit. Hic divertere ſolent magni Domini, qui in curribus & in equis veniunt! verum pauperes non recipiuntur! tranſeundum eſt! 2. En! altera hic caupona vocatur apud *profundum mare*! ſicut enim mare omnia flumina recipit, & nunquam redundat, navigia etiam ingentia cum omnibus divitiis deglutit, & nihil refundit; ita domus hæc deſudat in corradendis opibus, & nunquam ſatiatur, corradit divitias per fas & nefas, ingenti cum avaritia, & nihil reſtituit. Procul hinc! procul Sanctiſsima Trias! 3. En! iterum alia, vocata apud *nigrum Æthiopem*! hic nemo ingreditur utut innocens, qui non anima tenus inſtar Æthiopis niger regrediatur! tota converſatio morum, conſortia, & diſcurſus impudentem laſciviam ſpirant. Procul! procul! hæc dæmonum nigredo non convenit cum candore Angelorum! &c. &c. En! Dilectiſsimi! hac allegoria volo dicere, quod ſanctiſsimi Hoſpites in corde morari non velint, ubi hæc vitia, ſuperbia, avaritia, luxuria regnant! purgandum eſt cor ſeria pœnitentia, alias certe Sanctiſsimi peregrini malunt in ſtabulo cum bove & aſino, quam cum peccatoribus habitare! &c.

### In Feſto S. Stephani Protomartyris.

*Lapides S. Stephani Crux Chriſti dulces fecit.*

1. L*Apides torrentis illi dulces fuerunt.* *Brev.* Dantur varii lapides: pretioſi, uti ſunt adamantes: amari, ut ſunt lapides ſalis: Victorioſi, ut fuit ille, quo ſtratus eſt Goliath! Glorioſi, ut fuit ille, qui everſa Statua Nabuchodonoſoris excrevit in montem. Sed unde habentur dulces, uti fuerunt hodierni S. Proto-martyris Stephani? Ex torrente Cedron! cur ita? Cum Dei Filius Redemptor noſter ad mortem condemnatus, & crucis trunco onuſtus ex urbe Hieruſalem in montem Calvariæ duceretur, in via a crudeliſſimis lictoribus per torrentem Cedron una cum cruce violenter raptatus eſt, hoc contactu Chriſti & Crucis tam aqua, quam lapides ſanctificati ſunt, ex hoc torrente dein perſecutores S. Stephani collegerunt lapides, quibus S. Proto-martyrem lapidarunt, & ideo illi generoſiſſimo Chriſti athletæ dulces videbantur; quia Crux amariſſimas perſecutiones & tribulationes dulceſcere facit. (Vide Speranz. punct. 53.) 2. Deus oſtendit Moyſi lignum, quo aquas in deſerto dulcoraret: farinula Eliſei ollæ injecta, omnem maſſam dulcem reddidit. (Vide Speranz. punct. 47.) Lignum illud & farinula fuerunt typus & figura ſanctæ crucis; cum ergo figura continet tantam virtutem, quanto majorem habebit figuratum? 2. Sunt nonnulli

nulli adeo debiles, ut ad umbram crucis expalleſcant, & in vertiginem fere incidant, mæſti, puſillanimes, deſperabundi! cur non balſamum adhibent leniendæ vertigini? quale balſamum? quod e cruce ſtillat, ait S. Bernardus: Non vident balſamum ſuavitatis, quod ſtillat e cruce. 3. Prodigioſa erat virtus Piſcinæ probaticæ in Hieruſalem, cujus aquæ poſt motum Angeli omnes morbos ſanabant: unde hæ aquæ habebant hanc virtutem? ex eo, quia ut putant aliqui auctores, in hac piſcina diu delituit truncus ligneus, ex quo dein fabricata fuit crux Chriſti. ( Vide Menoch. cent. 4. c. 78. ) Si morbos corporis pellere poterat crux necdum ſanctificata per ſanguinem Redemptoris; quanto magis morbis animi mederi poterit crux poſt paſſionem Domini? &c. O mi Chriſtiane, quid luges & lamentaris? attolle oculos in ſanctam crucem! hæc crux conſortat martyres, conſolatur mæſtos, roborat morientes! hæc crux olim in agone, & in judicio erit unicum tuum ſolatium! En! cur lapides S. Stephano dulces fuerint! &c.

*De bono perſecutionum.*

2. *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Act. 6.* Admirabilis erat caritas Sancti Proto-martyris, qua pro inimicis ſe lapidantibus Deum orabat: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum! Quid commovere potuit Sanctum ad tam nobilem, generoſamque virtutem? Exemplum Chriſti orantis pro crucifixoribus ſuis, & quia videbat, per hanc lapidationis perſecutionem ſibi viam ad cæleſtem patriam aperiri. S. Gregorius Nyſſenus ait: *Non ignorabat athleta ſe per crudelitatem nefariam beneficium accipere, quare benigna precatione ſanguinarios compenſat.* Et Euſebius Emiſſenus: *Nec mirum, ſi eis neſcit iraſci, per quos ſibi videt aulam regni cæleſtis aperiri.* ( Vide Barz. Serm. 33. n. 32. & ſeq. Item Speranz. punct. 47. ) En, mi Chriſtiane, quam dulcis nucleus ſub amaro perſecutionis cortice deliteſcat! Quid triſtaris? quid lamentaris? gratia tibi fit & beneficium per perſecutiones, ſi bene uti illis noveris. Audi probationes! 1. Perſecutiones ſunt remedium ad emendanda, aut præcavenda peccata: ſingularis fuit Providentia Dei, quod Samſoni eunti in urbem Tamnata occurrerit in via leo: Quare? penes viam dextrorſum & ſiniſtrorſum erant florentes vineæ, Samſon autem erat Nazaræus, cui interdictum erat vinum: igitur apparuit illi catulus leonis, cum quo pugnare debebat, ne vinceretur tentatione comedendi uvas. Qui perſecutionem patitur, longe induſtrioſius facit ſuum officium, & cohibet ſe a peccatis, &c. 2. Perſecutiones promovent humilitatem, aliaſque virtutes; qui nullam patitur contradictionem. Longe altius cervicem erigit, alioſque deſpicit: cum autem ſuos ſibi errores, & vitia exprobrari audit, infirmitatem ſuam agnoſcere, pacem tenere, & proximum amare diſcit, adeoque perſecutor eſt illi quaſi ſculptor, qui truncum dedolat, ut pulchram ex eo imaginem efformet, &c. 3. Perſecutiones proſunt ad augenda merita juxta illud: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Joſeph Ægypti Prorex juſſit fratribus ſuis reſtitui pretium, quod pro empto tritico expenderant. Quare? ut compenſaret illis beneficium perſecutionis, ſeu venditionis, quod fuit remedium ſuæ exaltationis, &c. En! mi Chriſtiane, quantum tibi prodeſſe poſſint perſecutiones, ſi velis! &c. Vide Tit. Perſecutiones! Item Barz. Serm. 33.

*De gratia ad vitam Chriſtianam neceſſaria.*

3. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Pſalm. 20.* Fortitudo & conſtantia Martyrum in perſecutionibus & tormentis v. g. reſiſtere tyrannis, carnificum furorem deſpicere, carceres & vulnera perpeti, ac demum vitam, & ſanguinem fundere pro Dei gloria, non eſt humanæ virtutis, ſed gratiæ cæleſtis venientis ex alto, qua ſimul excitatur, & confortatur voluntas Martyris, ut viribus omnibus Dei auxilio cooperetur. Exemplum habemus hodie in primo Martyre S. Stephano, de quo vaticinatus Pſalmiſta ita Deum alloquitur: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis,* ſupra quæ verba S. Bernardus ait: *Triplex nobis neceſſaria eſt benedictio, præveniens, adjuvans, & conſummans.* Vita vere ac pie Chriſtiana, continuum eſt quaſi martyrium; pugnare contra tentationes, paſſiones ſubjugare, inimicos diligere, percutienti alteram maxillam præbere vix non martyrium eſt! neceſſe eſt igitur, mi Chriſtiane, ut pro triplici hac gratia Deum roges! Prima gratia eſt *Præveniens,* qua voluntas excitatur, & habilitatur, ad pugnandum pro Deo: Hanc habuit S. Stephanus in diſputatione, ubi





non poterant Judæi reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui ex eo loquebatur, &c. Altera gratia eſt *Adjuvans,* qua pugnans confortatur, & invincibilis redditur: hanc habuit S. Stephanus, qua heroica caritate pro inimicis rogavit, &c. Tertia eſt gratia *conſummans,* quæ pro palma victorem vocat ad coronam gloriæ. Hanc habuit S. Stephanus, dum in cælo aperto vidit JESUM Filium hominis ſtantem, & quaſi procedentem ad coronandum, &c. Mi Chriſtiane, hanc triplicem gratiam prævenientem, adjuvantem, & conſummantem in hujus vitæ militia a Deo inſtanter exora, ut ſuo tempore pertingas ad coronam, inſtar Stephani, de quo illud: *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo. &c.*

## In Feſto S. Joannis Apoſtoli.

*Anima æſtimanda propter gratiam & gloriam.*

1. *CONverſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat JESUS, ſequentem. Joann. 21.* Duas vitas ſibi Divinitus prædicatas vivit fidelis anima, quarum una eſt in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis ( Vide hodiernum Breviar. 3. Nocturno. ) una in labore, altera in requie, una in via, altera in patria, una in opere actionis, altera in mercede contemplationis: una declinat a malo, & facit bonum, altera nullum habet, a quo declinet malum & magnum habet, quo fruatur bonum: una cum hoſte pugnat, altera ſine hoſte regnat, prout loquitur S. Auguſtinus: Illa, nimirum vita gratiæ ſignificatur per Apoſtolum Petrum, iſta nimirum vita gloriæ ſignificatur per Joannem; unde dicitur illi: *Sequere me!* De iſto autem: *Sic eum volo manere!* Quid ſequitur? Certe hoc, animam eſse ſumme æſtimandam tum propter vitam gratiæ in præſenti, quam propter vitam gloriæ in futuro. Audiamus utrumque! 1. Anima ſumme æſtimanda, & curanda eſt propter vitam gratiæ in præſenti; quia per hanc fit filia Dei, cujus pulchritudinem Deus ipſe concupiſcit: ſi formarentur tot cæli, quot ſunt arenulæ maris, omnis eorum pulchritudo non poſset comparari pulchritudini unius animæ. ( Vide Pinamonti conſid. 8. & 9. Item Trauner conc. 7. num. 1. ) 2. Anima ſumme æſtimanda & curanda eſt propter vitam gloriæ in futuro, quia per hanc fit ſponſa Chriſti, & quidem immortalis per omnem æternitatem ( Vide Barz. Ser. 2. §. 7. Et Pinamonti conſid. 12. ) O quantum æſtimavit S. Joannes Apoſtolus humanam animam! cum poſt obitum Domitiani ex Inſula Pathmos Epheſum reverteretur, vidit ibi juvenem corpore, & animo elegantem, cujus curam Epiſcopo recenter ordinato commendavit. Iſte juvenem quidem recepit in domum ſuam, ſed adeo negligenter curam illius habuit, ut juvenis ad prava conſortia, & tandem ad turbam prædonum dilapſus, factus ſit coriphæus & caput latronum. Id ubi S. Joannes poſtliminio Epheſum reverſus inaudiit, altum ingemuit, & egreſsus in ſilvam, ubi vel maxime prædationes fieri percepit, oviculam in lupum converſam non ſine periculo vitæ amico clamore vocavit. Apparuit tandem latro armatus, & vultum ſancti ſui Parentis agnoſcens, erubuit eſse, qui fuit. Proſtratus in genua cum lacrymis, veniam rogans, a Sancto Apoſtolo in urbem reductus auſteram pœnitentiam egit, &c. Vide Specul. Exemplorum, Verbo Societas, num. 2. &c.

*De vitio curioſitatis, ejuſque damnis.*

2. *Domine, hic autem quid? Dixit ei JESUS, quid ad te? tu me ſequere! Joann. 21.* Mundani homines, pravis habitibus obnoxii, cum in cathedris & ſacris tribunalibus contra gravitatem peccati detonari audiunt, ad hæc monita, tanquam ad tonitru nonnunquam aures arrigunt, & firmiſſimo cum propoſito curſum ſcelerum ad tempus ſiſtunt. Verum quia in radicem mali non indagant, plus non faciunt, quam hortulanus, qui lolium & zizania falce ſolum amputat, ſed non eradicat; brevi enim fiet, ut ſentes & urticæ rurſus e terra ubertim repullulent. Inter ejuſmodi vitiorum radices eſt noxia curioſitas, quam Chriſtus Dominus hodie in Petro improbavit: *Quid ad te? tu me ſequere.* Videamus, quæ mala conſequi poſſint, & ſoleant ex hac animi paſſione, ſequiori ſexui magis quam alteri congenita, niſi frœno prudentiæ & mortificationis coerceatur. Curioſitas hæc triplex eſt, in videndo, in audiendo, & in ſciendo! 1. *Curioſitas in videndo* heu! quanta mala poſt ſe traxit! Terrori nobis ſit Dina Jacobi filia, quæ, ut videret gentilium mulierum veſtitum, ingreſsa eſt urbem Sichem. Sed a Principe urbis viciſſim viſa turpiſſime inhonorata eſt. O quantæ inimicitiæ, bella, rapinæ, incendia, & cædes ſecutæ ſunt ex hac curio-

ſitate Dinæ! ( V. Barz. Serm. 28. n. 16. ) Taceo infelicem David, de quo S. Chryſ. ait: curioſus obtutus radix eſt adulterii, &c. 2. *Curioſitas in audiendo* non minus nocens eſt! S. Hieronymus deplorat, quod multum temporis perdatur per illud, laudare, & detrahere, audire & proloqui: verum minus dolendum foret, niſi præter jacturam temporis graviora mala ſequerentur. Multi in otioſis conſortiis, quia vera non ſemper ſuppetunt, nova fingunt, fabulas narrant, in mores aliorum inquirunt, non ſine irreparabili damno famæ alienæ, &c. 3. *Curioſitas in ſciendo* eadem fere nocumenta parit: Eva in paradiſo, dum pomum vetitum intuita eſt, ſcire cupiebat, quem guſtum, ſaporem, odorem, effectumque haberet hic fructus? & hæc curioſitas infeliciſſimi peccati origo fuit. ( V. Speranz. punct. 114. ) Plinius incendium Veſuvii, Empedocles, incendium Æthnæ exploraturus, uterque periit. Sic curioſitas infortunia corporis & animæ poſt ſe trahit. Vide Menoch. cent. 8. c. 14.

*De ſignis amoris Dei.*

3. *Vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, Joan.* 21. Diligere Deum eſt virtus excellentiſſima, ſed viciſſim a Deo diligi eſt excellentiſſima felicitas, quæ hominem beatiorem facit, quam ſceptra & coronæ totius mundi. Unde ergo S. Joannes hanc felicitatem promeruit, quod fuerit præ ceteris Diſcipulis a Chriſto dilectus! Promeruit ex hoc, quod ſincerum ſuum amorem erga Chriſtum evidentibus ſignis probaverit. Quænam ſunt hæc ſigna? Audiamus! Primum ſignum amoris fuit conformitas ſuæ cum Divina voluntate; hinc in ultima cœna caput ſuum cum omnibus potentiis in ſinu Divini Magiſtri depoſuit, ejuſque ſanctiſſimo pectori appreſſit, ut ſic Divini cordis voluntatem quaſi proximiore ſenſu exploraret. Eundem in modum ſtudeat Chriſtianus Dei Voluntati ſe conformare. ( V. Tit. Conformitas cum voluntate Divina ) Alterum ſignum amoris fuit amor proximi, quo animas a Chriſto dilectas ingenti cum zelo ac ſollicitudine curabat, ita, ut præ ceteris dignus fuerit, cujus curæ Beatiſſima Dei Mater poſt mortem Chriſti fuerit demandata. Eundem in modum ſtudeat Chriſtianus diligere proximum. ( Vide Tit. Caritas proximi. ) Tertium ſignum amoris fuit, pati libenter pro Chriſto & cum Chriſto; ideo fugientibus omnibus Diſcipulis ipſe uſque ad mortem Redemptoris cruci adhæſit, &c. Eundem in morem diſcat Chriſtianus libenter pati pro Deo. ( Vide Tit. Patientia ) Et ſic cum triplici hoc ſigno ſuum erga Deum amorem probaverit, ſperet, ſe viciſſim a Deo eſſe amandum, &c.

In Feſto Sanctorum Innocentum.

*Quod filii præmature emoriantur, culpa eſt penes parentes.*

1. HErodes *iratus occidit omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus. Matth.* 2. Ex hodierno Evangelio ſolvitur illa quæſtio, cur Divina Providentia ſæpe filios in tenera ætate per mortem abripiat, qui Eccleſiæ aut Reipublicæ cum tempore inſigniter prodeſſe potuiſſent? nempe ideo hoc facit, quia prævidet hos filios, ſi ſuperviverent, peſſime pervertendos eſſe. Hac de cauſa permiſit cædem infantum a crudeli Herode peractam: quia ſi pueri iſti ad ætatem adultam perveniſſent, certo cum ceteris in necem Chriſti conſpiraſſent, clamantes, crucifige! crucifige! præſtat illos jugulari, quam fieri interfectores Redemptoris! Hac ipſa de cauſa hodiedum Deus filios parentibus eripit, quia prævidet illos ob malam educationem interituros. Quænam eſt ſua mala educatio? Loquamur de erroribus negativis, ſeu peccatis omiſſionis a parentibus admitti ſolitis! *Primus error*, ſeu negligentia parentum eſt, quod filios a teneris in rebus fidei non inſtruant; quamprimum puer ad diluculum rationis venerit, inſtruendus eſt, quod a Deo creatus, & quem in finem creatus ſit? quod Deum ſemper amare & timere, & ad cælum tendere atque præ omnibus aliis, peccatum fugere debeat, ſic fecit Tobias, admonens filium: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato conſentias:* hoc aut ſimile documentum a parente filiolo ſupra menſam, aut alias inculcatum profundius hærebit in illius phantaſia, quam decem alia catechiſtarum aut Ludimagiſtrorum, &c. *Secundus error* aut negligentia parentum eſt, quod filios in legendo & ſcribendo erudiri non ſinant, adeoque illos pro omni vitæ tempore infelices reddunt; non enim ſciunt miſeri, quomodo diebus feſtivis utiliter occupare ſe poſſint, non addiſcunt ſolide actus amoris Dei, & contritionis de peccato, adeoque dum in intellectu obſtipi & rudes manent, facilius ad inhoneſta dilabuntur, prout docet experientia, &c. *Tertius error*, ſeu negligentia parentum eſt, quod filios tota die extra domum evagari permittant, neque curent, aut attendant, ubi & cum quibus verſentur, adeoque minorem curam habent filiorum, quam pecudum, ſi ſub veſpertino paſtore ad ſtabulum non revertantur. Unde fit, quod inſtigante dæmone miſeri in malos ſocios & peſſima conſortia incidant, atque in tenera ætate addiſcant, quæ ad canam uſque ſenectutem ſcire non debuiſſent. Quæ cauſa eſt, quod pueruli plerumque primævam Baptiſmi innocentiam ultra ſeptennium non conſervent? cauſa eſt hæc incuria parentum. O Deus abripe præcoce morte hos infantes, præſtat illos hodie mori, quam cum tempore una cum parentibus damnari! Vide Tit. Parentes, &c.

*Supra Herodianam malitiam eſt, filios anima tenus occidere.*

2. *Occidit omnes pueros in Bethlehem. Matth.* 2. Herodis latrocinium, quo innocentes puerulos, quaterdecies millenos in circa, ut opinantur Sancti Patres, crudeli morte confecit, omnia mundi ſæcula uſque ad extremum diem deteſtantur. Verum major eſt illorum crudelitas, qui innocentes filios non jam corpore, ſed anima occidunt. Quinam ſunt illi? Sunt multoties ipſi Parentes! Locuti ſumus de peccatis omiſſionis in educatione prolium, loquamur nunc de aliquibus peccatis commiſſionis, quibus filii depravantur. *Primus error*, ſeu peccatum parentum eſt, cum in rebus ſuis, videntibus, aut audientibus filiis incaute agunt, vel cum forte diſſidioſe invicem vivunt, in injurias, aut juramenta mutua effunduntur. Quid fit? Germanorum liberi non loquentur Italice nec Italorum Germanice: ita filii hanc loquelam, & mores parentum ſtatim addiſcunt: Herodias erat effrons & impudens: Quare? Quia Mater talis erat: Quid poterat de adultera Matre diſcere, niſi damnum pudoris, ait S. Ambroſius, &c. *Secundus error*, ſeu peccatum parentum eſt, cum delicta puerorum non tantum non caſtigant, ſed cum riſu, & applauſu diſſimulant: cum filiola ſexennis aut ſeptennis jam vanitati ſe accommodat, aut in verba indecentia erumpit, lætantur parentes, & putant, hoc eſſe indicium generoſæ indolis. Eheu! quantum nocet hæc indulgentia! ſic vitia cum liberis adoleſcunt, & parentes ſe Deo reddunt inviſos: Heli repentino interitu abreptus eſt, quod filios delinquentes non corripuerit. *Tertius error* & peccatum execrabile parentum eſt, cum ipſimet filios ad malum inſtigant, cum pater inſtruit filium, quomodo dextertime clepere, & longos digitos facere poſſit, cum Mater erudit filiam, quomodo ad vanitatem ſe componere, & ſponſo paratam ſe, blandamque exhibere debeat: De his certe dicendum venit, quod Imperator Auguſtus de Herode infanticida dixit: Mallem eſſe porcus, quam filius Herodis, &c. Vide Tit. Parentes. Item Menochium cent. 10. c. 37.

*Filii ſæpe infelices ex negligentia parentum.*

3. *Occidit multos pueros in Bethlehem. Matth.* 2. Hactenus demonſtratum eſt, etiam inter Chriſtianos dari Herodes infanticidas, non quidem quoad corpus, ſed quoad animam. Superſunt adhuc tres luculenti errores parentum in educatione prolium. *Primus error* eſt, cum filiis neceſſaria quoad victum & veſtitum non procurant; unde miſeri, cum ſcitu & juſſu parentum, mendicatum excurrunt, atque inſidiante dæmone, in peſſimas occaſiones & ſcelera incurrunt: hoc ordinarie fit inter pauperes, qui conjugia ſolum ex fine beſtiis communi quærunt, horum proles, quibus alendis pares non ſunt, plerumque demum in manus carnificis incidunt. Væ Magiſtratibus, qui ejuſmodi conjugiis ſe non opponunt? &c. *Secundus error* eorum eſt, qui filiis ſuperflua omnia ad vanitatem, adeoque etiam pecunias, ſubminiſtrant, quibus cum illi ad comœdias, ad hoſpitia, ad choreas pro libitu excurrere poſſint. Peſſime fecit ille Paterfamilias, qui filio portionem ſubſtantiæ, quam petiit, dedit; ſic enim ille in exteris regionibus libere petulciendo, tandem inter porcos, porcis ſimillimus factus eſt, &c. *Tertius error* parentum eſt, cum filios invitos contra ſuam vocationem ad ſtatum, quem nolunt, vi aut minis compellunt. O *durum Patrem, o ſævam Matrem*, exclamat S. Bernardus. Cui ſuffragatur Doctiſſimus Marchantius inquiens: *Inde in Religione, & clauſtris* ( Dicamus etiam in coactis matrimoniis) *tot infauſta, tot ſcandala, quia plures irrepunt non a Deo vocati, ſed a parentibus intruſi*. O quam longe melius hujuſmodi filii in infantia fuiſſent ab Herode occiſi, quam a parentibus ad infernum promoti. Vide Tit. Parentes, &c.

## In Feſto Circumciſionis Domini.

*Chriſtianus ſeipſum interroget: quis fui? quis ſum? quis ero?*

1. P*oſtquam conſummati ſunt dies octo, vocatum eſt Nomen ejus Jeſus. Luc.* 2. Laudetur provida Sanctæ Matris Eccleſiæ diſpoſitio, qua feſtum Circumciſionis primam anni ineuntis diem conſtituit, ubi Dei Filius Sanctiſſimum Nomen JESU recepit. Ego autem exiſtimo, non male acturum hominem Chriſtianum, ſi hodierna die, primam vitæ ſuæ diem, qua ſub auſpiciis Divini Creatoris in lucem hanc editus, nomen Baptiſmale recepit, ſibi ante oculos ponat. Quid ergo conſiderare poſſum in hac die? Tempus præteritum, tempus præſens, & tempus futurum. Dabo inſtructionem, & modum! 1. Interroga teipſum, *quis fueris?* Ab omni æternitate purum putidum nihilum, ſicut defacto eſt homo nondum genitus, niſi quod ab omni æternitate extiteris in mente Dei. Prævidit jam tum Providiſſimus Deus omnem vitæ tuæ periodum, perpendit opera tua bona, pauca & exigua, numeravit peccata incomparabiliter plura ac graviora, ideo potuiſſet juſtiſſime te relinquere in nihilo, & loco tui creare Angelum, aut hominem ſibi fidelem. Nihilominus miſericordia, & Bonitate ſua motus produxit te in tempore, & quidem in ſancta ſalvifica fide, præ millenis aliis; quos inter barbaros & infideles relegavit, addidit tibi nomen alicujus Sancti, cujus patrocinio frui, & exempla virtutum imitari poſſes, & deberes. 2. Interroga teipſum, *quis modo ſis?* Chriſtianus ſum, inquis! Dic, an talis, qui ſpem, ſeu intentionem Creatoris tui reipſa compleviſti? Chriſtianns Chriſtum imitari debet tam agendo, quam patiendo. Agendo quidem, quia quid agere debeas, tibi oſtendit tabula Decalogi, cui ſubſcripſit Deus: qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me! an amorem tuum & fidelitatem erga Deum demonſtraſti obſervatione mandatorum! O quot tranſgreſſiones & peccata numeras! An forſan patiendo, Deo gratior fuiſti? En! Chriſtus parvulus hodie initium dat ſuæ paſſioni; profundit in aurora aliquot ſanguinis guttulas in pignus, & arrham, quantam ſanguinis pluviam ad veſperam ſit daturus, prout loquitur Bernardus (Vide Speranzam punct. 150.) Quid tu hactenus amore Dei paſſus es? Nonne ad unum verbum aculeatum, ad diem unam eſurialem, ad jacturam unius oboli in furias exardeſcis! O quam merito Deus repetere de te poteſt illa verba: Pœnitet me feciſſe hominem! 3. Interroga teipſum, *quis futurus ſis?* ambulas modo in bivio ad æternitatem ſive beatam, ſive infelicem! aſpice cælum, ibi Chriſtiani tui ſimiles in gloria æternum gaudebunt de omni opere bono, quod amore Dei præſtiterunt, & de omni malo quod amore Dei ſuſtinuerunt! conjice oculos in infernum, ibi damnati inter tormenta & ejulatus ſuſpirant unicam diem, quam tu male perdis! O ſi hanc eſſent obtenturi, quam acerbam, & terribilem pœnitentiam eſſent acturi. Hac omnia conſidera, delibera, elige! Vide Beneficium Creationis, Homo Chriſtianus, Infernus, &c.

*Quomodo hic felix, novus, annus eſſe debeat?*

2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo. Luc.* 2. Fervent hodie amicorum vota erga amicos, ubique reſonat aggratulatio: *Felix, novus annus!* idipſum, ne prolixis verborum ambagibus utar, idipſum, inquam, vobis apprecari, ſimulque vos inſtruere cogito, quomodo *Felix*, quomodo *Novus*, & quomodo *Annus* eſſe poſſit. 1. *Felix* erit hic annus, ſi non noſtræ, ſed Divinæ Voluntati in omnibus ſit conformis. Si Deus proſpera nobis dederit v. g. valetudinem, fortunas, amicorum favores, oſculemur beneficam illius manum, & omnia bona in acceptis referamus ſummo Benefactori, a quo bona omnia procedunt. Si Deus adverſa nobis ſubmiſerit, calumnias, infortunia, inopiam, oſculemur etiam punientem manum, & reſignatiſſimo animo accipiamus mala, per quæ Deus nihil aliud intendit, quam bonum noſtrum ſpirituale, & æternum. S. Remigius ob prævifam annonæ caritatem horreum frugibus complevit, quod aliqui avaritiam interpretantes illud ſuccenderunt. Sanctus Vir hac injuria adeo non fuit commotus, ut cum lætitia ſe apud ignem calefecerit. 2. *Novus* erit annus, ſi vitam antiquam ſerio emendantes pœnitentiam de commiſſis agamus, mandata Domini obſervemus, & peccata omni cum ſolicitudine fugiamus! Recedant vetera, canit Angelicus Doctor in hymno, nova ſint omnia, corda, voces, & opera; id eſt, ſancta ſint cogitationes, ſancti diſcurſus, ſancta actionum omnium exempla. 3. Annus denique erit, ſi nihil temporis Deo ſubtrahamus! hactenus annum in anno non viximus, ſed vix menſem, aut ſeptimanam! ſi ſubtrahatur, quod ſomno, otio, eſu & potu, deliciis & nugis perdidimus, quantillum temporis de anno ſupererit? Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, toto aliud agentibus, ait Seneca. Deinceps Deo ita vivamus, ut etiam opera neceſſaria per ſanctam intentionem Deo conſecremus, &c. Vide Tit. Intentio Bona.

*Quomodo ſanctiſſimum Nomen Jeſu venerandum, & uſurpandum ſit?*

3. *Vocatum eſt Nomen ejus Jeſus, Luc.* 2. Quid poſſum vobis hodie ſanctius, ſalutarius & utilius pro ſtrenua, ſeu Xenio offerre, quam ſanctiſſimum Nomen Jeſu, in quo omne genu curvetur cæleſtium, terreſtrium & infernorum? hoc ſanctiſſimum Nomen ſolatium eſt in afflictione, robur eſt in periculis, ſcutum eſt contra tentationes, fulmen eſt contra malignos ſpiritus. Quid vultis amplius? Nihil amplius! ſolum in eo hæremus, quomodo, & qua ratione utiliter uſurpanda ſit hæc panacea SS. Nominis? attendite, edocebo! 1. Sanctiſſimum Nomen Jeſu gerendum eſt *in Fronte*, id eſt, in cogitatione, cum reverentia, & confidentia, ut ſemper ſit præſentaneum remedium contra obvias quaſque adverſitates: ſic Chriſtus ipſe in ſpecie pulcherrimi juvenis apparuit S. Edmundo, Nomen Jeſu in fronte gerens, & S. Henricus Suſo illud in ejus feſto, præſertim calendis Januarii cantilenis venerabatur; unde Chriſtus ſub ſpecie amabiliſſimi parvuli illi apparens nomen Henrici in nomen Amandi commutavit. 2. Sanctiſſimum Nomen Jeſu ſemper gerendum *eſt in corde*, ſic poſt martyrium S. Ignatii Epiſcopi in corde ipſius inventum eſt nomen Jeſu, unde nihil cogitare, nihil loqui, nihil amare poterat, quam Jeſum. 3. Sanctiſſimum Nomen Jeſu ſemper gerendum eſt *in ore*, ad morem ſancti Pauli Apoſtoli, cujus abſciſſum caput ter a terra exſiliit, & ter ſimul Nomen Jeſu inclamavit. O! det nobis miſericors Deus, ut in morte, ultima noſtra tria verba ſint ſanctiſſimum Nomen Jeſu, Jeſu, Jeſu! Vide Tit. Nomen Jeſu &c.





## In Feſto Epiphaniæ Domini.

*Hodie Deo offerendum eſt homagium Sacramenti Baptiſmi.*

1. C*um natus eſſet Jeſus in Bethlehem Judæ, Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam. Matth.* 2. Cum maximus cæli, terræque Dominus, humana ſpecie velatus in hunc mundum deſcendit, ut illius quaſi poſſeſſionem caperet, recte tres Orientis Reges, nomine totius humani generis, ad præſepe Bethlehemiticum adventantes, homagium illi præſtiterunt, & offerendo thus, aurum, & myrrham ſe vaſallos magni hujus Domini humillima cum ſubjectione profeſſi ſunt. Ideo hodiedum ad hujus ſubjectionis exemplum omnes fere Sacri ordines vota ſua Religioſa inſtaurant, & de novo ſe Deo conſecrant. Quid nos agemus in Dei Domini noſtri honorem, & noſtram ſubjectionem? Agite, renovemus homagium in Baptiſmo præſtitum, offerendo præſtantiſſimos virtutum actus, quarum habitus in Sacramento regenerationis nobis infuſi ſunt, thus fidei, myrrham ſpei, & aurum caritatis! ad rem! 1. Offeramus thus fidei in odorem ſuavitatis coram Deo! Quid eſt fides? Eſt ſupernaturalis & firmiſſimus aſſenſus veritatibus revelatis præſtitus propter auctoritatem Dei revelantis. Gratias agamus infinitas Deo Optimo Maximo propter inæſtimabile, & indebitum prorſus beneficium Vocationis ad ſalvificam fidem, rogemus humillime, ut nos in hac ſancta fide uſque ad ultimum vitæ halitum conſervet, promittamus Deo, quod illam non tantum verbo, ſed etiam opere, id eſt, continuo virtutum exercitio profiteri velimus! 2. Offeramus Myrrham Spei! Quid eſt ſpes? Eſt certa exſpectatio æternæ beatitudinis, proveniens ex Dei gratia, & noſtra cooperatione. Exhibeamus Deo hanc virtutem ſub ſpecie myrrhæ, quia non eſt ſine amaritudine, & difficultate, pugnare contra continuas tentationes, rogemus Deum, ut ſemper nobis confortando aſſiſtat, affectus terrenos in cordibus noſtris extinguat, & mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigat. Cooperemur gratiæ Dei, & meritis Chriſti Redemptoris in hunc finem merita noſtra conjungamus. 2. Offeramus Aurum caritatis, illam nempe virtutem præſtantiſſimam, qua diligimus Deum ſuper omnia, proximum vero ſicut nos ipſos! in quo conſiſtit

hac caritas Dei ? conſiſtit præcipue in obſervatione mandatorum, & fuga omnis peccati mortalis, ita ut ſimus parati, potius omnia bona tranſitoria, honorem, divitias, & vitam ipſam perdere, quam Deum graviter offendere. En! hæc eſt renovatio homagii Baptiſmalis, credere, ſperare, amare. Vide Flores Doctorum, Verb. Nativitas, n. 1.

*Hodie novum vitæ genus inchoandum, & peccata emendanda ſunt.*

3. *Per aliam viam regreſſi ſunt in regionem ſuam. Matth.* 2. Vetus teſtamentum per quater millenos annos & amplius fuit Lex timoris. Deus non alia facie apparuit, niſi inter fulmina & tonitrua: peccata ſine mora punivit diluviis, incendiis, mortibus repentinis; per Prophetas ſuos vaticinia promulgavit terribilia; hinc miſeri peccatores terroribus perculſi, ad idola, & dæmonis ſimulacra diffugerunt. In nova Lege Deus longe aliam ſcenam aperuit, amoris & manſuetudinis. En! humana carne velatus peregrinos reges, humiles paſtores, ipſoſque peccatores ad affatum admittit! Gratulor vobis miſeri peccatores; huc advolate, hic cordis veſtri vulnera aperite, peccata lacrymis deplorate, & ego Dei Nomine vobis veniam & Miſericordiam promitto. Verum, ut non diffitear! Eſt, quod me valde ſolicitum habet. Et quod illud? De ſanctis Regibus, qui Chriſtum adorarunt, dicitur, quod *per aliam viam regreſſi ſint in regionem ſuam*. Ita, mi peccator, ſolicitus ſum, non tam de tuo acceſſu, quam regreſſu! audi S. Chryſoſtomum: *Veniſti per viam fornicationis, ambula per viam caſtitatis; veniſti per viam avaritiæ, ambula per viam eleemoſynæ.* Peccata per pœnitentiam remiſſa non amplius repetenda, ſed emendanda ſunt per contrarias virtutes. &c. Quodſi in priſtinam viam ſcelerum regrediaris, tam ſuperbus quam antea, tam avarus quam antea, tam luxurioſus quam antea, audi quid ſubnectat Chryſoſtomus: *Si autem per viam redieris antiquam, iterum ſub regno vadis Herodis.* Et quid fiet? Manſuetiſſimus Deus, qui nunc in primo adventu peccata tibi miſericorditer remittit, in ſecundo adventu, id eſt, in judicio tanto acerbius vindicabit. Probationem habes manifeſtam in Evangelio! Cum Sancti tres Reges Hieroſolymis quærebant: ubi natus eſt Rex Judæorum? *Turbatus eſt Rex* (Herodes) *& omnis Hieroſolyma cum illo!* ſupra quod exclamat S. Aug. *Quid erit tribunal judicantis, quando ſuperbos Reges cunæ terrebant infantis?* Vide Barz. ſerm. 22. n. 8.

*Vitæ hujus peregrinatio ad finem ultimum dirigenda eſt.*

3. *Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam, &c.* Diſceptant & diſcrepant auctores inter ſe, ex qua regione tres Magi Hieroſolymam venerint? aliqui putant, ex Perſide, alii ex Meſopotamia aut Chaldæa, alii denique ex Arabia, quod præ ceteris certius eſt, juxta illud; *Reges Arabum, & Saba dona adducent*. (Vide Menoch. cent. 2. cap. 75.) Sed quidquid de hoc ſit! Ad animæ noſtræ utilitatem conducit, ut in Magorum itinere vitæ noſtræ, quæ mera peregrinatio eſt, periodum, id eſt, terminum a quo, terminum per quem, & terminum ad quem conſiderantes, quid in ſingulis agere, aut fugere debeamus, prudenter decernamus. 1. *Terminus a quo* (prout ſub præſentem conſiderationem venit) eſt cujuſvis ſtatus ſive ſacer ſive profanus, quem homo Deo vocante præ ceteris elegit. In hoc ſtatu caveat homo, ut non ob commodum temporale, ſed unice ad Dei gloriam vivat: Princeps Sichem circumcidit ſe, & tamen poſt circumciſionem interfectus eſt; quia judaiſmum aſſumpſit non propter Deum, ſed propter Dinam Jacobi filiam, ut hanc in uxorem haberet. Qui commoditatem, non ſanctitatem quærit, millies impinget ſine adjumento gratiæ & de ſalute periclitabitur, &c. (Vide Barz. ſerm. 25. n. 3. & ſerm. 39. §. 5.) 2. *Terminus per quem* ſunt creaturæ & utilitates terrenæ, quibus homo in ſtatu ſuo fruitur, uti honores, divitiæ, deliciæ. Has deſpicere, animum ab illis avellere, & neutiquam inhærere debet, &c. (Vide Tit. Honores mundani, Divitiæ &c. 3. *Terminus ad quem* eſt unice Deus, ad quem tanquam finem noſtrum ultimum nati & creati ſumus, &c. (V. Tit. Beatitudo, Finis ultimus &c.) Felix qui hunc ſcopum attingit, infelix, qui a creaturis deceptus ab eo aberrat! &c.

In Feſto S. Sebaſtiani Martyris.

*Quid agendum, ut patrocinium S. Sebaſtiani contra plagas univerſales nobis proſit.*

V*Enerant ut audirent eum & ſanarentur a languoribus ſuis. Luc.* 6. Princeps Cleoninus, ut ſuos ſubditos ab hoſte obſeſſos confortaret, hoc aſtu uſus eſt: Militem inter medios obſidentes clam miſit, qui ſagittam in urbem jaculabatur, cui inſcripta erant hæc verba: Confortamini, & eſtote fideles, ego Cleoninus in auxilium venio! En! quantum hæc ſagitta obſeſſis civibus profuerit. (Vide Barz. ſerm. 50. n. 5. O Dilectiſſimi! in hac miſera vita obſidemur ab innumeris malis tam corporis quam animæ! rogemus S. Sebaſtianum, ut ſagittas ſuas, quibus Martyr confixus eſt, Deo pro nobis offerat, & audiamus, quid porro noſtrarum partium ſit, ut a malis impendentibus liberemur; 1. Mala corporis, quibus affligimur ſunt bella cruenta, cædes innumeræ, excidia urbium, deprædationes regionum, fames, inopia, & exilia miſerorum, quibus a multis annis miſere devaſtata patria noſtra ingemiſcit, & adhuc terribiliora extimeſcit. Præludia in cælis, in aere, in terra, in elementis, in morbis prorſus incognitis peſſima nobis prænuntiant (Vide Tit. Plagæ Univerſales.) O Sancte Sebaſtiane, tu ſcutum obtende iracundiæ Divinæ! offer pro nobis merita tua, ſagittas tuas! &c. Confidite Dilectiſſimi, Sanctus Martyr erit noſter patronus, & protector potentiſſimus! id unum ex parte noſtra neceſſarium eſt, ut ſanctis ejus precibus cooperemur. Quo modo? per ſeriam pœnitentiam, deteſtando peccata præterita, & præcavendo futura; nimis enim certum eſt, quod temporalia mala omnia cauſentur a peccatis. Vide Tit. Bellum. Item Peccatum &c.

*Peccatum omnium malorum cauſa eſt.*

2. *Audirent eum & ſanarentur a languoribus ſuis. Luc.* 6. Generale eſt artium omnium & totius naturæ principium, non poſſe produci effectum bonum & optabilem, niſi prius contrarii obices removeantur, v. g. loquendo de arte Medica, ut afflicta valetudo reparetur, neceſſe eſt ante omnia, ut vitioſi humores, morborum fomenta, per pharmaca purgantia evacuentur. Pari modo in particulari, nulla civitas, nulla Reſpublica, imo nulla domus privata poterit tranquilla pace, & proſperitate frui, niſi prius malorum omnium fons & origo tollatur, & eliminetur. Quis eſt ille fons & origo malorum? Revera peccatum eſt! ex hac venenoſa radice propullulant mala univerſalia, uti bella, fames, peſtes, & alia, quibus integra regna affliguntur! Audite probationes! 1. Peccatum infelicium bellorum, & cædium cauſa eſt! cum Holofernes Judæorum gentem exſcindere vellet, ſuaſit illi Dux Achior, ut prius exploraret, qua ratione Iſraelitæ ſe cum Deo ſuo haberent; ſcio enim ab experientia, ſi pie vivunt, ſunt invincibiles: ſi vero impii ſint, Deus illos facile tradet inimicis in prædam, eoſque, tanquam vas veneno, aut veſtem peſte infectam abjiciet, &c. (Vide Paciuch. lect. 10. §. 2. & 9.) 2. Bellum & devaſtationes regnorum ordinarie conſequitur fames, quæ eſt calamitatum maxima; per bellum enim & gladium cito conficiuntur homines, ſed per famem lento tormento conficiuntur; hinc innumera conſurgunt ſcelera, dicente Philone: Attritæ frontis eſt egeſtas, nihil pudet, modo vivat. (Vide Tit. Fames, Peccatum.) 3. Cum bella & fames ſævire ceſſarint, ordinarie ſuccedit peſtilentia, terribile malum! Deus Davidem puniturus ſeptennem famem, vel trimeſtre bellum, vel triduanam peſtem minitatus eſt: Ergo videtur, triduanam peſtem eſſe æque grave malum, quam trimeſtre bellum, aut ſeptennem famem, &c. (Vide Mich. a Calvo conc. 12. §. 2. n. 6. Et Barz. ſerm. 68. n. 20.) Cum igitur, Chriſtiani mei, hodie S. Sebaſtianum enixe rogatis, ut contra mala hæc terribilia ſuo patrocinio nos defendat, ante omnia neceſſe eſt, ut peccatum, tanquam radicem totius mali eradiceris! operam dent Superiores, ut tollant publica ſcandala! Operam dent Domini, ut compeſcant impudentiam famulorum! Operam dent Parentes, ut filios retrahant a pravis conſortiis! ceſſent juramenta, ebrietates, choreæ, & alia vitia, & tum demum S. Sebaſtianus non deerit noſtris precibus, ut nos potenter protegat, & temporum tranquillitatem nobis a Deo exoret, &c.

*Quomodo miles Chriſtianus pro Deo pugnare debeat.*

3. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Hebr.* 11. Militia eſt vita hominis ſuper terram! quilibet ergo Chriſtianus eſt miles Chriſti, qui, quam iu ſpirat, pugnare debet contra mundum, carnem & dæmonem! vexillum, ſub quo pugnandum, eſt Sanctiſſima Crux, in qua redempti ſumus! Dominus, pro

quo pugnandum, eſt Divinus Redemptor, ejuſque honor & gloria! merces ſeu palma victoriæ eſt regnum cæleſte & æterna ſalus. Quid autem requiritur ex parte militis Chriſtiani, ut vincat, & triumphet? Audiamus! 1. Requiritur, ut ſit Domino *Fidelis*, veniet quidem mundus, & primo blanditiis, dein ſi hæ non proficiant, terroribus ac minis eum avocare a Domino, & ad partes ſuas trahere conabitur. Verum ille imperturbabili conſtantia firmus ſtet, paratus potius vitam, quam juratam in Baptiſmo fidem perdere! &c. 2. Requiritur, ut ſit convenienter *armatus*, & quidem duplici armatura, ita, ut tam cominus, quam eminus hoſtem oppugnare, & repellere valeat. Infernalis inimicus ſuis tentationibus Chriſtianum militem cominus aggredi ſolet; huic opponat ſcutum fidei, & veritates æternas. Carnem autem ab eminus ſagittis repellat, aut potius fugiat, quam doloſiſſimum hoſtem ſibi propinquare permittat. ( Vide Tit. Tentationes. ) 3. Requiritur, ut ſit *generoſus* & in quibuſvis periculis imperterritus, adeoque paratus, potius tormenta, vulnera, ipſamque mortem ſuſtinere, quam a mandato Principis vel latum unguem recedere. Talis miles Chriſtianus fuit S. Sebaſtianus, Fideliſſimus Deo, Imperatoris munera & minas deſpexit, ſagittas, mortemque ipſam ſubiit; hinc apparuit illi Chriſtus Dominus, datoque oſculo dicit: Tu perpetuus eris mei palatii cæleſtis Satrapa! tu meæ menſæ perpetuus conviva! tu ſempiternus meæ collega gloriæ. Studeamus, Dilectiſſimi! imitari ſanctum militem, ut fideliter, & generoſe pro Deo pugnantes ac triumphantes, aliquando in morte tam glorioſam promiſſionem audiamus! &c.

### In Feſto Purificationis B. V. Mariæ.

*Deo offerenda ſunt opera ſupererogatoria.*

1. *POſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Joan.* 2. Quid audio hodie? An ergo Beatiſſima, & immaculata Dei Mater Maria Legi purificationis, quæ ſolum pro mulieribus immundis lata eſt, ſe ſubjicit? quid ergo maculæ in ſe habet, quam purificari velit? Nihil habet, reſpondet S. Bernardus: *O Beata Virgo, vere non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione, quia ſicut ſol gratia plena es.* Cur ergo ut luna defectuoſa inter ceteras mulieres apparere voluit, ut humilitatis virtutem exerceret, & cum Deo liberaliter ageret, non tantum implendo obligatoria, ſed etiam aſcendendo ad voluntaria & ultra. O quam utilis hæc doctrina pro nobis! Diſcutiamus, quam utile & neceſſarium ſit, ut per opera bona liberaliter agamus cum Deo, & pro majori ſecuritate ſalutis, ultra debitum & obligationem theſaurum meritorum majorem colligamus. Procedamus per puncta! 1. Certum eſt, quod bona opera neceſſaria ſint ad ſalutem: ſicut Romani Belliduces, cum triumphos agebant, victos reges & trophæa poſt ſe traxerunt: ita qui in cæleſte capitolium triumphaliter admitti cupit, ſimiliter ſua opera, cruces, & exantlatas pro Deo tribulationes ſecum ducat neceſſe eſt, hinc Chriſtus ait: Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam. (Vide Segneri Manna an. 14. Jul. n. 6. item Speranz. punct. 26. ) 2. Certum eſt hac de cauſa, quod opera bona in judicio futura ſint unicum ſolatium, ubi velut triticum in area ventilabuntur: *Purgabit aream ſuam!* ( Vide Barz. Serm. 31. n. 2.) 3. Certum eſt, hæc opera bona poſſe tota die inter labores & negotia continuari; ſicut in circulo pes unus in medio firmus hæret, altero circumcurrente; ita cor Chriſtiani caritate poteſt eſſe affixum Deo, dum pedes, manus, oculi negotia conficiunt: unica pia oblatio, & aſpiratio hos labores meritorios reddit, ita ut æterna mercede coronentur. ( Vide Corn. a Lap. Eccli. 47. v. 10. Item Eccli. 33. v. 24. ) 4. Certum eſt, quod homo Chriſtianus his quotidianis non debeat eſſe contentus, ſed interdum ad altiora aſſurgere, monente Apoſtolo: *Sic ambuletis, ut abundetis magis.* Sicut Beatiſſima Virgo ultra debitum Legis ſe humilians purificationem in templo ſubiit: Et Divinus Redemptor, qui uno halitu, aut una ſanguinis guttula hominem redimere potuiſſet, ſanguinem omnem cum vita profudit; ita homo Chriſtianus his exemplis animatus ſupererogatoriis operibus Deum venerari, & adorare debet. Vide Tit. Bona Opera. Item P. Segneri Manna 2. Martii n. 3.

*Beatiſſimæ Virgini accendendæ candelæ, & commendandæ.*

2. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Joan.* 2. In terra ſancta quatuor leucis ab Urbe Hieroſolymitana, oppidum eſt, dictum Ochi,



Ochi, ubi pius Eremita ſpecum incoluit: hic Deiparæ ſtatuam quam ſecum habuit, & pie venerabatur, dum ipſe ſubinde ad ſacra loca viſenda proficiſceretur, cereum accendere, ejuſque curam Deiparæ commendare ſolebat. Et ecce! reverſus domum, cereum ſemper accenſum reperit, nec minima ſui parte conſumptum, prout teſtatur Sophronius. Dilectiſſimi, dum hodie feſtum eſt candelarum, vellem, ut quatuor candelas, quarum uſum Eccleſia ad utilitatem animæ noſtræ admittit, & approbat, in memoriam revocare, eaſque ſemper arſuras ſanctiſſimæ Purificatæ Virgini commendare ſtudeatis. Quænam ſunt hæ quatuor candelæ; Percipite! 1. Eſt candela, quæ nobis in Sacramento Baptiſmi in manus tradita eſt, una cum verbis his: Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum, ſerva Dei mandata! hujus candelæ memoriam ſemper conſerva, mi Chriſtiane, ſemper animo recole, quid Deo ibi promiſeris, obſerva mandata Dei, tentationibus oppone hoc lumen fidei, & ſi forte, quod Deus avertat; peccati nocte extinctum ſit, pœnitens recurre ad Beatiſſimam, rogans, ut illud in te reaccendat, & perpetuo conſervet. ( Vide Tit. Patrocinium B. V. ) 2. Eſt candela benedicta, quam in tempeſtatibus & tonitruis accendere ſolemus. Hanc, mi Chriſtiane, in periculis & tribulationibus, dum irato Numine, pœnæ peccatorum vindices ingruunt, ſingulariter Beatiſſimæ Virgini commenda, & ſub ejus præſidium confuge, quia eſt refugium peccatorum. ( Vide Tit. Patrocinium B. V. in neceſſitatibus temporalibus. ) 3. Eſt candela mortualis, quæ agonizantibus in manus traditur: hic ſingulariter roga Beatiſſimam, ut illa nocte triſtitiarum cum tota æternitate luctanti feliciter tibi luceat. Gratulare etiam ſeniculo Simeoni, quod cantum mortualem: *Nunc dimittis Domine &c.* in præſentia Mariæ exorſus ſit; quia non eſt felicior mors, quam in præſentia Deiparæ. ( Vide Tit. Patrocinium B. V. in morte & judicio. ) 4. Denique ſunt candelæ, quæ poſt mortem pro defunctis accenduntur. Tu Beatiſſimæ humiliter ſupplica, ut dum hæ flammæ piaculares pro te ardent in terris, illa tibi in purgatorii flammis a Divino Filio impetret refrigerium & æternam quietem in cælis. ( Vide Tit. Patrocinium B. V. erga animas purgantes, &c. ) Id omne ſi impetremus hodie, poſſumus cum Eccleſia in Introitu Miſſæ lætanter cantare: Suſcepimus Deus Miſericordiam tuam in medio templi tui! Maria enim eſt templum Spiritus Sancti, & Mater Miſericordiæ, &c.

Sophron. in Prato Spir. c. 180.

*Omnes hominum ſtatus in templum confugiant ad Jeſum & Mariam.*

3. *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Joan.* 2. In hodierno Evangelio erudiuntur omnes Chriſtiani, quo refugium ſuum & auxilium quærere debeant, ut obligationibus muneris ſui & ſtatus coram Deo & conſcientia ſatisfaciant. Ita annotat Dionyſius Carthuſianus: *Quoniam hodie in templo facta eſt purificatio a Jeſu, Maria, Joſeph, Simeone, & Anna, decet, ut & nos proceſſionem cum ardentibus cereis inſtituamus.* Eundem in ſenſum loquitur Richardus, ſuper illa verba: *In Jacob inhabita, in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices*, ubi ait: Per Jacob intelliguntur conjugati, per Iſrael Viduæ, per Electos Virgines. ( Vide Mich. a Calvo conc. 11. §. 3. n. 7. ) Nos igitur ſingillatim per omnes procedamus! 1. In Sancto Joſeph conſideremus conjugatos! Quod Principes ac Magiſtratus in tota provincia, id agere iſti tenentur in domibus privatis: quoad ſeipſos tenentur prælucere bono exemplo, quoad filios tenentur illos a pueritia in fide inſtruere, quoad filias abſtrahere a vanitate & luxu, quoad famulos & famulas impedire familiaritates ſuſpectas & peccata, &c. ( Vide Tit. Conjugati. ) 2. In Sancta Anna conſideremus Viduas: His ſuadet S. Paulus Apoſtolus orationem tanquam ſolatium in omnibus adverſis, quia eſt ſtatus perſecutionis & afflictionis. ( V. Tit. Status Vidualis. ) 3. In Beatiſſima Virgine Dei Genitrice Maria conſideremus Virgines! quanta modeſtia illæ ſolitudinem amare, conſortia hominum mundanorum fugere, & theſaurum puritatis Deo, & Angelis æſtimabiles conſervare teneantur. ( Vide Tit. Caſtitas, Virginitas. ) 4. Denique in Simeone conſideremus ætatem ſenilem, & perpendamus, quomodo delicta totius vitæ deplorare, & ad mortem ſe præparare debeat, cantilena illa: Nunc dimittis Domine ſervum tuum &c. Qua ratione autem hi omnes ſuæ obligationi ſatisfacient? ſatisfacient, ſi de præterito dies purgationis obeant, & de futuro aſcendentes in templum Jeſum ſecum habeant! &c.

Dionyſ. Carthuſ. Ser. 1. de Purif.

In

## In Feſto S. Mathiæ Apoſtoli.

*Peccatum libere committitur, quia ejus gravitas non cognoſcitur.*

1. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth.* 11. Superbus Lucifer, ſicut initio ſtatim voluit eſſe ſimilis Altiſſimo, ita hodiedum operum Dei æmulator exiſtit, adeo, ut adagium invaluerit: Non eſt Eccleſia, cui diabolus non adjungit capellam! appropinquat ſacrum tempus jejunii quadrageſimalis, & ecce! diabolus præmittit ferias Saturnales, in quibus petulans juventus tot centuplicat peccata mortalia, quot deinde ſequuntur jejunia! Editur, bibitur, luditur, ſaltatur, & nemo non putat, hoc tempore plus quam alias eſſe licitum, & in Decalogo eſſe diſpenſatum. Clamat Chriſtus invitans, *jugum meum ſuave eſt*, ſed ſubnectit diabolus, *onus meum leve*! pauciores ſunt, qui ſequuntur Mathiam prædicantem, quam Judam peccantem, ſic Chriſtus iterum crucifigitur! quæ cauſa hujus impudentiæ? inter alias illa certe eſt, quia nemo ſatis conſiderat, quam grave, & enorme malum ſit peccatum! Loquamur de gravitate peccati! felicem me, ſi vel unicum poſſem impedire! 1. Peccatum eſt tranſgreſſio Legis, ſumma temeritas & injuria, qua vilis homuncio ſe opponit Divino Legislatori, & creaturam præhabet creatori, minas, ac pœnas Divini Judicis non curat. (V. Barz. Serm. 29. n. 22.) 2. Solum vere malum eſt, quia paupertas, morbi, perſecutiones, quas mundus mala vocat, poſſunt eſſe materia meriti & promotio ad æternam felicitatem: peccatum autem me privat ſummo bono, nimirum Deo. (Vide Barz. Serm. 5. num. 7. & ſeq.) 3. Creſcit malitia peccati ex eo, quod fiat in conſpectu Dei omnia cernentis; & hæc injuria tam ægre dolet Deo, ut vellet, ſi poſſet, cedere ſuam immenſitatem, ne omnia peccata intueri cogeretur. (Vide P. Segneri p. 2. diſc. 1. n. 11.) 4. Et hæc injuria peccati jam longe gravior eſt poſt paſſionem, & mortem Chriſti, quam contemnit: quæſo ſi quis tibi vellet auferre, quod paulo ante caro pretio emiſti, nonne de hac injuria ad judicem provocares? quanta ergo injuria eſt, quod homo ſe Deo, a quo pretioſo ſanguine redemptus eſt, per peccatum velit ſubtrahere? *An neſcitis, quia non eſtis veſtri?* (Vide P. Segneri p. 2. Diſc. 2. n. 19.) 5. Quod autem enorme, & mille infernis digniſſimum, illud eſt, quod peccator, ſaltem virtualiter, Deo velit eripere Divinitatem; nonne enim, dum peccat, vult, ut Deus ſuum peccatum vel non agnoſcat, vel punire non poſſit, vel non velit. Si Deus non agnoſcit peccatum, non eſt omniſcius, ſi punire non poſſet, non eſt omnipotens, ſi punire non velit, non eſt ſanctus, conſequenter nec Deus! En, quod peccare idem ſit, ac velle, Deum non eſſe Deum! Quis non exhorreſcat? V. Tit. Peccatum.

*In Deo ſolo ponenda fiducia, non in mundo, carne, dæmone.*

2. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth.* 11. Evanidi peccatores, qui ſe ſibi, non Deo vivere putant, vario modo dividunt ſua deſideria: aliqui Mundum, ejuſque vanitates ſectantur, alii carnem, ejuſque voluptates ampleſtuntur, alii denique diabolo promittenti aures animumque præbent. Quam ergo mercedem Mundus, caro, dæmon ſuis amatoribus præbent? Audiamus effatum S. Bernardi: *Mundus clamat, ego deficiam: caro clamat, ego inficiam: diabolus clamat, ego decipiam: Chriſtus vero dicit, ego reficiam!* Operæ pretium eſt, ut trimembri oraculo Melliflui inhæreamus! &c. 1. Sunt vanitatis troſſuli, qui præſentibus mundi nugis inhærentes & de futuris nihil cogitantes, tum demum beatos ſe credunt, cum inter honores & divitias vita longæva fruuntur, & omnia ſua deſideria ac conatus proſpere ad ſua vota ſibi ſuccedere vident. Sed tandem venit dies, & hora, qua hæc omnia, velut ſomnium diſparent, & *Mundus clamat, ego deficiam!* (V. Tit. Mundus.) 2. Sunt Veneris mancipia, quibus nihil cordi eſt, niſi illud, amare & amari, tantoque amoris glutine ſibi cohærent, ut nec monitis, nec minis divelli ſe ſinant: interim, utut mordeat conſcientia, multiplicantur peccata, habitus vitii augetur, ut tandem incorrigibilis fiat, & illi coram mundo infames, atque anima turpiter fœdati coram Deo Judice comparere contremiſcant, tunc *clamat caro, ego inficiam!* (V. Tit. Luxuria.) 3. Sunt increduli, aut incurii, qui viam cæli ſibi ipſis applanant, & duplici beatitudine ſe hic & ibi frui poſſe exiſtimant, dicentes: multa licere, quæ prohibita dicuntur, malitiam peccati non eſſe adeo gravem, Miſericordiam Dei eſſe longe majorem, Chriſtum non minus mortuum eſſe pro peccatoribus, quam pro juſtis, & quæ ſunt ſimilia. Sed quid in morte? ibi lugent, ejulant, deſperant, & *Diabolus* detracta larva *clamat, ego decipiam*, ſeu potius, ego decepi. (V. Tit. Dæmon.) 4. Quid ergo conſilii? Dilectiſſimi, cauti eſtote contra hos deceptores! Mundus, caro, dæmon ſunt principes tenebrarum, nolite confidere in his principibus! Deſpicite tranſitoria omnia, quæ deſinunt, & ad Deum confugite! ille ſolus eſt veraciſſimus, fideliſſimus, & omni amore digniſſimus, & veniet tempus, quo verificabitur illud: *Chriſtus vero dicit, Ego reficiam, &c.*



*Jugum Mundi gravius, quam Chriſti.*

3. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Sine dubio, mi Domine Deus, jugum tuum, ad quod invitas, non cogis, ſuave eſt, quia per caritatem & gratiam tuam mirum quantum leve, ac dulce redditur! Verum id vellem ſcire, an idem famulis ſuis dicere poſſent mundus, caro, dæmon, qui voluptates ſuas, velut alterum cælum extollunt? Videamus! 1. Qui viam ſpatioſam, quæ ducit ad interitum, roſis ſtratam ſaltando & exultando percurrunt, graviori jugo premuntur, quam qui viam arctam mandatorum, ſpinis conſitam inambulant. (V. Barz. Serm. 39. n. 13. & ſeq.) 2. Navarchus ingentem cetum pro inſula habens, deluſus a piſce audire debuit, nihil habeo ſtabile: ita mundus illudit ſuis: propter unum errorem, millena obliviſcitur ſervitia: puer Amalecita in ægritudine deſeritur. 3. Quantis deceptionibus obnoxius eſt amor carnalis? Jacob ſeptem annis ſervit pro Rachele, & dein recipit Liam. Joab putavit Amaſam eſſe optimum amicum, & dein ſub ſpecie amplexus ab illo confoditur. 4. Quid non moleſti patitur ſuperbia? Pambus Monachus videns feminam compte veſtitam flevit, cauſam rogatus repoſuit: fleo, quia tot ac tanta non facio pro Deo, quanta hæc mulier pro vanitate &c. 5. Quid non patiuntur ambitioſi? Amman, dum alii dormiunt, noctu vigilat, nequis ſibi vel de nocte gratiam regis furetur. Duo Aulici apud S. Auguſtinum, deplorant labores ac moleſtias, quas pro amicitia Imperatoris ſufferre debebant, ſubjungentes: Amicus autem Dei, ſi voluero, jam nunc fio! (V. Speranz. punct. 31.) rits omnibus accedit mala conſcientia, tormentum & crux ſiniſtri latronis. (V. Speranz. punct. 160.) Verbo omnia tot ac tanta ſunt tormenta ac moleſtiæ mundanorum, ut ſi vel dimidiam partem paterentur pro Deo, poſſent Sancti fieri, cum tamen nunc cum omni ſua paſſione vadant ad infernum. Vide Tit. Mundus, premit graviori jugo, quam Chriſtus &c.

## In Feſto S. Joſephi Sponſi B. V. Mariæ.

*De Sancti Joſephi patrocinio implorando.*

1. *Ite ad Joſeph, & quidquid vobis dixerit, facite.* Fideles ſubditi in ærumnis & afflictione conſtituti, cum ad ipſum regale ſolium comparere non audent, ordinarie ad primarium Aulæ Miniſtrum, meritis & dignitate ſuper ceteros conſpicuum accedunt, eumque cauſæ ſuæ interceſſorem & Patronum coram Throno Regis & Reginæ orant: Talis primarius aulæ Miniſter fuit olim Joſephus Ægyptius, de quo Rex Pharao ſupplicibus ſubditis reſpondere ſolebat: *Ite ad Joſeph!* Nunc autem in lege gratiæ eſt S. Joſephus Jeſus Chriſti nutritius, & Sponſus Virginis Mariæ. Non eſt in cælis Sanctus majoris meriti & dignitatis; igitur, qui in ſuis neceſſitatibus Regi Regum libellum ſupplicem porrigere cogitat, per Sanctum Joſephum Interceſſorem id agat; quia maximi eſt meriti & dignitatis! Audiamus, quomodo! 1. Magnus coram Deo fuit in ſanctitate, & virtute S. Joſephus, quia ſicut Abraham fidelis, David pius, Daniel prudens, Moyſes manſuetus; ita ille in Scripturis dicitur Juſtus, *Joſeph autem cum eſſet juſtus*: Quare hoc prædicato laudatur? Reſpondet S. Hieronymus: *Propter omnium virtutum perfectam poſſeſſionem.* Etenim Divina Providentia illum ex toto humano genere elegit in Sponſum Sanctiſſimæ Dei Matris; cum ergo inter ſponſos primo omnium deſideretur æqualitas, conſectaneum eſt, illum præ ceteris omnibus Intemeratæ Virgini ſanctitate fuiſſe proximiorem. Hanc ſanctitatem magis magiſque excoluit per præſentiam, & conſortium Divini Filii: hunc ulnis geſtare, baſiare, cordi apprimere pro libitu, eique dicere potuit: Filius meus es tu! &c. 2. Magnus coram Deo fuit S. Joſephus dignitate, & officio; quia Dominus conſtituit eum ſuper familiam ſuam, ſuper familiam reve-

revera in toto mundo primariam ac principalem, quæ ordinabatur ad unionem hypoſtaticam, & humani generis redemptionem: *Conſtituit eum ſuæ Matris ſolatium*, ait S. Bernardus, *conſtituit ſuę carnis nutritium, conſtituit ſolum in terris magni conſilii coadjutorem fidiſſimum, &c.* 3. Magnus fuit coram Deo S. Joſephus in tribulatione, qua ordinarie Deus amicos ſuos probat, eoſque tanto magis amat, quanto magis ſuæ Crucis participes reddit. Etenim triſtitias ingentes & tribulationes paſſus eſt S. Joſeph, dum a Virgine prægnante recedere cogitabat, dum pauperes cunas Divini infantis, eiuſque primam poſt octiduum ſanguinis effuſionem aſpexit: dum infanticidæ tyrannidem fugit, dum denique Jeſum, & in hoc omnia ſe perdidiſſe putabat. Dum igitur S. Joſephus coram Deo tam magnus fuit in ſanctitate, in dignitate, in tribulatione, confidite, Dilectiſſimi, non denegabit vobis Deus gratiam, quam rogatis, ſi S. Joſephi patrocinium, & interceſſionem imploretis! &c.

*S. Joſeph Patronus beatæ mortis.*

2. *Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph. Matth.* 1. Petat mea pace unuſquiſque ex populo præſenti, petat gratiam a S. Joſepho, quam velit, divitias, honores, valetudinem, vitam longævam & alia! Ego puto, & ſuadeo, ante omnia alia petendam eſſe beatam mortem, quæ eſt gratia gratiarum maxima, & omnium felicitatum coronis. An impetrabimus hanc gratiam? non dubito! S. Joſephus eſt Patronus Bonæ mortis, & ipſe hanc gratiam habuit, quod in morte ſua Jeſum & Mariam habuerit præſentem. Præterea Dei Filius, & Dei Mater ipſi obſtrictiſſimi ſunt, quos non una vice prærnaturæ morti eripuit, conſequenter illi, quod rogabit, denegare non poterunt. Audite probationem. 1. Sanctus Joſephus a morte præſervavit Beatiſſimam Virginem; cum enim illam fœcundam intueretur, perplexus & anxius voluit illam deſerere, quo caſu certe Beatiſſima, Viro deſtituta, a Judæi adulterii rea, & lapidata fuiſſet. Verum ab Angelo in ſomno monitus, & altiſſimum incarnationis myſterium edoctus, perrexit officium Sponſi ſuſtinere, & ſic innocentiſſimam Virginem contra mortis ſupplicium protexit, &c. 2. S. Joſephus a morte præſervavit Chriſtum Dei Filium, cum enim crudeliſſimus infanticida, in innocentes puerulos, quorum quatuordecim millia occidiſſe fertur, ſanguinolento gladio graſſaretur, ille Divinum infantem in ulnas ſumpſit, atque cum eo, & ſanctiſſima Matre in Ægyptum profudit, nec inde reverſus eſt, donec extincto Herode pax & tranquillitas rediit, &c. 3. S. Joſephus Chriſtum & Mariam a morte præſervavit, dum illos ſuo labore & ſudore veſtivit, & nutrivit, alias frigore, fame, & rerum omnium inopia interituros, &c. Cum igitur Jeſus & Maria vitam ſuam S. Joſepho debeant, quos contra mortem defendit, non poterunt illi beatæ mortis denegare gratiam, quam pro clientibus ſuis rogabit. Verum, mi Chriſtiane, ex parte tui requiritur, ut cooperetis, Jeſum & Mariam ſemper in corde conſerves, & nullo unquam peccato offendas! &c.

*S. Joſephus Patronus conſervandæ caſtitatis.*

3. *Joſeph autem Vir ejus cum eſſet juſtus. Matth.* 1. Juſtitia, qua Sponſus Virgineus Joſeph, vocatur juſtus, hic dicit complexum omnium virtutum, conſequenter etiam Virginitatis, & caſtimoniæ, quæ virtus eſt prorſus Angelica; Virgines ſequuntur Agnum quocunque ierit, habent nomen Dei in frontibus ſuis, cantant canticum novum coram Deo, amantur præ ceteris a Chriſto, qui in adulta ætate noluit venire in mundum, ut eſſet filius intemeratæ Virginis. Audiamus, quibus remediis nobiliſſima virtus conſervari debeat, quæ rara eſt in terris, & millenis periculis obnoxia. 1. Neceſſe eſt, ut caſtitas prima ſtatim initia impudentiæ averſetur. Joſephus ad primam vocem mulieris exhorruit, pallium reliquit, contagium judicavit, ſi diutius moraretur, &c. 2. Metu & fuga ſe cito ſurripiat; aliter enim cum Goliath, aliter cum Bethſabæa certandum eſt, ibi pugna, hic fuga. 3. Caveat evagationes, familiaritates, & curioſitates: quam infelix fuit Dina Jacobi filia ſua curioſitate! 4. Studeat mortificationi; ſine pœnitentia enim, & aſperitate vitæ, prout S. Carolus Borromæus ſcripſit ad quemdam Cardinalem, impoſſibile eſt ſervare caſtitatem. (Vide Tit. Caſtitas, Virginitas.) Sed quoniam tanta eſt difficultas conſervandæ caſtitatis in hoc ſæculo, ut ajat quidam ex SS. Patribus: Majus eſt miraculum de carne propria triumphare, quam immundum ſpiritum ex corpore alieno ex-

ej-



pellere, hodie tibi ſuadeo, Innocens Virgo, ut caſtitatem tuam S. Joſepho cuſtodiendam conſignes! pingitur ille cum liliis in manu: lilium habet tres colores, quibus triplex caſtitas Chriſtiani ſignificatur, corporis, animæ, & intentionis. Hanc caſtitatem quotidiana devotione commenda S. Joſepho, &c. Vide Barz. Serm. 25. num. 32.

## In Feſto Annuntiationis B. V. Mariæ.

*Maria perditam gratiam pro nobis invenit.*

1. I*Nveniſti gratiam apud Dominum. Luc.* 1. Quanto pretioſius eſt aliquod bonum, tanto majori ſolicitudine & induſtria conſervari, & cuſtodiri ſolet, cum in morem, quo aureus calix majori cum ſecuritate in ciſta ferrea concluditur, quam ſtanneus. Cum igitur Gratia Dei ſit Bonum præſtantiſſimum, utpote ſupernaturale, tranſcendens omnia mundi bona ac dona: inſuper ſuperans omnium Principum favores, ſceptra & coronas; quia eſt participatio Divinitatis juxta illud Petri: *Ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ*, ſine dubio illa præ omnibus regum theſauris, maxima cum ſolicitudine, timore, & amore conſervanda eſt. Quodſi cæleſtis hic theſaurus per peccatum perditus ſit, quid tunc agendum? Dicam, quid agendum! Attendite! Perdere, quod bene notes velim mi Chriſtiane! perdere per peccatum gratiam Divinam, infeliciſſimum infortunium eſt, quod integro lacrymarum mari deplorari haud ſatis poteſt! una enim cum gratia perdidiſti omnium operum bonorum merita hactenus collecta! perdidiſti caritatem & amicitiam Dei, omnibus mundi regnis æſtimabiliorem! perdidiſti jus ad cæli gloriam & animæ ſalutem! perdidiſti filiationem & hereditatem Dei, & deſinis eſſe coheres Chriſti pro te paſſi ac mortui. Sancti Angeli, ſi flere poſſent, amariſſime huic jacturæ ac infortunio illacrymarentur, &c. 2. Sed quid agendum modo, quomodo compenſanda jactura, & recuperandus theſaurus? Agenda eſt pœnitentia, non qualiſcunque, ſed ardua, auſtera, in mille lacrymas effuſa! lugendum eſt, triſtandum eſt, & ſine fine imploranda Miſericordia. Inſuper, ut ſpes tua impetrandæ veniæ magis firmetur, profundiſſima cum humilitate accede ad Miſericordiæ Matrem Mariam, de qua dicit hodiernum Evangelium: *Inveniſti gratiam apud Dominum!* qui rem perditam invenit, tenetur illam reſtituere: roga ergo Dei Genitricem, ut gratiam, quam perdidiſti, interventrix tibi reſtituat. Nec gratis id rogabis; Maria enim dignitatem Divinæ Maternitatis nobis miſeris peccatoribus debet: *Propter peccatores, ſcilicet me, meique ſimiles*, ait S. Anſelmus, *facta eſt Mater Dei*; quia ſi Adamus, & nos in Adamo non peccaſſemus, nec Dei Filius Homo, nec Maria Dei Mater facta fuiſſet. (Vide Speranz. de Paſſ. Dom. punct. 32.) Præterea Mater Dei eſt ditiſſima, quia theſauraria cæleſtium gratiarum, quas pro libitu diſpenſare poteſt. (Vide Speranz. ibid.) Ita ut ajat S. Epiphanius: Donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit: dotis vero gratia cælum una cum paradiſo: ergo cum ſit ditiſſima & nos pauperrimi, cæleſtes gratias in nos libenter effundet. (Vide Bonheiba Dom. 3. Quadr. Sabbat. num. 35.) Ab illa omnes accipiunt, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, Angelus lætitiam, Trinitas gloriam. (Vide Speranz. ubi ſupra.) O Maria refugium peccatorum, miſerere, &c.

*Mariæ nomen efficax contra afflictiones animi.*

2. *Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum. Luc.* 1. Inſolita cæleſtis Paranymphi ſalutatio haud exiguam in animo illibatæ Virginis perplexitatem cauſavit, quia ſanctiſſima prima ſtatim fronte capere non poterat, quomodo intemerata Virginitas, quam Deo voverat, cum Maternitate Divini Filii combinari poſſit. Turbata eſt! mente confuſa eſt! Quid Angelus? ſtatim Nomine illam compellans, hæc verba ſubnexuit: *Ne timeas Maria!* cur non dixit, ne timeas Virgo, ne timeas Dei Mater? quia ſolari illam, & erigere in perturbatione voluit; non enim eſt efficacius remedium contra deſolationes, & anxietates animi Nomine MARIÆ. Agite, veneremur hoc ſanctum Nomen, & conſideremus, quam utile & ſalutare ſit Juſtis, & peccatoribus! 1. Mariæ Nomen hominibus juſtis eſt teſſera ſalutis: Piſces in diluvio non perierunt, quare? quia in mari fuerunt conſervati propter æqualitatem Nominis Mariæ: *Congre-*

gati»

*gationes aquarum vocavit Maria!* Vide Barz. ſerm. 82. n. 2. & ſeq.) 2. Mariæ Nomen eſt ſalutare peccatoribus; S. Bernardus audet quinque litteras Mariani Nominis comparare quinque ſacris vulneribus, additque: *Si ingenti peccatorum multitudine turbaris, Mariam invoca, & quietaberis.* (Vide Calamat. Mar. Diſc. 5. f. 84.) 3. Mariæ Nomen potens eſt contra tentationes; in Canticis ſub figura terribilis exercitus proponitur, qui ad pugnam inſtructus hoſtes repellit, ubi Cardinalis Hugo addit: *Ad ejus memoriam dæmones contremiſcunt* (Vide Calamat. Mar. Diſc. 5. f. 85.) Sic in omnibus adverſis Mariæ Nomen potens eſt auxilium. Sed illud maxime advertendum, ut reverenter tractetur, præſertim per æmulationem puritatis: Non ſine myſterio in illo textu dicitur, *Et Nomen Virginis Maria.* Cur non dicitur, Nomen Matris &c. Quia hæc duo ſemper conjungenda ſunt *eſſe Virginem, & vocari Mariam.* Vide Paoletti in feſto Nativ. n. 18. &c.

*Peccatores pro impetranda venia ad Mariam confugiant.*

3. *Inveniſti gratiam apud Dominum. Luc.* 1. Utinam Chriſtiani omnes, & præſertim Chriſtiani peccatores revera agnoſcerent gravitatem peccati mortalis, quo Deus O. M. injurioſiſſime offenditur! In quo ergo offenditur Deus? Ecce, infelix homo, dum peccas, contemnis Legem Dei, contemnis voluntatem Dei præcipientis, contemnis dominium & auctoritatem prohibentis, contemnis Miſericordiam dehortantis, contemnis juſtitiam comminantis. Præterea ſummam ingratitudinem ſpiras erga Deum, cujus ſervitio te totum debes propter Beneficium creationis, conſervationis, & Redemptionis! Vilipendis Paſſionem Dominicam, qua Redemptor tuus vitam, & ſanguinem pro te dedit, atque in ejus injuriam de novo in ſervitutem diaboli, inimici tui crudeliſſimi te redigis! Eheu! enormia mala! quid modo agis? an veniam facile ſperas? Dubito ego! quamvis enim Miſericordia Dei ſit infinita, non tamen infinitæ ſunt miſerationes ejus! Quæris, an ergo deſperabo? Non ita! ſuadeo tibi, ut aſylum quæras apud Miſericordiæ Matrem, quæ eſt refugium peccatorum! ſi contritione, qua decet, maxima ſub illius præſidium confugias, ſpero, non feres repulſam. 1. Quia Maria eſt Inventrix gratiæ: *Inveniſti gratiam!* 2. Quia ipſamet invitat peccatores: *In me gratia omnis viæ, & veritatis, Ego Mater pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis.* 3. Sicut Rebecca non tantum famulo Eliezer, ſed & jumentis illius potum dedit; ita Maria non tantum juſtis, ſed & peccatoribus fontem gratiarum aperit, & ſicut Abigail Davidi aquam dare voluit ad lavandos pedes; ita Maria peccatoribus impetrat aquam lacrymarum. 4. Si dicis, timeo iram Dei offenſi! Confide! hanc etiam placat Maria, & manum cohibet Filii ferire volentis, prout ipſe Chriſtus Dominus faſſus eſt Divæ Birgittæ: *Niſi Matris meæ preces intervenirent, non eſſet ſpes Miſericordiæ!* &c. Huc igitur confuge, miſer peccator, corde contrito, & humiliato patrocinium Dei Matris implora! ſpero, quod tibi futura ſit propitia, uti fuit Theophilo, & aliis peccatoribus! ſed non ſine tua emendatione; deploranda ſunt peccata, fugiendæ occaſiones, tollendæ familiaritates; quia cum Beatiſſima dixit Sanctæ Birgittæ: *Ego ſum Mater peccatorum!* ſtatim ſubjunxit: *Emendare ſe volentium!* V. Tit. Patrocinium. B.V. erga peccatores, &c.

## In Feſto S. Georgii Martyris.

*De æſtimatione gratiæ & amicitiæ Dei.*

*Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Jo.* 5. Sicut palmes dependet a vite; ita homo a Deo! vitis communicat palmiti totum ſuum eſſe, ſuccum, folia, fructus: ita Deus confert homini vitam corporis & animæ, animæ cum memoria, intellectu, voluntate & omnibus potentiis: corporis cum viſu, auditu, odoratu, guſtu & omnibus ſenſibus. Quid ſequitur? illud ſequitur, quod ſicut palmes ſe totum debet viti, ita homo ſe Deo, ita ut ejus gratiam, amicitiam ac benevolentiam ſupra omnia bona totius mundi amare & æſtimare debeat. Proſequamur comparationem! 1. Vitis non indiget palmite; ſi abſcindatur, illa ſemper vigorem ſuum retinens alium atque alium progerminare poteſt, palmes autem perit, & nihil retinet priſtini vigoris, nihil eſt, quod illum defendere poſſit contra nimbos, nives & procellas. Ita Deus non indiget homine, nec quidquam boni ab illo recipit. *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fuerit?* Interrogat Job. Revera Deo nihil prodeſt, perierunt milliones Angelorum, perierunt milliones hominum! & quid Deo defecit? Nihil! in ſeipſo felix eſt infinite, & felix erit in omnem æternitatem. 2. Vitis non tantum in palmites transfundit ſuccum vitalem, ſed illi actu ipſo dat virtutem producendi fructum: ita Deus facit vi gratiæ; dum nobis ineſt, non ſolum tribuit poſſe operari, ſed etiam velle operari fructus vitæ æternæ: unde Chriſtus tanta cum emphaſi hic dixit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Quid gloriaris mi Chriſtiane dicens: Ego hanc orationem fudi, ego hanc eleemoſynam diſtribui, ego hunc actum amoris elicui! non eſt ita! Deus in actionibus omnibus tuis, ut ita dicam, ſalvo libero arbitrio & auctor eſt cauſæ, & effectus, &c. 3. Vitis, quamvis ut cauſa principalis uvarum fructus ſibi vindicare poſſit, tamen hujus gloriæ etiam palmitem participem facit; ita amor, quo nos complectitur Deus, vult dona ſua eſſe merita noſtra, cupit illa nobis imputari, ut inde laudem, mercedem, & coronam referamus. Quis non amet gratiam & amicitiam Dei Optimi Maximi, qui dona ſua noſtra facit, ut nos gloria ſua ſibi ſoli debita coronet? &c. Vide P. Segneri Manna an. 7. Octobr. &c.

*Quomodo quilibet Chriſtianus Miles Chriſti eſſe debeat.*

2. *Labora ut bonus miles Chriſti.* 2. *Tim.* 2. Tribus modis poteſt quilibet Chriſtianus dici Miles Chriſti: Primo, quatenus pugnat contra Tyrannos, & hoc ſenſu quilibet Martyrum fuit miles fortiſſimus. Secundo, quatenus pugnat contra errores, ſic milites ſunt Doctores Præcones Verbi Divini, & alii ſimiles, qui ſemper ſunt intenti, ut configant nova hæreſum monſtra contra Eccleſiam conſurgentia. Tertio, quatenus pugnat contra proprias cupiditates, atque adeo contra tres illos hoſtes, mundum, carnem & dæmonem. Credes forſan ex his tribus militiæ generibus ſolum tertium ad te pertinere, quod commune eſt omnibus? Non eſt ita! omnia tria ſunt cuivis propria, etſi non ſemper occaſio in omnibus tribus certandi occurrat. Videamus quomodo? qua ratione? 1. Apoſtolus non dicit: *Certa, ſicut bonus miles Chriſti*, ſed *labora*, quia non ſemper eſt occaſio certandi, ſed ſemper occaſio & neceſſitas laborandi. Boni milites nunquam ſunt otioſi, ſed etiam durante pace ſe exercent ad pugnam. Idipſum Chriſtianus agat; etſi non adſint modo tyranni contra quos vires ſuas oſtentet, debet tamen imitari Martyres ſaltem ſimulacro certaminis. Idcirco firmam ſemper conſervet fidem, quaſi neceſſe foret illam fortiter ſuſtinere coram publico tribunali: aſſueſcat contemnere vitam, quaſi eſſet immolanda pro Chriſto: diſcat mortificare corpus, quaſi nudum debeat exponere carnificum lanienæ. Hoc eſt præludium, quo ſi non pertingas ad martyrium, ſaltem aſpiras, &c. 2. Quamvis nunquam forſan occaſio futura ſit, ut pugnes contra errores, & monſtra hæreſum; nihilominus ut bonus Chriſtianus, quantum fieri poteſt, comparare tibi debes dexteritatem refutandi hæc monſtra, quæ quotidie conſurgunt contra Evangelii veritates. Perpende, quæ dictamina hodie dominentur in ipſis cordibus populi Chriſtiani, ita ut pudor ſit condonare inimicis injuriam, crebro confiteri, ſacram Synaxin frequenter ſumere, & quæ ſunt alia! qua ratione igitur excuſabis, ſi in promptu non habeas ſcientiam ſaltem in his caſibus dejiciendi altitudinem ſe extollentem adverſus ſcientiam Dei, &c. 3. Quamvis Mundus, caro, & dæmon adverſarii noſtri pacem interdum indulgeant, nihilominus excubandum eſt Chriſtiano Militi ad venturum certamen. Solent ſubinde verſuti hi hoſtes ſimulare inducias ad inducendum ſoporem, unde ſi unquam tempus eſt ſtandi magis ſolicitum, illud eſt, quo te putas maxime ſecurum, &c. Vera igitur eſt militaris regula, ita tueri arcem, quaſi exercitus jam ſtaret ad mœnia. *Labora ſicut bonus miles Chriſti!* V. P. Segneri Manna an. 20. Maji, &c.

*Qua ratione oratio efficax fieri debeat?*

3. *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Luc.* 11. Quamvis Deus in ſe feliciſſimus ſit, ita, ut nullius creaturæ obſequio indigeat; tamen adeo liberalis eſt, ut dona ſua, & divitias petentibus offerat, imo vero nos ipſos ad petendum excitet, inquiens: *Petite, & accipietis.* Cum igitur his diebus publicæ ſupplicationes & orationes in Eccleſia celebrentur, modum orandi, & flectendi Deum, qui ſub ipſis his vocibus continetur, explicabo. 1. *Petite*, ſed humiliter, devote,

voce, attente, ac cunctanter, ſine deſperantia: quamdiu fluvius intra limites alvei conſtrictus placide fluit, limpidas aquas trahit. Cum autem evagatur, factus rapidior, limum & ſordes colligit. Ita oratio. Quodſi illud Petite non ſufficiat ad exorandum Deum. 2. *Quærite*, id eſt, ſocios adhibete Sanctos, qui modum commovendi Deum dudum invenerunt, quales ſunt S. Angelus Cuſtos, Patroni nominis, Patriæ, aut Eccleſiæ, præcipue Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ. Proderit & preces conjungere cum aliis fidelibus, quia vis conjuncta fortior. Quodſi Deus necdum exaudiat. 3. *Pulſate*, id eſt, precibus adjungite eleemoſynas, jejunia, mortificationes, aliaque pia opera; in his enim conſiſtit illa importunitas, ſeu improbitas, propter quam amicus etiam noctu ſurget, & dabit amico pulſanti panes neceſſarios, prout aſſerit in parabola Chriſtus, &c.

## In Feſto Aſcenſionis Domini.

*Qui aſcendere vult cum Chriſto, a vitiis immunis ſit.*

1. A*ſſumptus eſt in cælum, & ſedet a dextris Dei. Marc.* 16. Delirat Mundus, dum aliam ſibi viam in cælum quærit præter illam, quam Chriſtus præivit! ſunt, qui ſibi perſuadent, ſe poſſe hic gaudere cum ſæculo & ibi regnare cum Chriſto, & ideo per omnem vitam deliciis, divitiis, & vitiis plena cum voluptate fruuntur, putantes, cum ad mortem deventum fuerit, propter unicum cordis ſuſpirium ſibi portam cæli ad cardines uſque aperiendam eſſe, Falluntur miſeri! Redemptor noſter in his terris commoratus non tantum docuit, quæ credenda ſunt, ſed ſuo etiam exemplo commonſtravit, quæ agenda ſunt! qui ergo Chriſtum in monte Oliveti captum & ligatum, atque in monte Calvariæ vulneratum ac crucifixum fugiunt, qui flagra, ſpinas, crucem nauſeant, fruſtra ſperant, quod hodie Chriſtum aſcendentem comitari poſſint! audiant Auguſtinum clamantem: [S. Aug. ſer. 2. de aſcenſ.] *Cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium noſtrum aſcendit cum medico noſtro.* Operæ pretium eſt, ut huic veritati magis, magiſque aures, & animum demus! 1. Non eſt fere peccatum tam univerſale in mundo, quam ſuperbia: Protoparentes, ut primum audierunt, Eritis ſicut Dii, propter appetitum excellentiæ comederunt de ligno. Ex eo maledicti hujus peccati radicem in poſteros propagarunt; quis enim eſt tam abjectæ mentis, qui ſibi non in ſeipſo complaceat? Neque ſolum hoc vitium adhæret purpuræ, ſed etiam laciniis, eo fere modo, quo ſpicæ, quanto magis ſunt vacuæ, tanto altius caput erigunt. An hi poſſunt cum Chriſto aſcendere in cælum? Abſit! Auguſtinus clamat: *Cum Chriſto non aſcendit ſuperbia.* 2. Poſt ſuperbiam totum fere mundum inficit avaritia: a majori uſque ad minorem omnes avaritiæ ſtudent, ait Jeremias, nimirum agricolæ, mercatores, ſacerdotes (Vide Barz. ſerm. 14. n. 26. Serm. 23. n. 39. ſerm. 71. n. 19. &c.) Nemo quidem vult eſſe avarus, & tamen nihil crebrius, quam aliena bona invidis oculis aſpicere, ſuo non contentum vivere, erga pauperes eſſe auſteros & tenaces! An hi & his ſimiles Chriſtum hodie comitari poterunt! Nihil minus! clamat iterum Auguſtinus: *Cum Chriſto non aſcendit avaritia!* 3. Præter hæc vitia totum mundum conſpurcat luxuria, ita ut hic novo diluvio purgari deberet. Sciunt hoc Superiores, Patresfamilias & parentes in liberis & ſubditis ſuis, & tamen dum vident, rident. Nemo eſt qui reſtinguendo impuro incendio operam adhibeat. An hi ſpem concipere poſſunt comitandi Chriſtum? Nihil minus! Iterum clamat Auguſtinus: *Cum Chriſto non aſcendit luxuria!* Vita Chriſti fuit mera Humilitas, paupertas, & ſanctitas, igitur concludit S. Auguſtinus: *Nullum vitium aſcendit cum Medico noſtro!* Prius emendanda ſunt hæc vitia per ſeriam, & auſteram pœnitentiam! Vide Barz. ſerm. 54. §. 2. & ſeq.

*Ad cælum neceſſarium eſt credere, orare & pati.*

2. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Pſ.* 23. Eo tempore, quo Beatiſſima Virgo, & Dei Mater Maria poſt aſcenſionem Divini Filii ſui in terris ſuperſtes vixit, dicitur ad ſanctum Ignatium Martyrem, ad urbem Meſſanenſem in Sicilia, Florentinam in Italia alioſque populos ſcripſiſſe Epiſtolas, iiſque ſalutis monita dediſſe. Inter alia Florentiam his verbis admonuit: *Tene fidem, inſta orationibus, roborare patientia; his enim æternam ſalutem apud Deum, & apud homines gloriam conſequeris.* (Vide Adamum Weberum in Arte



Arte Diſcurrendi fonte 30. Exempl. 4.) Mi Chriſtiane, dum hodie Divinum Redemptorem ad cælum redire vides, certe cum Pſalmographo interrogas, *quis aſcendet in montem Domini?* quid agam, ut aſcendentem ſecure ſequi, & ſalutem conſequi merear? Non poſſum tibi præſcribere vivendi regulas magis ſalutares, quam has ipſas Beatiſſimæ Virginis. Age, attende! 1. *Tene fidem*, ſanctam, & puram illam, quam Chriſtus per Apoſtolos toto orbe propagavit, & Eccleſiæ cuſtodiendam tradidit, & hanc quidem tene conſenſu & obedientia cæca: noli abripi novis ſectarum deliriis, præſertim hoc ſæculo, ubi plena rebellat in rebus fidei ſentiendi libertas &c. (Vide Tit. Peccata contra fidem.) 2. *Inſta Orationibus*; precibus enim aſſiduis expugnatur cælum. Neque opus eſt, ut tota die Roſarium, aut libellum precatorium manu teras; potes enim quotidiana Vocationis tuæ opera per ſanctam intentionem adeo reddere meritoria, ut Deo non minus, quam orationes placeant. (Vide Tit. Oratio, Bona intentio.) 3. *Roborare patientia*; illi enim, qui pie in Domino volunt vivere, perſecutionem patientur! non deerunt afflictiones, calumniæ, injuſtitiæ, inopia, morbi, & alia mala, tu invicta manſuetudine omnia ſuſtine, & cum amariſſima paſſione, ac morte Redemptoris unita, Deo offer ac condona. Vide Tit. Patientia, Adverſitas &c.) Sic verificabitur promiſſio Beatiſſimæ Virginis: *His æternam ſalutem apud Deum conſequeris*, &c.

*Cælum obtinetur agendo, & patiendo.*

3. *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Actor.* 1. Stare, & aſpicere ſurſum, non eſt remedium ſufficiens ad expugnandum cælum! Peregrinus Romam tendens, ſi in itinere ſolum in conſiderandis, & admirandis urbibus, quas pertranſit, morari vellet, Romam non attingeret: ita qui tantum otiari, & ſine ulteriori conatu opera Dei contueri volet, ad Deum non perveniet. Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud! Chriſtianus volens cum Chriſto ad cælos aſcendere, debet eſſe laborioſus & violentus. (Vide Speranz. punct. 78.) In quo conſiſtit hæc violentia? conſiſtit in his duobus principiis, *Bona facere, & Mala pati!* [Philo Carp. in de 1. cent.] Ita Philo Carpatius. Dilucidemus hanc Veritatem. 1. Homo Chriſtianus pro lucrando cælo *Bona agere* debet! Beatitudo comparatur monti, *quis aſcendet in montem Domini!* & quidem monti ſupremo in vertice montium, prout loquitur Bernardus, quia omnes felicitates continet. Mons autem non ſcanditur ſine conatu, ſine anhelitu, ſine ſudore (Vide Mich. a Calvo conc. 12. §. 1. n. 8.) Qui ſcandere vult in cælum per ſingulos greſſus merita augere, quotidie, & continuo per ſacras intentiones jaculatorias ad Deum aſpirare, & etiam proximo, ubicunque ſe offert occaſio, benefacere debet, &c. 2. Homo Chriſtianus pro lucrando cælo debet *Mala pati!* O! ſi agnoſceret grande meritum, quod coram Deo conſequitur in victoria paſſionum, in tolerantia pacifica injuriæ, in dilectione inimici, certe de omni adverſitate gauderet, & infligenti colaphum manum exoſcularetur, &c. Vide Tit. Patientia, Adverſitas &c. En! ſic connitendum ad cælum, pugnandum, laborandum, ſudandum eſt.

## In Feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi.

*Chriſtus Dominus eſt nobis via, veritas & vita.*

1. E*Go ſum Via, Veritas & Vita. Jo.* 14. Periti in arte Magiſtri, qui diſcipulos ver. gr. in Muſica inſtruunt, non ſolum legibus & regulis illos imbuunt, ſed practice ipſo exercitio illis præeunt, ut non tantum auribus audiant, ſed etiam oculis videant, quomodo v. gr. in organo pulſando nunc ſtrictim nunc curſim tonos criſpare, & una manu cum altera ad concordiam & menſuram correſpondere debeant. Dominus Deus in Veteri Teſtamento hominibus ſolum regulas ac leges per ſe, vel per Prophetas dedit: in novo autem miſit Filium ſuum, ut in ipſa praxi virtutis exercitium, & ſalutis meritum nos edoceret; hinc dicit de ſeipſo Chriſtus: *Ego ſum Via, veritas & vita*, ſupra quæ verba S. Bernardus ait: *Sequamur Te Domine per te; quia tu es via in exemplo, Veritas in promiſſo, & Vita in præmio.* [S. Bern. ſer. 2. de aſcenſ.] Explicemus trimembre effatum, ut doceamur ſecure pertingere ad finem noſtræ ſalutis. 1. Chriſtus eſt nobis *Via in Exemplo*: Infinitus hic cæli terræque Dominus, in mundum veniens non ſuprema dignitatum faſtigia, nec regum palatia, ſed ſtabulum pro nativitate, & crucem pro morte elegit, ut doceret nos ama-

amare manſuetudinem, humilitatem, paupertatem, & mortificationem amare, atque tranſitoria contemnere, & æterna ſectari. *Chriſtianiſmus*, ait Greg. Nyſſenus, *eſt imitatio Divinæ naturæ*, quam omnes Sancti imitati ſunt: S. Catharina Senenſis, cujus feſtum heri celebravimus, cum Chriſtus illi auream & ſpineam coronam obtulit, hanc præ illa elegit, &c. 2. Chriſtus eſt nobis *Veritas in promiſſo*. Quid ergo promiſit? Promiſit aſſiſtentiam & gratiam imitantibus ſe, & æterna quærentibus, atque hæ promiſſiones tam firmæ & infallibiles ſunt, ut etiam in caſibus deſperatis non deficiant. S. Carolus Borromæus monitus ut ceſſaret a reformatione alicujus congregationis propter inſidias mortis, quæ ipſi ſtruerentur, repoſuit: quin imo non ceſſabo, quia cauſam Dei ago! unde meruit ab exploſione ſclopeti manere illæſus. *Jota unum, aut unus apex non præteribit*. (Vide Titul. Spes.) 3. Chriſtus eſt nobis *Vita in præmio*; ideo in hodierno Evangelio fidem ſuam obſtrinxit Apoſtolis: *Vado parare vobis locum, ut ubi ego ſum, & vos ſitis*. Non deerit timentibus ſe, imitantibus ſe, ſperantibus in ſe, & amantibus ſe, ſed illos ut fideles famulos ad æternam retributionem aſſumet ad ſe! *Sequamur te Domine per te*, &c.

*Bona opera noſtra ſæpe defectuoſa.*

2. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet. Joann.* 14. Vernali hoc tempore natura amœniſſime reviviſcit, agri & campi revireſcunt, & præſertim flores in arboribus ad delectationem oculorum ubertim protuberantes, poma & fruges in autumnum magna in copia promittunt. Verum o quot flores per ventos, per pruinas, per vermes & culices emarceſcent, antequam ad fruges matureſcant! Par ratio ſe habet cum piis, ſeu meritoriis operibus, quæ quaſi ſemina ſeu flores ſunt ad colligendas beatæ æternitatis fruges. Sunt laudabilia, ſunt Eccleſiæ utilia, ſunt Deo grata, ſunt a meritis Chriſti dignificata. Verum o quam facile corrumpuntur, & defectuoſa fiunt, ita ut ad fruges æternæ ſalutis non matureſcant. Inhæreamus huic comparationi; & loquamur de uno vel altero defectu ſingillatim! 1. Flores arborum emarceſcunt, ſi ramus, e quo pendent, exſuccus, aut terra ſterilis reddatur. Ita opus de ſe bonum merito caret, ſi Dei gratia deficiat; Deus primum quinta die benedixit mundo creato: cur non jam antea? Quia antea necdum productæ ſunt creaturæ animatæ: vivere debuit, quod benedictionem Divinam meruit. Ita opera noſtra vivant neceſſe eſt, ſi benedici a Deo mereantur. (Vide Barz. ſerm. 46. num. 22.) 2. Flores arborum decutiuntur per ventum impetuoſum, pruinas, grandines, aut alia extrinſeca mala ſupervenientia; Ita bona opera ſæpe ſuum meritum perdunt ob ſiniſtram intentionem ſupervenientem. Rex Jehu mandatum accepit a Domino, ut familiam Regis Achab funditus extirparet: fecit, quæ juſſus eſt, & tamen iratus poſtea Dominus in has minas erupit: *Viſitabo ſanguinem Jezabel ſuper domum Jehu!* qua de cauſa? quia extirpationem familiæ Achab non tam proſecutus eſt, ut mandatum Dei exequeretur, quam ut ſibi ipſi regnum ſtabiliret &c. 2. Flores arborum decidunt, antequam matureſcant, quia intrinſecus verminant, aut putreſcunt: ita bona opera merito carent, quia ex malo, aut prorſus inani fine procedunt. Gentilis Princeps Sichem ad Judaicam legem tranſiit, & circumcidi ſe paſſus eſt: an amore veræ Religionis? Non ita, ſed amore Dinæ Jacobi filiæ, quam deperibat, &c. Vide Barz. ſerm. 25. n. 30. &c.

*De magnitudine cæleſtis præmii.*

3. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Sanctus Symphorianus Adoleſcens, dum in arena Martyrii ſub manibus lictorum contremiſcere & trepidare videretur, a Matre his verbis animatus eſt. Nate ſuſpice cælum, tibi non eripitur vita, ſed in meliorem mutatur! Et ecce! his verbis adeo confortatus eſt juvenis, ut tormenta, vulnera & ipſam mortem cum riſu exceperit. Mi Chriſtiane, quid inordinate conquereris de tribulationibus & ærumnis, quas in mundo pateris? Suſpice cælum, & hic aſpectus mi[..]m tibi adjiciet fortitudinem pro Deo, pro cælo ferendi acerba omnia! Quæris, quid ergo mihi eſt in cælo? quam mercedem accipiam pro adverſis, quæ patior? Ego ex me par non ſum dandi reſponſionem, ſed indagemus, interrogemus! 1. Quam magna ſit cæli gloria, deſumi poteſt ex hoc viſibili mundo, cujus ex rerum varietate, ordine, proportione, fertilitate, & connexione tanta eſt pulchritudo, ut multi ejus inhabitatione in perpetuum vellent eſſe contenti: & tamen exilium eſt, vallis lacrymarum eſt, domicilium tam bonis quam malis commune eſt. Quid erit palatium cæleſte ſolis Dei amicis præparatum? (Vide P. Segneri par. 2. diſc. 19. n. 4.) 2. Quam magna ſit cæli gloria, teſtantur Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & omnes Sancti, qui immenſos labores, tormenta, pœnitentiæ auſteritates, fletus, jejunia, morbos, ipſamque mortem pro illa exantlarunt. (Vide Tit. Sancti.) 3. Quam magna ſit cæli gloria, deſumitur ex Paſſione Chriſti Domini: nonne ſi videamus Mercatorem, qui omnia venderet, ut emeret margaritam, diceremus hanc eſſe pretioſiſſimam? Chriſtus pro cælo dedit omnia, vitam & ſanguinem, & quidem maximos inter dolores. (Vide Barz. ſerm. 53. num. 10.) 4. Denique quam magna ſit cæli gloria, interrogemus ipſum infernalem ſpiritum: ille B. Jordano faſſus eſt, ſi poſſet unico momento faciem Dei intueri, quod vellet libenter omnium damnatorum tormenta uſque ad diem judicii ſolus ſuſtinere. (Vide Tit. Beatitudo.) En! mi Chriſtiane, cælum non donatur, ſed venditur, *Unde tu delicatus es miles*, ait S. Chryſoſtomus, *ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare! Exere vires, dimica atrociter, in prælio iſto concerta, conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce, pactum, quod ſpopondiſti, conditionem, quam acceſſiſti, militiam, cui nomen dediſti*, &c.

*S. Chryſ. ſer. de SS. Mart.*

In Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

*Quomodo lingua utiliter & meritorie uſurpanda ſit.*

1. *Ego vox clamantis in deſerto. Jo.* 1. Inter omnia prædicata, quibus Sancti Patres Joannem Præcurſorem Domini tanquam Apoſtolum, Martyrem, & Prophetam ornant, & deprædicant, ille ſibi unicum reſervavit, inquiens: *Ego vox clamantis*! ad noſtram certe inſtructionem, ut diſcamus voce, ſeu loquela utiliter & prudenter uti, prout Deus & natura requirunt: Audiamus Cardinalem Hugonem, qui dicit, loquelam homini datam eſſe in triplicem finem: 1. *Ad laudandum Deum*! ſic S. Joannes ſemper laudavit Deum, & gloriam ejus, potentiam, ac Bonitatem deprædicavit: inquiens: Veniet fortior poſt me, cujus non ſum dignus corrigiam calceamentorum ſolvere. Mi Chriſtiane, examina vitam tuam, an hactenus uſus es lingua ad laudem Dei? qua diligentia, & attentione perſolviſti preces? qua gratitudine compenſaſti beneficia per omnem vitam accepta? An non potius abuſus es lingua ad juramenta, ad querimonias contra Deum in ærumnis & adverſitatibus, &c. 2. Lingua data eſt *ad ædificandum proximum* ſic S. Joannes redarguit Herodem adulterum: Non licet tibi! Et in Phariſæos invectus eſt: Progenies viperarum! Dic Chriſtiane, quæ monita ſalutis dediſti proximo? an illum fraterna correctione ad virtutem adhortatus, & a vitiis dehortatus es? An non potius in convitia, in calumnias, in imprecationes linguam ſtrinxiſti? &c. 3. Lingua data eſt *ad accuſandum ſeipſum*: Sic S. Joannes utut innocentiſſimus, & omnis noxæ expers; non erubuit fragilem ſe arundinem vocare. Quid tu? an humiliter reum te agis multorum errorum? Nihil minus! ambitioſe te cedrum jactitas, opera tua cum plauſu extollis, male facta occultas, & in ipſo etiam ſacro tribunali delicta extenuas, excuſas, oppallias, &c. corrige te ipſum, & operam da, ut merearis laudem illam, quam Chriſtus Dominus dedit muto ſanato: *Loquebatur recte!* &c.

*Impii, utut proſpere vivant, felices non ſunt.*

2. *Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo. Luc.* 1. Bone Deus! quam inverſum ordinem hodie iterum in mundo invenio? Video in loco judicii impietatem, & in loco juſtitiæ iniquitatem! Video, Herodem in ſolio, Joannem in ergaſtulo! Herodem in deliciis, Joannem in anguſtiis! Herodem inter epulas & luxum, Joannem in eſurie & luctu! itane ſemper premitur virtus, & impietas triumphat? Sed macti animis eſtote Chriſtiani, qui inter ærumnas vivitis! Nolite impiis invidere ſuam felicitatem! oſtendam hodie, cur impii in hoc mundo proſpere vivant, & certe ad finem concionis malletis cum Joanne inter perſecutiones vivere, quam cum Herode inter aularum applauſus! (Vide Barz. ſerm. 32. §. 4.) Impii in hac vita proſpere vivunt, 1. Ut Deus illis compenſet aliqua bona opera, quæ non obſtante vita ſua ſcelerata utcunque operati ſunt; hunc in ſenſum dixit diviti Epuloni: Recepiſti bona in vita tua:

Sunt multi hæretici, qui tamen in publico ad ædificationem aliorum ſunt modeſti: ſunt uſurarii, qui tamen nonnunquam erga egenos ſunt liberales, ſunt luxurioſi, qui tamen ſunt juſtitiæ tenaces; cum igitur Deus hæc opera æterna mercede coronare non poſſit, compenſat temporali. 2. Impii proſpere vivunt, ſic volente Deo, ut non habeant excuſationem, ſe non potuiſſe eleemoſynas facere, miſeris ſuccurrere, orphanos juvare; ideo Chriſtus Dominus Judæ tradidit marſupium, ait S. Ambroſius, ut dicere non poſſet, ſe ex inopia compulſum fuiſſe ad proditionem. (Vide Barz. ſer. 32. §. 5.) 3. Impii proſpere vivunt, ut Deus illis ſuam indignationem, & brevi poſt ſecuturam vindictam oſtendat. Nempe tribulatio & mala temporalia ſunt ſigna, quod Deus peccata hominis Chriſtiani in hac vita plectere, illique in altera vita parcere velit. Cum ergo peccatori in hac vita parcit, eumque temporaliter felicem facit, ſatis aperte indicat, quod illum æternaliter felicem reddere nolit, eum fere in modum, quo lanio bovem in ſtabulo, & paſcuis ſaginat, ut paullo poſt illum ad macellum ducat. Præſervet nos Deus a proſperitate impiorum. Det nobis adverſitatem juſtorum. Vide Tit. Peccator: Item Adverſitates, &c.

*Quomodo Chriſtianus erga ſeipſum, erga proximum, & erga Deum habere ſe debeat, ut ſit magnus coram Domino.*

3. *Erit magnus coram Domino. Luc. 1.* Magnum eſſe coram ſe ipſo, aut magnum eſſe coram mundo, non eſt eximia laus; quia hunc titulum multi Principes, quamprimum aliquid ſupra plebem operati ſunt, voce populi obtinuerunt. Verum magnum dici coram Deo, in cujus conſpectu totus orbis ſe habet velut guttula roris antelucani, hæc eſt laudis excellentia, qua major excogitari non poteſt. Atque hoc laudis encomium convenit Sancto Joanni juxta verba Evangelii: *Erit Magnus coram Domino!* Habuit ille non unam, ſed plurimas laureas, Doctoris, Virginis, Martyris, Prophetæ, Eremitæ, Apoſtoli, Præcurſoris & Baptiſtæ Chriſti, fuitque ac dicitur vere *Splendor Sanctorum*; quia omnes ſanctitates continet, ſicut adamas pretium omnium unionum. (Vide Coutinno in Mariali tract. 1. conſ. 4. n. 12.) Videamus, an non æmulari quodammodo poſſimus virtutes S. Joannis, ut cum tempore Magni audiamur in judicio! 1. Quomodo S. Joannes ſe habuit *Erga ſeipſum?* Quamvis fuerit ſanctiſſimus, tamen de ſe humillime ſentiebat: comparavit ſe inani voci: Ego vox clamantis! Loquens de venturo Meſſia confeſſus eſt: non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus. Quid tu, mi Chriſtiane, de te ipſo ſentis? Eheu! adhuc parvulus jam eras magnus peccator! corpore tenus in momenta ſingula morbis & morti obnoxius es! anima tenus in memoria debilitatem, in intellectu ignorantiam, in voluntate fragilitatem & malitiam circumfers, & tamen cervicem erigis, amator & æſtimator tui ipſius! &c. 2. Quomodo S. Joannes ſe habuit *Erga proximum?* Zeloſiſſime! in ſceleratos auſtere invectus vocavit Progenies viperarum! Peccatoribus publicis exprobravit ſcelera: Non licet tibi! omnes ſtatus in ſuo munere inſtruxit! Quid tu, mi Chriſtiane, ad emendationem proximi contuliſti? Si Superior es, quomodo ſubditos, æquales, filios, & domeſticos a via perditionis revocaſti? nonne mutus canis es, neſciens latrare ad latrocinia animarum? &c. 3. Quomodo S. Joannes ſe habuit *Erga Deum?* Devotiſſime! in ipſa Nativitate linguam Zachariæ ſolvit in laudes Dei! Populis Mundi Redemptorem digito demonſtravit: Ecce Agnus Dei. Quid tu, mi Chriſtiane, hactenus ad Dei gloriam contuliſti? Eheu! tepidiſſimus es, ad tua ſolum, non Dei commoda intentus! &c. Eia imitemur humilitatem, zelum, & ſanctitatem Joannis; conemur fieri magni coram Deo! &c. Vide Corn. a Lap. Iſa. c. 40. num. 3.

## In Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

*Converſio Mundi optimum veritatis fidei argumentum.*

1. TU *es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 16.* Non ſemper contra vitia conandum, nec virtus ſemper ſuis encomiis extollenda eſt. Deus mirabilia opera exercuit, quæ etiam pie contemplari, & admirari interdum debemus, præſertim tunc, cum Feſta Sanctorum colimus, quorum opera providiſſimus, ac potentiſſimus Deus ad mirabilia patranda uſus eſt: inter hæc præcipuum eſt, mundi ad fidem Chriſti converſio, quæ certe Apoſtolorum, & inter hos præcipue SS. Petri & Pauli tanquam





Principum opera praſtita eſt. Sinite, ut in hoc prodigio tria ſingulariter admiremur. Primo: Abyſſum profundiſſimam ſcelerum, in qua jacebat mundus. Secundo, ſublimitatem illius gradus ad quem evectus eſt. Tertio, Apoſtolorum quorum opera converſus eſt, virium impotentiam. Agite! Dei potentiam, & providentiam adoremus. 1. Conſideranda venit profundiſſima abyſſus ſcelerum, in qua jacebat Mundus! uno dempto Judææ angulo regiones aliæ omnes denſa noctis caligine erant obrutæ: pro vero Deo adorabant crocodilos, ſerpentes, dracones, iiſque thura adolebant, idque etiam ſapientiſſimi ethnicorum non tantum faciebant, ſed etiam alios docebant, credendum ut ſolet, vivendum ut lubet: O quantam vitiorum turpitudinem hæc principia poſt ſe trahebant! abſurdiſſimos idololatriæ ritus pro ſacrificiis habebant: *Qualia ſunt ſacrilegia*, exclamat Auguſtinus, *ſi iſta ſunt ſacra?* 2. Ex hoc ſcelerum barathro extrahendus erat Mundus! qua machina? Sanctæ Crucis. Et quo? ad ſupremum apicem veritatis, & ſanctitatis. Et vero hos fines aſſecutum fuiſſe Chriſtum, teſtimonio eſt vita primorum Chriſtianorum, qui vel ab hoſtibus ſancti & juſti vocabantur: ea erat in iis fidei conſtantia, ut non jam martyres carnificibus, ſed carnifices martyribus deeſſent. Tanta celeritate mutatus eſt mundus, ut ſæculo tertio jam non eſſet locus, in quo Chriſtiana Religio non floreret. 3. Quinam fuere Evangelici Præcones, quorum miniſterio peracta eſt Mundi converſio? fuere duodecim Viri, infirmi, indocti, inopes, & plane ea auctoritate non prædíti, quæ ad tantum opus requiri videbatur. Fingamus, totam Europam a duodecim militibus fuiſſe oppugnatam & ſubjugatam, quis crederet rem tam incredibilem? & tamen certum eſt, non corpora ſed animos a duodecim piſcatoribus fuiſſe expugnatos & converſos, id quod nemo alius quam Deus potuit ſua potentia executioni mandare, &c. Quid certius & evidentius poterit pro veritate Chriſtianę Religionis adduci? *Nullus hic contradixerit*, ait S. Chryſoſtomus, *niſi inſanus & ſtupidus ſit.* Vide P. Segneri Incredul. non Excuſ. part. 2. c. 9. Item Manſi Biblioth. Tit. Fides diſc. 17. & 21.

*Lapſus Petri ex quibus cauſis ortus.*

2. *Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Matth. 16.* Cum Petrum nomino, merito & homines juſti & pœnitentes contremiſcant! quid enim terribilius? Primipilus Apoſtolorum, qui plus ceteris ſapere, & exemplo ſanctitatis præire debuiſſet, in atrio Pontificis turpiſſime cadit, Divinum Magiſtrum negat. Quis non metuat? ſi columna ſternitur, quid arundini fiet? ſi caput aureum evertitur, quid lutei pedes timeant? Agite, indagemus in cauſas hujus lapſus, ut cavere diſcamus! 1. Petrus turpiter lapſus eſt, quia præſumpſit in ſuis viribus: *Etiamſi omnes, non ego!* (Vide Barz. ſer. 60. n. 9. Et ſer. 58. §. 9.) Quidam dum ad ſublimiorem virtutis gradum aſcendunt, id omne ſuæ induſtriæ adſcribunt: hos Deus cadere permittit, ut agnoſcant ſuam infirmitatem, &c. 2. Petrus turpiter lapſus eſt; quia in domum periculoſam introivit: vidit ad ignem conſidere effrontes lixas & calones, audivit riſus, nugas, & immodeſtiam, & tamen non metuit vitiorum contagium. Sic multis contingit, qui adeunt pericula aliis pernicioſa, eum in modum, quo nauta ſe conjicit in pereundi periculum, dum navigio accedit ad ſcopulos naufragiis infames. (Vide Tit. Præſumptio de ſuis viribus.) 3. Petrus turpiter cecidit, quia ab ancilla introductus eſt; quid boni ſperare potuit a femina, imo quid non mali timere? *Memento*, ait S. Hieronymus, *quod paradiſi colonum de poſſeſſione ſua ejecerit mulier.* Vide Tit. Conſortium cum muliere. Item P. Segneri part. 2. diſc. 16. n. 19. O! quiſquis cum Petro lapſus eſt, cum Petro pœnitentiam agat! &c. Vide Speranz. de Paſſ. Dom. punct. 10.

*Fides Catholica quibus de cauſis deficiat.*

3. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Matth. 16.* Quis Chriſtianorum non ſanguineis fere lacrymis deploret, quod ſancta ſalvifica fides a Chriſto Domino fundata, & a SS. Apoſtolis Petro, & Paulo cum ceteris Coapoſtolis per univerſum orbem propagata, jam a prolixo ſatis tempore deficere, & heterodoxorum ſectæ de die in diem magis magiſque creſcere videantur? Maximæ orbis partes America, Aſia, Africa in Mahometiſmi, & gentiliſmi tenebris cæcutiunt. In Europa Anglia a Catholica fide receſſit, Gallia turbatur Janſeniſmo, in Romano Imperio Lutheraniſmus & Calvi-

niſmus quotidie incrementa ſumunt: Romana oracula deſpiciuntur, videturque deſiiſſe promiſſio Divina: *Portæ inferni non prævalebunt*. Quæ cauſa tanti decrementi? & quod mali remedium? Inquiramus in cauſas, emendemus quæ emendanda ſunt. 1. Proh dolor! videtur Deus recedere a nobis, quia nemo, aut pauciſſimi ſunt, qui pro ineffabili Beneficio Vocationis ad ſalvificam fidem grates Deo debitas rependant. Quis eſt, qui grato animo recolat: Deus potuiſſet me rejicere inter Americanos, inter Africanos, & Aſiaticos Idololatras? elegit me præ mille aliis, ut a Catholicis parentibus naſcerer, & in gremio ſanctæ Eccleſiæ educarer! Quis eſt, qui toto anno huic gratitudini vel unicam diem conſecret? (Vide Tit. Beneficium Vocationis ad fidem.) 2. Deficit ſancta fides, quia quilibet naſutulus ſibi novum, quod placet, fidei ſiſtema confingit, de veritate Scripturæ dubitat, ad Syncretiſmum, aut Atheiſmum provocat, & bonos Catholicos, qui ſinceritatem fidei profitentur, tanquam ſimplices idiotas explodit. (Vide Tit. Hæreſis, Hæretici.) 3. Deus gratiam fidei ſubtrahit, quia multi legibus fidei adeo difformiter vivunt, ut has, tanquam repagula vitiorum ſuorum, quibus aſſueverunt, eliminata cuperent. In negotiis & commerciis innituntur Machiavellicis principiis, peccata pudicitiæ contraria pro licitis jactitant, adverſis tolerandis adeo non aſſueverunt, ut propter exiguam perſecutionem ad caſtra heterodoxorum convolent. Quid mirum quod Deus gratiam fidei ſubtrahat; hanc enim certe ſcimus de regione in regionem migraſſe ob peccata incolarum, &c. Vide Tit. Fides, &c.

## In Feſto S. Mariæ Magdalenæ.

### *Pœnitentia eſt neceſſaria, auſtera, & conſtans.*

1. *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat. Luc. 7.* Tanta eſt pœnitentiæ virtus & efficacia, ut peccatorem vere compunctum, redintegratis, quæ peccato perdidit, meritis, non tantum in priſtinum amicitiæ Divinæ gradum, ſed fere dixerim, majorem reſtituat: ſic Nabuchodonoſor poſt pœnitentiam recuperavit regni honorem: De filio prodigo dixit Pater: *Proferte ſtolam primam*! Et Petrus poſt fuſas lacrymas Apoſtolici Collegii Princeps conſtitutus eſt. Hæc cum ita ſint, quæ cauſa eſt, quod tam multæ dentur Magdalenæ, & non multæ pœnitentes! cur pœnitens, qui hodie pacem cum Deo ſancit, cras iterum ad caſtra dæmonis tranſit? cur laſcivus, qui hodie ſcelera deflet, cras deflenda reiterat? Nimirum hoc ideo fit, quia miſeri neceſſitatem, dignitatem, qualitates, & effectus pœnitentiæ haud ſatis perpendunt. Explicabo aliquas hac ex parte veritates, & ſancta principia eaque fere omnia exemplo S. Magdalenæ confirmabo. Attendite tepidi Chriſtiani! Primo ſciendum eſt, pœnitentiam poſt relapſum eſſe indiſpenſabiliter neceſſariam; prima navis, qua homo ad portum ſalutis vehitur, eſt innocentia, hanc ſi perdideris, pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula. (Vide Barz. Serm. 7. n. 7.) Et quidem pœnitentia tam interna, quæ in mœrore animi: quam externa, quæ in emendatione morum conſiſtit. Putant aliqui, ſe ſatisfeciſſe, ſi Sacerdoti peccata confeſſi ſint. Errant maxime! contrarium edocentur in pœnitentia Sanctorum, & præcipue S. Magdalenæ, quæ etſi de venia fuerit certa, tamen deflere peccata non ceſſavit uſque ad mortem. (Vide P. Segneri par. 3. diſc. 19. n. 2. & 11.) Secundo ſciendum, pœnitentiam non eſſe debere qualemcunque, ſed auſteram, quæ etiam quantum fieri poteſt, tollit proclivitatem ad malum; hinc aſſumit voluntarias pœnalitates, quibus etiam inimicæ paſſiones animi compeſcuntur. Princeps otioſus, & negligens non curat petulantiam rebellium in ſuo regno: Qui autem vere amat patriam, iraſcitur, & cum exercitu rebelles opprimere ſtudens nec ſumptibus, nec ſanguini parcit. *Homo pœnitens, eſt ſibi iraſcens*, ait S. Auguſtinus. Exemplum iterum habemus in S. Magdalena, & aliis pœnitentibus. (Vide Tit. Pœnitentia. Et P. Segn. diſc. 19. n. 15.) Tertio ſciendum, hæc pœnitentia non debet eſſe momentanea, aut diurna, ſed conſtans, & perſeverans: S. Magdalena etiamſi ex ore Divino audierit, dimiſſa ſibi eſſe peccata, tamen in ſolitudine per triginta annos produxit pœnitentiam. Idem fecerunt S. Maria Ægyptia, S. Guilelmus Aquitaniæ Dux, S. Pelagia & alii, &c. (Vide Tit. Pœnitentia.) Jam non amplius interroga, cur tam multæ pœnitentiæ nullos emendationis fructus poſt ſe trahant? nempe, quia non habent has qualitates! &c.





### *Pœnitens debet opprimere paſſiones, fugere occaſiones, & ſeipſum punire.*

1. *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus, &c. Luc. 7.* Poſt extirpatas herbas venenoſas ſolicitus eſt hortulanus, ne illæ radices in terra reliquerint, & de novo repullulent. Poſt peſtem ſopitam fumigantur ædes & cubicula, ne virulentus vapor remaneat. Poſt incendium extinctum, indagatur, ne ſcintilla adhuc gliſcat, in novas flammas eruptura. Has omnes induſtrias adhibere debet pœnitens, ne ſemen peccati extincti ſuperſit. Loquamur ſpeciatim, & omnia iterum in S. Magdalena exemplificemus! 1. Verus pœnitens curam habere debet, ut mactet, & enecet inimicas animi paſſiones, juxta illud: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*, ubi S. Remigius ait, ſacrificium hoc fieri de medio tollendo taurum ſuperbiæ, hircum laſciviæ, lupum avaritiæ &c. ſicut enim ſol, etſi ex eclypſi emergat, tamen non ſimul malignos effectus ab eclypſi cauſatos abſtergit; ita licet confeſſio peccatum remittat, non tamen pravos habitus extinguit. Salubri ergo rigore opus eſt, id eſt ſatisfactoriis pœnalitatibus, quibus tolluntur peccatorum reliquiæ, prout loquitur Tridentinum. (Vide Speranz. punct. 107. Et P. Segn. diſc. 19. num. 12.) 2. Verus pœnitens fugiat occaſiones, & materias peccati: Joſue funditus evertit Jericho: Moyſes in cinerem redegit vitulum: Magdalena trans mare fugit, & in ſpecu Maſſilienſi procul ab urbe Solimæa ſe abſcondit. Quare? an non potuiſſet in caſtello ſuo Magdalo ſibi conſtruere eremum? Nempe id fecit, ut fugeret occaſionem peccati, quod facilius hic, quam ibi recrudeſcere potuiſſet. (Vide Titul. Pœnitentia.) 3. Verus pœnitens ſtudeat agere pœnitentiam non qualemcunque, ſed proportionatam peccatis. Chriſtus Dominus ter quæſivit Petrum: *Amas me?* ut trina confeſſio trinæ negationi reſponderet. Magdalena pedes Domini capillis terſit, quos antea ad vanitatem criſpavit, &c. (Vide Mich. a Calvo conc. 8. §. 3. num. 8. & 9.) Hæ induſtriæ, cum ordinarie in pœnitentibus deſint, quid mirum, quod S. Ambroſius terribilem illam ſententiam enunciat: *Facilius inveni, qui innocentiam ſervarint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.* Vide Tit. Pœnitentia.

### *Amor S. Magdalenæ invincibilis, & indefeſſus.*

3. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7.* S. Evangeliſta Marcus de Magdalena mentionem faciens, loqui incipit de muliere, a qua Chriſtus Dominus ſeptem dæmonia ejecit. Per ſeptem dæmonia ordinarie intelliguntur ſeptem peccata capitalia, quibus amans Magdalena ſeptemplicem amorem oppoſuit, id eſt ſeptem gradus amoris (nam octavus ſolum invenitur in cælo) hunc ſeptemplicem amorem deſcribens S. Bernardinus ait, amorem fuiſſe invincibilem, inſeparabilem, indefeſſum, immutabilem, inſatiabilem, inſociabilem, & incomprehenſibilem. Nos aliquos gradus, ſeu qualitates ex his conſiderabimus! Tu mi Chriſtiane diſce, quod vera pœnitentia tandem deſinere debeat in verum amorem & quidem proportionatum peccatis, quo Deus, quantum fieri poteſt, tam intenſe amatur, quam peccato offenditur. 1. Amor Magdalenæ revera fuit *Invincibilis*; ſuperabat omnes difficultates, non curabat Phariſæi loquelas, non Iſcariotis murmura, non ſororis querimonias, non circumſtantium riſus. Nos in amore quam facile tepeſcimus, cum talis aut ſimilis difficultas occurrit. 2. Amor Magdalenæ fuit *Inſeparabilis*; Chriſtum ſemper audiebat concionantem, illum ſequebatur convivantem, miracula operantem, imo & morientem; dum excordes diſcipuli in paſſione omnes fugiebant, illa adſtare non timet cruci, ſepulcro inhæret anxia! laus quidem Virginum eſt, quod ſemper ſequantur Agnum quocunque ierit, ſed de Magdalena ait Chryſoſtomus: Illa meretrix in Evangelio Virgines ipſas honeſtate ſuperavit. O quam cito tergum vertimus Deo, cum mundus & caro deliciis ſuis allicit, & invitat! &c. 3. Amor Magdalenæ fuit *Indefeſſus*; poſt mortem Chriſti ad ſepulcrum excurrit, ad affatum Angelorum imperturbabilis quærit Dominum: Chriſtum ipſum ſub ſpecie hortulani ſibi apparentem interrogat: Domine ſi tu ſuſtuliſti, ubi poſuiſti eum, & ego illum tollam! Quid ais Magdalena? tu tolles illum? Quid ſi eſſet in domo Caiphæ? tollam! o Mulier, non mulier, exclamat S. Bernardinus, non locum excipit, non milites formidat! Digna quæ ad gradum octavum amoris fuit admiſſa in cælis! &c. Sed nos Eheu! tepidos! &c.

In Feſto S. Jacobi Apoſtoli.

*Oratio quomodo fiat defectuoſa.*

A*Dorans, & petens aliquid ab eo. Matth.* 20. 1. Romani, teſte Plutarcho, olim Legationem miſerunt in Bythiniam, ad quam elegerunt ex populo civem, ſed rudem & bardum: ex Senatu ſenem prudentem quidem, ſed chiragricum & podagricum: ex exercitu militem, ſed fungum & meticuloſum. De hac legatione jocatus Cato dixiſſe fertur: Legatio Romanorum nec habet caput, nec cor, nec manus, nec pedes. Parem in modum multi Chriſtiani Legationem, ſeu Orationem mittunt ad Deum mancam & ſimili prorſus ratione defectuoſam, quid mirum quod nihil eorum, quæ petunt, ſed potius repulſam ferant. Explico fuſius meam mentem! 1. Oratio ſæpe non habet caput, cum nimirum rem imprudentem, id eſt, talem petimus, quæ nocere potius poteſt, quam prodeſſe, uti ſunt divitiæ, honores & ſimilia. Hodierna Mater unum ex duobus filiis voluit in regno Chriſti ſedere ad dexteram, alterum ad ſiniſtram, quid ineptius? in cœlo non erit ſiniſtra, ait S. Antonius Paduanus; quia ibi nec adverſitas, nec gaudium diminutum invenitur. Extra cœlum autem petere ſiniſtram, eheu! avertat Deus! (Vide Barz. ſerm. 53. n. 27. Item Mich. a Calvo conc. 19. §. 2. nu. 2.) 2. Oratio ſæpe non habet cor, ſi nimirum firmam confidentiam in Bonitatem Dei non habeamus, dubitantes aliquo modo, an poſſit aut velit exaudire, propterea ad remedia terrena prius currimus, & tum primum, cum deficiunt humana auxilia, ad Deum confugimus. 3. Oratio non habet pedes, ſi in orando non ſimus conſtantes, ſed cum non ſtatim exaudimur, deficimus, & Deum ſi non immiſericordem, ſaltem ut inexorabilem, aut memorem peccatorum noſtrorum nobis imaginamur. 4. Oratio non habet manus, ſi opera non ſint conjuncta: Filii Zebedæi non ex meritis ſuis, ſed ex carnali propinquitate petebant coronam ante victoriam, & ſic Coapoſtolis ſuis gratis anteferri ſperabant; hinc Chriſtus Dominus interrogabat eos: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* quaſi diceret, ut annotat S. Gregorius: *Jam vos locus delectat celſitudinis, ſed prius vos via exerceat laboris*; ſine calice enim amaritudinis non pertingitur ad ſublimitatem retributionis, &c. V. Mich. a Calvo conc. 43. §. 1. n. 3. Item Calamatum Dom. 24. poſt Pent. Et denique Tit. Beatitudo, &c.

*Vitæ peregrinatio quomodo inſtituenda.*

2. *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram in regno tuo.* Hæc vita mortalis mera eſt peregrinatio, qua ab exilio ad cœlum tendimus: vivunt quidem aliqui in hoc mundo ut *Cives*, qui præſentibus contenti non tendunt ad aliam patriam, & hi ſunt peccatores. Alii habent ſe ut *Advenæ*, qui ad patriam quidem aſpirant, interim tamen utuntur, & inhærent bonis præſentibus, & hi ſunt tepidi, & inconſtantes Chriſtiani. Alii denique vere ſunt *Peregrini*, qui præſentia nec quærunt, nec amant, ſed viam ſuam ad cœlum dirigunt, & hi ſunt perfecti, & tales, quales eſſe debemus, ſi ſalvari cupimus. (Vide P. Segneri Manna an. 25. Julii n. 1.) Quæris forte, quid ergo requiritur ad eſſe Peregrinum perfectum? Intuere imaginem S. Jacobi Apoſtoli, qualiter ordinarie pingi ſoleat! quodſi imago haud ſatis tibi reſpondeat, edocebo ego ulteriora. 1. Primum requiſitum Peregrinanti neceſſarium eſt *Pileus*, quo contra ſolares radios, & contra grandines & nimbos caput defendat. Per pileum intelligitur virtus patientiæ, qua Chriſtianus vitæ hujus moleſtias, & tribulationes invicto animo ſufferre debet. (Vide Tit. Patientia.) Præcipue curam ad hoc habeat, ut caput virtutum omnium, id eſt, fidem defendat. (Vide Tit. Fides.) 2. Alterum requiſitum Peregrinanti neceſſarium eſt *Baculus*, quo canes abigere, & feſſa ex itinere membra innitendo fulcire poſſit. Per baculum intelligitur Crux Chriſti, & gratia Dei: per crucem Chriſti latratus ſtygii Moloſſi, id eſt, tentationes importunas repellere diſcat. (Vide Tit. Crux.) Per gratiam Dei ſtudeat roborari & confortari in operibus ſanctis, & hac adminiculante omnes halitus, omnes arteriarum pulſus, omnes membrorum motus meritorios facere allaboret. (Vide Titul. Gratia.) 3. Tertium requiſitum Peregrinanti neceſſarium eſt *Viaticum*, ſeu ſubſidium pecuniarium ad præſtandos itineris, veſtium & morborum ſumptus. Parem in modum, quo propinquius homo Chriſtianus cœleſti patriæ appropinquat, eo magis a Sanctis cœlitibus merita ſua emendicare ſatagat, eum in modum, quo Eli-

ſeus



ſeus Eliam rogavit, Fiat in me ſpiritus duplex tuus! item ab Eccleſia indulgentias, & denique a Chriſto Domino Sacroſanctum Divini Corporis Viaticum ad felicem tranſitum exoret. Precor omnibus feliciſſimum iter! &c.

*Cur preces noſtræ a Deo non exaudiantur.*

3. *Neſcitis, quid petatis. Matth.* 20. Jaculari ad ſcopum, eumque tangere: ludere & lucrari; medicinam ſumere & convaleſcere, non ſemper eſt unum & idem; ſæpe modicum obſtaculum cauſam fruſtratur ſuo effectu. Parem in modum diſcurrendum eſt de oratione: quotidie oramus, obſecramus, inſtamus, ſuſpiria, Roſaria, fletus in cœlum mittimus, & tamen non exaudimur! infelix ſum, Deus non exaudit, imo crucem, quam dudum deprecatus ſum, duplicat, triplicat. Quæ cauſa hujus infortunii? Mi Chriſtiane, Cornelius a Lapide hodiernam Matrem orantem conſiderans, ſeptem cauſas aſſignat, cur ejus petitio fuerit imprudens, & inutilis. Attende, forſan ex una ſaltem cauſa harum ſeptem & tuam orationem invenies vitioſam! 1. Petitio fuit imprudens, quia putabat regnum Chriſti Domini fore terrenum, & regio ſplendore pompoſum. 2. Quia petebat pro filiis, quod eis jam erat aliunde promiſſum, nempe aſſidere Chriſto & judicare. 3. Quia prætendebat pro filiis, quod eorum dotes & merita longe ſuperabat. 4. Quia incongruo tempore gloriam, & quietem quærebat, tunc mirum, cum imminebat paſſio, labor & luctus. 5. Quia affectabat, quod contrarium erat eorum Vocationi; erant enim vocati ad humilitatem & paupertatem. 6. Quia prius debuiſſet petere merita Crucis, quam mercedem. 7. Denique quia pro uno petiit dextram, pro altero ſiniſtram: ſiniſtra autem in malam & infelicem partem poteſt accipi, &c. Inter has cauſas, mi Chriſtiane, ſi una vel ſimilis tuam orationem vitioſam reddit, noli mirari, quod a Deo non exaudiaris, &c.

In Feſto S. Annæ Matris B. V. Mariæ.

*Gratia Dei ſuper omnia æſtimanda.*

1. Q*Uem, qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa. Matth.* 13. Homo triplici bono fruitur in hoc mundo: Bono famæ, Bono fortunæ, & Bono gratiæ: qui triplici hoc bono gaudet, beatus ac felix dicitur, ſed felicitate ſolum temporanea! Scio theſaurum, qui has felicitates mundanas, imo millenos mundos tantum ſuperat, quantum Sol unam ſcintillam, & cœlum empyreum arenulam maris. Quis eſt iſte theſaurus? Eſt Gratia Dei! de hac differendi anſam mihi præbet S. Mater Anna, cujus nomen Gratiam ſonat, nomen Mariæ item gratiam refert, adeoque gratia gratiam peperit, ex utraque autem natus eſt Chriſtus fons omnium gratiarum. Attendite, quomodo, & qua de cauſa gratia æſtimanda ſit ſupra omnia bona terrena! 1. Æſtimanda eſt ſuper omnia, quia neceſſaria eſt ad ſalutem æternam: homo non veſtitus veſte nuptiali ſine miſericordia ejectus eſt e cœnaculo, ceteri veſtiti admiſſi ſunt. Quare? quia veſtitus nuptialis eſt gratia Spiritus Sancti. O quantis laboribus hæc gratia conſtitit ſanctis Confeſſoribus, Martyribus, & ipſi Chriſto, qui, ut eam nobis compararet, non guttulam, ſed profluvium ſanguinis profudit. 2. Æſtimanda eſt gratia, quia animam facit Divinæ conſortem naturæ! per gratiam anima fit ſancta, juſta, dilecta, beneplacens Deo, paradiſus creatoris, Spiritus Sancti habitaculum, Trinitatis tabernaculum, ſanctuarium Divinitatis. Sicut peccatum hominem infeliciſſimum, & æternæ morti obnoxium reddit; ita gratia facit hominem filium adoptivum Dei! quanta hæc dignitas! 3. Æſtimanda eſt gratia Dei, quia opera noſtra elevat ad meritum ſupernaturale, & hominem facit capacem gloriæ cœleſtis! Quamprimum mulier illa, viſa a S. Joanne, peperit filium, filius ante thronum Dei adductus eſt: ita quamprimum anima juſta opus bonum operatur, Deus illud gratum habet, & æterna mercede compenſat. Sicut ſol majorem terræ ſplendorem communicat, quam omnia ſidera noctu lucentia: ita millena opera naturæ, ſine gratia, in Dei oculis non ita fulgent, quam unicum opus hominis in gratia conſtituti. 4. Æſtimanda eſt gratia Dei, quia infernalis inimicus, illam nobis cum implacabili invidia invidet, & ideo infinitas tentationes contra nos adornat. Verum nolite timere Dilectiſſimi, quia hæc ipſa gratia fortes & invictos nos reddit contra infernalem Goliathum. *Gratiæ, non armis trophæum adſcribitur*, ait S. Baſilius Seleucienſis. (V. Barz. Serm. 59. n. 16. Et Serm. 5. n. 35.

n.35. Item Tit. Gratia, &c.) Eja! Pugnemus, laboremus, ſudemus, parati potius famam, fortunas, vitam, & totum mundum perdere, quam Dei gratiam! &c.

*Mariam per preces S. Annæ nobis propitiam reddamus.*

2. *Inventa pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Matth.* 13. Præ omnibus titulis Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, ille in maximum nobis ſolatium cedere debet, quod ſit Refugium peccatorum! ſicut enim Dux Joſue in terra promiſſionis conſtituit aſyla, ſeu civitates refugii, ita Maria revera refugium noſtrum eſt in omni neceſſitate, temporali, ſpirituali, & æterna, & quidem tanta cum Miſericordia, ut miſerrimos etiam peccatores, quos Filius rejeciſſe videtur, benigne recipiat, prout exemplo S. Mariæ Ægyptiæ aliorumque conſtat. Explicabo hanc clementiam Dei Matris, & denique vos inſtruam, quo remedio illam vobis conciliare debeatis. 1. Sancta Dei Genitrix refugium noſtrum eſt in neceſſitate temporali, v. gr. in alimenti corporalis indigentia. Certe in nuptiis ſolicita fuit de vino, ubi S. Bernardus ait, ſi hoc fecit invitata, quid faciet invocata? Scitis, cur in deſerto multitudo hominum paſſa ſit famem? quia in deſerto non aderat oculata Virgo, quæ omnium miſerias videt, ait Novarinus. (Vide Mich. a Calvo conc. 39. §. 3. nu. 4. & 5.) 2. Sancta Dei Genitrix refugium noſtrum eſt in neceſſitate ſpirituali, id eſt, in impetranda venia peccatorum, quibus Deum offendimus. Clamat *parturiens, ut pariat:* quid clamat? nempe clamando magnum deſiderium oſtendit, ut omnes peccatores in gratia regeneret, & Filio ſuo reconciliet; hinc ipſamet invitat omnes: *In me gratia omnis viæ & veritatis.* (Vide Tit. Patrocinium B. V.) 3. Sancta Dei Genitrix refugium noſtrum eſt in neceſſitate æterna, id eſt in morte, ubi agitur de tota æternitate. Ibi Beatiſſima inſidiatores dæmones in fugam agit, & morientem confortat, &c. (Vide Tit. Patrocinium B. V. in morte.) Bene hæc omnia, ais! ſed quis nobis propitiam reddet Sanctiſſimam Dei Matrem, ut patrocinium ſuum pro nobis interponat? Reſpondeo, propitiam reddet Sancta Anna Mater Dei Matris! hæc auctoritate Materna quaſi obſtringet Filiam, ut pro nobis intercedat, & Filia tum ex obedientia filiali, tum ex gratitudine morem geret illi, a qua vitam recepit. Imo hoc remedium ipſa Beatiſſima Virgo ſuaſit feminæ, quam ſic orare docuit: *Et benedicta ſit S. Anna Mater tua, ex qua ſine macula proceſſit caro tua Virginea!* Vide P. Henricum Scherer Atlant. Mar. in Gallia. Vide Reims ſeu Remi.

*S. Annæ vita, & mors noſtra commendanda.*

3. *Sic erit in conſummatione ſæculi. Matth.* 13. Anno 1524. Menſe Januario, cum Alonſus Zuaſius Hiſpanus cum ſexaginta comitibus ex Inſula Cuba verſus Occidentem navigaret, terribili tempeſtate jactati, totum mare, omniaque elementa ſibi inimica experti, tandem in algam ſpumeam confracto in fruſta navigio ejecti ſunt. Hic omnibus vitæ ſubſidiis deſtituti, famem, ſitim, frigus, terroreſque paſſi ſunt, adeo ut quotidie aliqui miſerorum extrema calamitate contabeſcentes mortem obierint. Inter alios innocens puella undecim annorum jam agoni proxima exclamare, & circumſtantibus enarrare cæpit, vidiſſe ſe Matronam ſole ſplendidiorem, albicante veſte & viridi pallio ornatam, quæ ſe Sanctam Annam Matris Dei Matrem diceret, eamque præcepiſſe, ut Alonſus refecta, quantum fieri poſſet, ſcapha, ad proximam Inſulam curſum teneret. Paruit monitus, in eoque exiguæ terræ ſpatio non tantum dulces aquas ſiti reſtinguendæ, ſed & volucres & ova in tanta copia invenit, ut vitam tamdiu ſuſtentare potuerit, donec occaſionem nactus eſt Hiſpano Gubernatori ſe manifeſtandi: inſigne hoc Beneficium anſam mihi dedit hortandi, & admonendi, ut vitam noſtram, quæ mera navigatio eſt, una cum morte Sanctæ Matri Annæ devotiſſime commendemus. Quid ſunt ſyrtes, & ſcopuli niſi peccata commiſſa? Quid fluctus, niſi noſtra inconſtantia? Quid blandæ Syrenes, niſi mundanæ voluptates? Quid tenebræ & tonitrua, niſi conſciencia? Quid venti & procellæ niſi tentationes? Quid marini vultures & ceti niſi dæmones? Hi omnes conjunctis viribus exitium nobis minantur. Clamemus ſupplices ad S. Annam, ut oſtendat nobis *Maris ſtellam*, & contra tot pericula ab æterno naufragio nos præſervet. V. Menochium Centur. 10. cap. 70. Et Roſſignol. cent. 2. part. 2. Mirac. 9.

In



In Feſto S. Laurentii Martyris.

*Martyrium pro mundo eſt gravius quam pro Deo.*

1. *Qui amat animam ſuam, perdet eam. Joan.* 12. Hodiernum feſtum duos nobis martyres ante oculos ponit. Quid? duos? Ita omnino duos! unum martyrem Dei, alterum martyrem diaboli: primus eſt Sanctus Laurentius, alter tyrannus Valerianus! primus corpore, alter anima torquetur! primus pro Deo, alter pro dæmone patitur! primus inter tormenta cæleſti ſolatio confortatur, alter furore & rabie ſuo inferno præludit. Videamus, quis majora tormenta ſuſtineat, martyr Chriſti, an martyr diaboli? 1. Lex Dei, non nego, habet aliquam difficultatem, præſertim in incipientibus: arduum videtur, mortificare paſſiones, exuere appetitus ſenſuales, & illud Chriſti monitum in praxin deducere: *Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam cuſtodit illam.* Verum longe gravior & intolerabilior eſt lex mundi: Monachus ille, dum in Urbe Alexandria feminam vidit compte veſtitam, & ornatu ſuo moleſtiſſime oneratam, flevit amare: cauſam quæſitus repoſuit: Fleo, quia tot; ac tanta non facio pro Deo, quanta hæc mulier facit pro mundo, &c. (Vide Barz. Serm. 24. num. 25. & 41.) Puer Amalecita ægrotus deſeritur, Jacob a Labano decipitur, Amman vel de nocte vigilat, ne quis ſibi vel de nocte gratiam regis ſuffuretur. Nonne hoc arduum? (Vide Speranz. punct. 29. & punct. 110.) Deliciæ mundi ſunt amariores, quam cruces Chriſti, ait Sanctus Thomas de Villanova, &c. 2. Quid dicam de tyrannide diaboli, qua ſuos, ſervicio ſuo addictos crudeliſſime torquet. Illo inſtigante, aut præcipiente Rex Joackim in honorem idoli toto corpore ſibi vulnera incidit. O! Si tale quid facere deberet Chriſtianus pro vero Deo, quanta lamenta, & querelas funderet! (Vide Continuo in Feſto S. Benedicti §. 4. num. 6.) Sic omnium peccatorum tortor & carnifex eſt infernalis inimicus, ſuperbos ſuſpendit, avaros cremat, invidos gladio confodit. (Vide Mich. a Calvo conc. 31. §. 2. nu. 10. & ſequent.) Et quam mercedem tandem exſpectant miſeri? In vita lanienam malæ conſcientiæ, & poſt mortem ſupplicia gehennæ; hinc admirabundus ait S. Chryſoſtomus: *Quamvis diabolus imperet moleſta & horum mercedem ponat gehennam,* S. Chryſ. hom. 16. in
*magis illi obtemperatur, quam Chriſto!* Act.
(Vide Pacciuchelli in Jonam lect. 6. n. 15.) His omnibus conſideratis, quis non libentius volet cum Laurentio ardere in craticula, quam cum Valeriano regnare in throno? &c.

*Quomodo ignis amoris Dei in cordibus noſtris reaccendendum ſit.*

2. *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Pſal.* 16. Credideram hactenus unum unicum fuiſſe ignem, quo S. Laurentius arſit, ſed hodie aliter doceor a S. Leone, dicente, quod fortior fuerit flamma, quæ intus uſſit, quam extra. Qualis erat hæc flamma? externam accendit tyrannus, internam Spiritus ſanctus! externa ſoli Laurentio convenit, interna etiam nobis communis eſt, de qua dictum illud: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Jam ſi perſcrutor corda, proh dolor! invenio hanc flammam extinctam eſſe, ſicut ignem ſacrum in puteo Nehemiæ. Quid agendum? an extinctus hic ignis reaccendi non amplius poteſt? Poteſt! Et quomodo? Audiamus! 1. Ignis accenditur flatu oris, id eſt per orationem; oratio enim, cum ſit elevatio mentis in Deum, quanto propinquius accedit ad fontem & ſcopum omnis amoris, tanto magis omnem tepiditatem ex animo expellit, illumque igne cæleſti inflammat. 2. Accenditur ignis ſpeculo cauſtico; ſpeculum ſunt exempla Sanctorum, præſertim hodie ſancti Laurentii, cujus cor adeo igne amoris arſit, ut externum corporis ignem non ſenſerit, & cum riſu exceſſerit. 3. Accenditur ignis ſilice: ita cor contritum, cum ſerio cogitat, quod ſummum, & infinite amabile Bonum offenderit, amore uſque ad lacrymas exardeſcit. 4. Accenditur ignis igne, nimirum infernali; quiſquis enim terribiles illos cruciatus, intenſione maximos, extenſione interminabiles perpendit, merito cum S. Auguſtino exclamat: Quis non lubens volet per horam ardere cum Laurentio, ut æternum non patiatur incendium, &c.

*Per ignem S. Laurentii perpenditur ignis inferni.*

3. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Joan.* 12.

Si

Si hodie tyrannica perſecutio ſæviret, prout initio Eccleſiæ contra Chriſtianos ſævit, quis eſſet ex nobis, qui Laurentiano potius igne cremari, quam fidem perdere vellet? revera pauci, & fere nullus! Ego autem ſcio carcerem plenum captivis, qui ingenti cum lætitia & aviditate in hos ignes inſilirent, in candenti craticula non jam una hora, ſed integra ſeptimana & amplius ullulandi & aſſandi, ſi poſſent redimi e ſua captivitate. Quinam ſunt hi captivi? ſunt infeliciſſimi damnati in inferno. Agite Dilectiſſimi, in igne S. Laurentii conſideremus ignem infernalem ejuſque intuitu generoſam reſolutionem capiamus, adverſa omnia, quamvis gravia, in hoc mundo pro Deo perferendi. 1. Quamvis ignis elementaris, quo quotidie utimur, ſit ardentiſſimus, & dolorem ſuper alia omnia tormenta cauſet, tamen ad ignem inferni comparatus ſe habet ſicut muſca comparata leoni; ratio eſt, quia ignis hic noſter a Miſericorde Deo creatus eſt ad noſtram utilitatem, ignis autem infernalis ab irato Deo accenſus ad pœnam ſcelerum. Deinde, quia ignis inferni jam ab origine mundi eſt ſuſcitatus, hucuſque in momenta ſingula intenſione crevit. Denique quia non tantum corpora, ſed & animas urit, &c. 2. Accedit, quod ignis inferni erga Chriſtianos longe ſit crudelior, & pœna terribilior. Sancto Macario ambulanti, inventa calvaria fatetur, ſe fuiſſe gentilem: quærenti, an etiam Chriſtiani ſint in inferno, reponit: eſſe quam plurimos, & quidem longe profundius in igne demerſos, quam ſe, ſuique ſimiles, &c. (Vide Sanch. 4. part. c. 4.) 3. Quod terribiliſſimum, ignis eſt æternus! tranſibunt ſæcula centena, millena, & centies millies millena, ignis non extinguetur. Tiberium Imp. rogavit maleficus, ut mortem ſibi acceleraret? reſpondit Cæſar: Necdum tecum in gratiam redii. Ita poſt mille annorum myriades reſpondebit Deus damnatis: Necdum vobiſcum in gratiam redii. O terribile tormentum! (Vide Baiz. ſer. 30. n. 43.) Judicate, Dilectiſſimi, quantum delirent, qui timent ignem Laurentii, & non timent ignem inferni! Vide Tit. Infernus, Æternitas! &c.

In Feſto Aſſumptionis B. V. Mariæ.

*B. V. moriens nos bonorum ſuorum heredes facit.*

1. IN *parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccl.* 24. Ubi mors, ibi hereditas; id quod tam in morte Chriſti Domini, quam hodie in Aſſumptione Divinæ Matris experti ſumus! Cum Chriſtus in cruce obiit, teſtamentum condidit, ait S. Ambroſius, Matri Joannem, corpus Nicodemo, Patri Spiritum dedit, ipſe vero Primogenitus, Majoratu ſeu hereditate paterna contentus in cælis, nos quoque illius participes eſſe voluit, *Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*. Hodierna die, ubi omnes Apoſtoli tanquam teſtes teſtamenti Mariæ ex univerſo orbe convocati ſunt, Nobis minoribus filiis dos Materna in hereditatem relicta eſt, quæ licet minor videatur, quam illa Filii, ampliſſima tamen eſt, & laudata ab ipſa Virgine: *Mecum ſunt divitiæ, & gloria!* Quænam autem ſunt hereditariæ opes ex benignitate aſſumptæ Virginis in nos derivatæ? Sunt bona illius tam immobilia, quam mobilia! Videamus, qua reverentia, qua cura & ſolicitudine illa cuſtodire, & honorare debeamus! 1. Bona immobilia hereditate per Mariam nobis relicta ſunt Templa Mariana, honori illius, & noſtræ utilitati erecta. In regno Hiſpaniarum ejuſmodi Templa Mariæ dedicata, decies millena, in ſola urbe Romana, tria ſupra ſeptuaginta reperiuntur: in noſtra quoque vicinia haud pauca ſunt, quæ totidem ſacra aſyla mihi videntur, ubi juſti in afflictionibus ſolatium & refugium, peccatores vero veniam & delictorum remiſſionem inveniunt: quia velocior eſt nonnunquam ſalus invocato Nomine Mariæ, quam invocato nomine JESU! Illud hic monitum velim, quod Doctiſſimus Bagatta enarrat: In Sacellum Beatiſſimæ Virginis Haslacenſe a S. Ottone dedicatum, *Bagatt. l. 7. c. 3. §. 2. n. 17.* nulla fera, ſeu domeſtica, ſeu ſilveſtris ingreditur, licet illud ſemper ſtet apertum: quod ſi brutum ingredi compellatur, vel ſtatim perit, vel oculis excæcatur. O mi peccator, ſi in ſceleribus obbrutuiſti, ita ut ſuperbia ſis leo, avaritia lupus, luxuria hircus, & quæ ſunt cætera, ſaltem, antequam coram facie ſanctiſſimæ compareas, conſcientiam contritione emunda, ne tibi forte noceat, quod prodeſſe debuiſſet, &c. 2. Bona Mobilia hereditate nobis relicta, ſunt quotidianæ devotiones, confraternitates, Roſaria, Scapularia, & alia! his indefeſſa ſolicitudine, ac devotione in honorem Virginis operam nava; quia ſunt ſcutum contra adverſitates tam temporales, quam ſpirituales, præſertim contra inſidias, & tentationes diaboli: Galenus Medicorum anteſignanus cuidam nocturnis illuſionibus vexato ſubſtratas in lecto renibus roſas, refrigerationis cauſa ſuaſit. Ita Beatiſſimæ Virginis, quæ vocatur Roſa Myſtica, imago in ſacro Scapulari eandem habet virtutem, ut extinguat ſtygii tentatoris ardores, &c. Vide Tit. Templa B. V. Item Tit. Cultus B. Virginis, &c.



*Angeli & Homines de aſſumptione B. V. gaudere debent.*

2. *Aſſumpta eſt Maria in cælum, gaudent Angeli.* Ante omnia hodiernæ diei lætitia exigit, ut Sanctiſſimæ Virgini ſublimiſſimam dignitatem gratulemur, qua tanquam Divini Patris Filia, Divini Filii Mater & Divini Spiritus Sponſa in cælos aſſumpta, uſque ad ſolium Diviniſſimæ Trinitatis exaltata & coronata eſt. Laudetur glorioſiſſima cæli terræque Regina! Deinde duplex ſe quæſtio offert; 1. Cur Eccleſia dicat, gaudere Angelos, quæ cauſa hujus gaudii? 2. An Homini in terris de aſſumptione Virginis triſtandum potius vel gaudendum ſit? Dilucidemus utramque quæſtionem! Reſpondeo ad primam! Omnes Angelorum chori de aſſumptione glorioſæ Virginis lætantur, & exultant; quia jam propinquiore famulatu Dominæ ac Reginæ ſuæ obſequia ſua deferre, ſimulque confidentius ſperare poſſunt, ruinam Angelicæ ſuæ dignitati rebellione Luciferi cauſatam tanto citius ſecuriuſque reparatum iri. Sed quomodo, qua de cauſa? Devotiſſimus Gerſon docet, quod Chriſtus Dominus Amantiſſimæ Matri ſuæ hodie in cælos aſſumptæ, ac coronatæ dimidiam regni ſui, quod in Miſericordia & juſtitia conſiſtit, partem ceſſerit, & reſervata ſibi juſtitia Miſericordiam Mariæ adminiſtrandam dederit. Quidni ergo SS. Angeli Tutelares ſperent, clientes ſuos jam per Miſericordiæ Matrem ſalutem ſuam in cælis facilius, expeditiuſque conſecuturos, & ſic numerum Angelorum citius complendum eſſe; nimis enim certum eſt, multos hodie arſuros in inferno, niſi Mariæ miſericordia fuiſſent ſalvati. Ecce! hæc lætitia Angelorum! &c. Reſpondeo jam ad alteram quæſtionem, an humano generi hodie triſtandum potius quam gaudendum ſit? Sine dubio, triſtior jactura accidere mundo non potuit, quam cum Dei Matrem, unicum in adverſis ſolatium amiſit. Verum reſpirate afflicti! Maria quidem oculos hodie per mortem claudit, ſed cor illius pro nobis vigilat: (Vide Mich. a Calvo conc. 13. § 1. n. 5.) Quamvis Mariæ Miſericordia ſit a nobis remotior, tamen ſimul eſt potentior! ideo dicitur *pulchra ut Luna, electa ut ſol*, quia ſicut ejus Miſericordia antea in terris fuit defectuoſa ut Luna, jam in cælis eſt perfectiſſima ut ſol! Sperate Juſti in tribulationibus veſtris! Sperate peccatores in anguſtiis veſtris! Maria obiit, non abiit! proximior facta Deo, crevit in poteſtate, & voluntate nobis ſuccurrendi! Audite Bernardum: *Non deeſt Mariæ poteſtas, quia Mater Omnipotentiæ! Non deeſt impetrandi facultas, quia Mater eſt ſapientiæ! Non deeſt juvandi voluntas, quia Mater eſt Miſericordiæ.* Ora, invoca, ſupplica! Experieris! &c. Vide Mancini, Deus Miſericors, Demonſt. 10. coroll. 6. &c.

*B. V. Triplici corona coronata.*

3. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, Veni, coronaberis. Cant.* 4. v. 8. Quid eſt, quod Dilecta in Canticis triplici invitatione a ſponſo ad gloriam coronationis vocetur? *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, Veni, coronaberis!* Inſignia prorſus debent fuiſſe merita ſponſæ, quibus trifariam honorari promeruit. Ne dubitate, Dilectiſsimi, inſignia fuere merita; per ſponſam enim intelligo ſanctiſsimam Dei Matrem, quæ plane ſanctitate ſua Angelorum & hominum merita incomparabiliter tranſcendens triplici corona, veluti Romani olim Imperatores in triumpho, meruit honorari, videlicet ferrea, argentea, & aurea. Admiramini quod ajo? Explicemus omnia, & quid nobis agendum ſit, dilucidemus! 1. Beatiſsima Dei Mater coronata eſt *corona ferrea* in myſteriis doloroſis, quando ſtans ſub cruce, quod filius paſſus eſt in corpore, illa paſſa eſt in anima, tanto doloris exceſſu, ut ſi in omnes creaturas divideretur, prout loquitur S. Bernardinus Senenſis, omnes ſubito interirent; hinc S. Gabriel Archangelus Mariæ ante mortem attulit ramum *Palmæ*: cur non roſam aut lilium? quia illam declarare voluit Reginam Martyrum, qui palmam in manibus geſtant. Tu, mi Chriſtiane, Beatiſsimæ omnes dolores, & afflictiones tuas offer unitas cum illius Martyrio, &c. 2. Beatiſsima Dei Mater coronata eſt *corona argentea* in myſteriis gaudioſis. Tu offer illi argenteam candorem

rem caſtitatis, & omnium piorum operum, &c. 3. Beatiſſima Dei Mater coronata eſt *corona aurea* in myſteriis glorioſis, hodie inauguratæ in Reginam cæli & terræ, &c. Tu offer & commenda illi mortis tuæ agonem, & roga finalem gratiam. Non deerit tibi Beatiſſima, ut pro te fiducialiter intercedat; nam, ut ait S. Thomas, ut quis alterius patrocinium ſuſcipiat, tria requiruntur, ſcientia, poteſtas, & voluntas, quæ tria omnia habet Maria, &c. Vide Fridericum Fornerum Serm. Tricef. ſer. 11. 12. & 13. &c.

In Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.

*Quilibet Chriſtianus inter ſuos tenetur eſſe Apoſtolus.*

ELegit *duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit. Luc.* 6. 1. Si Dominus Deus ad converſionem orbis, & propagandam ſalvificam fidem potentes Principes ac reges cum armatis exercitibus, aut aſtutos Philoſophos omni ſcientiarum genere excultos adhibuiſſet, quilibet Chriſtianus ſe excuſare, dicereque poſſe: Non teneor imitari Apoſtolos, quia tali potentia, & exquiſitis qualitatibus ad grande hoc opus requiſitis præditus non ſum! verum cum Divina Providentia ad lucrandas animas elegerit viros inermes, rudes, indoctos & incultos, nemo eſt, qui hanc excuſationem obtendere poſſit. Omnes ad imitationem Apoſtolorum tenentur cooperari ad animarum ſalutem! idque vel maxime dictum ac inculcatum volo Superioribus, Parentibus, ac Patribus familias, qui inter ſuos ſubditos, filios, ac famulos domi ſuæ obligantur eſſe Apoſtoli, inſtruendo omnes curæ ſuæ commiſſos in fide, & juſtitia Chriſtiana. Sed quomodo? Audite, attendite! 1. Nemo hominum ſibi ſoli vivit, ſed etiam proximo, cui tam corpore, quam anima tenus pro viribus prodeſſe ſtudeat, juxta illud: *Mandavit unicuique de proximo ſuo*. Hoc mandatum præcipue ſtringit eos, qui præſunt. Itaque ante omnia curet Superior, aut Pater-familias, ut domeſticos, filios, & famulos in ſancta fide inſtruat, aut inſtrui permittat; hunc in finem illos ad audiendum verbum Dei, ad frequentandas catecheſes compellat, & nonnunquam ipſius pio diſcurſu aut lectione ſuper menſam, aut aliis ſacras veritates exponat. Neque unquam permittat, ut vel jota, vel unus apex alicujus articuli a ſuis ſubditis in dubium vocetur. Inſuper ſolicite curet, ut ne quiſquam ſuorum familiaritatem contrahat cum hæterodoxis, aut illis libertinis, qui pro more infelicis hujus ſæculi ſibi ipſis fidei ſiſtema confingunt, & antiqua ſacroſancta dogmata, ab Apoſtolis derivata naſutuli riſu explodunt. Fugiantur iſti velut peſtis! &c. (Vide Tit. Fides, Hæreſis, Hæretici.) 2. Deinde invigilent Superiores, ac Patresfamilias, ut ſubditi, & domeſtici ſolide imbuantur in juſtitia Chriſtiana, cujus duplex eſt munus, ſeu obligatio: Declinare a malo, & facere bonum. Et hoc quidem quod attinet, nempe facere bonum, erudiat illos, quomodo continuo in præſentia Dei ambulare, & actiones quotidianas per ſacram intentionem ad opera meritoria elevare poſſint ac debeant. (Vide Tit. Opera bona, Intentio &c.) Denique vigili oculo obſervet eorum mores ac vitæ rationem, ſuſpecta conſortia interrumpat, peccata maxima cum ſolicitudine præpediat, & neminem ſceleratum in domo ſua patiatur, &c. Hæc ſi agat, erit Apoſtolus domeſticus! Vide Tit. Superiores, Patresfamilias, Peccatum, &c.

*Mala conſuetudo grande malum.*

2. *Numquid mutare poteſt æthiops pellem ſuam? Jerem.* 13. Cum homini ad rem impoſſibilem connitenti inutilem conatum exprobrare volumus, dicere ſolemus: Æthiopem lavas! Etenim etiamſi Africanus in Mauritania natus, ter, quater, decies, aut ſæpius cum omni induſtria lavetur, nunquam nigredinem exuet, nunquam albedinem induet. Scitis, quid per æthiopem intelligam? Intelligo miſerrimum peccatorem, cujus peccandi malitia in conſuetudinem excrevit. Revera peccatum denigrat animam, eamque toties quoties nigriorem facit, donec tandem nigredo incorrigibilis, & inemendabilis fit: Ita ſentit, & loquitur S. Bernardus: Sunt aliqui, qui quaſi cute quadam involuti ſunt conſuetudine vitiorum, ut illam dediſcere aut deſueſcere non tam ſit ſpoliari, quam excoriari. Vultis audire rationes? Audite! 1. Mala conſuetudo tam potens & violenta eſt, ut quoties peccatum repetitur, ſemper magis invaleſcat: ſicut per quemvis mallei ictum clavus profundius in lignum immergitur; ita per quodvis peccatum conſuetudo mala magis



gis radicatur; hinc dicitur tranſire in naturam; quemadmodum illa, quæ natura nobis, dedit exui & deponi non poſſunt, uti ſpirare, comedere, dormire; ita quæ per conſuetudinem invaluerunt, ſuperari vix amplius poſſunt. 2. Quin imo conſuetudo tam malignæ eſt indolis, ut etiam ardua. & amara dulceſcere faciat: Iſraelitæ in deſerto cœleſti Manna paſti ſunt, & tamen præ illo cepas & allia Ægypti eſurierunt, quia his ultra centum annos aſſueverunt. Quid amarius, quid inſulſius peccato? cum prima vice committitur, heu! quantis aculeis conſcientiam lancinat! quod ſi repetitis viribus multiplicetur, deſinit eſſe abſynthium & inſtar ſacchari devoratur. 3. Hinc eſt quod conſuetudo mala difficillime emendetur, & ordinarie infelicem mortem poſt ſe trahat; ad converſionem enim non eſt efficacius remedium, quam timor Domini, hic timor autem eliditur per conſuetudinem; quia tandem animus occaleſcit. (V. P. Segneri p. 1. Diſc. 4. n. 14.) Quid ergo agendum? an deſperandum! violenta violenter ſuperanda ſunt! Peccator ſæpe invocet Dei gratiam. Deinde per invictum propoſitum voluntatem ſubjuget. Denique contrariam virtutem iterato eliciat &c. V. Tit. Mala conſuetudo, &c.

*De crimine detractionis & ejus damnis.*

3. *Vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. Luc.* 6. Hi duodecim Diſcipuli erant oracula Veritatis, quos ad Chriſti legem toto orbe diſſeminandam Dominus elegit, inter hos etiam erat S. Bartholomæus, Indorum, & majoris Armeniæ Apoſtolus. Audite vero, quam infeliciter Sancti iſtius labores fuerint fruſtrati! Jam Regem, cum Regina, & duodecim civitatibus converterat, cum ecce! Sacrificulorum ſuſurrationibus apud fratrem Regis ita fuit denigratus, ut is innocenti Apoſtolo, poſt detractum honorem, etiam pellem detrahi crudeli martyrio præceperit. Maledictum crimen detractionis! Hoc, Dilectiſſimi, ut vobis odibile, & deteſtabile reddam, deſcribam maligniſſima ejus damna; ſicut enim coluber tricuſpite lingua tria vulnera infligit: ita detractio tres uno morſu lædit, loquentem, audientem, & eum maxime cui detrahit. (Vide Barz. ſerm. 36. n. 26. Et Serm. 50. n. 31.) 1. Detractio vulnerat *detrahentem*, de hoc ait Pſalmiſta: Converſi ſunt in arcum pravum: Arcus pravus eſt, qui dum putatur ſagittam contra hoſtes ejaculari, ſauciat ſagittarium: exemplum habemus in Maria ſorore Moyſis! dum contra fratrem linguam acuit, cui maxime nocuit? ſibi ipſi; quia lepram contraxit. (Vide Speranzam punct. 115.) 2. Detractio vulnerat *Audientem!* Inter detrahentem & audientem ait S. Auguſtinus, non eſt aliud diſcrimen, quam quod primus habeat diabolum in lingua, alter in aure: ſi non eſſet auditor, non eſſet detractor; quia ille nonnunquam de induſtria expiſcatur, quæ audire vellet, & eſt velut follis ad ignem. 3. Detractio maxime vulnerat *Eum cui detrahitur*. Jeremias vidit olivam pulcherrime florentem, cum autem tranſiit, illa non erat amplius: quid factum eſt olivæ? fulmine tacta eſt. Ita multi florent, ſed a detractione ceu fulmine ad nihilum rediguntur, &c. Vide Tit. Detractio, &c.

In Feſto Sanctorum Angelorum.

*Angelus cuſtodit clientem intrantem, tranſeuntem, & exeuntem e mundo.*

1. ANgelis *ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Pſ.* 90. *v.* 11. Quod Magiſter eſt Diſcipulo, quod Medicus ægro, quod Ductor Viatori, quod ſcutum Militi, quod umbraculum contra æſtum ſolis; id omne, & multo plus eſt Angelus Cuſtos Clienti. Expertus eſt juvenis Tobias, quem Angelus Raphael fideliſſime comitatus eſt in itinere. Verum non jam Tobiæ, ſed nobis ipſis gratulemur hodie, quia de me, de te, de nobis omnibus Deus mandavit Angelis, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, quod certe mandatum Angeli obedientiſſime exequuntur. Sed quænam ſunt illæ viæ, in quibus Angeli Clientem cuſtodiunt? Reſpondet S. Hieronymus: Via hominis triplex eſt, In mundum, Per mundum, & Ex mundo! Videamus obſequia, quæ tripliciter nobis præſtat Angelus. 1. *In mundum* intrat homo per nativitatem, ubi certum eſt, quod Angelus, ad mandatum Domini, ſolicite curam gerat de parente, ne partus, antequam lucem aſpiciat, in utero Matris per infortunium, quod ſæpe fieri ſolet, ſuffocetur, & pereat. Deinde in ipſa nativitatis die certum eſt, quod Angelus mox infantem in ſuam tutelam recipiat, ne ab inſidiante diabolo, qui jam tum neo-nato homini cælum, e quo ipſe

ALERE FLAMMAM VERITATIS

ipſe expulſus eſt, invidet, ante Baptiſmum juguletur. Optime faciunt parentes, ſi prima ſtatim hora infantulum Deo, & Angelo tutelari commendent! &c. 2. *Per mundum* ambulat homo in vita ſua, ubi Angelus ſemper lateri ejus adhæret, cumque contra pericula corporis & animæ cuſtodit. Pericula corporis ſunt morbi, vulnera, aliaque infortunia, quæ paſſim in aliis dolenter conſpicimus. Pericula animæ ſunt peccata, contra quæ Angelus in tentationibus ſuccurrit, cumque vel monitis excitat, vel minis etiam terret, ne a via mandatorum recedat. (Vide Speranz punct. 97.) 3. *E mundo* exit homo per mortem, ubi Angelus omnem conatum adhibet, ut morientem ab inſidiis infernalis inimici, & a deſperatione præſervet, &c. Tu, mi Chriſtiane, in tribus his viis Angelo monenti morem gere! cura ſolicite, ne illum unquam peccato in fugam agas; quia ait S. Bernardus: *Væ nobis, ſi provocati peccatis indignos nos judicaverint præſentia ſua!* &c. V. Barz. Serm. 19. n. 13. & ſeq.

*Feſtum hoc eſt gratitudinis, obedientiæ, & compaſſionis.*

2. *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Sicut Feſta Domini per annum ad exercendas virtutes Theologicas nos excitant: Feſta Mariæ Virginis ad puritatem animi conſervandam inflammant: Feſta Sanctorum ad imitationem virtutum provocant; ita hodiernum Feſtum SS. Angelorum reſpectu Dei eſt Feſtum gratitudinis, reſpectu noſtri Feſtum obedientiæ, reſpectu Angelorum Feſtum vel gratulationis, vel compaſſionis. Si paradoxum vobis videtur, quod loquor, audite explicationem! 1. Hodiernum eſt Feſtum *gratitudinis* reſpectu Dei! quis enim grates ſatis rependat amantiſſimo ac providiſſimo Deo, quod a primo creationis momento Ducem, tutorem & cuſtodem nobis adjunxerit fideliſſimum ac potentiſſimum, qui in hoc vitæ mortalis itinere, per millena pereundi pericula, ad cælum nos ſecure perducere poſſit, & velit. Nonne convenientius foret, ut nos ſerviremus Angelo, quam Angelus nobis? &c. 2. Hodiernum eſt Feſtum *obedientiæ* reſpectu noſtri; cum enim Angelus per monita, & minas nihil aliud intendat, quam noſtram ſalutem corporis & animæ, exigit viciſſim noſtra obligatio, ut ejus nutum obſequioſiſſime ſequamur. Quantum profuit hæc obedientia juniori Tobiæ! &c. 3. Hodiernum eſt Feſtum vel *gratulationis, vel compaſſionis*; ſi enim cliens obediens ſalutem conſequatur, Angeli in cælis diem feſtivam agunt, & ceteri huic Angelo gratulabundi applaudunt. (V. P. Lohner Bibl. V. Angelus n. 37. §. 3.) Si vero cliens æternum pereat, Angelus triſtatur, & ceteri illi cum luctu condolent. Ideo in hodierno Evangelio dicitur: *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis*, id eſt, ne interitum animæ illius pro levi jactura reputetis, *Angeli enim illorum ſemper vident faciem Patris veſtri*, id eſt, Angeli, etſi quoad ſe culpam non habeant, tamen coram facie Divini Patris erubeſcunt interitum ſuorum clientum. O infelix cliens, quanta cum deſperatione deplorabis inobedientiam tuam, qua amantiſſimi Cuſtodis conatus fruſtraſti! &c. Vide Mich. a Calvo conc. 10. §. 3. n. 9. & ſeq.

*De obſequiis quæ Angelus clienti præſtat.*

3. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te.* Sanctum Angelum Cuſtodem ut Tutorem intueor, qui pupillum orphanum, parentibus præmatura morte orbatum, enutriendum ſuſcipit, & adoptat. Sicut iſte, ita & Angelus innocentem animam recens natam in ſuam tutelam recipit. Cujus mandato? Dei Optimi Maximi, qui ex immenſa benignitate cuilibet homini Cuſtodem aſsignat. Cum igitur Angelus ſit ſapientiſsimus, utique ſciet; cum ſit potentiſſimus, utique poterit: & cum ſit ſanctiſſimus, utique volet, profundiſſima cum humilitate mandato Dei obedientiſſime ſatisfacere, & animæ ſibi commiſſæ omnia, quæ expedit, obſequia præſtare. Quænam ſunt hæc obſequia? Audiamus ex S. Bonaventura, & noſtram gratitudinem diſcamus. 1. Angelus Cuſtos, dum munus hoc ſuſcipit, ante omnia operam dat, ut innocens anima ab unguiculis in virtute ſemper, & meritis creſcat; hunc in finem educatoribus, Magiſtris, & inſtructoribus ſaluberrima principia ſuggerit, tenellæ animæ inculcanda v. g. de Deo amando ſuper omnia, de obedientia præſtanda parentibus, de contemnendis mundi vanitatibus, de fine ultimo, ad quem creati ſumus, &c. 2. Solicite vigilat ne cliens in peccatum cadat, maximum illud malum, de quo S. Blancha quotidie filiolo ſuo Ludovico in faciem edixit: Fili, mallem te in feretro, quam in peccato videre! & ecce! hoc



hoc principio horror peccati tam altas radices egit in corde Regis Ludovici, ut per omnem vitam inter aulæ delicias, quod miraculo ſimillimum eſt, nunquam graviter peccaverit. 3. Quodſi infelix cliens in grave delictum inciderit, eheu! luget, & triſtatur Angelus, atque laborem duplicat, ut miſer per pœnitentiam cito cum Deo reconcilietur, ne multiplicando peccata in profundum veniat, & pereat. 4. Id ſi impetraverit, continuo clientem ſpe præmii, & metu inferni exſtimulat, ut in Dei gratia uſque ad mortem perſeveret, &c. En! hæc ſunt obſequia, quæ tibi Angelus tuus hucuſque præſtitit, & deinceps præſtabit. Quæ noſtra eſt viciſſim obligatio? Audi: cum Patriarcha Abraham ad mandatum Dei filium ſuum Iſaac immolaturus erat, apparens Angelus manum & gladium ferientis cohibuit, & ita filium in vivis conſervavit. Hæc enarrat Scriptura, non autem adjungit, qua gratitudine Iſaac Angelum conſervatorem veneratus ſit. Et quare non? quia verbis deſcribi non poteſt, quantum Iſaac Angelo debuerit, cui ſe totum debuit: Ita de te loquor, mi Chriſtiane! Forſan jam arderes in inferno, niſi hoc protectore fuiſſes præſervatus! igitur te totum debes, &c. Vide Tit. Angelus Cuſtos. Barz. Serm. 72. num. 14. Item Corn. a Lap. Exod. 23. v. 20.

In Feſto Nativitatis B. V. Mariæ.

*De donis naturæ & gratiæ B. V. collatis.*

1. De *qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus*. Cum Creator rerum omnium Deus Beatiſſimam Virginem, quam Divino Filio ſuo Matrem elegit, e nihilo produxit, ſimul illam cæleſtibus donis adeo exornavit, ut primo creationis inſtanti jam eſſet excellentior omnibus Sanctis, diceretque poſſet: *In plenitudine Sanctorum detentio mea!* Præterea hodierno Nativitatis Feſto ad cunas Virginis advenerunt duæ opulentiſſimæ Matronæ, quæ ſe, ſuaſque divitias plane ingentes ejus famulatui addixerunt. Quænam ſunt hæ duæ Matronæ? ſunt Natura, & Gratia! Videamusque quæ dona ad excellentiam Neo-natæ Virginis contulerint, & quid nobis agendum, diſpiciamus! &c. 1. Natura contulit Neo-Natæ Virgini pulcritudinem admirandam, qua omnes Veteris Teſtamenti feminas, quæ de venuſtate laudantur, uti Rebeccam, Rachelem, Eſther, aliaſque incomparabiliter ſuperavit. S. Dionyſius Athenis uſque Jeruſalem profectus eſt, ut Mariam videret. Vidit, & poſtea edixit: crediturum ſe, quod Deam vidiſſet, niſi fides contrarium doceret. Et quod majus eſt, hac pulcritudo in aſpicientibus non ſuſcitavit, ſed extinxit libidinem: fuit *ſicut lilium inter ſpinas*: quia aliæ pulcritudines pungunt ut ſpinæ, ſed Maria ſemper ad pudicitiam allicuit ſicut lilium. Tu, mi Chriſtiane, cum moleſtias ſimilium punctionum advertis, Mariæ pulcritudinem tibi ante oculos pone! &c. (Vide Mich. a Calvo Conc. 11. Ser. 2. n. 5.) 2. Gratia Beatiſſimam Virginem ea ſanctitate donavit, ut non tantum illam ab omni macula peccati originalis præſervarit, ſed omnes creaturarum excellentias in ea adunarit, dicente S. Hieronymo: *Ceteris per partes, Mariæ ſe tota infudit gratiæ plenitudo.* Maria fuit, & eſt Regina omnium Sanctorum: ergo debuit eſſe idea ſanctitatis, juxta quam SS. Angeli, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores & Virgines ſuam efformarent. (Vide Corn. a Lap. Prov. 8. v. 22.) Tu, mi Chriſtiane, gratulare ſanctiſſimæ Virgini tantas corporis & animæ excellentias, roga illam, ut tibi puritatem ab omni peccato immunem ſuo patrocinio impetrare dignetur. (Vide Tit. Excellentiæ B. V.)

*Maria comparatur Lunæ, Auroræ & Soli.*

2. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol?* Neo-Natæ Virginis dignitas ab Angelis admirantibus triplici comparatione laudatur, & extollitur, Lunæ, Auroræ & Solis, quo indicatur, quod ſicut Luna in nocte, Aurora ſub diluculo, & Sol in die lucet; ita Mariam a Deo conſtitutam eſſe, ut peccatoribus, pœnitentibus, & juſtis ſuo auxilio, & patrocinio proſit: *Omnibus omnia facta eſt*, ait S. Bernardus, *omnibus Miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.* (Vide Barz. Serm. 75. nu. 15. Et Serm. 71. nu. 10.) Videamus, quomodo Beatiſſima triplici beneficio omnibus proſit, ut quæ noſtra ſit viciſſim obligatio, agnoſcamus! &c. 1. Sicut Luna in nocte lucet; ita Maria miſerorum curam gerit, qui in tenebris peccatorum hallucinantur. Infelices animæ, quid vobis ſolatii ſupereſſe poteſt in mundo, qui Deum habetis inimicum! filum

filum vitæ humanæ tenue, & fragile eſt, deteſente, cum minime putabitis, frangitur! & quid ſequitur? infeliciſſima æternitas! Miſeris his Beatiſſima Virgo compatitur, & ſicut Luna omnes influxus, quos a Sole recipit, terræ communicat; ita illa intercesſione ſua miſeris gratiam converſionis exorat. Væ, illis, qui gratiæ cooperari detrectant! (Vide Mich. a Calvo conc. 25. §. 1. n. 10.) 2. Sicut Aurora lucet ſub diluculo, media inter diem & noctem; ita B. V. ſingulariter Patrona eſt pœnitentium, qui quaſi ſunt medii inter diem gratiæ, & noctem peccati. Eſto, pœnitentiam egerint, peccatum tamen tot venenoſas radices in animo reliquit, quæ in moleſtas tentationes, infirmitateſque identidem repullulant, ipſe etiam dæmon jure ſuo, quod per peccatum acquiſivit, non vult cedere, quotidie novos inſultus & pugnas renovat. Quid remedii? confugiendum ad Mariam! ſicut aurora ſuccurrit Jacobo luctanti; ita illa, ſpeciali devotione invocata, decertantibus in hujus vitæ prælio ſubveniet. (Vide Mich. a Calvo conc. 39. §. 3. n. 7.) 3. Sicut Sol lucet in die, & radiis ſuis calefacit, inflammat, & fœcundat; ita B. V. ſpecialiter oculos ſuos convertit ad homines juſtos, qui lumine Divinæ gratiæ coruſcant. Pro his non tantum in ſpiritualibus, ſed & in temporalibus curam gerit. Percipite curam prodigioſam! Quingenti Metalli-foſſores a corruente monte in ſpelunca ſubterranea obruti ſunt. In hoc miſero ſtatu apparuit illis infernalis inimicus, illiſque promiſit exitum, ſi ſuæ ſervituti ſe addicere vellent. Recuſarunt conditionem omnes, & hodierna die Nativitatis B. V. auxilium invocarunt, & ecce! mons miraculoſe in medio ruptus, exitum captivis aperuit. (Vide Roſſignol. cent. 3. Mirac. 44.) Plaudite juſti! perſeverate conſtanter in Dei gratia! Maria Mater veſtra erit, corpore & anima tenus! &c. (Vide Tit. Comparationes B. V.)

*Cunæ B. V. debent nos animare ad pugnam.*

3. *Virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus. Matth.* 1. Cum olim regnum, ſeu Ducatus Brabantinus legitimis ſuis Principibus per mortem orbatus, ex omni parte per armatos exercitus invaderetur, Proceres regni, ut extremo malo conſulerent, Godofredum principem heri natum, qui ſolus e proavorum ſanguine ſuperſtes adhuc in cunis vagiebat, in campo arenæ, ubi cum hoſtibus confligendum erat, in cunis ex arbore ſuſpenderunt, ut milites miſerabili ſui principis aſpectu ad pugnam animarentur. Et profuit conſilium! hoſtes victi, ſtrati, & ad internecionem deleti ſunt. Eccleſia hodie cunas B. V. Dominæ noſtræ nobis ante oculos ponit, ut nos in hac vita, quæ mera militia eſt, ad pugnam contra hoſtes generoſe obeundam excitaret. Quinam ſunt noſtri hoſtes? eſt infamis illa trias, mundus, caro, & dæmon. Videamus quomodo pugnandum, quomodo vincendum ſit! 1. In arenam progreditur Mundus, & magna cum jactantia bona ſua, honores, ac dignitates extollit, vitam longævam, felicitatem maximam, ac dies ſine nube ſerenos promittit, qua promiſſione miſeros nonnunquam adeo dementat, ut cervicem ſuperbiendo erigentes, ad faſtigia mundana eluctentur, & æterna obliviſcantur. 2. Ad pugnam continuo provocat caro, voluptates ſuas offert, ſuos ſequaces, qui ſibi dictum putant illud: Ede, bibe, lude! beatos dicit. Econtra juſtos ac caſtos, qui ejus delicias aſpernantur, contemnit: Joſephum innocentem in carcere concludit, & adulteram ream domi honoribus extollit. 3. Pugnam proſequitur, & aggravat fallaciſſimus dæmon, offert divitias, honores, voluptates, & omnia terrena commoda, & tamen ſuos aſſeclas certos eſſe jubet de æterna felicitate, &c. At vero, Dilectiſſimi, cauti eſtote! nolite fidem dare! Eſt impoſſibile, ait S. Hieronymus, ut præſentibus quis, & futuris fruatur bonis, atque hic ventrem & ibi mentem impleat! Attollite oculos ad cunas B. V. quæ ſemper fuit humillima, caſtiſſima, pauperrima! hujus aſpectu diſcite porro pugnare contra Mundum, Carnem, & Dæmonem! &c. &c.

## In Feſto S. Matthæi Apoſtoli.

*Miſericordia Dei mirabilis erga peccatores.*

1. V*idit JESUS hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Matth.* 9. Qui criminis capitalis reum ſe fecit, ad aſylum aſpirat: ſic in Veteri Lege dabantur civitates refugii, ubi malefactores erant ſecuri contra apparitores juſtitiæ. Peccator reus eſt flagitii capitalis, quia rebellis contra Divinam Majeſtatem! quo confugiet? non eſt illi refugium,



gium, quam offenſus Deus! In humanis, qui regem offendit, regem offenſum quam longiſſime fugit! Non ita in Divinis! qui Deum offendit, quo magis ſecuritatem deſiderat, eo propius ad Deum offenſum accedat. O Miſericordia Dei, patere, ut te peccatorum cordibus intime inculcem, quæ te hodie in vocatione peccatoris Matthæi mirabilem exhibuiſti! Agnoſcat peccator, quæ principia imbibere in animo debeat de Miſericordiſſimo Deo! 1. Inprimis firma fide teneat peccator, Magnam eſſe Miſericordiam Dei erga peccatores! Abrahamum ex igne Chaldæorum, Lotum ex incendio Sodomæ, tres pueros ex fornace Babylonica eripuit: ſed hoc fecit amicis! nonne mirabilius eſt, quod inimicum, videlicet peccatorem eripiat ex igne infernali? Non eſt Rex aut Princeps in orbe terrarum, qui rebellem in amicum facile recipiat, id unum unus facit Miſericors Deus, &c. 2. Conſideret, & admiretur peccator, quod Deus peccatorem non tantum rogantem recipiat, ſed & non rogantem rogando & invitando præveniat. Id quod admiratur Tertullianus inquiens: Inauditum Miſericordiæ genus, ſummo cum jure veniam negare poſſe, & non ſolum non negare, ſed rogare & minari. 3. Peccator bene ac profunde animo imprimat, exempla Miſericordiæ non debere trahi in conſequentiam: peſſima eſt argumentatio: Matthæus Miſericordiam conſecutus eſt, ergo & ego conſequar! Per ſimilem argumentationem olim Pharao periit: dixit ſibi ipſi: Populus Iſrael ſecure tranſiit rubrum mare: ergo & mihi tranſire licebit: dixit, & ſubmerſus periit. Vide Barz. Serm. 13. a n. 9. & ſeq. Item Tit. Miſericordia &c.

*De Beneficio Vocationis ad fidem, & noſtra obligatione.*

2. *Et ait illi: Sequere me. Matth.* 9. Quam gratiam & Beneficium Chriſtus Dominus Matthæo exhibuit, vocando illum præ mille aliis ad ſui ſequelam, idipſum & Dominus Deus exhibuit cuilibet Chriſtiano, vocando illum ad ſanctam ſalvificam fidem præ millies millenis aliis: circumferamus oculos & animum per totum orbem terrarum, videbimus noſtram Europam ſcaturire hæreſum monſtris, Lutheraniſmo, Calviniſmo, Janſeniſmo, Syncretiſmo, Atheiſmo, aliiſque, quotidie novis. Si conjiciamus oculos in ceteras mundi partes Aſiam, Africam & Americam, inveniemus non niſi Gentiles, Machumetanos, idololatras, tanta cum feritate morum, ut incolarum milliones, ac milliones, ſi ſolam externam ſpeciem excipias, brutis, quam hominibus ſint ſimiliores. Et cur Dominus Deus nos præ his omnibus ad ſanctam ſalvificam fidem vocavit? Ex mera Bonitate & Miſericordia! Quis unquam hoc beneficium ſatis perpendit? qua gratitudine illud retribuere, & compenſare poſſumus Miſericordiſſimo Deo? Imitemur exemplum S. Matthæi, ille pro gratia ſuæ Vocationis adeo gratum ſe exhibuit Deo, ut in honorem Dei, Evangeliſtæ, Apoſtoli, & Martyris munus obierit. Faciamus ſimiliter, audiamus quomodo! 1. S. Matthæus in gratitudinem ſuæ Vocationis egit *Evangeliſtam*, deſcribendo vitam Chriſti a ſtabulo uſque ad crucem. Parem in modum quoad Deum vitam Chriſti in nobis ſemper exprimamus. Ideo in Concilio Antiocheno decretum eſt, ut credentes in Dominum JESUM Chriſtum deinceps Chriſtiani vocarentur: hic titulus denotat ſequacem Chriſti, quem in Baptiſmo profeſſus eſt. (Vide Barz. Ser. 41. n. 19.) Studeat ergo, ſicut corpore in terra, ita animo ſemper in cælo habitare, non tranſeat hora, in qua non Deum ſuum per aſpirationes jaculatorias ſalutet, & omnia ad ejus gloriam agat. (Vide Tit. Chriſtianus.) 2. S. Matthæus in gratitudinem ſuæ Vocationis factus eſt *Apoſtolus* propagando fidem, & prædicando Verbum Dei in ſalutem animarum. Parem in modum Chriſtianus quoad proximum conatum omnem impendat, ut rudes inſtruat, errantes corrigat, virtutem verbo, & exemplo doceat, peccata impediat, &c. 3. Sanctus Matthæus in gratitudinem ſuæ Vocationis factus eſt *Martyr*, dum Parthis & Æthiopibus fidem attulit, ſecuri percuſſus. Parem in modum Chriſtianus quoad ſeipſum martyr fiat, affectibus terrenis emoriatur, paſſiones, & concupiſcentias perimat, adverſitates, & ærumnas ſæculi generoſa reſignatione perferat, tentationes vincat, percutienti alteram maxillam præbeat, id, quod genus martyrii eſt, &c. Vide Tit. Chriſtianus. Sic reſpondendum eſt gratiæ Vocationis ad fidem, ut quilibet in mortis articulo dicere poſſit: Gratia ejus in me vacua non fuit, &c.

*De operationibus gratiæ Divinæ.*

3. *Vidit hominem ſedentem in telonio.* Quod ſol oriens facit in noſtro Hori-

Horizonte, id aſpectus Chriſti fecit in animo Matthæi: Diſcuſſit tenebras noctis, qua periculum æterni interitus non agnoſcebat: Calefecit frigidum cor, ut cæleſtibus deſideriis ardere inciperet: Diſſolvit nivem & glaciem, qua ille tranſitoriis divitiis inhærebat: Verbo: tam ſalutares operationes in corde Matthæi reliquit, ut factus ſit ex publicano Apoſtolus, ex peccatore pœnitentium exemplar. *Vidit illum Deus*, ait S. Chryſologus, *ut ille videret Deum! Vidit illum Chriſtus, ut ille pecuniæ latebras non amplius videret*. En! Dilectiſſimi, anſa nobis offertur, admirandi ſalutares effectus, & operationes gratiæ Divinæ! Ad rem! 1. Duplex eſt gratia Dei, *actualis & habitualis*; Actualis eſt quaſi auxilium tranſiens, per illuminationem intellectus, & inflammationem voluntatis excitans peccatorem ad pœnitentiam, aut hominem juſtum ad opus ſalutare: exemplum habemus in Matthæo, & etiam in Petro, quem ubi Dominus poſt trinam negationem reſpexit, ille pœnitens flevit amare. Habitualis, ſeu gratia ſanctificans eſt donum ſupernaturale, quod ex ſe ſtabiliter inhæret animæ, peccatum remittit, hominem facit filium adoptivum Dei, eique una cum cæleſti pulchritudine jus tribuit ad vitam æternam. 2. Utramque hanc gratiam æſtimare debemus ſuper omnia mundi bona, parati potius vitam perdere, quam Dei gratiam, juxta illud: Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? 3. Illud maxime curandum, ut neutri gratiæ obicem ponamus, ſed ſedulo cooperemur utrique: Abraham, cum tres Angelos hoſpitio recepit, ipſemet ſedulo obiit miniſteria domus, quia, ut ait S. Chryſoſtomus: Viſitationem Divinam debet ſubſequi noſter labor! &c. Vide Mich. a Calvo conc. 36. §. 2. n. 7. Et Tit. Gratia Actualis, &c.

## In Feſto S. Archangeli Michaelis.

*S. Michael pro vita & morte invocandus.*

1. *Loquens per Angelum ſuum Servo ſuo Joanni. Apocal.* 1. Quemadmodum S. Michael Archangelus in veteri Lege fuit Cuſtos Synagogæ; ita in nova Lege Princeps & Protector eſt Eccleſiæ! Huic ex mandato Dei præeſt, curam illius gerit, in perſecutione protegit, ad Dei gloriam promovendam excitat, peccata & ſcandala ab illa avertit, omnemque impendit operam, ut omnes fideles in ſtatu tam ſacro quam profano ab Eccleſia militante ad triumphantem tranſferantur. Ante omnia igitur hodie Sanctum Archangelum in genere rogemus, ut potenti ſuo brachio, periculoſis his temporibus, Eccleſiam defendere, & ad cæleſtem gloriam promovere pergat. Quid autem in ſpecie rogandum? Id deſumendum ex officiis, quæ gerit. Audite! 1. Tempore illo, quo ſuperbus Lucifer ſeditioſum caput contra Deum extulit, volens ſimilis eſſe Altiſſimo, S. Michael rebelli ſeſe oppoſuit, eumque cum ſequacibus in abyſſum inferni præcipitavit. Rogandus igitur S. Archangelus, ut contra infernales poteſtates nobis ſuccurrat, in tentationibus, præſertim in morte aſſiſtat, a peccatis præſervet, & nullo modo permittat, ut contra nos prævaleat inimicus. 2. S. Michael a Deo conſtitutus eſt ad ſuſcipiendas animas: rogemus ergo, ut a Deo nobis impetret gratiam vitæ tam ſanctæ & innocentis, ut anima noſtra in morte digna ſit ſuſcipi ejus manibus. Non deerit orationibus noſtris; quia ad Dei gloriam & noſtram ſalutem ſe libentiſſime impendit: Olim in monte Horeb Moyſen inſtruxit in ſuo officio: Sanctum Bonifacium Germaniæ noſtræ Apoſtolum animavit ad prædicandum Verbum Dei: Sancto Cononi Inſtructor fuit devotionis erga SS. Euchariſtiam: Belliduci Joſue adfuit, dum populum introduxit in terram promiſſam: igitur & nobis non deerit in morte, ut nos introducat ad patriam cæleſtem. 3. S. Michael in die judicii præferet Crucem, in qua redempti ſumus. Rogemus ergo per S. Archangelum Dei gratiam, & vitam agamus tam ſanctam, & innocentem, ut illa die Crucem Redemptoris noſtri, non cum luctu, ſed cum lætitia intueamur. Vide Barz. Serm. 31. num. 38. Item Corn. a Lap. Exod. c. 3. v. 2. &c.

*Adverſitates dulces ſunt, non amaræ.*

1. *Bonum eſt tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam, Matth.* 18. Plurimum intereſt imaginatione, & bona voluntate! Homo ſubtriſtis, & tetricæ indolis amaram potionem cum luctu & nauſea ſorbet, quam alius excitati genii cum riſu & lætitia ebibit. Par ratio ſe habet in adverſitatibus hujus ſeculi: unus triſtatur, alter lætatur: cujus rei ipſe Chriſtus Dominus nobis exem-

plum



plum dedit, dum Paſſionem ſuam, quam Prophetæ *Mari* comparant, in horto Oliveti *Calicem* vocavit. Imitare exemplum, mi Chriſtiane, & adverſitatem tuam, quam ut integrum mare exhorreſcis, ut calicem tibi imaginare. Quomodo id facere poſſum? Edocebo modum, dabo rationes; quia revera, ſi vis, ſub adverſitatibus magna bona deliteſcunt. Percipe! 1. Dulcis eſt, non amara tribulatio, ſi reſpicis *culpam quæ remittitur*! certum enim eſt, quod per adverſitatem unius horæ, quam patienter, & fortiter pro Deo ſuſtines, plus de reatu peccatorum extinguere poſſis, quam per preces, & pia opera neſcio quæ & quanta. Modum ſic alleviandi malum docuit iterum Chriſtus dicens, *Calicem, quem dedit mihi Pater*, non Judas, non Scribæ, non Phariſei: ita & tu crede, hunc calicem tibi propinatum eſſe ab amantiſſimo Deo, non ab inimico perſecutore. 2. Dulcis non amara eſt tribulatio, ſi reſpicis *Gratiam quæ immittitur*; certum enim eſt, quod per crucem amore Dei exantlatam, gratia tam actualis, quam ſanctificans duplo, triplo in te augeatur. Præterea hoc habet iſta gratia, quod a peccato, malo maximo te præſervet: Ille in Evangelio cæcus natus eſt, non quia peccavit, ſed ne peccaret. Abimelech Rex per infirmitatem corporis præſervatus eſt, ne violaret Saram. Balaam, quia ex lapſu aſinæ pedem attrivit, reverſus eſt a maledictione quam cogitabat. (Vide Speranz. punct. 42.) 3. Dulcis eſt, non amara tribulatio, ſi reſpicis *Gloriam, quæ promittitur*. Hæc gloria nunquam magis æſtimatur, nunquam magis deſideratur, quam in adverſis! Sanctus Auguſtinus diu, dum res omnes illi proſpere fluebant, illam parum attendit, verum cum doloribus ſtomachi fuit cruciatus, ad Baptiſmum feſtinare cœpit. Et Chriſtus ipſe in hodierno Evangelio monet, & hortatur: *Bonum eſt tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis! &c.* En rationum momenta, quæ mirum quantum dulcorant amaritudinem tribulationum! Vide Tit. Adverſitas! Item P. Segneri Manna an. 22. Aprilis n. 2.

*Peccatum terribilia damna cauſat peccatori.*

3. *Væ mundo a ſcandalis*! *Matth.* 18. Imagines S. Michaelis Archangeli ſatis declarant, quam pugnam ille habuerit contra rebellium Angelorum anteſignanum, quem ob peccatum ambitionis e cælo in infernum præcipitavit. Infelix Lucifer, unde excidiſti, quid perdidiſti, quo perveniſti? conſideremus Dilectiſſimi, quantis bonis peccatum mortale hominem privet, & quanta damna miſero inferat. Audite, obſtupeſcite! 1. Peccatum ſummum eſt, & infinitum malum, quia offendit ſummum, & infinitum Bonum; inprimis privat peccatorem gratia & amicitia Dei, qua majus bonum in mundo non extat: ſim miſerrimus, pauperrimus, afflictiſſimus, abjectiſſimus in toto mundo, felix ſum præ regibus terræ ſi Dei gratiam habeam! pro hac gratia Sancti Martyres vitam dederunt, & certe dediſſent millenas! (Vide Tit. Gratia.) 2. Per peccatum perduntur omnia merita hactenus collecta: ponamus hominem, qui merita omnium Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum haberet, eo momento, quo peccat, perdit omnia, & audire a Deo debet, velut fatuæ Virgines: *Neſcio vos*! (Vide Barz. Ser. 5. n. 24. & ſeq. Item P. Segneri Hom. Chriſt. Diſc. 13. n. 5. & ſeq.) 3. Per peccatum amittit homo merita Chriſti Redemptoris, eum fere in modum, ac ſi Chriſtus pro eo nunquam fuiſſet mortuus. (Vide Tit. Peccator.) 4. Per peccatum perdit homo jus ad hereditatem cæleſtem, expungitur nomen ejus e libro vitæ, inſcribitur in catalogum damnatorum & in æternum (niſi Deo miſerante reſipiſcat) in inferno eſt inimicus Dei. Quis non exhorreſcat? Vide Tit. Peccatum, Peccator, &c.

## In Feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.

*De qualitatibus & merito amoris proximi.*

1. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Joann.* 15. Artificioſus fuit calamus, qui totam Homeri Iliadem in nuce ſcripſit: Artificioſum penicillum, quo tota Chriſti Paſſio picta fuit in quinque unguibus lævæ manus; Artificioſum ſcalprum, quo ſculpta fuit rheda cum quatuor equis, tam exigua, ut ſub ala muſcæ potuerit occultari. Sed artificioſior lingua, qua vetus, & novum teſtamentum unico verbulo expreſſit: *Dilige*! Omnia, quæ præcipit Deus, ait S. Gregorius, fundantur in amore. Atque ut nemo ſibi falſo perſuadeat, ſe amare proximum, ſciat, quod amor hic triplex ſit: *Naturalis*, qui oritur ex pro-

penſione naturali, aut ſimilitudine morum. *Virtuoſus*, qui amat proximum propter pietatem, & vitam laudabilem. Et denique *Supernaturalis*, qui unice amat propter Deum, hic eſt perfectus, & præceptus amor, & iterum tres habet proprietates, videlicet, ut ſit beneficus, univerſalis, & conſtans. Loquamur diffuſius: 1. Amor proximi debet eſſe *Beneficus*, & quidem ſine intereſſe proprio; nam bene facere remuneraturis, affectus avaritiæ eſt: ſolum procedere debet hic amor propter Deum. Perſæ ſemel in anno extinguere ſolebant omnes ignes in toto regno, excepto igne in aula regis, a quo deinde omnes ignes iterum reaccendi debebant: Ita amor noſter a nullo alio accendi debet, niſi ab igne amoris Divini: hic amor non habeat illud meum, & tuum, ſed amet pure ſicut Chriſtus dilexit nos, ſine propria utilitate, &c. 2. Amor proximi debet eſſe *Univerſalis* ſine exceptione: ſi unus excludatur, verus amor non eſt, quia amandi motiva ſunt univerſalia. Si dicas, amo omnes præter illum aut iſtum, quia eſt homo crudus & abſurdus; ipſe ſibi imputet, quod amari non poſſit: cruda eſt hæc & abſurda exceptio, qua non tam proximi quam tuum vitium accuſas: defectus eſt penes te; ſicut æger febricitans conqueritur, nimium calorem eſſe in lecto, cum tamen calor omnis ſit in ægrotante: ita quæris virtutem in alio, qui in te ipſo deberes, &c. 3. Amor debet eſſe *Conſtans* tam in proſperis, quam in adverſis. Si proximum ſolum amas dum felix eſt, econtra in infortunio, in paupertate, in perſecutione deſeris, amor tuus fucatus eſt, & mercurio metallorum infideliſſimo ſimilis: Mercurius amiciſſime inhæret auro, quamdiu aurum eſt, ſed cum illud in fornacem projectum igneſcit, fugit & violenter per caminum erumpit. Sic amor non eſt, qui tantum amat in proſperitate, & in adverſitate fugit, &c.

*Peccata Chriſtianorum graviora quam infidelium.*

2. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Joann.* 15. Ruſticus quidam incultæ indolis homo in publica platea Virum e prima nobilitate aut Magiſtratu inſignem, palmari injuria, luto, ſputo, & verbis inhonorat. Obſtupeſcit Vir gravis & innocens, interrogatque injuriatorem, Noſti me? ſcis quis ego ſim? Ruſticus negat, inquiens, Non novi! ſicque ob ignorantiam, & ſtupiditatem impune dimittitur. Quodſi autem convincatur noviſſe offenſum, injuria ferro, & igne vindicatur. En! ignorantia delictum minuit, notitia autem & agnitio aggravat. Et hoc eſt, quod Chriſtus Dominus hodie exprimere voluit, hoc effato: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Et ego ex his verbis veritatem eruo prorſus terribilem, nempe, peccata Chriſtianorum, qui ex doctrina fidei altiſſimam rerum cæleſtium cognitionem habent, longe eſſe graviora, quam infidelium, & hæreticorum rudium & ſtupidorum. Vultis, ut hanc veritatem ſolidius probem? Probabo. 1. Peccatum Chriſtianorum gravius eſt, quam infidelium propter gratiam & beneficium Vocationis ad fidem! Mi Chriſtiane, Deus ex mera miſericordia te præ mille millibus prælegit, & in Sacramento Baptiſmi quaſi his verbis inauctoravit: Ego conſtituo te, ut ſancte mihi ſervias, & compenſes injurias, quas ab infidelibus & a peccatoribus quotidie patior. Quodſi, mi Chriſtiane, non minus impie vivas, quam infideles, certus eſto, quod unicum peccatum tuum, magis affligat Deum, quam decem alia infidelium, ſicque erumpat in illas querimonias: Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, ſed tu homo unanimis & notus meus! 2. Peccata Chriſtianorum ſunt graviora quam infidelium, propter millena beneficia a Deo accepta v. g. piam educationem, inſtructionem per verbum Dei, participationem Sacramentorum, præſertim SS. Euchariſtiæ, aliaque non tantum communia, ſed etiam particularia &c. 3. Peccata Chriſtianorum ſunt graviora quam infidelium, propter ſcandalum, ſi Chriſtiani viverent prout deberent, certe bono virtutis exemplo infideles, & hæreticos ad ſanctam ſalvificam fidem traherent: verum cum vitam non minus ſceleratam agant, quam illi, contemnunt legem Chriſti, putantque, quod Chriſtiani nihil ſingulare habeant in doctrina, cum nihil ſingulare habeant in vita, &c. Vide Barz. ſerm. 40. Item Tit. Peccatum, &c.

*Excuſationes peccati nihil valent.*

3. *Excuſationem non habent de peccato ſuo.* Nihil familiarius peccatori, quam excuſare peccatum: *Uſitatum eſt generis humani vitium*, ait S. Gregorius, *peccatum latendo committere, commiſſum negando abſcondere, convictum defendendo multiplicare.* (Vide Speranzam punct. 25.) Aliqui culpam rejiciunt in carnis imbecillitatem, alii in tentationum gravitatem, alii in pravas inclinationes, alii in dæmonis inſidias, alii demum in ipſam concupiſcentiam. (Vide Barz. ſerm. 20. n. 17. Et ſerm. 24. n. 1. & ſeq.) Verum de his ſciendum, 1. Excuſationes omnes in genere nihil valere apud Deum: ille excuſationes has omnes ab æterno prævidit, & tamen legem ſuam ſancire non deſtitit. Primus peccator, nempe Adam in paradiſo jam fuit huic infirmitati obnoxius: excuſavit peccatum: Mulier quam dediſti mihi, me decepit: ſed male ipſi ceſſit audacia, quia, ut ait S. Auguſtinus, culpando uxorem & culpam transferendo in auctorem, auxit potius crimen, quam minuit. Si ingenua humilitate crimen confeſſus fuiſſet, ait idem S. Auguſtinus, forſan e paradiſo non exulaſſet. Sic res ſe habet de omnibus excuſationibus in genere. (Vide Barz. ſerm. 33. n. 2. & ſerm. 58. n. 5.). 2. Et in ſpecie eorum, qui peccatum excuſare contendunt Concupiſcentia: quia hæc adeo non nocet, ut potius proſit ad ſpirituale certamen. (Vide Barz. ſerm. 33. n. 11.) Dicis: Concupiſcentia eſt radix, & fomes millenorum peccatorum! Reſpondeo, Eſt, ſed non ſua, ſed conſentientis culpa: ſi equus petulans dejiciat ſeſſorem, culpa non eſt equi ratione carentis, ſed imperiti ſeſſoris, &c. Vide Tit. Concupiſcentia, &c.



In Feſto Omnium Sanctorum.

*Adverſitates mundi leves ſiunt intuitu cæleſtis gloriæ.*

1. G*Audete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Matth.* 5. Myſterioſus plane, & profunda conſideratione digniſsimus eſt diſcurſus, quem Chriſtus Dominus, poſt glorioſam ſuam aſcenſionem, cum Diſcipulis euntibus in Emmaus incognitus conſeruit. Loquebantur illi de paſsione & morte Divini ſui Magiſtri, & hic, qui ſub ſpecie peregrini ſe illis adjunxit, interrogabat eos: *Qui ſunt hi ſermones!* Admirabundi illi reſpondebant, tu ſolus peregrinus es, & ignoras cruentam tragœdiam, ac tormenta, quæ elapſa ſeptimana in Urbe Hieruſalem Crucifixus ille ſuſtinuit? Diſſimulabat adhuc omnia Chriſtus, & interrogando ſubinferebat. *Quæ?* id eſt, quænam ergo tormenta ſuſtinuit? Mirabilis hæc eſt, & imperceptibilis interrogatio, qua Chriſtus indicare voluit, quod intuitu gloriæ corporis, qua defacto frueretur, vel jam oblitus eſſet tormentorum, quæ paſſus eſt, vel illa omnia pro modico, aut nihilo reputaret. En mi Chriſtiane, ſi gloriam illam ſuſpicis, quæ te exſpectat in cælis, jam quidquid in hac vita agis aut pateris, parvi pendes. (Vide Barz. ſerm. 30. n. 39.) Demonſtro, quod ajo! Patriarcha Moyſes accurate deſcribit ætatem Proregis Ægyptii Joſeph, dicens, quod vixerit centum, & decem annis. Quare hoc? Notate. Joſephus in carcerem detruſus eſt, quando erat ſeptendecim annorum, & Prorex Ægypti factus eſt, dum erat annorum triginta, ut ergo indicaret Moyſes, quod tantum tredecim annis fuerit in ærumnis, & octoginta annis in ſumma felicitate, accurate calculavit ipſius ætatem, nimirum, ut ſubjungit Chryſoſtomus, majora ſunt præmia, quam labores. (Vide Barz. ſerm. 30. n. 32.) Quot annos numeras mi Chriſtiane? triginta, quadraginta, quinquaginta! an hactenus Deo ſerviſti, peccata fugiſti, gratiam Dei in corde ſervaſti? Servavi quantum potui! adeoque cælum ſperas? Spero omnino! O quam exigua ſunt tua merita ad cæli præmium, quod eſt æternum! Sed inquis, arduum eſt in anguſta mandatorum ſemita ſine offenſa progredi! Audi Davidem! Ille mortalis hujus vitæ curſum, brevi tempore prætereuntem, conſiderans, exclamat: *Latum mandatum tuum nimis!* quid eſt, quod viam mandatorum latam dicat, quam tu arctam eſſe deploras? nempe, quia paullo ante mentionem fecit, *Omnis conſummationis vidi finem!* qui finem vitæ, ſive beatum, ſive infelicem conſiderat, viam mandatorum obſervatu facilem, & amœnam ſibi proponit, & omnes difficultates lætus ſuperat. (Vide Barz. ſer. 30. n. 34.) Age ergo ſuſpice cælum, & hujus intuitu in omnibus vince te ipſum, Dic tibi ipſi ad exemplum S. Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis?* fœdus cum auribus meis, fœdus cum corde meo, quod nihil ſenſuale aut delectabile velim illis admittere; quia hæc omnia eminenter inveniam, cum Deum meum videro. Vide Barz. ſerm. 30. n. 28. &c.

*A via cæli aberrant peccatores.*

2. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus. Pſ.* 23. Dicite Dilectiſſimi, ubi via recta & ſecura


cura

cura in cælum? Mirabilis interrogatio! Via recta, ac ſecuriſſima in cælum puto illa eſt, quam Chriſtus Dominus, & Sancti ejus nobis præiverunt; ideo habemus libros, quibus eorum vita deſcribitur, habemus imagines, quibus eorum facta nobis ante oculos ponuntur. Scipio generoſiſſimus Belli dux fatetur, quod ſtimulum bellicæ ſuæ fortitudinis ſumpſerit, ex intuitu ſtatuarum, quas antiquis Heroibus Roma in laudis memoriam poſuit. Ita & nos, ait S. Gregorius, qui fonte Baptiſmatis imbuti ſumus, utriuſque teſtamenti auſcultare debemus hiſtorias, ut Sanctorum vitas, & facta imitemur. (Vide Barz. ſerm. 45. n. 3. & ſeq.) Hæc eſt via recta, & ſecura in cælum! An vos, Dilectiſſimi, aliam ſcitis? Videamus Viatores per hunc mundum itinerantes? 1. En! ibi turma eorum, qui erecta cervice, & ſuperciliosa facie magnis greſſibus inambulant, ad honorum faſtigia eluctari anhelant, ſua dicta pro oraculis haberi, ſua facta laudibus ſuper ſydera extolli cupiunt; an hi viam cæli tenent? Non puto! Sancti contrariam viam humilitatis tenuerunt! S. Gregorius, Petrus Cæleſtinus, Ambroſius, Thomas Aquinas, Philippus Nerius tam pertinaciter dignitates recuſarunt, quam mundani illas affectarunt, obierunt munia abjectiſsima & cupierunt a mundo contemni, ac pro ſtultis haberi. Cur autem iſta? Ad exemplum Chriſti, qui licet fuerit Rex Regum, uſque ad conſortium jumentorum in ſtabulo, uſque ad pedes Apoſtolorum, uſque ad infamiam crucis ſeſe abjecit. (Vide Tit. Humilitas Sanctorum.) 2. Video aliam turmam eorum, qui divitiis per fas & nefas inhiantes, bona terrena corradunt, & tum ſe demum felices reputant, cum marſupia & ciſtæ eorum auro, argentoque turgent. An hi viam cæli gradiuntur? Multo minus! Sancti contrariam viam tenuerunt, in paupertate, in fame & ſiti vitam miſeram duxerunt, ad imitationem Chriſti, qui a nativitate uſque ad mortem fuit pauperrimus, a paupere Virgine, & paupere fabro nutritus, denique in cruce mortuus, ubi non habebat, ubi caput reclinaret. 3. Video tertiam turmam eorum, qui edunt, bibunt, ludunt, & cantantes ac tripudiantes petulciunt, & procantur. An hi viam cæli invenerunt? Omnium minime! Sancti contrariam viam elegerunt, mori potius parati, quam vel minimam hujus peccati maculam admittere, ſcientes, quod Chriſtus Dominus in paſsione ſua per totam noctem acerbiſsima tormenta paſſus ſit, ut luat peccata hominum, quæ nocte fiunt, &c. Vide Tit. Caſtitas. Item Speranz. punct. 14. Item Barz. ſerm. 45. &c.

*Chriſtianus qualiter vivere debeat, ut ſalvus fiat.*

3. *Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Mirari nunquam ſatis potui illud Chriſtianorum genus, qui nec frigidi, nec calidi vitam ad mundi genium vivunt, ſuæ voluntati nihil denegant, dies joviales ſibi procurant, inter commoditates corporis, inter riſus, convivia, tripudia continuo verſantur, pericula peccati parum curant, & ſi prolapſi ſunt, per unam contritiunculam rem omnem compoſitam eſſe arbitrantur, de cetero cruces, adverſitates, injurias damnant, & execrantur: Verbo, laxiſsimi vivunt, & tamen cælum ſibi imaginantur ut certum, hos, inquam, ſemi-Chriſtianos non poſſum ſatis admirari, vel enim Chriſtus & Sancti omnes errarunt, vel iſti errant. Quomodo ergo Chriſtianus conſtitutus eſſe debet, ut cælum ſperare poſsit? 1. *Seipſum* debet immunem ſervare ab omni peccato, mandatis obedire, paſsiones ſubjugare, corpus mortificare, voluntati ſuæ reſiſtere &c. 2. *Proximum* debet diligere ſicut ſeipſum, illi in neceſsitate ſuccurrere, a peccatis cohibere, errantem corrigere. 3. *Deum* debet amare ſuper omnia, illius amore adverſa patienter ſuſtinere, Chriſtum & Sanctos imitari! Sed in quo conſiſtit hæc imitatio? Audi verba Redemptoris: ſiquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me! Hoc omnes Sancti fecerunt, præter hanc viam non datur alia in cælum! &c. Vide Tit. Sancti: Beatitudo: Adverſitates &c.

## In Feſto S. Martini Epiſcopi.

*Quomodo opera bona per ſanctam intentionem dignificanda.*

1. *SI oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Luc. 11. Commune adagium dicit: Intentio judicat omnes. Id, ſi in ulla alia re, certe in vita Chriſtiana, & ſpirituali maxime valet: ut opus aliquod cæli corona dignum ſit, non ſufficit, ut ſecundum ſe ſit bonum, nec ut operans ſit in gratia Dei,

ſed



ſed ut ad Dei honorem, & beneplacitum elevetur. Sicut fruſtum argenti, etſi in ſe æſtimabile, ſi effigie Principis ſignatum non ſit, ad mercandum non valet; ita opus utut de ſe bonum, ſi ſancta intentione careat, ad cælum inutile eſt, id quod intelligi quodammodo poteſt per textum allatum: *Si oculus tuus ſimplex fuerit &c.* Loquamur de doctrina bonæ intentionis, quæ Chriſtiano in paucis eſt utilis, & neceſſaria. Nota igitur 1. opera, quantumvis magna, ex ſe coram Deo æſtimabilia non ſunt, ſed ſolum talia fiunt ex intentione; Deus enim non opus ſed voluntatem, non manum, ſed animum aſpicit: Et hæc fuit ars omnium Sanctorum diteſcendi in meritis, quibus nonnunquam etiam Martyres ſuperarunt; ſemper enim verſantes in præſentia Dei, omnes halitus, omnes arteriarum pulſus ad Deum elevarunt. Nam Nota 2. Opera cujvis ſtatui, officio aut conditioni propria, imo etiam opera naturæ neceſſaria, uti comedere, bibere, dormire poſſunt per intentionem ad inſigne meritum elevari; atque in hoc ſenſu dicit S. Hieronymus: *Sanctis ipſe etiam ſomnus eſt oratio.* Hinc Nota 3. Inaniter conqueri multos, qui dicunt, ſum vilis opifex, non poſſum, ſicut Monachi prolixe orare, eleemoſynas facere, conſequenter nec grandia merita colligere! Erras, quiſquis ita ſentis; ipſa quotidiana artificii opera, alendæ familiæ neceſſaria, quamvis vilia ſint, per ſacras intentiones ad tantum meritum elevari poſſunt, quantum eſt intenſiſſima Oratio, aut profuſiſſima erga pauperes miſericordia. Dic, quis major coram Deo fuit Moyſes aut Elias? ſine dubio ais, Moyſes, qui Pharaonem miraculis terruit, dum econtra Elias ignotus, & ignobilis latuit! Et tamen in monte Thabor non minus Elias, quam Moyſes glorioſus apparuit. En opera in oculis hominum vilia adeo poſſunt dignificari, ut Deo non minus placeant, quam opera excellentiſſima in æſtimatione hominum. Nota tamen 4. Sic opera quantumvis dignificata offerenda eſſe Deo in unione meritorum Chriſti & Sanctorum; Hæc eſt vera chryſopæja ſeu ars conficiendi aurum, quo cælum emitur. Vide Tit. Intentio bona &c. Et tale opus meritorium fuit eleemoſyna dimidii pallii, quod S. Martinus pauperi porrexit, id quod Sanctum hunc magnum fecit coram Deo, & hominibus, &c.

*Superiores velut oculi invigilent bono ſubditorum.*

2. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Luc. 11. Quod oculi ſunt in corpore, hoc Superiores ſunt in tota communitate, & Patres-familias in domibus privatis: Sicut oculi totum corpus regere, manus dirigere, pedibus præire, viam monſtrare, & pro toto corpore vigilare, mala illius avertere, & bona promovere debent: ita id ipſum Superiorum & Patrum-familias officium eſt, de quo ſuo tempore Divino Judici gravem rationem reddere, & vel præmium, vel ſupplicium æternum exſpectare debebunt. Proſequamur hanc comparationem, & videamus, quouſque hoc officium ſeſe extendat. 1. Oculi non ſibi ſolis, ſed toti corpori vigilant, & dormiunt: Ita Superior aut Paterfamilias non ſibi ſoli vivit, ſed patriæ, amicis, filiis, & ſubditis: horum commune emolumentum præferre debet privato, ſuaque cura ac labore utilitatem horum omnium promovere: ſicut Jacob in ſervitio Labani tam ſedulam habuit curam gregis, ut diceret de ſeipſo: *Fugiebat ſomnus ab oculis meis*; ita Superior pro communitate, Paterfamilias pro familia vigilare, primus ſurgere, ultimus cubitum concedere debet. 2. Oculi non ſeipſos, ſed alios intuentur: Ita Superior, & Paterfamilias non ſuum bonum, ſed ſubditorum quærere debet: ſi avarus ſit, & diteſcere cupiat, & ipſe & ſubditi fient virtute pauperes. Jethro inter alia ſuaſit Moyſi, ut in capita aliorum conſtitueret Viros ab omni avaritia alienos; hinc Alcamenes Spartanus rogatus, cur munera oblata non accepiſſet; repoſuit, ſi accepiſſem, cum Lege Dei pacem habere non potuiſſem. &c. 3. Oculi tam ſunt delicati, ut quævis parva macula in illis pro magna reputetur: Ita ſuperiores & Patresfamilias ab omni nœvo caveant; quia, ut ait Tridentinum, *Integritas præcedentium, eſt ſalus ſubditorum*: Moyſes, ubi a Deo conſtitutus eſt Superior populi, fulgore coruſcavit: ita quilibet, qui præeſt, ſubditis, abſque ulla macula, virtute prælucere debet. (Vide Tit. Judices, Prætores, Patresfamilias.) Has omnes regulas accurate obſervavit S. Martinus; hinc a S. Damiano dicitur fuiſſe Bonus Miles, Melior Monachus, & Optimus Epiſcopus: *Laudis ejus plena eſt terra*, &c.

*Ex uno opere bono, aut malo poteſt dependere æternitas.*

3. *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit, ſi autem nequam*

quam

*quam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Luc.* 11. Heroica liberalitas, qua S. Martinus pauperi dimidium pallii ceſſit, adeo placuit Chriſto Domino, ut dimidiato illo veſtitu indutus apparuerit, cum laude, & gratitudine inquiens: Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit. Ex hac laude, & gratitudine duplicem eruo veritatem ad ſolatium, & terrorem omnium noſtrum. Attendite! Prima Veritas ad ſolatium illa eſt, quod ex uno generoſo virtutis actu, æterna ſæpe ſalus dependeat. Deus probat ſuos famulos v. g. in ardua ſui victoria, & ſi fideles inveniat, illos magis, magiſque perfectos & tandem ſanctos facit. Sic probavit Abraham, dum petiit ab eo, ut ſibi filium immolaret, dumque paratum promptumque invenit, illum non ſolum Patrem credentium, ſed progenitorem conſtituit, ex cujus propagine Chriſtus Mundi Redemptor eſſet naſciturus. Sic de Jacobo, Tobia, aliiſque poſſet exemplum adduci, &c. Altera veritas ad terrorem iſta eſt, quod ex malitioſo peccato plerumque ſequatur æterna damnatio; poſt talem enim malitiam Deus cum donis & gratiis ſuis fit parcior; tentationes fiunt graviores, reſiſtentia fit difficilior, peccator fit infirmior. Et quid tandem? labitur in alterum, & plura peccata, venit ad conſuetudinem, a conſuetudine ad deſperationem, a deſperatione ad infernum! hæc eſt illa catena, quæ trahit ad interitum. Tu, mi Chriſtiane, attende ad ſpeciales inſtinctus, & quando animum vel ad opus bonum commoveri, vel ab opere malo retrahi ſentis, noli eſſe inobediens, ſed fidelis; quia ex hoc forſan tua ſalus, aut æterna pernicies dependet. Vide Tit. Bona opera, Peccatum, &c.

## In Feſto S. Catharinæ Virg. & Martyris.

*Exemplum imitandum in tuenda caſtitate.*

1. H*Æc eſt Virgo Sapiens, & una de numero prudentum.* Virginalis Caſtitas, nomen eſt Mundo exoſum, & cælo æſtimabile! æſtimatur a Chriſto Domino, qui voluit eſſe Filius illibatæ Virginis! æſtimatur ab Angelis tanquam ſibi ſimilis, juxta illud: qui non nubent, neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei! æſtimatur a Sanctis, qui pro illa uſque ad mortem pugnarunt! Virgineæ animæ! ut in immundo mundo, inter impudentes inſidias virtutis hujus theſaurum intemeratum conſervetis, diſcite pro illo pugnare cum S. Catharina, & ipſius exemplum imitari! Quomodo? Audite. 1. S. Catharina fuit *Virgo Puriſſima*! illius virgineus candor a Maximino Imperatore blandiente, & regium thalamum, una cum auri argentique talentis promittente, non potuit corrumpi, quin imo illa ſola auſa eſt, Maximino Diis ſacrificanti ſuam exprobrare ſtultitiam. Hodie proh dolor! longe alia eſt rerum facies! Virgines quæ cedri eſſe deberent, arundines ſunt ad omnem ventum mobiles! ſordes puritati contrarias adeo non exhorreſcunt, ut auri fulgore, blanditiis, & promiſſionibus proci facile expugnari ſe ſinant, &c. 2. S. Catharina fuit *Virgo ſapientiſſima*! contra quinquaginta Philoſophos pro veritate fidei tam prudenter diſputavit, ut illos ad Chriſtum converſos demum Martyres fecerit. Hodie non ita ſolide ſapiunt Virgines, in ipſis fidei principiis ad alloquium lenonis titubare incipiunt, creduntque, virtutem caſtitatis non eſſe theſaurum adeo æſtimabilem Chriſto & Angelis, ut illi affectus ſæculi, & ſpes nuptiarum præferri non poſſit, &c. 3. S. Catharina fuit *Virgo fortiſſima*: ad enſes, gladios & rotas, quæ contra ipſam una cum minis acerbiſſimis ſtringebantur, adeo non exhorruit, ut lubens, ac hilaris caput pro Chriſto amputandum dederit. Quid hodie noſtræ Virgines? ad unicum verbum aſperum, ad vultum corrugatum lenonis impuri expalleſcunt! lugent Angeli, rident dæmones, quod ignes inferni minus timeant, quam ignes fatuos laſcivi amoris, &c. Infelices animæ, quæ mundum cælo præfertis! S. Catharina a Sanctis Angelis in monte Sinai ſepulta eſt, vos impuræ Veneres non in monte, ſed in valle tumulum invenietis! dicite, quos veſpillones habebitis? Eheu! Vide Tit. Caſtitas, Virginitas &c.

*Vitium contrarium caſtitati ſuperandum eſt fuga.*

2. *Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus.* Tempore illo, quo corporis robore, & proceritate terribilis Goliath, quotidie e caſtris Philiſtæorum prodibat, & exercitui Iſraelitarum inſultabat, magnanimus David funda, & quinque lapidibus armatus in arena comparuit, & contra gigantem tam feliciter pugnavit, ut illum lapidis jactu proſtratum, proprio enſe decapitarit. Aliter ſe res habuit in domo Putipharis! ibi impudens Domina domus Innocentem Joſephum ad nefas propudioſiſſime ſolicitavit. Quid ille? ſine mora aufugiens fugit, ita, ut etiam pallium, quo tenebatur, in manu lenæ reliquerit, contagium metuens, ſi illud a manu feminæ contactum porro uſui ſuo adhiberet. En! Chriſtianæ animæ! ex hac certaminis differentia diſcite, contra alia quævis vitia ſtandum, pugnandum: contra vitium autem laſciviæ fugiendum eſſe. Audite plura, & majora! 1. Fugiendi ſunt *aſpectus*; oculi enim ſunt prima amoris via, & impudentiæ duces! Evam in paradiſo, dum oculos in pomum vetitum conjecit, coarguens Bernardus interrogat: cur mortem tuam tam intente intueris? quid ſpectare libet, quod manducare non licet? reſpondet quidem mulier de pomo, quod eſſet bonum! ſed unde noveras eſſe bonum, niſi quod oculus hanc tibi ſuggeſſerit imaginationem; nam viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, qui jam ipſe peccatum eſt, & mors animæ; hinc cordate enuntiat Auguſtinus: Ne dicatis mihi, quod animum habeatis pudicum, ſi oculos habeatis impudicos. ( Vide Tit. Oculi! Item Speranz. punct. 32. & punct. 116. ) 2. Fugienda eſt *Familiaritas* cum altero ſexu, quia vel unicus manuum tactus aut compreſſio jam non minus veneni relinquit, quam rabidi canis morſus. Bone Deus! exclamat S. Franciſcus Saleſius, Puriſſima Virgo Maria ad Angeli Gabrielis ingreſſum, vocemque trepidat, & turbatur. Et non horrebit imbecillis & immunda femina Viri converſationem, quamvis ille vel Angeli ſpeciem indutus videatur. ( Vide S. Franc. Saleſ. Direct. p. 3. c. 9. n. 9. Item Familiaritas utriuſque ſexus. ) 3. Fugienda *conſortia* honeſtati & pudori magis inimica, uti ſunt convivia, popinæ, choreæ, ubi inter juvenes, compte ornatos pauci intrant, qui non impudentiores egrediuntur. Grates referamus S. Catharinæ, cujus feſtum choreis hodie finem imponit. Vide Tit. Choreæ, &c.

*S. Catharina triplici corona gloriæ coronata.*

3. *Hæc eſt Virgo ſapiens & una de numero prudentum.* Tres ſunt coronæ in cælo, quibus merita Sanctorum coronantur: Aureola, corona ſapientiæ, & Laureola! qui primam gerunt ad Virgines, qui ſecundam ad Doctores, qui tertiam ad Martyres pertinent. Quæritur, quænam ex his conveniat S. Catharinæ? Hoc in præſentiarum diſcutiendum, ac decernendum erit, quod omnibus tribus in cælis inſignita effulgeat. 1. Virginitas virtus eſt Deo acceptiſſima; quia homines Angelis ſimiles facit, ita ut a Nazianzeno vocetur Angelicæ gloriæ æmula: imo Virgines præſtare videntur Angelis; hinc Angelus a S. Joanne ſe adorari non permiſit. ( Vide Corn. a Lap. Iſa. 56. v. 5. ) Hæc *corona Virginitatis* ſine dubio competit S. Catharinæ, quia ab Imperatore ad connubium invitata, maluit non eſſe imperatrix, quam non eſſe Virgo. &c. 2. Hanc caſtitatem Angelicam Deus coronat cæleſti ſapientia: ambæ virtutes apparuerunt S. Gregorio Nazianzeno, eumque complectentes dixerunt: Miſſæ ſumus a Domino tibi cohabitare, quia jucundum nobis in corde tuo habitaculum præparaſti. S. Joannes Apoſtolus, quia Virgo fuit, meruit ex pectore Chriſti haurire arcana cæleſtia. Idem fere contigit S. Thomæ Doctori Angelico, S. Laurentio Juſtiniano, & aliis! præcipue vero S. Catharinæ, quæ quinquaginta Philoſophos devicit, & Imperatricem, una cum Porphyrio tribuno ad fidem converterit, conſequenter debetur illi *corona Sapientiæ*, &c. 3. Quibus laudibus vos efferam fortiſſimi Martyres, exclamat S. Cyprianus! hi proprie veſtigiis Chriſti inhærent, dum fidem erga Chriſtum ſanguine defendunt. Id imperterrite fecit S. Catharina, cervicem præbuit Carnifici, adeoque tertiam etiam, *coronam Martyrii* meruit. &c. Mi Chriſtiane! æmulare virtutes glorioſæ Virginis, & ſaltem unam ex his tribus coronis aſſequi conare! Virginalem coronam mereri poteris, ſi animi puritatem conſerves ab omni nævo illibatam! coronam ſapientiæ aſſequeris, ſi mandata Dei, & fidei principia præferas mundi deceptionibus! coronam Martyrii impetrabis, ſi rebelles animi paſſiones mortificare, & ſubjugare ſerio ſtudeas, &c.

## In Feſto Dedicationis Eccleſiæ.

*Feſta Dedicationis inhonorantur variis levitatibus.*

1. V*Enit Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat. Luc.* 19. Infernalis inimicus, qui jam a prima geneſi voluit ſimilis eſſe Altiſſimo, a Tertulliano



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA … DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liano vocatur *Simia operum Dei*; quid-quid enim honoris & amoris ſibi vindicat Deus, idipſum ſibi arrogare videtur invidus æmulator, hinc ortum eſt adagium: Raro invenitur Eccleſia, ubi diabolus non habet ſacellum. Vult ſibi non minus ſerviri quam Deo! nihil eſt tam ſanctum, quod non ex parte corrumpit: in ultima cœna habuit Judam, in morte Chriſti latronem. Quid ſanctius, quid laudabilius, quam annua ſolemnitas Dedicationis Eccleſiæ, & eheu! quam impudenter irrepit malus ſpiritus, & hac die pravorum operum meſſem tam intra, quam extra Eccleſiam, revera uberrimam colligit. Audiamus, an non veriſſima loquar. 1. Dominus Deus præcepit Gedeoni, ut non tantum aram idoli Baal, ſed etiam locum circumpoſitum everteret, & deſtrueret, quia umbroſa ſua amœnitate poſſet novam præbere occaſionem idololatriæ. Quid ſunt in ejuſmodi feſtis joci, riſus, verborum hilaritas, aſpectus, & veſtium ornatus, quo oculi attrahuntur, quid ſunt, niſi occaſio ad idololatriam, id eſt ad impudentiam. Eliminanda eſſent iſta ex Eccleſiis; quia, ut ait Abulenſis, *Templum Dei non amænitates poſtulat, ſed ſeveram caſtimoniam.* (Vide Barz. ſerm. 41. n. 21.) 2. Sed dices: Mane in Eccleſia multæ fiunt preces, & bona opera! & ego reſpondeo, hæc bona opera magna ex parte fiunt in honorem diaboli; quia prava intentione corrumpuntur. (Vide Barz. ſerm. 70. n. 17.) Impius Abſalon, qui Patrem ſuum David e regio throno expulſurus vitæ illius inſidias ſtruebat, piam peregrinationem in Hebron ſimulabat, non ut oraret, ſed ut occaſionem inveniret, populum excitandi ad rebellionem. *Statim ut audietis clamorem buccinæ, dicetis: Regnabit Abſalon in Hebron!* Examinet ille vel illa ſuam conſcientiam, qua intentione venerit ad hanc Dedicationis feſtivitatem? &c. (Vide Speranz. punct. 20.) 3. Sed quid expecto reſponſum? quæ intentiones in animo reſideant, ſatis prodit altera, ſeu veſpertina pars diei! olim tempore S. Gregorii Magni præceptum erat, ut in die Dedicationis pro pauperibus convivium haberetur, quod *Agape* vocabatur. (Vide Menoch. cent. 1. cap. 60.) nunc in ſeram veſperam editur, bibitur, luditur, ſaltatur! nunquam magis audiuntur inconditi clamores, nunquam videntur craſſiores crapulæ, quam in hujuſmodi feſtis, demum ſera nocte inter tenebras reditur domum, quid in tenebris, quid in reditu fiat, apparebit aliquando in ultima die, &c. Ecce! quod initio dixi! Venit Filius hominis ſalvum facere, Venit diabolus ſceleratum facere, plus fœnoris reportat diabolus, quam Deus in his feſtis, &c.

*Hilaris indoles aptior ad virtutem, quam moroſa.*

2. *Suſcepit illum gaudens*. Hodie vocamur in arcem virtutis, diſceptationem audituri inter duas feminas: prima eſt *Hilaritas*, altera *Moroſitas*, illa excitatæ, iſta melancholicæ indolis: utraque diſceptat, quænam convenientior ſit ad virtutem. Propoſitis utrinque rationibus virtus hanc mihi ſpartam detulit, ut ſententiam ferrem! Et ecce, reſpiciens ad exemplum Zachæi, qui *ſuſcepit illum gaudens*, pro Hilaritate ſtabo, dicamque, quod homo Juſtus ac virtuoſus potius gaudere, quam triſtari debeat. Audite rationes. 1. Quia Homo juſtus jam nunc diſcrimen experitur inter jugum Dei & diaboli, illud leve & ſuave, iſtud tyrannicum eſt! ſicut ergo lætatur & exultat, qui e captivitate Turcica redemptus, jam libertate gaudet; ita lætari debet Chriſtianus, qui excuſſis peccati catenis, e ſervitute inferni tranſiit in libertatem filiorum Dei. 2. Quia jam fruitur tranquillitate conſcientiæ, quæ antea in peccato triſtis, tetrica, & afflicta, eſum, & potum, & omnes recreationes, etiam honeſtas, fecit amarulentas; & ideo nunc per unicum opus bonum v. g. ſtipem pauperi datam, aut victoriam ſui ipſius majus capit ſolatium, quam omnes mundani in ſuis deliciis, & voluptatibus. 3. Quia confidit, quod in corde gerat pignus æternæ ſalutis id eſt, gratiam Dei, & ideo in adverſis unicus aſpectus cæli non minus illum exhilarat, quam Martyres inter tormenta. Dicam olim Deo Judici meo (ſic ſecum cogitat) ecce; Domine, hanc crucem, hanc injuriam, hanc afflictionem tuli pro te, feci, quod juſſiſti, tu redde, quod promiſiſti, &c. O felices, lætamini in Domino, & exultate Juſti, verum notate bene: *In Domino*; non in clamoribus, non in ebrietate, non in incondito riſu, ſed in Chriſtiana modeſtia, &c.

Eccle-



*Eccleſia Parochialis cuique inſtar Matris eſt.*

3. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Ita Tobias monuit filium: Pater honorandus eſt; quia eſt principium vitæ & generationis! Mater honoranda eſt, quia ab ea recepimus vitam, educationem, ſuſtentationem, & habitationem. Verum aliud ego cogito! Per Patrem volo hodie intelligere Deum, a quo tanquam Creatore & Servatore noſtro tot beneficia accepimus, quot vitæ momenta! Per Matrem volo intelligere hanc Eccleſiam veſtram Parochialem, cujus Dedicationis feſtum hodie celebramus! Percipite, quid ajam! 1. Hæc Eccleſia Mater veſtra eſt, quia ab ea recepiſtis vitam in Sacramento Baptiſmi, imo poſt relapſum etiam reſuſcitationem ad vitam! Dicite, an fideliter ſervaſtis, quod ibi promiſiſtis? 2. Hæc Eccleſia Mater veſtra eſt quia ab ea recepiſtis optimam educationem per ſanctas doctrinas & monita in concionibus, & Catecheſi! Dicite an in praxin, id eſt, in emendationem morum deduxiſtis, quod audiſtis? 3. Hæc Eccleſia Mater veſtra eſt, quia ab ea recepiſtis ſuſtentationem, ſeu nutrimentum in Sanctiſſimo Pane Euchariſtico. Dicite, cum unica Communio ſanctificare communicantem poſſit, cur poſt centenas non eſtis facti meliores? cur inopes eſtis bonorum operum? cur hæretis, ut antea, in peccatis? 4. Hæc Eccleſia Mater veſtra eſt, quia ab ea recipietis habitationem, id eſt ſepulcrum uſque ad extremum diem, &c. Cogitate jam, cum hanc Eccleſiam intratis, cogitate, quid Deo in Baptiſmo & Pœnitentia promiſeritis! cogitate quid in ſacris concionibus audieritis! cogitate, quæ beneficia in ſacra communione acceperitis! & præcipue cogitate, quid ultima illa die in reſurrectione veſtra factum fuiſſe optabitis! quod ibi erit optandum, id nunc eſt operi, ſeu executioni dandum, &c.

INDEX

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# INDEX
## RERUM ET VERBORUM

In quo primus Numerus Librum, ſecundus Lemmata ſeu Propoſitiones in Capite annotatas, denotat.


A

*Abnegatio ſuiipſius.*

GRatum Deo ſacrificium. 6. 368
Quomodo exercenda. 6. 369
Perfecta in quo conſiſtat. 6. 370
Neceſſaria ad ſalutem. 6. 371

*Abſtinentia.*

Homini perquam utilis. 6. 299
Neceſſaria ad vincendas tentationes. 6. 300
Valde grata Deo. 6. 301
Docetur exemplo etiam gentilium. 6. 303
Prolongat vitam. 6. 304

*Acedia.*

Corrigitur meditatione Noviſſimorum. 7. 461
Quibus motivis ſeparari debeat. 7. 462
Malum difficulter ſanabile. 7. 463
Inepte excuſatur. 7. 464
Eſt cauſa multorum ſcelerum. 7. 465

*Adverſitates.*

Ducunt ad Deum. 6. 392
Non ſunt dicendæ malum. 6. 393
Neceſſariæ ad cælum. 6. 394
Infliguntur juſtis. Cur? 6. 395
Docent mundum contemnere. 6. 396
Facile tolerantur intuitu Beatitudinis. 6. 397
Et etiam intuitu inferni. 6. 398
Expiant reatum pœnæ. 6. 399
Sunt remedium ad correctionem peccatorum. 6. 400
Sunt ſingularis favor Dei. 6. 401
Sunt probationes fidei. 6. 402
De iis non conquerendum. 6. 403
Sunt ſtimuli virtutis. 6. 404
A nobis ipſis ortum habent. 6. 405
In iis fiducia ponenda in Deo. 6. 406
Libenter pati Chriſtianum eſt. 6. 407
Aperiunt oculos ad videndas veritates ſupernaturales. 6. 408
In iis juſti proficiunt. 6. 409
Et Impii depravantur. 6. 410
Permittuntur ad Dei gloriam. 6. 411
Cauſantur a peccatis. 6. 412
Illas pati eſt glorioſum. 6. 413
Non dantur ſupra vires hominis. 6. 414
Libenter pati ſignum prædeſtinationis. 6. 415
Præſervant a peccatis. 6. 416
Facile tolerantur exemplo Sanctorum. 6. 417
Animæ ferunt varias utilitates. 6. 418
Adverſitas maxima non habere adverſitatem. 6. 419

*Adulatio.*

Plus nocet quam perſecutio. 7. 189
Punitur graviter a Deo. 7. 190

*Adulterium.*

Magna mala poſt ſe trahit. 7. 365
Punitur graviter a Deo. 7. 366
Eſt cauſa cædium, parricidiorum. 7. 367

*Advocati.*

Gaudent rixis, ut ſe ſaginent. 5. 342
Depauperant partes litigantes. 5. 343
Paſſione, non veritate aguntur. 5. 344
Illorum ſtatus periculoſus. 5. 345

*Aer.*

Qualis & quem in finem ſit. 10. 29
An levis vel gravis. 10. 30
Qualis in ſe, & quoad nos. 10. 31
Quando corrumpi ſoleat. 10. 32

*Æſtus.*

Quid ſit, quos habet effectus. 10. 37

*Ætas infantilis.*

Bonis moribus inſtruenda. 5. 118

*Ætas puerilis.*

Aptiſſima Virtuti. 5. 119
Diligenter educanda. 5. 120

*Ætas virilis.*

Continuare debet virtutem. 5. 121

*Ætas ſenilis.*

Ingrata Deo poſt adoleſcentiam peccaminoſam. 5. 122
Eſt veneratione digna. 5. 123
Compenſare debet peccata adoleſcentiæ. 5. 124
Eſt variis vitiis dedita. 5. 125

*Æternitas.*

Quid ſit? 9. 35
Melius intelligitur, quid non ſit. 9. 36
Facilitat labores hujus vitæ. 9. 37
Vitam hominis facit momentaneam. 9. 38
Affligit damnatos ſuper alia mala. 9. 39
Pœnam levem facit intolerabilem. 9. 40
Eſt longiſſima, intolerabilis. 9. 41

*Africa.*

Qualis, quæ habeat mirabilia. 10. 26

*Agricultura.*

Antiquitate & dignitate præcellens. 5. 431
Quæſtuoſa, & utilis. 5. 432
Non promovenda per ſuperſtitiones. 5. 433

*Ambitio.*

Appetit rem fluxam. 7. 260
Scandaloſa in Chriſtiano. 7. 261
Non aſſequitur honorem quæſitum. 7. 262
Multa mala cauſat. 7. 263
Palliatur prætextu gloriæ Dei. 7. 264
Infelicem ſortitur exitum. 7. 265
Præcipue regnat in aulis, 7. 266
Eſt laborioſa ſervitus. 7. 267
Nullum ſcelus non audet. 7. 268
Eſt nota ſtultitiæ. 7. 269

*America.*

Qualis, quæ mirabilia habeat. 10. 28

*Amicitia.*

Sit cum pari, & paucis. 6. 150
Multa habet commoda. 6. 152
Vera quomodo probanda. 6. 152

Ami-





Amicitia Mundi; Vide. *Mundi Amicitia.*

*Amor Dei.*

Vide, *Caritas Dei.*

*Amor proprius.*

Vitiat bona opera. 7. 270
Quid & qualis ſit. 7. 271
Plurima peccata cauſat. 7. 272

*Angeli ſancti.*

Sunt numero innumerabiles. 4. 1
Varia præſtant homini obſequia. 4. 2
Præſervant a periculis. 4. 3
Sunt tutores caſtitatis. 4. 4
Succurrunt in bellis. 4. 5
Obeunt munia clientum. 4. 6
Promiores ad parcendum quam puniendum. 4. 7
Qualia eorum corpora aſſumpta. 4. 8
Qualia eorum officia. 4. 9
Qualis natura. 4. 9
Toti ſunt in obſequio Dei. 4. 10
Cooperantur ad obſequium hominis. 4. 11
Sunt noſtri adjutores. 4. 12
Colendi & imitandi. 4. 13
Sunt puri ſpiritus. 4. 14
Habent purum eſſe intellectuale. 4. 15
Semper ſunt mobiles. 4. 16
Habent perfectam cum Deo ſimilitudinem. 4. 17
Continuam Dei præſentiam. 4. 18
Excellunt virtutum perfectione. 4. 19
Habent zelum maximum gloriæ Dei. 4. 20
Zelum maximum ſalutis animarum. 4. 21
Immobiles perſiſtant in bono. 4. 22
Sunt impeccabiles. 4. 23
Habent officia varia & choros. 4. 24
Quomodo colendi. 4. 25
Qua ratione imitandi. 4. 26

*Angelus Cuſtos.*

Cuſtodit hominem in omnibus viis. 4. 27
Averſatur & punit peccatum. 4. 28
In fugam agitur per peccatum. 4. 29
Sua præſentia deterret a peccato. 4. 30
Præſervat a peccatis. 4. 31
Et a tentationibus. 4. 31
Aſſiſtit clienti in morte. 4. 32
Deſiderat clienti famulari. 4. 33
Reducere cupit ad Deum. 4. 34
Meretur magnam gratitudinem. 4. 35
Defendit in periculis. 4. 36

*Anima.*

Quid, & qualis ſit. 5. 37
Parum cognoſcitur ab homine. 5. 38
Debet virtutibus exornari. 5. 39
Et eſſe Domina corporis. 5. 40
Minus curatur quam corporalia. 5. 41
Poſſidetur tantum ut mutuata. 5. 42
Magis curanda quam corporalia. 5. 43
Valde amatur a Deo. 5. 44
Æſtimatur a dæmone. 5. 45
Cuſtodienda contra peccatum. 5. 46
Imago Dei ſumme æſtimanda. 5. 47
Non ſatiatur, niſi ſolo Deo. 5. 48
Eſt immortalis. 5. 49
Non ſe occupet nugis mundi. 5. 50
Venditur dæmoni per peccatum; 5. 51
Pretium illius deſumitur ex Paſſione Chriſti. 5. 52
Solicite curanda, quia una. 5. 53
Illius intellectus depravatur per vitia voluntatis. 5. 54
Semper cogitet Deum & cæleſtia. 5. 55
Habet memoriam mirabilem. 5. 57
In retinendis plurimis objectis. 5. 57
Ejus voluntas proclivis ad malum. 5. 59
Illius affectus habetur pro opere. 5. 60
Ejus libertas neceſſaria ad meritum. 5. 61
A nullo agente cogi poteſt. 5. 62
Reddit hominem bonum aut malum. 5. 63

*Animarum cura.*

Vide, *Cura animarum.*

*Animalia.*

Habent miras qualitates. 10. 63
Quomodo venerint ad Inſulas. 10. 64

*Apoſtaſia.*

Quibus gradibus incurratur. 7. 110
Graviſſime punitur a Deo. 7. 111
Punitur infelici morte. 7. 112

*Apoſtata.*

Revertuntur ad fidem. 7. 113

*Aqua.*

Benedicta habet miram virtutem. 9. 121
Elementaris cujus naturæ. 10. 65
Eſt potus ſaluberrimus. 10. 66
Marina cur ſalſa. 10. 67
Medicinalis quomodo cognoſcenda. 10. 68
Fontana ſalubris & bona. 10. 69

*Architectonica.*

Admiranda ſtruit ædificia. 6. 252
Præſertim admirandos pontes. 6. 253

*Artes.*

Variæ, & varii inventores. 6. 247

*Aſia.*

Qualis, quæ notabilia habeat. 10. 27

*Aſtrologia.*

Ex ſideribus cognoſcit Deum. 6. 248
Futura vera præſagit. 6. 249
Nonnunquam falſa prædicit. 6. 250
Decipit ſuis vaticiniis. 6. 251

*Aſylum ſacrum.*

Non violandum. 9. 220

*Avaritia.*

Eſt malum fere univerſale. 7. 294
Fugitur a juſtis. 7. 295
Difficulter ſalvatur. 7. 296
Corrigitur conſiderando miſeriam divitum. 7. 297
Male affligit in vita & morte. 7. 298
Eſt grande malum. 7. 299
Radix diſcordiarum. 7. 300
Nullum ſcelus non audet. 7. 301
Punitur hic & ibi. 7. 302
Propter lucrum animam perdit. 7. 303
Eſt in opprobrium Chriſti, & Eccleſiæ. 7. 304
Malum difficillime ſanabile. 7. 305
Nunquam ſatiatur bonis. 7. 306
Eget in mediis divitiis. 7. 307
Eſt ſine miſericordia. 7. 308
Continet multiplicem ſtultitiam. 7. 309
Quomodo ſuperanda. 7. 310

*Aulici.*

*Aulici.*
Miſere laborant ex ambitione. 5. 322
Ab alto in abyſſum ruunt. 5. 323
Plerumque ſunt impii. 5. 324
Sic ſerviunt Deo, ut non offendant diabolum. 5. 325
Familiam exaltare ſtudent. 5. 326

*Aures, ſeu auditus.*
Eſt ſenſus utiliſſimus. 5. 93
Cuſtodiendus contra malignos diſcurſus. 5. 94
Quibus diſcurſibus maxime obſtruendus? 5. 95
Non cuſtoditus mala maxima cauſat. 5. 96

B

*Baptiſmus.*
INduit nos veſte gratiæ. 8. 13
Deputat ad ſervitium Dei. 8. 14
Ejus gratia a paucis retinetur. 8. 15
Sanctificat per Chriſti gratiam. 8. 16
Mirabiliter miniſtratur. 8. 17
Emundat a peccato. 8. 18
Hæreticorum ſæpe invalidus. 8. 19
Exigit aſſiſtentes patrinos. 8. 20
Confertur cum certis cæremoniis. 8. 21

*Beatitudo.*
Non obtinetur ſine meritis. 9. 1
Debetur tanquam merces. 9. 2
Oblivisci facit omnes adverſitates. 9. 3
Quanta ſit ex variis motivis. 9. 4
Quam ingens pulchritudo Sanctorum. 9. 5
Non datur duplex hic & ibi. 9. 6
Omnem laborem levem facit. 9. 7
Quam amplum ſpatium beatorum. 9. 8
Potens ſtimulus ad virtutem. 9. 9
Docet contemnere mundana. 9. 10
Motivum efficax contra peccata. 9. 11
Erit ſine fine & termino. 9. 12
Semper ardenter deſideranda. 9. 13
Amittitur ex propria culpa. 9. 14
Sanctorum ineffabilis. 9. 15
Sæpe minus curatur quam vita terrena. 9. 16
Melius deſcribitur, quid non ſit. 9. 17

*Beati.*
Differunt in gloria. 9. 18
Non ſunt æmuli invicem. 9. 19
Habent felicitatem etiam accidentalem. 9. 20
Fruuntur plena ſatietate. 9. 21

*Bellum.*
Eſt pœna peccati. 1. 50
Prænuntiatur variis ſignis. 1. 51
Infeliciter geritur propter peccata. 1. 52
Cauſat cædes cruentas. 1. 53
Ut ſit juſtum, quid requiratur. 5. 420
Hoſtes ad deſperationem non cogat. 5. 421
Infeliciter geritur. 5. 422
Utitur ſtratagematis. 5. 423

*Beneficia.*
Dei erga hominem. 1. 15
Sunt voces, quibus Deus vocat. 1. 15
Obſtringunt ad gratitudinem. 1. 16
Aggravant reatum peccati. 1. 17
Obſtringunt hominem Deo. 1. 18

*Beneficium conſervationis.*
Elucet ex creaturis in utilitatem hominis factis. 1. 19

*Beneficium Redemptionis.*
Quantum obſtringat hominem Deo. 1. 20

*Beneficium Vocat. ad fidem.*
Quantum obſtringat hominem Deo. 1. 21

*Beneficium juſtificationis.*
Quantum obſtringat hominem Deo. 1. 22

*Benefic. Præſervat. ab inferno.*
Quantum obſtringat hominem Deo. 1. 23

*Benef. Præſerv. a periculis corp.*
Quantum obſtringat hominem Deo. 1. 24

*Blaſphemia.*
Graviſſimam injuriam facit Deo. 7. 114
Punitur graviſſime. 7. 115
Eſt peccatum prorſus monſtroſum. 7. 116
Nulla excuſatione purgabile. 7. 117

*Bona Conſcientia.*
Vide, *Conſcientia Bona.*

*Bonum Exemplum.*
Excitat ad virtutem. 6. 163
Propagat fidem Chriſtianam. 6. 164
Efficaciter trahit ad virtutem. 6. 165
Convertit peccatores. 6. 166

*Bona Opera.*
Vide, *Opera Bona.*

C

*Campana.*
QUando, & ad quid inventæ. 9. 222
Mirabiles. 9. 223
Prægrandes & artificioſæ. 9. 224

*Cantus laſcivus.*
Depravat audientium animos. 7. 376

*Caritas Dei erga Hominem.*
Amat hominem ab æterno. 1. 13
Eſt admirabilis. 1. 14

*Caritas Dei.*
Tendit principaliter in Deum. 6. 117
Modica in cordibus humanis. 6. 118
Oritur ex conſideratione Beneficiorum Dei. 6. 119
Operationes nobiliſſimas producit. 6. 120
Quales habeat proprietates. 6. 121
Quomodo conſtituta eſſe debeat. 6. 122
Eſt compendium virtutum. 6. 123
Facilitat omnem difficultatem. 6. 124
Non opprimitur adverſis. 6. 125

*Caritas proximi.*
Promovetur ex variis motivis. 6. 139
Obligat ad curam alterius. 6. 140
Diligit proximum propter Deum. 6. 141
Raro tanta, quanta noſtri ipſius. 6. 142
Quomodo conſtituta eſſe debeat. 6. 143
Occultat alienos defectus. 6. 144
Efficaciter trahit ad Deum. 6. 145
Admirabiles operatur virtutes. 6. 146
Compatitur miſeriis alienis. 6. 147
Plus amat proximum ſeipſo. 6. 148
Eſt præcipua nota Chriſtiani. 6. 149

*Caſtitas.*
Mirabiliter pugnat contra tentationes. 4. 73
Religioſa eſt gratiſſima Deo. 5. 218
Optime cuſtodita in Monaſteriis. 5. 219
Eſt virtus Angelica. 6. 316
Quomodo conſervanda. 6. 317
Male cuſtoditur inter curioſitates. 6. 318

Non



Non invenitur in veſtium luxu. 6. 319
Quantum æſtimetur a Chriſto. 6. 320
Pericula vincit fuga & metu. 6. 321
Probatur Miraculis. 6. 322
Quomodo conſtituta eſſe debeat. 6. 323
Conciliat æſtimationem. 6. 324
Debet prima initia impudentiæ averſari. 6. 325
Debet exhorreſcere ſexum alterum. 6. 326
Solicite conſervatur a Sanctis. 6. 327
Eſt Deo gratiſſima. 6. 328
Cuſtoditur a Deo. 6. 329
Fortiſſime propugnatur. 6. 330
Quam grata Deo. 6. 331
Eſt cuſtos innocentiæ, & virtutum. 6. 332

*Cenſura Eccleſiaſtica.*
Terribilis pœna. 9. 227
Operatur terribiles effectus. 9. 228

*Chorea.*
Sunt cauſa multorum peccatorum. 7. 97
Sunt occaſio ad malum. 7. 98
Puniuntur a Deo. 7. 99

*Chriſtianus.*
Per opera ſe probat eſſe talem. 6. 38
Non ſolum legem audire, 6. 39
Sed vitam Chriſti imitari debet. 6. 39
Terrena deſpiciat, cæleſtia quærat. 6. 40
Per crucem ſe probat Chriſtianum. 6. 41
Debet tendere ad ſanctitatem. 6. 42

*Chriſtus Dominus.*
Eſt exemplar vitæ noſtræ. 2. 1
Fons eſt ſcopus omnis ſanctitatis. 2. 2
Fundavit & amat Eccleſiam. 2. 3
Magiſter & Legifer noſter. 2. 4
Sacerdos Magnus. 2. 5
Victima pro Redemptione noſtra. 2. 5
Docet tolerantiam adverſitatum. 2. 6
Eſt ſpes & refugium noſtrum. 2. 7
Infelix factus, ut nos felices redderet. 2. 8
Omni amore digniſſimus. 2. 9
Amicus noſter optimus. 2. 10
Fuit humilliſſimus. 2. 11
Pauperrimus per omnem vitam. 2. 12
Amat peccatoris ſalutem. 2. 13
Eſt mera miſericordia. 2. 14
Mera manſuetudo. 2. 14
Totus alius tam in hac, quam in altera vita. 2. 15
Quomodo quærendus & imitandus. 2. 16

*Cœlum Empyreum.*
Quam ſpatioſum. 10. 1
Tellus eſt Majeſtatis Dei. 10. 2

*Cogitationes impuræ.*
Quomodo compleantur conſenſu. 7. 368

*Colloquia laſciva.*
Cauſant innumera peccata. 7. 372
Depravant audientium animos. 7. 373
Debent compeſci, interrumpi. 7. 374
Non habent excuſationem. 7. 375

*Colloquia pia.*
Suadenda ad virtutem. 9. 265

*Cometa.*
Sunt ſigna imminentium malorum. 10. 10

*Comœdia impura.*
Plurima mala cauſant. 7. 389
Puniuntur a Deo. 7. 390

*Comprecationes publicæ.*
Quantum roboris habeant. 6. 99

*Communio Sacra.*
Miniſtratur ab Angelis. 8. 38
Frequens, ſignum prædeſtinationis. 8. 39
Imbuit cæleſti ſapientia. 8. 40
Compeſcit inordinatas paſſiones. 8. 41
Exigit magnam præparationem. 8. 42
Eſt vita bonis, mors malis. 8. 43
Extinguit vitia in communicante. 8. 44
Præmunit contra peccata. 8. 45
Suas delicias dat bene paratis. 8. 46
Parit magnam rationem dandam. 8. 47
Accendit cor Divino amore. 8. 48
Convertit mire peccatores. 8. 49
Facilem reddit obſervantiam mandatorum. 8. 50
A quibus digne ſumatur. 8. 51
Elevat animum ad cæleſtia. 8. 52
Conſervat vitam etiam temporalem. 8. 53
Indigne ſumpta ingens ſcelus. 8. 54
Non ſumatur a libidinoſo. 8. 55
Nec a vindicativo. 8. 56
Nec ab homine peccatore. 8. 57
Aggravat peccatum relapſus. 8. 58
Præſervat a tentationibus. 8. 59
Hominem firmat in fide. 8. 60
Munit ad mortem. 8. 61

*Concordia.*
Fugat inimicos viſibiles & inviſibiles. 6 342
Quomodo conſervanda. 6. 343
Summopere placet Deo. 6. 344
Plurima bona cauſat. 6. 345

*Concupiſcentia.*
Quid ſit, & qualis. 7. 87
Non eſt ſufficiens excuſatio peccati. 7. 88
Superari debet omni ſtudio. 7. 89
Inclinat ad peccatum. 7. 104

*Confeſſio.*
Facilior reſpectu pœnitentiæ antiquæ. 8. 101
Debet eſſe ſeria. 8. 102
An ſeria ſit, patet ex effectu. 8. 103
Remittit peccata. 8. 104
Vincit & fugat diabolum. 8. 105
Debet eſſe integra. 8. 106
Valde grata Deo. 8. 107
Quam præſtans & utilis. 8. 108
Quas qualitates habere debeat. 8. 109
Sit accuſatoria, non excuſatoria ſui. 8. 110
Ejus difficultas generoſe ſuperari debet. 8. 111
Item ſuperari verecundia. 8. 112
Eſt neceſſaria ad ſalutem. 8. 113
Mundat a fœtore peccati. 8. 114

*Confeſſio Generalis.*
Utilis & interdum neceſſaria. 8. 115
Quibus maxime ſuadenda. 8. 116
Quando, & quomodo neceſſaria. 8. 117
Prodeſt pro præſenti & futuro. 8. 118

*Confeſſarius.*
Non negligens ſit in ſuo munere. 5. 283
Non ſit nimis auſterus. 5. 284
Manſuete & diſcrete agat. 5. 285
Non abſolvat impœnitentes. 5. 286

*Confirmatio.*
Eſt vere Sacramentum. 8. 22
Ejus uſus antiquiſſimus. 8. 23
Cur infligatur alapa. 8. 24
Remedium contra infirmitates animæ. 8. 25
Mutare debet hominis mores. 8. 26

 Sacra-

Sacramentum utiliſſimum. 8. 27
Roborat in fide. 8. 28
Deputat ad ſervitium Dei. 8. 29

*Conformitas cum voluntate Dei.*
Solatur animum in adverſis. 6. 131
Adhæret Deo in utraque fortuna. 6. 132
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 133
Suadetur ex variis motivis. 6. 134
Defectuoſa apud multos. 6. 135
Virtus præ ceteris grata Deo. 6. 136
Via compendioſa ad perfectionem. 6. 137
Confortat contra tribulationes. 6. 138

*Congregationes ſacræ.*
Magnis fruuntur emolumentis. 9. 123

*Conjugati.*
Bono fine ineant Matrimonium. 5. 356
Caste agant in rebus conjugii. 5. 357
Magnam habent obligationem. 5. 358
Non habeant inordinatum deſiderium prolium. 5. 359
Poſſunt fieri ſancti, ſi velint. 5. 360
Multis adverſitatibus obnoxii. 5. 361
Se invicem ament. 5. 362
Fugiant zelotypiam. 5. 363

*Conſcientia bona.*
Multum prodeſt homini. 6. 12
Felix in comparatione mala. 6. 13

*Conſcientia mala.*
Eſt peccatoris carnifex. 7. 71
Sine quiete affligit. 7. 72
Erit maximum tormentum damnatorum. 7. 73
Semper timida & perplexa. 7. 74
Malum omnium maximum. 7. 75
Prodit peccatum etiam nolens. 7. 76

*Conſiliarii.*
Res momentoſas ſilentio tegant. 5. 346
Quomodo conſtituti ſint. 5. 346
Neceſſarii Principibus, & Magiſtratibus. 5. 348
Mala conſilia miſere luunt. 5. 349
Plerumque ſunt adulatores. 5. 350
Quinam ſuſpecti ſint. 5. 351
Raro boni, & fideles. 5. 352

*Conſilium Patris ſpiritualis.*
Cuique pro ſuo ſtatu neceſſarium. 9. 264

*Conſortium cum muliere.*
Valde periculoſum viro. 7. 103

*Conſuetudo mala.*
Potenter afficit animum. 7. 77
Reddit difficilem converſionem. 7. 78
Etiam amara dulceſcere facit. 7. 79
Quomodo ſuperanda. 7. 80
Etiam converſum retrahit in peccata. 7. 81

*Conſtantia.*
Intentione Deo fidelis. 4. 77
Magni æſtimat ſervitutem Christi. 4. 78
Invicta pro Deo. 6. 375
Mirabilis in perſecutionibus. 6. 376
Quibus remediis firmetur. 6. 378

*Contemptus Mundi.*
Concipitur intuitu mortis. 6. 127
Docetur a Sanctis. 6. 128
Inculcatur ab adverſitatibus. 6. 129
Quomodo terrenis uti debeat. 6. 130

*Contritio.*
Efficax ad delenda peccata. 8. 94
Neceſſaria ad pœnitentiam. 8. 95
Procedere debet ex amore Dei. 8. 96

*Convivia.*
Vix ſunt ſine peccato. 7. 433
Admiranda & rara. 7. 434
Sint moderata & parca. 7. 435
Magnis ſumptibus conſtant. 7. 436

*Cor Hominis.*
Oblatio Deo gratiſſima. 5. 69
Inſatiabile in deſideriis ſuis. 5. 70
Cuſtodiendum ab omni immunditie. 5. 71
Exornandum virtutibus. 5. 72

*Corpus Hominis.*
Debet ſubjugari cum paſſionibus. 5. 67
Cur concupiſcentiæ obnoxium. 5. 68
Mirandum opus potentiæ Divinæ. 5. 64
Debet ſubeſſe Dominio animæ. 5. 65
Rebellat contra animam. 5. 66

*Correctio Fraterna.*
Eſt obligatoria. 6. 153
Quando fieri debeat. 6. 154
Debet cum humilitate acceptari. 6. 155
Omiſſa quantum noceat. 6. 156
Quam grata Deo. 6. 157
Moderate & caute facienda. 6. 158
Salutares effectus poſt ſe trahit. 6. 159
Non audita cauſat interitum. 6. 160
Fit a Sanctis erga Principes. 6. 161
Non fiat ex ira, & paſſione. 6. 162

*Crucifixus.*
Dedocet peccatum. 2. 66
Docet patientiam. 2. 67
Docet perſeverantiam. 2. 67
Semper præ oculis habendus. 2. 68
Eſt magnes noſtri amoris. 2. 69
Eſt Liber, in quo legere debemus. 2. 70
Eſt refugium in adverſis. 2. 71
Et in tentationibus. 2. 72
Recipit peccatores graviſſimos. 2. 73
Singulare motivum confidentiæ. 2. 74
Se totum dedit copioſa Redemptione. 2. 75
Movet cor ad pœnitentiam. 2. 76
Mortuus ob peccata noſtra. 2. 77
In ſuis imaginibus mirabilis. 2. 78

*Crux Christi.*
Eſt ſignum vitæ. 2. 54
Pignus ſalutis. 2. 55
Pellit tentationes. 2. 56
Tribulationes dulceſcere facit. 2. 57
Prodeſt contra hoſtes. 2. 58
Neceſſaria ad ſalutem. 2. 59
Signum & teſſera Christiani. 2. 60
Dæmonem vincit & fugat. 2. 61
Variis figuris præſignatur. 2. 62
Eſt ſumme æſtimabilis. 2. 63
Solatium in morte. 2. 64

*Cura animarum.*
Non committatur indigno. 5. 256
Modica apud multos. 5. 257
Sublime munus, & Deo gratum. 5. 258
Docetur exemplo Sanctorum. 5. 259
A multis male declinatur. 5. 260
A multis male ſuſcipitur. 5. 260
Munus periculoſum & arduum. 5. 261
Exigit ſcientiam in curato. 5. 262
Et indefeſſos labores. 5. 263
Fert ſalutem ſi unica ſalvetur anima. 5. 264

Cura



*Cura minimorum.*
Solicite attendenda. 6. 14
Creſcit ad ingentem perfectionem. 6. 15
Signum eſt, qualis homo ſit in maximis. 6. 16
Si non attendatur, magna mala affert. 6. 17

*Cultus B. V.*

Vide, *Mariæ cultus*, *Devotio*.

*Curioſitas.*
Occaſio multorum peccatorum. 7. 105

## D

*Damnati.*
Plus affliguntur odio Christi, quam igne. 9. 62
Nullum habent refrigerium. 9. 63
Cruciantur Verme conſcientiæ. 9. 64
Sunt numero valde multi. 9. 65
Deplorant jacturam temporis. 9. 66
Puniuntur multiplici pœna. 9. 67
Et ſecundum menſuram peccatorum. 9. 68
Majorem habent pœnam aucto damnatorum numero. 9. 69
Invident Sanctis, qui peccatores fuerunt. 9. 70
Deridentur a Deo, & Sanctis. 9. 71
Terribiliter puniuntur ex conſortio dæmonum. 9. 72
Juſtiſſime damnantur æternum. 9. 73
Graviſſime puniuntur pœna damni. 9. 74

*Decimæ.*
Solvendæ ex obligatione Dei. 6. 272
Potius cum exceſſu quam defectu. 6. 273
Liberaliter compenſantur a Deo. 6. 274
Non fideliter præſtitæ multa mala cauſant. 7. 338
Illarum infidelitas punitur a Deo. 7. 339

*Deliciæ Spirituales.*
Majores ſunt, quam totius Mundi. 1. 96
Non dantur niſi animo a mundanis vacuo. 1. 97
Cur Sanctis ſæpe ſubtrahantur. 1. 98
Dantur in principio converſionis. 1. 99
Et poſt victoriam tentationis. 1. 100

*Defraudatio Mercenariorum.*
Odibilis coram Deo. 7. 340

*Detentio rei alienæ.*
Nocet, & depauperat. 7. 211
Sine quiete lancinat animum. 7. 212
Nocet præſertim in bonis Eccleſiaſticis. 7. 213
Punitur Spirituum inquietudine. 7. 214
Privat cæleſti patria. 7. 215
Bonis detentis non ditatur. 7. 216
Deſtruit Bona injuſte poſſeſſa. 7. 217
Obligat ad reſtitutionem. 7. 218
Fert animæ perniciem. 7. 219

*Deſolatio animi.*
Quomodo excipienda. 6. 439
Permittitur ad augenda merita. 6. 440
Non debet cauſare triſtitiam. 6. 441
Prodeſt ex variis cauſis. 6. 442

*Deſperatio.*
Eſt peccatorum omnium graviſſimum. 7. 181
Oritur ex intuitu ſolius juſtitiæ Dei. 7. 182

*Detractio.*
Quantum ſit malum. 7. 398
Mala maxima poſt ſe trahit. 7. 399
Graviſſima quæ prima. 7. 400
Non parcit vivis nec mortuis. 7. 401
Debet neceſſario revocari. 7. 402
Eſt peccatum a dæmone ſubornatum. 7. 403
Fit nonnunquam ſub ſpecie laudis. 7. 404
Compeſcitur recordatione ſuorum ſcelerum. 7. 405
Oritur ex defectu caritatis. 7. 406
Confutatur mirabiliter a Deo. 7. 407
Denotat magnam malitiam apud audientem. 7. 408
Et grande ſcelus apud loquentem. 7. 409
Punitur graviſſime a Deo. 7. 410
Attendit ad defectus, non merita. 7. 411
Fruſtra excuſatur. 7. 412
Magna nocumenta famæ cauſat. 7. 413
Peccat prodendo occultos defectus. 7. 414
Quomodo impedienda. 7. 415

*Deus.*
Quis, qualis, & quantus ſit. 1. 1
Comprehendi non poteſt. 1. 2
Ejus Bonitas elucet ex creaturis. 1. 3
Solus ſatiat animam. 1. 4
Compendium omnis boni. 1. 5
Digniſſimus cui ſerviatur. 1. 6
Remuneratur juſtorum ſervitia. 1. 7
Exaudit orationes Sanctorum. 1. 8
Invenitur per contemptum creaturarum. 1. 9
Talis erga nos, quales nos erga ipſum. 1. 10
Eſt abſolutus Dominus gratiarum & donorum. 1. 11
Sine fine laudandus. 1. 12
Amat hominem ab æterno. 1. 13

*Devotio erga B. V.*
Liberat ab interitu. 3. 17
Non ſufficit ſine pœnitentia. 3. 18
Exhibenda Imaginibus B. V. 3. 19
Utiliſſima ad impetrandum. 3. 20
Deo & B. V. gratiſſima. 3. 21
Deficiens ſignum reprobationis. 3. 22
Prodeſt in adverſis. 3. 23
Debet eſſe ardens & zeloſa. 3. 24
Quomodo conſtituta eſſe debeat. 3. 25
Eſt ſignum ſalutis. 3. 26
Vide *Mariæ cultus*.

*Diabolus.*
Aſtute occultat ſuam crudelitatem. 9. 42
Blanditur ut perimat. 9. 43
Lactat ſpe longioris vitæ. 9. 44
Decipit ſuis promiſſionibus. 9. 45
Tentat ſub ſpecie pietatis. 9. 46
Incipit a levibus, ut veniat ad gravia. 9. 47
Induit varias figuras. 9. 48
Moleſtius tentat fidelem, quam peccatorem. 9. 49
Transformat ſe in Angelum pacis. 9. 50
Eſt mendaciſſimus. 9. 51
Tentans accommodat ſe genio perſonæ. 9. 52
Ejus conatus debilis. 9. 53
Nocere non poteſt, niſi volenti. 9. 54
Vim ſuam maxime exerit in morte. 9. 55
Erit accuſator in judicio. 9. 56
Habet terribilem deformitatem. 9. 57
Sanctis debet præſtare obſequia. 9. 58

 Nun-

Nunquam laſſatur tentando. 9. 59
A Sanctis ludibrio habetur. 9. 60
Vincitur humilitate & Dei gratia. 9. 61

*Dignitates Eccleſiaſticæ.*

Sunt periculoſæ. 5. 243
Non ſine ſcandalo ambiuntur. 5. 244
Secundum merita conferantur. 5. 245
Non ſunt ambiendæ. 5. 246
Favoribus acquiſitæ ſunt periculoſæ. 5. 246

*Dilectio.*

Vide *Caritas Dei*.

*Dilectio inimicorum.*

Eſt Virtus prorſus Divina. 6. 170
Non eſt impoſſibilis. 6. 171
Eſt maxime meritoria. 6. 172
Obligat ad alloquia & ſalutationes. 6. 173
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 174
Non debet extingui ab injuriis. 6. 175
Rependit bona pro malis. 6. 176
Præmiatur a Deo. 6. 177

*Diſcordiæ.*

Impediunt Benedictionem Dei. 7. 455
Gravia mala poſt ſe trahunt. 7. 456
Oriuntur ex re levi. 7. 457
Quomodo ſopiendæ in domo. 7. 458

*Divitiæ.*

Sunt irritamentum ad peccata. 7. 109
Poſſident, non poſſidentur. 7. 311
Conceduntur ad opera Miſericordiæ. 7. 312
Sunt fluxæ, tranſitoriæ. 7. 313
Libentius impenduntur vanitati quam Deo. 7. 314
Injuſtæ Deo odibiles. 7. 315
Sunt bonæ vel malæ juxta uſum poſſidentium. 7. 316
Sunt nutrimentum ſcelerum. 7. 317
Turbant pacem animi. 7. 318
Magis amantur, quam bona æterna. 7. 319
Admirando affluxu poſſidentur. 7. 320
Contemnuntur a bonis Chriſtianis. 7. 321
Sunt cauſa diſcordiarum. 7. 322
Sunt res contemptibilis. 7. 323
Ambiuntur inepte. 7. 324

*Dubitationes in fide.*

Unde oriantur. 7. 118
Sunt frivolæ, & impudentes. 7. 119

E

*Ebrietas.*

Mala plurima cauſat. 7. 427
Peſſimos effectus poſt ſe trahit. 7. 428
Cauſat diſcordias, & alia mala. 7. 429
Eſt vitium familiare Germanis. 7. 430
Improbatur effatis SS. Patrum. 7. 431
Abominabilis Deo, & Chriſto. 7. 432

*Eccleſia.*

Fundatur & amatur a Chriſto. 9. 207
Comparatur variis rebus. 9. 208
In ea boni, & mali. 9. 209
Eſt ſancta in ſe, & ſuis membris. 9. 210
Non poteſt inſici ab hæreſi. 9. 211
Ex peccato fidelium damnum patitur. 9. 212
Mirabiliter crevit per orbem. 9. 213
Eſt Catholica ſeu univerſalis. 9. 214
Et inexpugnabilis. 9. 215
Perſecutiones varias patitur. 1. 45

*Eccleſia.*

Vide *Templa*.

*Eccleſiaſticæ Dignitates.*

Vide *Dignitates Eccleſiaſticæ*.

*Egeſtas.*

Incitamentum ad peccata. 7. 109

*Eleemoſyna.*

Defendit contra iram Dei. 6. 178
Non procedat ex motivo vano. 6. 179
Largiter compenſatur a Deo. 6. 180
Auget, non minuit fortunas. 6. 181
Præmiatur in cælo. 6. 182
Non excuſatur per illud: *Nil habeo*. 6. 138
Corrumpitur ob varios defectus. 6. 184
Non privatur merito data indigno. 6. 185
Quomodo, quibus, quoties danda. 6. 186
Prodeſt in vita. 6. 187
Prodeſt in morte. 6. 188
Prodeſt poſt mortem. 6. 189
Ex juſtitia debetur pauperi. 6. 190
Non placet Deo ex bonis injuſtis. 6. 191
Quam grata Deo. 6. 192
Melius impenditur pauperibus, quam ædificiis. 6. 193
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 194
Inſignes fructus poſt ſe trahit. 6. 195
Non eſt conſilii, ſed præcepti. 6. 196
Deum debitorem facit. 6. 197
Non ex munere, ſed affectu æſtimatur. 6. 198

*Elias.*

An defacto ſit in cælo, vel ubi? 2. 110

*Epiſcopus.*

Non ordinet niſi dignum. 5. 236
Nec ex motivo mere temporali. 5. 237
Qualis eſſe debeat. 5. 238
Prælucere debet exemplo. 5. 239
Pro Eccleſia fortiter pugnet. 5. 240
Non amet mundi pompam. 5. 241
Habet graviſſimam obligationem. 5. 242

*Eſca.*

Vide *Nutrimentum corporis*.

*Euchariſtia.*

Dat vitam ſpiritualem & æternam. 8. 30
Mutatur miraculoſe. 8. 31
Quanta reverentia colenda. 8. 32
Eſt prodigium amoris Divini. 8. 33
Fert opem contra mala corporis & animæ. 8. 34
Valet contra præſtigias. 8. 35
Non creditur propter irreverentiam fidelium. 8. 36
In ea Chriſtus veriſſime præſens. 8. 37
Adoratur a brutis. 8. 38
Inhonorata vindicatur. 8. 39

*Europa.*

Quam indolem, quæ memorabilia habeat. 10. 24

*Examen conſcientiæ.*

Quam gratum Deo. 6. 106
Neceſſarium ad integritatem confeſſionis. 6. 107

Exci-



*Excidia urbium.*

Vide, *Urbium excidia*,

*Exemplum bonum.*

Vide, *Bonum Exemplum*.

*Exemplum malum.*

Non eſt ſufficiens excuſatio peccati. 7. 91
Cauſat multa peccata. 7. 106

*Excuſationes peccati.*

Sunt uſitatæ & frequentes. 7. 84
Coram Deo nihil valent. 7. 85
Impudentes & frivolæ. 7. 86

*Extrema Unctio.*

A quo inſtituta. 8. 127
Cur, & quem in finem. 8. 128
Magnæ utilitatis & efficaciæ. 8. 129
Non differenda aut negligenda. 8. 130
Salutares operatur effectus. 8. 131

F

*Falſum Teſtimonium.*

Proditur per miracula. 7. 220
Punitur graviſſime. 7. 221

*Fames.*

Eſt calamitas maxima. 2. 47

*Familiaritas utriuſque ſexus.*

Cauſat multa peccata. 7. 369
Fugienda ne inficiat. 7. 370
Corrumpit mores etiam bonorum. 7. 371

*Feſta.*

Inſtituta ad curationem animarum. 6. 53
Non inhonoranda labore. 6. 54
Sunt ſancte ſervanda. 6. 55
Male obſervantur a Chriſtianis. 7. 166
Id quod deteſtabile coram Deo. 7. 167
Inhonorantur laboribus. 7. 168
Profanata puniuntur a Deo. 7. 169
Inhonorantur peccatis. 7. 170

*Fides.*

Quid ſit? 6. 25
Abſque operibus mortua. 6. 26
Prærequiritur ad bona opera. 6. 27
Mirabiliter diffuſa per orbem. 6. 28
Imbecillis apud multos. 6. 29
Propagatur per bona exempla. 6. 30
Æſtimanda præ omnibus bonis. 6. 31
Per peccata exponitur periculo amiſſionis. 6. 32
Migrat ab una regione in aliam. 6. 33
Potens virtus coram Deo. 6. 32
Exigit obedientiam cæcam. 6. 33
Roborat in adverſitatibus. 6. 34
Cur non amplius propagetur miraculis. 6. 35
Propagata per miracula. 6. 36
Catholica præ omnibus vera. 6. 37

*Fidelis.*

Vide, *Chriſtianus*.

*Fidelitas.*

Priſtina evanuit. 6. 43
Ubi & quibus ſervanda. 6. 44

*Filii familias.*

Puniuntur ſi inhonorent parentes. 5. 400
Non obediant parentibus mala imperantibus. 5. 401
Sunt ordinarie tales, quales parentes. 5. 402
Parentibus neceſſitate ſuccurrant. 5. 403
Ad magna evecti non deſpiciant parentes. 5. 404
Obligantur obedire parentibus. 5. 405
Degenerant a parentum virtute. 5. 406

*Finis ultimus.*

Diſtinguit hominem a bruto. 9. 22
Eſt ſolus Deus. 9. 23
Serio quærendus. 9. 24
Media ad illum ſunt creaturæ. 9. 25
In quibus detinendum non eſt. 9. 26
Vide Tit. *Beatitudo*.

*Formica.*

Grandia mala cauſant. 1. 56

*Fortitudo.*

Corporis admiranda. 5. 84
Ut Virtus quæ & qualis ſit. 6. 372
Invenitur etiam in altero ſexu. 6. 373
Æquivalet magnæ perfectioni. 6. 374

*Fraudulentia.*

In officio, frequens in omni ſtatu. 7. 333
Odibilis coram Deo. 7. 334
Fugienda amore juſtitiæ. 7. 335
Frequens in negotiis teſtamentariis. 7. 336
Punitur a Deo. 7. 337

*Frigus.*

Quid ſit, quis ejus effectus. 10. 36

*Fulmina.*

Unde, & quis eorum effectus, 10. 52

*Fundationes ſacræ.*

Deo gratæ & acceptæ. 9. 224
Male obſervantur. 9. 225

*Furtum.*

Nutritur emendo furtiva. 7. 202
Punitur a Deo. 7. 203
Non habet excuſationem. 7. 204
Etiam in eſculentis non licet. 7. 205
Sacrilegum punitur graviſſime. 7. 206
Delictum deteſtabile. 7. 207
Mirabiliter proditur. 7. 208
Nocet, & conſumit fortunæ bona. 7. 209
Grave ducit initium a levi. 7. 210
Male detinet rem alienam. 7. 211

G

*Garrulitas.*

Denotat imprudentem. 7. 437
Ad multa vitia trahit. 7. 438
Prodit ſecretum ſibi commiſſum. 7. 439

*Grando.*

Eſt grande malum. 1. 54
Quid ſit, quæ ejus damna. 10. 40

*Gratia ſanctificans.*

Quid ſit, qualis? 1. 77
Elevat ad ſtatum ſupernaturalem. 1. 77
Eſt homini incerta, cur? 1. 78
Facit capacem meriti. 1. 79
Et æternæ ſalutis. 1. 79
Neceſſaria ad vincendum dæmonem. 1. 80
Neceſſaria ad ſalutem. 1. 81
Operationes ſaluberrimas in anima facit. 1. 82
Non denegatur facienti quod eſt in ſe. 1. 83
Solicite conſervanda. 1. 84

*Gratia actualis.*

Neceſſaria ad actus ſalutares. 1. 85





Effi-

Efficax, & operativa. 1. 86
Exigit noſtram cooperationem. 1. 87

*Gratia finalis.*

Non obtinetur ſine meritis. 1. 88
Eſt bonum prorſus indebitum. 1. 89

*Gratitudo.*

Debetur ob beneficia accepta. 6. 275
Deo maxime exhibenda. 6. 276
Quomodo exhibenda Deo. 6. 277
Docetur etiam a brutis. 6. 278
Et maxime a Sanctis. 6. 279
Meretur nova beneficia. 6. 280

*Gula.*

Cauſat morbos, vitam abbreviat. 7. 419
Eſt fomentum luxuriæ. 7. 420
Punitur a Deo. 7. 421
Quomodo corrigenda. 7. 422
Multa mala cauſat. 7. 423
Immoderata & mirabilis. 7. 424
A dæmone ſuadetur ſub ſpecie neceſſitatis. 7. 425
Eſt noxia Reipublicæ. 7. 426

H

*Habitus laſcivus.*

PRovocat intuentes ad laſciviam. 7. 378
Adverſatur Deo, Chriſto & B. V. 7. 379
Affert damna temporalia. 7. 380
A SS. Patribus graviter improbatur. 7. 381
Denotat proſtitutum pudorem. 7. 382
Punitur temporaliter & æternum. 7. 383
Peccata plurima cauſat. 7. 384
Non habet excuſationem. 7. 385

*Hæreſis.*

Quælibet habet Sanctum ſibi oppoſitum. 7. 120
Oritur ex ſuperbia, & rancore. 7. 121

*Hæretici.*

Torquent textus S. Scripturæ in rem ſuam. 7. 122
Graviter puniuntur veritati reſiſtentes. 7. 123
Inſaniunt dum volunt eſſe reformatores. 7. 124
Obſtinatiſſimi in ſuis erroribus. 7. 125
Sunt impoſtores & deceptores. 7. 126
Hypocritæ, veritatis perſecutores. 7. 127
Animarum latrones. 7. 128
Docent ridiculas nugas. 7. 129
Corrumpunt ſcripturas. 7. 130
Convincuntur veritate. 7. 131
Novam fidei normam confingunt. 7. 132
Sunt fugiendi. 7. 133
Veram fidem mendaciis denigrant. 7. 134
Non convertuntur ob bona mere temporalia. 7. 135
Sunt Apoſtoli dæmonis. 7. 136
Pervertunt plebem, non doctos. 7. 137
Infelici morte pereunt. 7. 138
Sunt ad luxuriam proclives. 7. 139
Obſtinati contra veritatem. 7. 140

*Henoch.*

An de facto in cælo, vel ubi? 1. 110

*Homicidium.*

Mirabiliter proditur. 7. 459
Punitur a Deo. 7. 460

*Homo.*

Eſt excellens Dei creatura. 5. 1
Natus ad laborem. 5. 2
Et ad ſervitium Dei. 5. 3
Multis malis obnoxius. 5. 4
Excoli debet ad vitam civilem. 5. 5
Indiget amicitia aliorum. 5. 6
Et recreatione moderata. 5. 7
Debet perfici per virtutem. 5. 8
Connaturaliter amat patriam. 5. 9
Et ſuum honorem. 5. 10
Eſt inſtabilis in bono. 5. 11
Quantillus ſit coram Deo. 5. 12
Eſt ad vitia pronus. 5. 13

*Honores Mundani.*

Vide *Mundani honores.*

*Horror peccati.*

Debet eſſe conjunctus cum virtute. 6. 11

*Humilitas.*

Fugit honores ac dignitates. 4. 68
Cupit a mundo contemni. 4. 69
Facit obſequia viliſſima. 4. 70
Viliter de ſe ſentit. 4. 71
Exaltatur a Deo. 4. 72
Spernit laudes humanas. 4. 73
Eaſque ſedulo fugit. 6. 306
Eſt ſignum prædeſtinationis. 6. 307
Acquiritur cognitione ſui. 6. 308
Honorem conſequitur quem fugit. 6. 309
Eſt fundamentum aliarum virtutum. 6. 310
Recordatur vilis ſuæ originis. 6. 311
Docetur a Chriſto & Sanctis. 6. 312
Omnia impetrat a Deo. 6. 313
Quomodo exercenda. 6. 314
Virtus dæmoni exoſa. 6. 315

*Hypocriſis.*

Nequitiam tegit ſanctitate. 7. 283
Sibi ipſi maxime nocet. 7. 284
Fugienda in ſe, & in aliis. 7. 285
Confundetur in judicio. 7. 286
Deo ſumme odibilis. 7. 287
Martyrium diaboli. 7. 288
Punitur a Deo. 7. 289

I

*Idololatria.*

UNde originem ſumpſerit. 7. 141
Eſt mera inſania. 7. 142

*Jejunium.*

Eſt homini utile. 6. 299
Prodeſt ad vincendas tentationes. 6. 300
Valde gratum Deo. 6. 301
Quadrageſimale unde? & quale? 6. 302
Prolongat vitam. 6. 304
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 305

*Infernus.*

Quid & qualis? 9. 27
Nullam habet Redemptionem. 9. 28
Ejus primus ingreſſus quam horribilis. 9. 29
Ab obſtinatis parum timetur. 9. 30
Deterrere debet a peccato. 9. 31
Chriſtianorum gravior quam infidelium. 9. 32
Cur propter unicum peccatum æternus? 9. 33
Plenus tormentis crudeliſſimis. 9. 34
Conſideratus facilem reddit omnem laborem. 9. 85
Et præſervat ab inferno. 9. 86
Illo non moveri ſignum eſt reprobationis. 9. 87
Deterret a peccato, movet ad pœnitentiam. 9. 88

*Ignorantia Myſteriorum fidei.*

Quam culpabilis ſit. 7. 143
Poſt ſe trahit innumera peccata. 7. 144

*Ignis.*

Cur e montibus erumpat. 10. 43
Ad quid, & cujus naturæ. 10. 44
Quos habeat effectus. 10. 45
Quomodo nutriatur. 10. 46
Res multas non lædit ob reſiſtentiam. 10. 47
Frequenter e terra erumpit. 10. 48
In multis mere apparens. 10. 49
Cauſat terribilia incendia. 10. 50
Fatuus unde, & quem in finem. 10. 51

*Imagines B. V.*

Sunt honorandæ. 3. 19
Inhonoratæ vindicantur. 3. 35
Prænuntiant Dei ſupplicium. 3. 36
Deſignant locum ſui cultus. 3. 37
Operantur converſiones peccatorum. 3. 38
Miraculis clarent. 3. 39

*Immiſericordia in pauperes.*

Eſt cauſa ſterilitatis. 7. 328
Punitur a Deo. 7. 329
Non habet excuſationem. 7. 330
Non excuſatur per, *Non poſſum.* 7. 331
Perdit cæleſtem retributionem. 7. 332

*Impunitas.*

Facit audacem in malo. 7. 108

*Impuræ cogitationes.*

Vide, *Cogitationes impuræ.*

*Incarnatio & Nativitas Chriſti.*

Maximum Divini amoris prodigium. 2. 25
Docet humilitatem. 2. 26
Et paupertatem. 2. 26
Excitat ad amorem. 2. 27
Grato animo adoranda. 2. 28
Et ſimul timenda. 2. 29
Eſt admirabilis cœlo & terræ. 2. 29

*Inconſtantia.*

Quam Deo ingrata. 7. 225
Vitium valde commune. 7. 226
Excluditur e cælo. 7. 227
Frequens inter homines. 7. 228
Quam imprudens. 7. 229
Denotat tepidum Chriſtianum. 7. 230

*Ingratitudo.*

Meretur privari beneficiis. 7. 231
Magna, ſi noceatur benefactori. 7. 232
Cito obliviſcitur beneficiorum. 7. 233
Eſt abominabile vitium. 7. 234
Merita compenſat malefactis. 7. 235
Cauſat adverſitates. 7. 236
Abutitur beneficiis in injuriam Benefactoris. 7. 237

*Inimicitia.*

Quomodo mitiganda. 7. 447
Frivole excuſatur. 7. 448
Punitur graviſſime. 7. 449
Oritur ex levibus cauſis. 7. 450
Dedocetur a Chriſto & Sanctis. 7. 451
Ignobilem denotat animum. 7. 452
Sibi ipſi plus nocet, quam inimico. 7. 453
Reconciliatam remuneratur Deus. 7. 454

*Injuſtitia.*

In officio ſunt frequentes. 7. 333
Odibiles coram Deo. 7. 334
Fugiendæ amore juſtitiæ. 7. 335
Puniuntur a Deo. 7. 336

*Inſpirationes Dei.*

Non ſunt negligendæ. 1. 90
Negligere periculoſum eſt. 1. 90
Cur apud multos fructum non ferant. 1. 91
Sæpe non audiuntur ab homine. 1. 92
Qua diſpoſitione audiendæ. 1. 93
Audire quam Deo gratum. 1. 94
Et homini utile. 1. 94
Quomodo diſcernendæ. 1. 95

*Inſtrumenta Paſſionis.*

Ubi aſſerventur. 2. 65

*Intellectus hominis.*

Depravatur per voluntatem. 5. 54
Semper cogitet Deum. 5. 55
Potentia præambula voluntatis. 5. 56

*Invidia.*

Solet bonum male interpretari. 7. 391
Diu nutrit in corde livorem. 7. 392
Sibi ipſi maxime nocet. 7. 393
Invidum infelicem reddit. 7. 394
Quomodo ſuperanda. 7. 395
Eſt fomes multorum ſcelerum. 7. 396
Eſt vitium commune. 7. 397

*Invocatio.*

Vide *Sancti, Interceſſio Sanctorum.*

*Intentio bona.*

Quomodo debeat influere in opera. 9. 200
Semper debet tendere ſurſum. 9. 201
Et elevare opera in unione meritorum Chriſti. 9. 204
Opera etiam neceſſaria facit meritoria. 9. 203
Valde ditat meritis. 9. 204
Debet interſeri negotiis. 9. 205
Opera facit meritoria. 9. 206

*Ira.*

Ab inſania differt ſolum tempore. 7. 443
A leviſſima re exardeſcit. 7. 444
Dum furit, nil prudens decernit. 7. 445
Quomodo compeſci debeat. 7. 446

*Irreverentia in templo.*

Damnabilis in Chriſtiano. 7. 160
Graviter punitur a Deo. 7. 161
Injurioſa loco ſacro. 7. 162
Fit garritione, diſtractione, 7. 163
Aliiſque immodeſtiis, 7. 164
Compreſſionibus, jurgiis. 7. 165

*Judaiſmus.*

Corruptus ex nugis Talmudicis. 7. 145
In fine mundi agnoſcet veritatem. 7. 146
A Deo reprobatus. 7. 147
Toti mundo exoſus. 7. 148

*Judæi.*

Sunt impoſtores, deceptores. 7. 149
Habent varias ſectas. 7. 150
Toto orbe diſperſi ſunt. 7. 151
Fruſtra ſperant levamen. 7. 152
Odium implacabile gerunt contra Chriſtianos. 7. 153
Puniuntur pœna Talionis ob crimen Deicidii. 7. 154

*Judex Divinus.*

Aſpectu erit terribilis. 9. 125



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Juſtis amabilis. 9. 124
Peccatori intolerabilis. 9. 125

*Judices terreni.*

Adminiſtrant juſtitiam cum intereſſe proprio. 5. 327
Debent invigilare bono ſubditorum. 5. 328
Habent judicium duriſſimum propter peccata ſubditorum. 5. 329
Malo exemplo trahunt ſubditos in peccata. 5. 330
Sine affectu & paſſione jus dicant. 5. 331
Cauſas bene diſcutiant. 5. 332
Eorum juſtitia ſæpe mendoſa. 5. 333
Sua conniventia propagant ſcelera. 5. 334
Eorum peccata graviora propter ſcandalum. 5. 335
Deponuntur ab officio, ſi male præſint. 5. 336
Adminiſtrare debent juſtitiam. 5. 337
Mali cauſant iram Dei. 5. 338
Et plagas univerſales. 5. 338
Bono exemplo præeant. 5. 339
Non ſinant ſe corrumpi muneribus. 5. 340
Clementiam ſibi commendatam habeant. 5. 341

*Judicia Dei.*

Sunt abyſſus inſcrutabilis. 1. 25
Longe alia quam hominis. 1. 26

*Judicium temerarium.*

Eſt imprudens. 7. 191
Corrigitur recordatione propriorum peccatorum. 7. 192
Ab externa apparentia non ferendum. 7. 193
Vehementer diſplicet Deo. 7. 194
Quomodo corrigendum. 7. 195
Argumentatur a ſe, ad vitia aliorum. 7. 196
Eſt frivolum & fallibile. 7. 197

*Judicium Particulare.*

Erit plenum terroribus. 9. 105
Timeri debet etiam a Sanctis. 9. 106
Judicabit de gratiis, etiam non acceptis. 9. 107
Timetur a Sanctis & innocentibus. 9. 108
Erit diſtrictum & rigoroſum. 9. 109
Non admittet excuſationem. 9. 110
Non mitigabitur interceſſione Sanctorum. 9. 111
Confundet peccatorem intuitu ſcelerum. 9. 112
Fidelium erit durius, quam infidelium. 9. 113

*Judicium Univerſale.*

Cur præter particulare habendum. 9. 114
Habebit ſigna prodroma terribilia. 9. 115
Erit terribile ſupra captum. 9. 116
Separabit bonum a malo. 9. 117
Manifeſtabit occultiſſima conſcientiarum. 9. 118
Peccatori intolerabilius quam infernus. 9. 119
Terribile propter reſurrectionem corporum. 9. 120
Erit juſtis delectabile. 9. 121
Terribile propter ſententiam. 9. 122

*Judicii conſideratio.*

Abſterret a peccato. 9. 126
Peccatorem adducit ad pœnitentiam. 9. 127

*Juramenta.*

Frivola puniuntur. 7. 155

*Juſtitia Dei.*

Abſterret a peccato. 1. 27
Sola non eſt reſpicienda. 1. 28
Sed una cum Miſericordia. 1. 28
Præmonet antequam puniat. 1. 29
Caſtigat juſtos optimo fine. 1. 30
Punit hos, ut alios corrigat. 1. 31
Punit poſt completam menſuram. 1. 32
Punit graviſſime peccatum. 1. 33
Peccata etiam arcana non ſinit impunita. 1. 34
Propter unum peccatorem punit etiam innocentes. 1. 35
Punit illibenter, & nonniſi coacte. 1. 36
Etiam dum punit miſericors eſt. 1. 37
A nobis ipſis ſumit inſtrumenta puniendi. 1. 38
Mitius punit in hac, quam in altera vita. 1. 39
Tanto gravius punit, quanto diutius indulſit. 1. 40
Exaudit provocantes ad tribunal Dei. 1. 41
Punit per plagas univerſales. 1. 42

*Juſtus Homo.*

Cur Sanctus dicatur. 4. 54
Defenditur a Deo contra perſecutores. 4. 55
Plus conſolationis habet a cæleſtibus, quam mundanis. 4. 56
Cur adverſitate affligatur. 4. 57
Affligitur propter peccata aliorum. 4. 58
Sua præſentia prodeſt impiis. 4. 59
Eſt murus & ſcutum patriæ. 4. 60
Quanti æſtimetur a Deo. 4. 61
Cur a Deo labi permittatur. 4. 62
Singulariter fruitur præſentia Dei. 4. 63
Et ejus conſolatione. 4. 64
Sugillatur ab impiis. 4. 65
Illius opera ſæpe mendoſa. 4. 66
Cur præmature moriatur. 4. 67
Humilis eſt fugiendo honores. 4. 68
Cupit pro ſtulto haberi. 4. 69
Facit obſequia viliſſima. 4. 70
Viliter de ſeipſo ſentit. 4. 71
Contemnit laudes humanas. 4. 72
Caſtus eſt, pugnando contra tentationes. 4. 73
Manſuetus tolerando injurias. 4. 74
Malefacta compenſat beneficiis. 4. 75
Id quod probat mirabilibus exemplis. 4. 76
In tentatione fideliter adhæret Deo. 4. 77
Magni æſtimat ſervitutem Dei. 4. 78

*Juſtitia.*

Quid ſit? quomodo exercenda. 6. 268
Neceſſaria regnis & regibus. 6. 269
Tenetur punire malefactores. 6. 270
Non ſinit ſe corrumpi muneribus. 6. 271

L.

*Labor.*

Eſt hominis proprius. 5. 80
Meritorius ſi fiat ſine debito. 5. 81
Neceſſarius ad nutrimentum hominis. 5. 82

*Lacrymæ.*

Placant iram Dei. 8. 97
Summopere placent Deo. 8. 98
Extinguunt peccata. 8. 99
Sunt peccatori neceſſariæ. 8. 100

*Lacus ſeu ſtagna.*

Habent miras qualitates. 10. 72

[illegible]



*Laſciva colloquia.*

Vide, *Colloquia laſciva.*

*Laſcivus habitus.*

Vide, *Habitus laſcivus.*

*Lectio ſacra.*

Affert magnam utilitatem. 9. 262
Prodeſt ad emendationem vitæ. 9. 263

*Lex Chriſtiana.*

Vide *Præcepta Dei.*

*Libertas animæ.*

Eſt neceſſaria ad meritum. 5. 61
A nullo agente cogi poteſt. 5. 62
Reddit hominem bonum aut malum. 5. 63

*Libri ſacri.*

Profunt ad ſalutem. 6. 241
Cauſant mirabiles converſiones. 6. 242
Conveniunt omni ſtatui. 6. 243

*Libri profani.*

Animæ ſtruunt præcipitium. 6. 244
Numeroſe aſſervantur. 6. 245
Obſceni ſunt ruina animarum. 6. 246
Laſcivi legi non poſſunt ſine peccato. 7. 377

*Lingua.*

Indicat quid in corde lateat. 5. 98
Membrum quo caute agendum. 5. 99
Multa bona præſtat. 5. 100
Multa mala cauſat. 5. 101
Quomodo prudenter uſurpanda. 5. 102

*Linguarum cognitio.*

Quem in finem? 6. 254
A ſolo Deo infundi poteſt. 6. 255

*Locuſta.*

Terribilis pœna. 1. 56
A Deo immiſſa propter peccata. 1. 56

*Luna.*

Qualis, & quinam effectus. 10. 8

*Luſus.*

Immoderatus mala multa cauſat. 7. 341

*Luxus.*

Vide, *Mundana pompa.*

*Luxuria.*

Facit animam ſervam carnis. 7. 342
Eſt voluptas falſa, deceptoria. 7. 343
Raro emendatur ſerio. 7. 344
Vincitur per fugam occaſionis. 7. 345
Abſcondi non poteſt. 7. 346
Dedocetur memoria mortis. 7. 347
Iram Dei concitat ſuper urbes, & regna. 7. 348
Difficulter corrigitur. 7. 349
Punitur a Deo graviſſime. 7. 350
Excluditur e cælo. 7. 351
Ducit ad deſperationem. 7. 352
Permittitur in pœnam ſuperbiæ. 7. 353
Ad inſaniam ſtulteſcit. 7. 354
Semper recrudeſcit, niſi incentiva extirpentur 7. 355
Diſponit ad Atheiſmum. 7. 356
Unde initium trahat. 7. 357
Relinquit peſſimos effectus. 7. 358
Male dicitur Amor. 7. 359
Devitari debet amore Paſſionis Domini. 7. 360
Eſt cauſa bellorum, diſcordiarum. 7. 361
Turpiſſimum ſcelus. 7. 362
Non habet excuſationem. 7. 363
Inficit fere omnes ſtatus. 7. 364

M

*Magnates.*

Vide, *Reges, Principes.*

*Mala conſcientia.*

Vide, *Conſcientia mala.*

*Mala conſuetudo.*

Vide, *Conſuetudo mala.*

*Mala occaſio.*

Vide, *Occaſio mala.*

*Malum exemplum.*

Vide, *Exemplum malum.*

*Mala ſocietas.*

Vide, *Societas mala.*

*Manſuetudo.*

Libenter ſuſtinet injurias. 4. 74
Malefacta compenſat beneficiis. 4. 75
Docetur mirabilibus exemplis. 4. 76
Malis retribuit bona. 6. 333
Eſt virtus decens Chriſtianum. 6. 334
Maxime placet Deo. 6. 335
Generoſum denotat animum. 6. 336
Mitigat iram in hoſte. 6. 337
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 338
Remittit benigne injuriam. 6. 339
Meretur a Deo defendi. 6. 340
Concipitur intuitu propriorum peccatorum. 6. 341

*Magnitudo.*

Corporis admiranda. 5. 85

*Mare.*

Mirabilia complectitur. 10. 73

*Maria Mater Dei.*

Facta Dei Mater propter peccatores. 3. 1
Tenerrime amatur a Deo. 3. 2
Et a Dei Filio. 3. 2
Eſt Regina cæli & terræ. 3. 3
Excellentiſſima ob Maternitatem Dei. 3. 4
Odit peccatores impœnitentes. 3. 5
Et multo magis peccatum. 3. 6
Averſatur infideles, & hæreticos. 3. 7
Punit graviter ſuos injuriatores. 3. 8
Comparatur variis rebus. 3. 9
Platano, & lucernæ. 3. 9
Nebulæ & iridi. 3. 9
Auroræ & Soli. 3. 9
Lunæ & Arcæ Noe. 3. 9
Arcæ teſtamenti & turri David. 3. 9
Cedro & columbæ. 3. 9
Mari, & Virgæ Moyſis. 3. 9
Stellis & palmæ. 3. 9

*Mariæ Nomen.*

Potens contra tentationes. 3. 10
Eſt teſſera ſalutis. 3. 11
Salutare peccatoribus. 3. 12
Honoratur a Sanctis. 3. 13

Dul-

Dulce & potens in adverſis. 3. 14
Reverenter debet pronunciari. 3. 15

*Mariæ Excellentia quoad corpus.*

Eſt pulchritudinis admirandæ. 3. 40
Extinxit in aſpicientibus libidinem. 3. 41
Eſt glorioſa in cœlis. 3. 42
Ejus Reliquiæ veſtium ubi aſſerventur. 3. 16

*Mariæ Excellentia quoad animam.*

Fuit præſervata ab originali. 3. 44
Fuit opus Dei perfectiſſimum. 3. 44
Ejus gloria poſt Deum maxima. 3. 45
Habet donum miraculorum. 3. 46
Perfectior in gratia, quam omnes Sancti. 3. 47
Illius dona & gratiæ incomprehenſibiles. 3. 48
Præ omnibus creatis Deo ſimillima. 3. 49

*Mariæ cultus.*

Liberat ab interitu. 3. 17
Non prodeſt ſine pœnitentia. 3. 18
Adhibendus imaginibus B. V. 3. 19
Utiliſſimus ad impetranda quævis dona. 3. 20
Deo & B. V. gratiſſimus. 3. 21
Ejus defectus ſignum reprobationis. 3. 22
Prodeſt in adverſitate. 3. 23
Debet eſſe ardens & zeloſus. 3. 24
Quomodo conſtitutus eſſe debeat. 3. 25
Eſt ſignum ſalutis. 3. 26
Ædificantur templa prodigioſe. 3. 34

*Mariæ Imagines.*

Inhonoratæ vindicantur. 3. 35
Prænuntiant Dei ſupplicium. 3. 36
Deſignant locum ſui cultus. 3. 37
Operantur converſiones peccatorum. 3. 38
Miraculis clarent. 3. 39
Vide, *Imagines.*

*Mariæ Patrocinium.*

Neminem deſpicit. 3. 50
Invocantes velociter exaudit. 3. 51
Erga famulos ſuos benefica. 3. 52
Refugium tribulatorum. 3. 53
Sæpe non exaudit, cur? 3. 54
Securos nos reddit. 3. 55
Eſt Mater omnium noſtrum. 3. 56
Habet poteſtatem omnes adjuvandi. 3. 57
Et etiam voluntatem adjuvandi. 3. 58
Semper omnium miſeretur. 3. 59
Eſt ſpes noſtræ ſalutis poſt Deum. 3. 60
Defendit ſuos defenſores. 3. 61
Refugium in omnibus afflictionibus. 3. 62
Succurrit univerſæ Eccleſiæ. 3. 63
Eamque potenter protegit. 3. 63
Potens contra diabolum. 3. 64
Ejus patrocinium nobis neceſſarium. 3. 65
Eſt mera miſericordia. 3. 66
Omnia nobis impetrare poteſt. 3. 67
Solicita pro noſtris neceſſitatibus. 3. 68
Mundum præſervat ab interitu. 3. 69
Obſervat noſtras miſerias. 3. 70
Peccatoribus benigna, ſed magis juſtis. 3. 71
Omnia beneficia, & gratias nobis procurat. 3. 72
Ad æternam ſalutem promovet. 3. 73

*Mariæ Patrocinium erga peccatores.*

Conatur ut omnes convertantur. 3. 74
Mitigat iram Filii. 3. 75
Etiam peccatoribus propitia. 3. 76
Et infidelibus. 3. 76
Eſt refugium peccatorum. 3. 77
Liberat ab infernali hoſte. 3. 78
Exiguum obſequium magna mercede compenſat. 3. 79
Recipit peccatores, quos Filius rejicit. 3. 80
Non exaudit ſine noſtra cooperatione. 3. 81

*Mariæ Patrocin. in neceſſ. temporal.*

Curam gerit pro alimentis corporis. 3. 82
Succurrit in morbis. 3. 83
In bellis & hoſtilitatibus. 3. 84
In Infortuniis. 3. 85
In plagis a Deo immiſſis. 3. 86

*Mariæ Patrocin. in morte & judicio.*

Invocanda ardenter. 3. 88
Si nos deſerat, perditi ſumus. 3. 89
Succurrit morientibus. 3. 90
Compeſcit vim tentatoris. 3. 91
Liberat animas purgantes. 3. 92

*Mariæ Virtutes.*

Eſt exemplar omnium Virtutum. 3. 93
Regina Virginum. 3. 94
Dat ſuis cultoribus caſtitatem. 3. 95
Virginitatem in aliis coronat. 3. 96
Ejus Virginitas conjuncta cum Maternitate. 3. 97
Fides tanta, ut Apoſtolos inſtrueret. 3. 98
Hæreſes omnes dejecit. 3. 99
Convertit infideles. 3. 100
Ejus Humilitas laudatur a Deo. 3. 105
Exaltat Mariam ad excellentiſſimam gloriam. 3. 106
Odit & averſatur ſuperbiam. 3. 107

*Mariæ Martyrium.*

Quantum fuerit ſub cruce. 3. 101
Et tam perfecte conforme cum Dei Voluntate. 3. 102
Juvat Filium in redimendo humano genere. 3. 103
Facta eſt Regina Martyrum. 3. 104

*Martyrium.*

Suppleri poteſt per mortificationem. 6. 354

*Martyres.*
Vide, *Sancti Martyres.*

*Maritus.*

Reus eſt peccatorum Uxoris. 5. 369
Non habet jus ſæviendi in uxorem. 5. 370

*Matrimonium.*

Non ineatur malo fine. 8. 141
Alias multa mala ſequentur. 8. 141
Non ineatur ab homine vitioſo. 8. 142
A Dei ordinatione exſpectandum. 8. 143
Infelix propter Zelotypias. 8. 144
Interdum valde fœcundum. 8. 145
Infelix ob coactionem parentum. 8. 146
Exigit ſeriam deliberationem. 8. 147


Diſ-




Diſſidioſum propter incorrigibilem capitoſitatem. 8. 148
Diſſidioſum propter ſuſurrones audiri ſolitos. 8. 149
Diſſidioſum propter inæqualem educationem filiorum. 8. 150
Diſſidioſum propter querelas uxoris extra domum. 8. 151
Diſſidioſum ob ſuſpectas familiaritates. 8. 152
Infelix propter præcedentia peccata. 8. 153
Infelix propter diverſitatem geniorum. 8. 154
Infelix propter defectum manſuetudinis. 8. 155

*Medicina.*

Non valet contra mortem. 6. 256
Contra varios morbos. 6. 257
Quibus remediis vitam prolonget. 6. 258

*Meditatio.*

Hominem erudit cœleſti ſapientia. 6. 101
Inſignes fructus parit. 6. 102
Quomodo inſtituenda. 6. 103
Poteſt ſuper res omnes inſtitui. 6. 105
Fiat in loco ſolitario. 6. 104

*Mendacium.*

Magna damna cauſat. 7. 222
Invenitur in omnibus ſtatibus. 7. 223
Odibile coram Deo, & hominibus. 7. 224

*Mendici.*

Non indigne colligant eleemoſynas. 5. 434
Non otioſe vagentur. 5. 435
Non permittantur multiplicari. 5. 436
Proſunt populo Chriſtiano in multis. 5. 437
Variis impoſturis extorquent eleemoſynas. 5. 438
Nocent aliis vere indigis. 5. 439

*Militaris ſtatus.*

A ſolo Deo victoriam ſperet. 5. 411
Ad quam multum facit probitas & virtus. 5. 412
Eſt ſtatus licitus & honeſtus. 5. 413
Graviſſime obligatur ad fidelitatem. 5. 414
Multis ſcelerum periculis obnoxius. 5. 415
Cum paucis militibus victoriam obtinet. 5. 416
Habet numeroſos exercitus. 5. 417
Poteſt pie vivere, & ſalvari. 5. 418
Mira fortitudinis exempla edit. 5. 419
Hoſtes ad deſperationem non cogat. 5. 421

*Miſericordia Dei.*

Magna erga peccatores. 1. 57
Vocat peccatorem variis modis. 1. 58
Vocat etiam reluctantes. 1. 59
Miſericors in peccatorem dum actu peccat. 1. 60
Vocat etiam miſerrimos. 1. 61
Æſtimatur a Deo præ ceteris attributis. 1. 62
Semper parata recipere peccatorem. 1. 63
Non ſola reſpicienda, ſed una cum juſtitia. 1. 64
Eſt unicum refugium poſt peccatum. 1. 65
Non debet trahi in conſequentiam. 1. 66
Pronior ad parcendum, quam juſtitia ad puniendum. 1. 67
Licet infinita habet certam menſuram. 1. 68
Exigit cooperationem hominis. 1. 69
Efficacius trahit, quam juſtitia. 1. 70
Mittit adverſitates, ut corrigat. 1. 71
Ardenter deſiderat peccatoris converſionem. 1. 72
Infinities major eſt quam miſericordia humana. 1. 73
Non arctatur numero aut gravitate peccatorum. 1. 74
Exhibet peccatori multiplex beneficium. 1. 75
Mirabiliter adornat converſiones peccatorum. 1. 76

*Miſericordia Virtus.*

Exhibenda proximo propter Deum. 6. 199
Succurrit neceſſitatibus proximi. 6. 200
Habet commiſerationem cum peccatore. 6. 201
Deo gratiſſima & ſalutaris. 6. 202
In beneficiis qualis eſſe debeat. 6. 203

*Miſericordiæ opera.*

Eſurientes paſcere. 6. 204
Potum dare ſitientibus. 6. 205
Hoſpitio peregrinos ſuſcipere. 6. 206
Operire nudos. 6. 207
Viſitare infirmos. 6. 208
Captivos redimere. 6. 209
Mortuos ſepelire. 6. 210

*Modeſtia.*

Amplectenda ex variis motivis. 6. 346
Attemperat omnes actiones. 6. 347
Ædificat aſpicientes. 6. 348

*Moniales.*

Chriſtum habent pro ſponſo. 5. 212
Debent eſſe mundo demortuæ. 5. 213

*Monaſteria.*

Non inhient divitiis & pompæ. 5. 195
Sunt Deo grata ob regularitatem functionum. 5. 196

*Morbi.*

Animæ proſunt ad virtutem. 6. 420
Sunt medicina ad purgandas animas. 6. 421
De iis non conquerendum. 6. 422
Expeditius ſanantur a Deo, quam a Medicis. 6. 423
Cauſantur a peccatis. 6. 424
Patienter tolerantur a Sanctis. 6. 425
Adducunt ad pœnitentiam. 6. 426
Patienter ferendi amore Chriſti. 6. 427
Præſervant a peccato. 6. 428
Compeſcunt audaciam peccatoris. 6. 429

*Montes.*

Cur, & quando creati. 10. 58
Frequenter ignem vomunt. 10. 59
Variis mirabilibus illuſtres. 10. 60
Novi, aut collapſi alio migrantes. 10. 61
Altitudine mirandi. 10. 62

*Mors.*

Amicorum non deflenda. 6. 430
Cur in tenera ætate infligatur. 6. 431
Non immoderate deploranda. 6. 432
Quid & qualis ſit. 9. 128
Imminet homini ſemper, & ubique. 9. 129
Demonſtrat vanitatem mundi. 9. 130
Violenta & repentina non ſemper mala. 9. 131
Non eſt timenda. 9. 132
Eſt inevitabilis. 9. 133
Cauſatur ab inexſpectato eventu. 9. 134
Non timetur a Sanctis. 9. 135
Adimit mundana omnia. 9. 136
Cur incerta ſit. 9. 137
Incerta tam juveni quam ſeni. 9. 138
Adæquat omnes homines. 9. 139
Eſt talis qualis vita. 9. 140
Incerta quoad modum. 9. 141
Incerta quoad tempus. 9. 142
Variis ſignis prænuntiatur. 9. 143


Mors

*Mors impiorum.*
Infelix & quaſi violenta. 9. 172
Plena miſeriis. 9. 173
Nedum vanitatibus vacua. 9. 174
*Mors juſtorum.*
Facilis, quia non ſunt alligati. 9. 175
Felix & plena conſolatione. 9. 176
*De his quæ ante mortem.*
Prævenienda per præparationem. 9. 155
Per confeſſionem. 9. 156
Per invocationem S. Patroni. 9. 157
Per conſtitutionem fidelium executorum. 9. 158
Per confectionem teſtamenti. 9. 159
Per diligentem præparationem. 9. 160
*De iis, quæ in morte.*
Qualis homo, talis judicatur. 9. 161
Eſt illud momentum terribile. 9. 162
Homo perplexus, ut ſibi prodeſſe neſciat. 9. 163
Moriens qualis per hypotipoſin. 9. 164
Vileſcunt mundana omnia. 9. 165
Vis dæmonum maxima. 9. 166
Tentationes terribiles. 9. 167
*De iis, quæ poſt mortem.*
Homo non poteſt reſipiſcere. 9. 168
Multi creduntur viciſſe, & victi ſunt. 9. 169
Vita miſera exceſſiſſe ſolatium eſt. 9. 170
Animæ egredientis primus occurſus. 9. 171
Sepultura ſacra curanda. 9. 172
*Mortis Memoria.*
Dedocet peccatum. 9. 144
Facit contemnere mundum. 9. 145
Dedocet ſuperbiam. 9. 146
Dedocet luxuriam. 9. 147
Inculcatur ab omnibus creatis. 9. 148
Ditat hominem Virtutibus. 9. 149
A Dæmone admitur. 9. 150
Emendat peccatorem. 9. 151
Dedocet avaritiam. 9. 152
Amara impiis & divitibus. 9. 153
Conſtanter in animo tenenda. 9. 154
*Mortificatio.*
Eſt neceſſaria ad expianda peccata. 6. 349
Et ad præſervationem a peccatis. 6. 350
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 351
Aſſimilat Chriſto. 6. 352
Debet eſſe diſcreta. 6. 353
Grata Deo inſtar Martyrii. 6. 354
Neceſſaria ad cælum. 6. 355
*Mortificatio paſſionum.*
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 356
Ligat, non extinguit paſſiones. 6. 357
Non eſt impoſſibilis, aut difficilis. 6. 358
*Mortificatio Viſus.*
Neceſſaria ad virtutem. 6. 359
Docetur exemplo Sanctorum. 6 360
*Mortificatio Odoratus.*
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 361
Quomodo adhibenda contra peccatum. 6. 362
*Mortificatio Guſtus.*
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 363
*Mortificatio Linguæ.*
Per ſilentium, utilis. 6 364
Neceſſaria ad virtutem. 6. 364
Denotat ſapientem 6. 365
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 366
*Mortificatio intellectus.*
Per captivationem. 6. 367
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 368
*Mortificatio Voluntatis.*
Per abnegationem. 6. 368
Gratiſſimum Deo Sacrificium. 6. 368
Quomodo exercenda. 6. 369
Perfecta in quo conſiſtat. 6. 370
Neceſſaria ad ſalutem. 6. 372
*Mulier laudabilis.*
In pietate erga pauperes. 5. 14
In Religione erga Deum. 5. 15
In pietate erga patriam. 5. 16
In amore conjugali. 5. 17
In bellica virtute. 5. 18
In ſcientiis. 5. 19
In adminiſtratione rei domeſticæ. 5. 20
In adminiſtratione regnorum. 5. 21
In caſtitate & pudore. 5. 22
*Mulieres illaudabiles.*
In variis vitiis. 5. 23
Agitantur regnandi ambitione. 5. 23
Crudeles erga amicos & inimicos. 5. 24
Sunt cauſæ cædium. 5. 25
Perſequuntur Viros Sanctos. 5. 26
Infideles erga conjuges. 5. 27
Cauſæ multorum malorum. 5. 28
Molles & carnales. 5. 29
Cauſæ ruinæ multorum. 5. 30
Cauſæ bellorum. 5. 31
Inſtrumentum hæreticorum ad ſectas propagandas. 5. 32
Aſtutæ & fraudulentæ. 5. 33
Imprudentes ob ſuperbiam. 5. 34
Incaſtæ & ſeductrices. 5. 35
Crudeles & vindictæ ſtudioſæ. 5. 36
Periculoſæ Vitis. 7. 103
*Mundus.*
Non ſatiat cum omnibus divitiis & deliciis. 9. 266
Contrarius Deo in ſuis judiciis. 9. 267
Tendit ad cælum per aliam viam, quam Sancti. 9. 268
Inhæret ſenſibilibus, non curat inſenſibilia 9. 269
Plenus eſt falſitatibus. 9. 270
Eſt inimicus Deo. 9. 271
Plenus vitiis & peccatis. 9. 272
Decipit ſuis promiſſionibus. 9. 273
Peccatorum periculis refertus. 9. 274
Vitia palliat nomine Virtutum. 9. 275
Premit graviori jugo quam Chriſtus. 9. 276
Contemnendus cum omnibus bonis. 9. 277
Eſt ingratus beneficiis. 9. 278
Deſerit ſuos in aſſlictione. 9. 279
*Mundani honores.*
Sunt fluxi & inconſtantes. 9. 280
Raro non mutant mores. 9. 281
Tandem deſinunt in miſeriam. 9. 282
Prudenter contemnuntur. 9. 283
*Mundana amicitia.*
Non diu durat. 9. 284
Deſinit in odium benefactoris. 9. 285
In adverſitate deſerit. 9. 286
In morte aufugit. 9. 287
Utilitatem propriam quærit. 5. 288
Non eſt ſincera. 9. 289
*Mundana ſapientia.*
Confunditur ſimplicitate Sanctorum. 9. 290
Con-



Contraria ſapientiæ Chriſti. 9. 291
Non valet contra conſilium Dei. 9. 292
Suis conſiliis ſibi contraria. 9. 293
Tantum quærit terrena, cæleſtia negligit. 9. 294
Excuſat peccatum variis modis. 9. 295
Stulteſcit ſine gratia Dei. 9. 296
*Mundana voluptates.*
Sunt moleſtæ. 9. 297
Deſinunt in miſeriam. 9. 298
Infelicem exitum ſortiuntur. 9. 299
*Mundana pompa.*
Eſt inimica Chriſti. 9. 300
Conſtat vanitate & ſumptibus. 9. 301
Eſt tranſitoria & vaniſſima. 9. 302
*Mundana proſperitas.*
Plena amaritudine. 9. 303
Merito timenda. 9. 304
Eſt inimica virtutis. 9. 305
Eſt vaniſſima, tranſitoria. 9. 306
*Mundus terraqueus.*
Eſt liber gloriæ Dei. 10. 11
Admirandum opus potentiæ Dei. 10. 12
Creatus ad hominis emolumentum. 10. 13
Erronee ab antiquis conceptus. 10. 14
Non gyratur ſyſtemate Copernico. 10. 15
Datur unus & unicus. 10. 16
Magis amatur, quam cælum. 10. 17
Punctum eſt, ſi cum cælo conferatur. 10. 18
Nihil habet ſtabile & conſtans. 10. 19
Admonet hominem ſui finis. 10. 20
Ejus regna cujus magnitudinis. 10. 21
*Muſica.*
Quantæ Virtutis & efficaciæ. 6. 259
Vana in templo, non laudabilis. 6. 260
*Myſteria fidei.*
Non ſunt curioſe ſcrutanda. 6. 45
Credi debent, utut creditu difficilia. 6. 46
Sunt incomprehenſibilia. 6. 47

N.

*Nativitas Chriſti.*
Vide, *Incarnatio. &c.*
*Naturæ fragilitas.*
Non eſt ſufficiens excuſatio peccati. 7. 91
*Nobilitas.*
Eſt mera vanitas. 5. 313
Vera conſiſtit in virtute. 5. 314
Omnis habet vilem originem. 5. 315
Ab alto fortunæ gradu ruit. 5. 316
Debet eſſe conjuncta cum eruditione. 5. 317
Quibus dotibus florere debeat. 5. 318
Sua authoritate abutitur ad ſcelera. 5. 319
Trahit ſuo exemplo ad bonum, & malum. 5. 320
In altera vita non valet. 5. 321
*Nomen JESU.*
Non debet pronuntiari ab immundo. 2. 17
Eſt nomen ſalutis. 2. 18
Efficax medicina contra peccata. 2. 19
Sanat infirmitates corporis. 2. 20
Et etiam animæ. 2. 20
Promovet ad ſanctitatem. 2. 21
Tuetur contra hoſtes, & dæmones. 2. 22
Summo in honore habendum. 2. 23
Solatur in adverſitatibus. 2. 24
*Nomen Mariæ.*
Potens contra tentationes. 3. 10
Eſt teſſera ſalutis. 3. 11
Salutare peccatoribus. 3. 12
Honoratur a Sanctis. 3. 13
Potens & dulce in adverſis. 3. 14
Reverenter debet pronunciari. 3. 15
*Novitii Religioſi.*
Gravius tentantur, quam antea. 5. 215
Studeant abnegationi. 5. 216
Cur in principio conſolationes ſentiant. 5. 217
*Nubes.*
Quid ſint, & cui bono. 10. 38
*Numerus Electorum.*
Valde exiguus. 1. 110
*Nutrimentum corporis.*
Labore comparatur. 5. 76
Et Benedictione Divina. 5. 76
Sperandum a Deo. 5. 77
Datur vel negatur ſecundum meritum hominis. 5. 78
Non immoderate quærendum. 5. 79

O

*Obedientia Religioſa.*
AUget meritum operis. 5. 220
Docetur a Chriſto & Sanctis. 5. 221
Eſt ſcala ad cælum. 5. 222
Debet eſſe cæca. 5. 223
Summopere placet Deo. 5. 224
Eſt radix aliarum virtutum. 5. 225
Quas qualitates habere debeat. 5. 226
Large præmiatur a Deo. 5. 227
Vera ſuperat omnes difficultates. 5. 228
Probatur miraculis. 5. 229
Non obſervata punitur. 5. 230
*Obſervatio Feſtorum.*
Vide, *Feſta.*
*Obſtinacia judicii.*
Oritur ex ſuperbia. 7. 273
Eſt indecens & præſumptuoſa. 7. 274
Valde periculoſa. 7. 275
Punitur a Deo. 7. 276
*Occaſio mala.*
Eſt incentivum peccati. 7. 101
*Oceanus.*
Quæ notabilia habeat. 10. 74
*Oculi.*
Sunt pars principalis ſenſuum. 5. 90
Porta per quam intrat hoſtis. 5. 91
Primi duces ad malum. 5. 92
*Odium ſui.*
Sequitur ad amorem Dei. 6. 126
*Odoratus.*
Senſus mire perfectus. 5. 97
*Officiales.*
Vide, *Judices.*
*Omnipotentia Dei.*
Neceſſario concurrit cum homine. 1. 101
Potens & mirabilis in operibus ſuis. 1. 102
Ejus conſilia non poſſunt impediri. 1. 103
Conſervat mundum. 1. 104
Gra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Oratio.*
Ejus efficacia impeditur a peccatore. 6. 66
Eſt neceſſaria ad ſalutem. 6. 67
Sæpe inefficax, cur? 6. 68
Debet eſſe conſtans. 6. 69
Negligens nihil impetrat. 6. 70
Innocentum multum valet. 6. 71
Sæpe petit aliquid noxium. 6. 72
Semper auditur a Deo. 6. 73
Qua ratione fieri debeat. 6. 74
Non debet omitti, etſi nihil impetret. 6. 75
Potens contra diabolum. 6. 76
Non debet petere illicita. 6. 77
Præmittenda omnibus actionibus. 6. 78
Semper poteſt continuari. 6. 79
Impetrat, vel non impetrat pro diverſitate devotionis. 6. 80
Prodeſt in periculis corporalibus. 6. 81
Plus impetrat quam petit. 6. 82
Fieri debet cum reverentia. 6. 83
Peccatoris non exauditur. 6. 84
Quam grata ſit Deo. 6. 85
Efficax ad impetrandum. 6. 86
Impeditur a dæmone. 6. 87
Etiam aliena prodeſt pro aliis. 6. 88
Non fiat diſtracte. 6. 89
Quam facile fiat diſtracta. 6. 90
Munit contra tentationes. 6. 91
Solatur in adverſitate. 6. 92
Inter quævis negotia poteſt continuari. 6. 93
Cuilibet ſtatui neceſſaria. 6. 94
Debet Deum habere præſentem. 6. 95
Offerenda etiam pro infidelibus. 6. 96
*Orationes jaculatoriæ.*
Inter quævis negotia poſſunt fieri. 6. 97
Sunt meritoriæ & utiles. 6. 98
*Opera bona.*
In ſtatu peccati nil valent. 9. 181
Vitiantur amore proprio. 9. 182
Coram Deo ſæpe mendoſa. 9. 183
Poſſunt ſemper continuari. 9. 184
Corrumpuntur ex motivo vano. 9. 185
Aut naturali propenſione. 9. 186
Fieri non poſſunt poſt hanc vitam. 9. 187
Parva præſtant nonnunquam magnis. 9. 188.
Sæpe fiunt malo fine. 9. 189
Occultari debent coram mundo. 9. 190
Sæpe corrumpuntur vana gloria. 9. 191
Aut ex intereſſe proprio. 9. 192
Sunt neceſſaria ad ſalutem. 9. 193
Externa nil valent ſine internis. 9. 194
Sunt unicum ſolamen in judicio. 9. 195
Etiam parva magno præmio coronantur. 9. 196
Voluntaria non placent ſine obligatoriis. 9. 197
Summopere placent Deo. 9. 198
Etiam ſupererogatoria frequentanda. 9. 199
*Ordo Sacer.*
A Chriſto inſtitutus. 8. 132
Conciliat magnam reverentiam. 8. 133
Non invenitur apud hæreticos. 8. 134
Non inordinate appetendus. 8. 135
Imponit magnam obligationem. 8. 136
Dat magnam auctoritatem. 8. 137
Confert magnam poteſtatem. 8. 138
Dat poteſtatem in dæmones. 8. 139
Defenditur a Deo contra perſecutores. 8. 140
*Otium.*
Repugnat conditioni humanæ. 7. 466
Fomentum multorum ſcelerum. 7. 467
Quibus remediis ſuperandum. 7. 468
P
*Parentes.*
In educatione prolium non ſint nimis lenes. 5. 371
Suo exemplo trahunt filios ad bonum & malum. 5. 372
Rei ſint peccatorum a filiis commiſſorum. 5. 373
Ex natura tenere amant filios. 5. 374
Magna bona cauſant per bonam educationem. 5. 375
Multa mala, ſi filiis non præbeant neceſſaria. 5. 376
Tenentur erudire filios in rebus fidei. 5. 377
Habent multiplicem obligationem in filios. 5. 378
Habent gravem obligationem bonæ educationis. 5. 379
Non minus curam habeant animarum quam corporum. 5. 380
Magna mala cauſant propter malam educationem. 5. 381
Sunt cauſa impudicitiæ filiorum. 5. 382
Non aſſuefaciant filios ad vanitates. 5. 383
Impediant mature peccata filiorum. 5. 384
Non cedant bonis ante mortem. 5. 385
Amore filiorum non exerceant injuſtitias. 5. 386
Afflant filiis ſuos mores & vitia. 5. 387
Puniuntur in filiis propter malam educationem. 5. 388
Non cogant filios ad ſtatum contra vocationem. 5. 389
Attendant, ubi & cum quibus verſentur filii. 5. 390
Non imprecentur filiis malum. 5. 391
Sunt cauſa infortuniorum in filiis. 5. 392
*Parochus.*
Cautus ſit contra pericula mulierum. 5. 248
Nutriri debet a parochianis. 5. 249
Non promoveatur indigne. 5. 250
Paci, ac caritati ſtudeat. 5. 251
Habet multas obligationes. 5. 252
Quænam ejus officia. 5. 253
Præeat bono exemplo. 5. 254
Si malus ſit, mala maxima cauſat. 5. 255
Vide, *Cura animarum.*
*Paſſio Chriſti.*
Toleratur ex noſtro amore. 2. 30
Propter noſtram ſalutem. 2. 30
Aggravat peccatum. 2. 31
Exprobrabitur peccatori in judicio. 2. 32
Aliquibus prodeſt, in aliis perit. 2. 33
Ardenter deſideratur a Chriſto. 2. 34
Perficitur ab omnibus creaturis. 2. 35
A nemine vult ſequendo amplecti. 2. 36
Bene autem gloria Chriſti. 2. 36
Quanta & quam crudelis. 2. 37
Indicium ardentiſſimi amoris. 2. 38
Toleratur a Chriſto, quæ nobis debebatur. 2. 39
Demonſtrat gravitatem peccati. 2. 40
Conſiderata movet ad pœnitentiam. 2. 41
Allicit peccatorem ad converſionem. 2. 42
Et ad petendam veniam. 2. 42





Præſervat a peccato. 2. 43
Promovet ad ſanctitatem. 2. 44
Debet devote conſiderari. 2. 45
Animat ad mortificationem. 2. 46
Confortat ad ferenda acerba. 2. 46
Non ſufficit ſine cooperatione. 2. 47
Eſt intellectui imperceptibilis. 2. 48
Non ſatiat Chriſti deſiderium plura patiendi. 2. 49
Ejus conſideratio grata Chriſto. 2. 50
Et multo magis imitatio. 2. 50
Exigit noſtram compaſſionem. 2. 51
Extimulat ad patientiam. 2. 52
Renovatur a peccatore. 2. 53
*Paſſionis Inſtrumenta.*
Ubi locorum aſſerventur. 2. 65
*Patientia.*
Sanctorum tolerat varias infirmitates. 4. 83
Gaudet ſi multa pati poſſit. 4. 84
Tolerat injurias & diffamationes. 4. 85
Imitatur Chriſtum patientem. 4. 86
Meretur cœli mercedem. 6. 386
Eſt virtus Deo beneplacens. 6. 387
Amanti Deum dulcis. 6. 388
Quomodo perfecta eſſe debeat. 6. 389
Roboratur ſanctis principiis. 6. 390
Commendatur variis motivis. 6. 391
*Patres-familias.*
Rei ſunt ſcelerum familiæ. 5. 393
Cauſa multorum bonorum per bonum exemplum. 5. 394
Propter negotia domus non omittant Divina. 5. 395
Non ſint immiſericordes erga famulos. 5. 396
Non patiantur in domo ſceleratos. 5. 397
Curam habeant domeſticorum. 5. 398
Tenentur invigilare bono ſubditorum. 5. 399
*Sancti Patres.*
Utuntur arte Rhetorica. 9. 260
Illorum ſententias uſurpare laudabile. 9. 261

*Patrocinium B. V.*

Vide, *Mariæ Patrocinium.*

*Paupertas.*

Eſt beneficium Dei. 6. 433
A Deo venit, non ab inimico. 6. 434
Curæ habetur a Deo & Sanctis. 6. 435
Magni æſtimatur apud Deum. 6. 436
Patienter ferenda propter Chriſtum. 6. 437
Felicior omnibus divitiis. 6. 438
Irritamentum ad peccata. 7. 109
*Paupertas Religioſa.*
Dives eſt. 5. 231
Etiam affectu debet relinquere mundum. 5. 232
Nihil retineat eorum quæ deſeruit. 5. 233
Reſpuit divitias, & delicias. 5. 234
Magnam parit animæ felicitatem. 5. 235
*Peccatum.*
Aggravatur paſſione Chriſti. 2. 31
Ejus gravitas demonſtratur paſſione Chriſti. 2. 40
Impeditur conſideratione paſſionis Chriſti. 2. 43
Quid ſit? 7. 1
Solum vere malum eſt. 7. 2
Publicum cauſat publicas calamitates. 7. 3
Poſt Paſſionem Chriſti gravius. 7. 5
Continet multiplicem malitiam. 7. 4
Si vere cognoſcitur, non committitur. 7. 6
Graviſſimum, quia fit in conſpectu Dei. 7. 7
Chriſtianorum eſt graviſſimum. 7. 8
Extinguit in anima imaginem Dei. 7. 9
Turpiſſime deformat animam. 7. 10
Eſt malum omnium graviſſimum. 7. 11
Serio fugiendum. Quomodo? 7. 12
Elongat peccatorem a Deo. 7. 13
Abſque ulla ratione committitur. 7. 14
Poſt viſa aliorum ſupplicia gravius. 7. 15
Eſt in certa menſura præfixum. 7. 16
Deo conatur auferre Divinitatem. 7. 17
Peſſimos effectus poſt ſe trahit. 7. 18
Perdit gratiam & dona S. Spiritus. 7. 19
Non poteſt abſcondi. 7. 20
Cur a Deo permittatur? 7. 21
Unum poſt ſe trahit plura. 7. 22
Punitur pœna talionis. 7. 23
Contra ſe armat omnes creaturas. 7. 24
Eſt Martyrium diaboli. 7. 25
Cauſa calamitatum temporalium. 7. 26
Unicum cur puniatur æternum. 7. 27
Cauſat malam conſcientiam. 7. 71
Varie ſolet excuſari. 7. 84
Sed frivole & imprudenter. 7. 86
*Peccata aliena.*
Quid & qualia ſint? 7. 138
Suadere peccatum eſt deteſtabile. 7. 239
Mala maxima cauſat. 7. 240
Deridere virtutem grande malum. 7. 240
Punitur graviſſime. 7. 241
Mandare peccatum quomodo fiat. 7. 242
Laudare peccatum facit audacem. 7. 243
Defendere peccatum confortat malos in mala. 7. 243
Gloriari de peccato facit alios audaciores. 7. 244
Connivere peccatum propagat ſcelera. 7. 245
Irritare ad peccatum multa ſcelera cauſat. 7. 246
Tacere peccatum fovet impietatem. 7. 247
Conſentire peccato malitiæ alienæ participem facit. 7. 248
*Peccatum originale.*
Peſſimos effectus reliquit. 7. 61
*Peccatum veniale.*
Eſt quaſi inevitabile. 7. 62
Diſponit ad mortale. 7. 63
Mala maxima poſt ſe trahit. 7. 64
Revera non eſt leve. 7. 65
*Peccatum jam ſemel remiſſum.*
Non debet eſſe ſine metu. 7. 66
*Peccatum omiſſionis.*
Tam grave quam commiſſionis. 7. 67
A pluribus parum curatur. 7. 68
Damnatur non minus quam commiſſionis. 7. 69
Imo eſt periculoſius. 7. 70
*Peccator.*
Gravius peccat poſt Paſſionem Chriſti. 2. 31
Illi exprobrabitur Paſſio Chriſti in judicio. 2. 32
Peccando renovat Paſſionem Chriſti. 2. 53
Obſurdeſcit Dei monitis. 7. 28
Laborat graviter in ſervitute dæmonis. 7. 29
Plus curat temporalia quam æterna. 7. 30

Per peccatum fit bellua. 7. 31
Non poterit reſipiſcere, cum volet. 7. 32
Semper in deterius vergit. 7. 33
Infelix utut proſpere vivat. 7. 34
Totas familias exponit periculo interitus. 7. 35
Jungat operam Deo ad ſuam converſionem. 7. 36
Magis timet pœnam quam culpam. 7. 37
Punitur cæcitate mentis. 7. 38
In cauſa eſt, quod gentiles non convertantur. 7. 39
Animam vendit dæmoni pro nihilo. 7. 40
Ludit cum Deo per inania propoſita. 7. 41
Remedia ſalutis convertit in ſuam perniciem. 7. 42
Cur in hac vita proſpere vivat. 7. 43
Nocet hominibus juſtis. 7. 44
Nullam habet benedictionem Divinam. 7. 45
Eſt voluntarius ſtultus. 7. 46
Punitur graviſſime cum jam non amplius punitur. 7. 47
Suamet culpa perit, ſi pereat. 7. 48
Gradatim vadit ad infernum. 7. 49
Unus impedit favores Divinos ſupra totam communitatem. 7. 50
Punitur brevitate vitæ. 7. 51
Succeſſive non repente fit malus. 7. 52
Nullam habet excuſationem. 7. 53
Inveteratus, quis & qualis? 7. 54
Ad vocem Dei durior quam mundi. 7. 55
Non curat ſuam miſeriam. 7. 56
Non flectitur minis nec beneficiis. 7. 57
Ordinarie perit æternum. 7. 58
Difficillime convertitur. 7. 59
Excæcatur, & induratur a Deo. 7. 60

*Pecunia.*

Multa mala cauſat. 7. 325
Quando incepta cudi. 7. 326
Contemnitur a Sanctis. 7. 327

*Peregrinationes.*

Antiquiſſimo more viſitantur. 9. 226

*Perfectio Chriſtiana.*

Quibus mediis acquiratur. 6. 18
Acquiritur ſucceſſive. 6. 19
Non eſt difficilis. 6. 20
In quo conſiſtat. 6. 21

*Perfidia.*

Contra pacta graviter punitur a Deo. 7. 159

*Pericula.*

Peccati caute fugienda. 7. 100

*Perjurium.*

Punitur graviſſime. 7. 155
Indignum Chriſtiano. 7. 156
Nocet toti communitati. 7. 157
Manifeſta pœna a Deo plectitur. 7. 158

*Perſecutiones.*

Eccleſiæ ſunt variæ. 1. 45
Sunt beneficium Dei. 6. 455
Promovent Virtutem. 6. 455
Sunt accipiendæ ut venientes a Deo. 6. 456
Malevolorum deſpiciendæ. 6. 45
Patienter cum gaudio ferendæ. 6. 459
Permittuntur a Deo in emolumentum hominis. 6. 458
Convitia grande meritum ferunt. 6. 460
Non ſunt excuſatio ſufficiens peccati. 6. 461
In detractionibus generoſe contemnendæ. 6. 462
In calumniis Deum defenſorem habent. 6. 463
Patienter perferuntur a Sanctis. 6. 464
Non ſatis excuſant peccatum. 7. 98

*Perſeverantia.*

Eſt corona virtutum omnium. 6. 379
Conſtat ſedulo labore. 6. 380
Acquiritur per certas vivendi regulas. 6. 381
Debet abnegare priſtinas conſuetudines. 6. 382
Apud multos deficit. 6. 383
Docetur a Chriſto patiente. 6. 384
Neceſſaria eſt ad coronam gloriæ. 6. 385

*Peſtilentia.*

Eſt pœna peccati. 1. 49
Terribile malum. 1. 49

*Phantaſia.*

Non ſemper vane ſomniat. 5. 58

*Philoſophia.*

Confunditur a veritate Chriſti. 6. 261
Sæpe inanis clamor. 6. 262
Concluſiones Syllogiſticas invenit in Scriptura. 6. 263
Quantos errores vendiderit. 6. 264

*Picturæ laſcivæ.*

Cauſant peccata innumera. 7. 386
Vehementer afficiunt animum. 7. 387
Digaæ ſunt gravi ſupplicio. 7. 388

*Piſces.*

In mari portentoſæ magnitudinis. 10. 75
Monſtroſi & terribiles. 10. 76
In innumerabili copia. 10. 77
Habent varias qualitates. 10. 78

*Plagæ univerſales.*

Cauſantur a peccatis. 1. 42
Fiunt per imbellia animalcula. 1. 43
Præſagiuntur per ſigna prodroma. 1. 44

*Planetæ.*

Quinam, & quem in finem. 10. 6

*Pluvia.*

Unde & quid efficiant. 10. 39

*Pœna damni in inferno.*

Eſt prorſus terribilis damnatis. 9. 74
Conſiſtit in triſtitia de bono amiſſo. 9. 75
Videt Deum & Sanctos in augmentum dolorum. 9. 76

*Pœna ſenſus.*

Terribilis in damnatis. 9. 77
Proportionatur peccatis. 9. 78
Terribilis propter fœtorem. 9. 79
Et propter ignem ardentiſſimum. 9. 80
Atque inextinguibilem. 9. 81
Ejus gravitas deſumitur ex Paſſione Domini. 9. 82
Horrenda propter tenebras. 9. 83
Et propter aſpectum dæmonum. 9. 84

*Pœnitentia.*

Sanctorum auſtere in ſe plectit delicta. 4. 79
Mirabilis in jejunio & inedia. 4. 80
Item in flagellis & auſteritatibus. 4. 81
Fugit occaſiones peccati. 4. 82
Reſuſcitat merita mortificata. 6. 281
Neceſſaria relapſo. 6. 282
Aſſumit voluntarias ſatisfactiones. 6. 283
Sera non eſt ſincera. 6. 284
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 285
Ardenter deſideratur a Chriſto. 6. 286
Non eſt differenda. 6. 287
Placat Deum. 6. 288
Mactat paſſiones hominis. 6. 289





Vera non eſt res facilis. 6. 290
Fugit occaſiones peccandi. 6. 291
Præmunire debet contra relapſum. 6. 292
Mutat peccatorem in juſtum. 6. 293
Efficax ad remittenda peccata. 6. 294
Debet eſſe conſtans, & perſeverans. 6. 295
Non eſt tetrica ſed hilaris. 6. 296
Debet eſſe proportionata peccatis. 6. 297

*Pœnitentia Sacramentum.*

Efficax ad remittenda peccata. 8. 85
Fieri non poteſt ſine Dei gratia. 8. 86
Reſuſcitat merita mortificata. 8. 87
Eſt neceſſarium relapſo. 8. 88
Placat iram Dei. 8. 89

*Pœnitens.*

Serio & ardenter pœniteat. 8. 90
Poſt confeſſionem experietur novas tentationes. 8. 91
Poſt peccatum ardentius reſurgat. 8. 92
Mirabiliter vocatur a Deo. 8. 93

*Pontes.*

Valde admirandi. 6. 253

*Præcepta Dei.*

Non ſolum ſciri, ſed obſervari debent 6. 48
Obſervantem beatum faciunt. 6. 49
Non ſunt obſervatu difficilia. 6. 50
Non ſunt curioſe ſerutanda. 6. 51
Minus obſervantur, quam præcepta mundi. 6. 52

*Prædeſtinatio.*

Fit dependenter a meritis. 1. 105
Ad gloriam facit hominem æſtimabilem. 1. 106
Cur homini occulteetur. 1. 107
Occultata non affligat hominem. 1. 108
Negatur homini ex culpa propria. 1. 109
Paucos prædeſtinat ad gloriam. 1. 110
An elegerit, vel rejecerit Salomonem. 1. 110
Eſt metuenda propter arcana Dei judicia. 1. 111
Eſt gratuita, ſed glorificatio ob merita. 1. 112

*Prædicator Sacer.*

Habeat ſcientiam convenientem. 5. 265
Et ſpiritus fervorem. 5. 265
Audiendus obedienter. 5. 266
Debet eſſe perfectus in vita. 5. 267
Habet munus excellentiſſimum. 5. 268
Senſu Scripturæ, non ſuo utatur. 5. 269
Cur fructum ſæpe non faciat. 5. 270
Non deſiſtat a conatu, etſi nihil efficiat. 5. 271
Magna diſcretione utatur. 5. 272
Confirmet exemplo, quod docet verbo. 5. 273
Unice Dei gloriam quærat. 5. 274
Magnum habet meritum apud Deum. 5. 275
Si malus ſit, fructum non feret. 5. 276
Interdum auſteritate utatur. 5. 277
Ex officio ſuo debet evertere crimina. 5. 278
Non deterreatur oblocutionibus populi. 5. 279
Clare & ſine fuco exprobret ſcelera. 5. 280
Non Rhetorico ornatu, ſed ſimplici Scriptura utatur. 5. 281
Non plauſum, ſed planctum populi quærat. 5. 282

*Præſentia Dei.*

Eſt remedium ad perfectionem. 1. 113
Refrænat peccata. 1. 114
Ejus defectu peccata innumera. 1. 115
Semper cogitatur a juſtis. 1. 116
Fugitur ab impiis. 1. 116
Operatur victoriam tentationum. 1. 117
Potens ſtimulus ad converſionem peccatorum. 1. 118
Item ad virtutem, & Sanctitatem. 1. 119
Semper cogitanda, etiam inter negotia. 1. 120
Quantos afferat fructus. 1. 121
Animat juſtos ad ardua ſuperanda. 1. 122
Erudit cæleſti Sapientia. 1. 123

*Præſumtio.*

De Miſericordia Dei valde periculoſa. 7. 177
Peſſime confidit ſibi licitum fore, quod aliis. 7. 178
Remedium ſalutis convertit in ſuam perniciem. 7. 179
Corrigitur intuitu juſtitiæ Divinæ. 7. 180
De ſuis viribus temeraria. 7. 183

*Prætores.*

Vide, *Judices.*

*Proceſſiones.*

Publicæ quomodo inſtituendæ. 6. 100

*Procraſtinatio pœnitentiæ.*

Valde periculoſa. 7. 184
Reddit pœnitentiam ſemper periculoſiorem. 7. 185
Eſt inanis deceptio peccatoris. 7. 186
Deducit ad finalem impœnitentiam. 7. 187

*Propoſitum.*

Apud multos infirmum. 8. 119
Ejus firmitas ex effectu debet apparere. 8. 120
Debet eſſe univerſale. 8. 121
Firmiſſime tenendum eſt. 8. 122

*Proſperitas.*

Vide, *Mundana Proſperitas.*

*Providentia Dei.*

Non eſt temere examinanda. 1. 124
Mirabilis circa remedia naturalia. 1. 125
Et circa nutritionem hominis. 1. 126
Mirabilis circa præſervationem a peccatis. 1. 126
Cur permittat peccatum. 1. 127
Exigit noſtram cooperationem. 1. 128
Mirabiliter diſponit ſtatus hominum. 1. 129
Omnia ordinat in mundo. 1. 130
Ita, ut nihil caſu fiat. 1. 130
Ejus diſpoſitio impediri non poteſt. 1. 131
Permittit interdum malum. 1. 132
Non debet taxari, ſugillari. 1. 133

*Prudentia.*

Quid ſit? quæ ejus opera? 6. 211
Innititur principiis ſanæ rationis. 6. 212
Reſpicit finem & effectus. 6. 213
Utilis ad omnes fortunæ caſus. 6. 214
Altiora ſe non quærit. 6. 215
Non ſe immiſcet diſcordiis alienis. 6. 216
Nil agit ſine conſilio. 6. 217
Tenet certum præ incerto. 6. 218
Parit divitias temporales & ſpirituales. 6. 219
In omnibus utitur diſcretione. 6. 220
Quomodo differat a Sapientia. 6. 221
Quomodo practice acquirenda. 6. 222
Quomodo habere ſe debeat erga Deum. 6. 223
Quomodo erga proximum. 6. 224
Quomodo erga ſeipſum. 6. 225

*Purgatorium.*
Eſt ſecundum proportionem peccatorum. 9. 89
Purgat animas a reatu reſiduo. 9. 90
Incurritur ob leve delictum. 9. 91
Superat tormenta hujus mundi. 9. 92
Incurritur etiam a Sanctis. 9. 93
Terribile ob pœnam ignis. 9. 94
Terribile ob pœnam damni. 9. 95
*Purgantes animæ.*
Juvantur per paſſionem Chriſti. 9. 96
Immiſericorditer deſeruntur. 9. 97
Puniuntur in locis, ubi peccarunt. 9. 98
Juvantur SS. Euchariſtia. 9. 99
Et ſacrificio Miſſæ. 9. 100
Suffragiis fidelium. 9. 101
Diutiſſime ibi detinentur. 9. 102
Propter teſtamenta non data executioni. 9. 103
Beneficia obſequiis compenſant. 9. 104
Dignæ ſunt commiſeratione. 9. 105
*Putei, & fontes.*
Unde originem trahant. 10. 70
Habent miras qualitates. 10. 71

Q

*Quadrageſimale jejunium.*
UNde, & quomodo? 6. 301
*Quinque ſenſus.*
Sunt hominis hoſtes. 5. 87
Semper mortificandi. 5. 87
Porta per quas intrat hoſtis. 5. 88
Oppugnari poſſunt, non expugnari. 5. 89

R

*Rebelliones.*
COntra Principes puniuntur. 5. 414
*Reges, Principes.*
Habent onus graviſſimum. 5. 288
Et moleſtias innumeras. 5. 289
Magna imperia poſſident. 5. 290
Bono exemplo præeant. 5. 291
Eorum favores fluxi & inconſtantes. 5. 292
Eorū primogeniti ſpecialia habent nomina. 5. 293
Debent ſe impendere bono publico. 5. 294
Sapientiæ ſtudeant. 5. 295
Viles ſunt cum Deo comparati. 5. 296
Eorum dignitas fluxiſſima. 5. 297
Si tyrannice regnant, non diu regnant. 5. 298
Amant adulationibus decipi. 5. 299
Immiſericordiā in ſubditos miſere luent. 5. 300
Specialia habent inſignia. 5. 301
Non ſint immiſericordes in ſubditos. 5. 302
Non habent jus bellandi pro libitu. 5. 303
Non ſint luxuoſi cum damno ſubditorum. 5. 304
Clementiam ſibi commendatam habeant. 5. 305
Indigent favore ſubditorum. 5. 306
E throno ad infelicem fortunam veniunt. 5. 307
Si male regnant, non diu regnant. 5. 308
Eorum potentia debilis. 5. 309
Male regnant propter peccata ſubditorū. 5. 310
Legem Dei ſervent, ſi feliciter regnare volunt. 5. 311
Impii graviorem habebunt infernum. 5. 312
*Regna Mundi.*
Cujus magnitudinis? 10. 21
Qua forma Regiminis utantur. 10. 22
Quos mores habeant. 10. 23
Qua rerum diverſitate fruantur. 10. 24
*Relapſus.*
Eſt periculoſior quam primum peccatum. 7. 82
Semper difficiliorem reddit converſionem. 7. 83
*Religioſus.*
Infelicius perit, ſi pereat. 5. 197
Non immiſceat ſe ſæcularibus negotiis. 5. 198
Præ aliis debet mortificare paſſiones. 5. 199
Per vota Religioſa ſe donat Deo. 5. 200
Quomodo conſtitutus eſſe debeat. 5. 201
Non ſine ſcandalo eſt ambitioſus. 5. 202
Cum fœnore recipit, quod reliquit. 5. 203
Non taxet facta Superiorum. 5. 204
Sæpe retinet in corde vanitates. 5. 205
Moritur plenus ſolatio. 5. 206
Amet ſolitudinem. 5. 207
Demoritur ſæculo per vota. 5. 208
A mundanis omnibus alienus ſit. 5. 209
Exuat affectum erga patriam, & amicos. 5. 210
A primævo fervore recedit. 5. 211
Vide *Novitii Religioſi: Status Religioſus.*
*Reliquiæ Sanctorum.*
Bona maxima ferunt. 4. 111
Habentur in magno pretio. 4. 112
Sunt venerandæ. 4. 113
Sunt in ſua inventione mirabiles. 4. 114
Excitant ad virtutis exempla. 4. 115
Conferunt multa beneficia. 4. 116
Et hæc juſtis, non peccatoribus. 4. 117
Non ſine Dei vindicta inhonorantur. 4. 118
Operantur peccatorum converſiones. 4. 119
Miraculis honorantur. 4. 120
Præſervant a peccatis. 4. 121
Miraculoſe transferuntur. 4. 122
Prodigioſe inveniuntur. 4. 123
Honorantur a brutis. 4. 124
*Reſpectus humanus.*
Cauſat plurima peccata. 7. 107
*Rixæ.*
Vide *Diſcordia.*
*Roſarium B. V.*
Efficax contra dæmonem. 3. 27
Prodeſt contra hoſtes etiam externos. 3. 28
Gratum & honorificum B. V. 3. 29
Liberat ab interitu. 3. 30
Quomodo cum myſteriis recitandum. 3. 31
*Ruſticalis ſtatus.*
Habet felicitatem præ ceteris magnam. 5. 425
Dei benedictionem in agris conſervet. 5. 426
Debet timere Deum. 5. 427
Sedulo labore occupari debet. 5. 428
Fidelis ſit in præſtandis decimis. 5. 429
Tenetur curam habere domeſticorum. 5. 430
Dignitate & antiquitate præcellit. 5. 431
Eſt ars quæſtuoſa & utilis. 5. 432
Non ſit ſuperſtitionibus deditus. 5. 433

S

*Sacerdotes.*
SUperflua expendant in pauperes. 5. 134
Quibus occupationibus dediti ſint. 5. 135





Et quibus virtutibus. 5. 136
Ex humilitate aſſumant ſacerdotium. 5. 137
Non ex ambitione. 5. 137
Fugiant familiaritates mundanorum. 5. 138
Veritati ſtudeant. 5. 139
A Deo vocati ſint. 5. 140
Rei ſunt peccatorum, quæ non impediunt. 5. 141
Decenter, non vane veſtiti ſint. 5. 142
Miſericordes ſint erga pauperes. 5. 143
Tenentur mortificare paſſiones. 5. 144
Puritati conſcientiæ ſtudeant. 5. 145
Habent grave judicium ob ſacrificium Miſſæ. 5. 146
Unicus malus facit totum ordinem contemni. 5. 147
Non immiſceant ſe ſæcularibus negotiis. 5. 148
Fugiant vanitates. 5. 149
Illorum maculæ accuratius notantur. 5. 150
Illorum errores ſupprimi debent. 5. 151
Jure gaudent immunitate. 5. 152
Magna ſedulitate orent Breviarium. 5. 153
Caſti ſint, & continentes. 5. 154
Quam turpe ſi dediti ſint peccatis. 5. 155
Sancti ſint, & inculpati. 5. 156
Non ſint ambitioſi. 5. 157
Quanta ſit illorum dignitas. 5. 158
Pauci ſalvantur. 5. 159
Suo exemplo ædificant, & deſtruunt populum. 5. 160
Ad perfectionem tendere debent. 5. 161
Male amant ſuum intereſſe. 5. 162
Ab omnibus creaturis alieni ſint. 5. 163
Infelices, ſi propter panem aſſumant hunc ſtatum. 5. 164
Infelicius pereunt, ſi pereant. 5. 165
Honorandi ſunt. 5. 166
A plebe judicari non debent. 5. 167
Conſtituti ſunt, ut corrigāt mores populi. 5. 168
Inhonorari non debent. 5. 169
Scientia pollere debent. 5. 170
Non ſint avari. 5. 171
Quas notas habere debeant. 5. 172
Non adhæreant carni & ſanguini. 5. 173
Sint Sobrii. 5. 174
Non ditent familiam ex bonis Eccleſiaſticis. 5. 175
Si vitioſi ſint, non emendant plebem. 5. 176
Infeliciſſimi, ſi ſint impuri. 5. 177
Caveant a pluralitate Beneficiorum. 5. 178
Sint zelatores contra peccata. 5. 179
Tenentur avertere calamitates populi. 5. 180
*Sacerdotium.*
Non aſſumatur malo fine. 5. 132
Nec ex coactione parentum. 5. 133
*Sacramenta.*
Sunt medicinæ ex latere Chriſti. 8. 1
Quid, & qualia ſint? 8. 2
Inſtituta a Chriſto. 8. 3
Cur inſtituta. 8. 4
Sunt ſigna collativa gratiæ. 8. 5
Adjumenta efficaciſſima ad ſalutem. 8. 6
Non perdunt virtutem ex improbitate miniſtri. 8. 7
Conferuntur miraculoſe. 8. 8
Symbolizant effectum internum. 8. 9
Infirmantur per abuſum ſuſcipientium. 8. 10
Sunt ad ſalutem neceſſaria. 8. 11
Exigunt noſtram cooperationem. 8. 12
*Sacrificium Miſſæ.*
Quanta puritate celebrandum. 8. 62
Celebrare in peccato ingens ſcelus. 8. 63
Celebrare diſtracte Deo odibile. 8. 64
Cum magno fervore peragi debet. 8. 65
Prærequirit pœnitentiam. 8. 66
Ab indigno celebratum non perdit valorem. 8. 67
Eſt myſtica renovatio Paſſionis Domini. 8. 68
Deo gratiſſimum. 8. 69
Eſt Sacrificium Euchariſticum. 8. 70
Latreuticum. 8. 71
Propitiatorium. 8. 72
Satisfactorium. 8. 73
Impetratorium. 8. 74
Prodeſt in neceſſitatibus animæ. 8. 75
Quomodo utiliter audiendum. 8. 76
Prodeſt in temporalibus. 8. 77
Audire ſine reverentia peccaminoſum. 8. 78
Miniſtratur ab Angelis. 8. 79
Eſt vere ſacrificium. 8. 80
*Salomon.*
An ſit ſalvus, vel damnatus. 1. 110
*Sancti.*
Quomodo & per quid Sancti. 4. 38
Non obſtante ſanctitate timent infernum. 4. 39
Per auſteritates tendunt ad cælum. 4. 40
Sunt noſtri Duces in vita Chriſtiana. 4. 41
Suis precibus multum valent apud Deum. 4. 42
Timent peccatum ſuper omnia alia mala. 4. 43
Sunt in continuo virtutum exercitio. 4. 44
Nondum nati præſignantur. 4. 45
Honorantur ab ipſo Deo. 4. 46
Habent poteſtatem ſuper dæmones. 4. 47
Et dominium in elementa. 4. 48
Sunt in honore habendi. 4. 49
Habent bellua ſibi obſequentes. 4. 50
Res omnes referunt ad Deum. 4. 51
Non impune inhonorantur. 4. 52
Inveniuntur in omnibus ſtatibus. 4. 53
Sanctus eſt omnis homo juſtus. 4. 54
Fugiunt honores & dignitates. 4. 68
Cupiunt a mundo contemni. 4. 69
Faciunt obſequia viliſſima. 4. 70
Viliter de ſeipſis ſentiunt. 4. 71
Exaltantur a Deo. 4. 72
Contemnunt laudes humanas. 4. 72
Caſtitatem amant. 4. 73
Mirabiliter pugnant contra tentationes. 4. 73
Sunt manſuetiſſimi. 4. 74
Libenter tolerant injurias. 4. 74
Malefacta compenſant beneficiis. 4. 75
Id probant mirabilibus exemplis. 4. 76
Sunt conſtantiſſimi in bono. 4. 77
Fideliter adhærent Deo. 4. 77
Magni æſtimant ſervitutem Chriſti. 4. 78
Auſtere agunt pœnitentiam. 4. 79
Mirabiles in jejunio. 4. 80
Mirabiles in flagellis & ciliciis. 4. 81
Fugiunt occaſiones peccati. 4. 82
Sunt mire patientes. 4. 83
Tolerant varias infirmitates. 4. 84
Nec non injurias & diffamationes. 4. 85
Imitantur Chriſtum patientem. 4. 86

Utut illiterati pollent ſcientiis cœleſtibus. 4. 87
Indicantur mundo per ſigna prævia. 4. 88
Operantur prodigia. 4. 89

*Sancti Martyres.*

Conſolationem habent in tormentis. 4. 90
Quæ magna fortitudine ſuſtinent. 4. 91
Etiam in tenera ætate. 4. 92
Perſecutiones compenſant benefactis. 4. 93
Martyres eſſe poſſunt ſine tormentis. 4. 94
Sunt innumerabiles. 4. 95
Rident tyrannos inter tormenta. 4. 96
Ardenter deſiderant martyrium. 4. 97
Operantur miracula in morte. 4. 98
Per paſſionem probant veritatem fidei. 4. 99
Horrendis tormentis afficiuntur. 4. 100
Sunt invicti, imperturbabiles. 4. 101
Vehementer deſiderant Martyrium. 4. 102
Prævie ad hoc ſe præparant. 4. 103

*Sancti Cœlites.*

Multum valent apud Deum. 4. 104
Confundent peccatores in judicio. 4. 105
Utiliter invocantur in variis neceſſitatibus. 4. 106
Honorantur ab ipſo Deo. 4. 107
Inhonorati vindicant injurias. 4. 108
Sunt noſtri Patroni, ſed non ſine cooperatione noſtra. 4. 109
Patroni in variis neceſſitatibus. 4. 110

*Sanctorum Reliquiæ.*

Bona maxima ferunt. 4. 111
Habentur in magno pretio. 4. 112
Sunt venerandæ. 4. 113
In ſua inventione mira operantur. 4. 114
Excitant ad virtutis exempla. 4. 115
Conferunt multa Beneficia. 4. 116
Sed juſtis, non peccatoribus. 4. 117
Non ſine vindicta Dei inhonorantur. 4. 118
Operantur peccatorum converſiones. 4. 119
Miraculis honorantur. 4. 120
Præſervant a peccatis. 4. 121
Miraculoſe transferuntur. 4. 122
Prodigioſe inveniuntur. 4. 123
Honorantur a brutis. 4. 124

*Sancta Simplicitas.*

Meretur colloquium Dei. 6. 22
Placet ſummopere Deo. 6. 23
Digna eſt auxilio Dei. 6. 24

*Sanitas Corporis.*

Eſt ingens bonum. 5. 73
Facile deſtruitur. 5. 74
Magis amatur, quam anima. 5. 75

*Sapientia.*

Quid ſit? quis ejus effectus. 6. 226
Confert ingentia bona poſſidenti. 6. 227
In omnibus actionibus elucet. 6. 228
Obtinetur certis diſpoſitionibus. 6. 229
Ex operationibus ſe prodit. 6. 230
Ardua ſuffert ſpe beatitudinis. 6. 231
Quomodo obtinenda in praxi. 6. 232
Vera quomodo diſtinguatur a falſa. 6. 233
Maxima bona ſecum fert. 6. 234

*Satisfactio Sacramentalis.*

Mutat pœnam æternam in levem. 8. 123
Eſt neceſſaria. 8. 124
Debet eſſe proportionata delicto. 8. 125
Olim rigoroſa. 8. 126

*Scandalum.*

Eſt homicidium animarum. 7. 198
Solicite præcavendum. 7. 199
Mala maxima cauſat in mundo. 7. 200
Ponitur propter peccata omnia inde exorta. 7. 201

*S. Scapulare B. V.*

Confert innumerabiles gratias. 3. 32
Sine interna devotione non prodeſt. 3. 33

*Scientia.*

Periculoſa, niſi caute utamur. 6. 235
Quærenda unice propter Deum. 6. 236
Digna honore & præmio. 6. 237
Moderate debet uſurpari. 6. 238
Conducit ad agnitionem Dei. 6. 239
Ex natura ſua delectabilis. 6. 240

*Scriptura Sacra.*

Eſt communis conſiliarius. 9. 244
Non faſtidienda propter humilem Stylum. 9. 245
Multos convertit ad vitam meliorem. 9. 246
Cum diſcretione legenda. 9. 247
Non eſt clara, indiget expoſitione. 9. 248
Non intelligitur ſine oratione. 9. 249
Dat materiam ad quoſvis diſcurſus. 9. 250
Ejus lectio ditat virtutibus. 9. 251
Dedocet ſcelera. 9. 252
Detegit fraudes dæmonis. 9. 253
Prohibetur plebi, cur? 9. 254
Inſtruit omnes in norma vivendi. 5. 255
Aſſidue volvitur a Sanctis. 9. 256
Magnæ dignitatis & æſtimabilitatis. 9. 257
Solatur in omnibus adverſis. 9. 258
Ejus textus ingenioſe uſurpantur. 9. 259

*Securitas.*

Facit audacem in malo. 7. 108

*Sepultura Sacra.*

Poſt mortem curanda. 9. 177
Ab omnibus pie affectatur. 9. 178
Non fiat cum pompa & luxu. 9. 179
Non competit peccatoribus. 9. 180

*Silentium.*

Utile ad virtutem. 6. 364
Denotat ſapientem. 6. 365
Docetur exemplo Sanctorum. 6. 366

*Sinceritas.*

Vide *Fidelitas:*

*Societas mala.*

Depravat mores complicum. 7. 102

*Sol.*

Qualis in ſe, & ſuis effectibus. 10. 7

*Somnia.*

Non omnia ſunt vana. 5. 58

*Spes.*

Collocanda in ſolo Deo. 6. 56
Non abjicienda a peccatore. 6. 57
Facilitat omnem laborem. 6. 58
Concipitur ex promiſſione Dei. 6. 59
Firmius in Deo ponenda, quam in homine. 6. 60
In rebus etiam deſperatis non abjicienda. 6. 61
Vana, quæ collocatur in homine. 6. 62
Circa Temporalia in Deo collocanda. 6. 63
Confortat Martyres contra tyrannos. 6. 64
Tranquillat tranquillitatem animi. 6. 65

*Statura.*

Exigua non obſtat excelſo animo. 5. 86

Sta-



*Status hominum.*

Mirabiliter ordinantur a Deo. 5. 126
Nullus aſſumatur ob commodum mere temporale. 5. 127
Nec ſine aptitudine naturæ. 5. 128
Sint ordinati ſine turbatione. 5. 129
Eligendi cum magna cautela. 5. 130
Quilibet ducit ad Deum. 5. 131
Non ſunt ſufficiens excuſatio peccati. 7. 94

*Status Religioſus.*

Habet plures obligationes præ ceteris. 5. 181
Eſt ſtatus perfectiſſimus. 5. 182
Via in cœlum tutiſſima. 5. 183
Non aſſumatur citra Vocationem. 5. 184
Perfectior activus ſimulque contemplativus. 5. 185
Comparatur Martyrio propter mortificationem. 5. 186
Eſt ſtatus humilitatis. 5. 187
Unde originem ſumpſerit. 5. 188
Amatur, & defenditur a Deo. 5. 189
Magna bona præſtat Eccleſiæ. 5. 190
Non nocet, ſed prodeſt Reipublicæ. 5. 191
Eſt ſtatus ſecuriſſimus. 5. 192
Summe honorandus. 5. 193
Non contemnatur ob unum vel alterum malum. 5. 194

Vide Tit. *Religioſus.*

*Status Vidualis.*

Vide Tit. *Vidua.*

*Status Militaris.*

Vide Tit. *Milites.*

*Status Rusticus.*

Vide Tit. *Ruſticalis ſtatus.*

*Stella.*

Variis opinionibus taxantur. 10. 9

*Sterilitas terræ.*

Eſt pœna peccati. 1. 46

*Strages.*

Cruentæ multorum millium. 1. 53

*Stratagemata.*

In bellis varia. 1. 423

*Subditi.*

Suis peccatis nocent Superioribus. 5. 353
Taxant facta ſuperiorum male. 5. 354
Obedire tenentur Magiſtratui. 5. 355

*Superbia.*

Eſt vitium periculoſiſſimum. 7. 249
Ejus ſigna & indicia. 7. 250
Conjunctam habet ſtultitiam. 7. 251
Punitur a Deo. 7. 252
Odibilis Deo & hominibus. 7. 253
Familiarem habet jactantiam. 7. 254
Quomodo compeſci debeat. 7. 255
Dedocetur apud ſepulcra mortuorum. 7. 256
Compeſcitur per tribulationem. 7. 257
Eſt peccatum univerſale. 7. 258
Poſt ſe trahit contemptum. 7. 259
Vide, Tit. *Mundana pompa.*

*Superſtitiones.*

In morbis non adhibendæ. 7. 172
Uſurpantur in obſervatione ſomniorum. 7. 172
Sunt deceptoriæ. 7. 173
Diligenter cavendæ. 7. 174

*Suſurratio.*

Cauſat inimicitias, & alia mala. 7. 416
Punitur a Deo. 7. 417
Impedit multa bona. 7. 418

*Sydera.*

Sunt ſigna potentiæ Dei. 10. 3
Non agunt in voluntatem humanam. 10. 4
Quanta velocitate rapiantur. 10. 5

## T

*Temperantia.*

Quid ſit? quis ejus effectus? 6. 198

*Templa.*

Beatiſſimæ Virgini ædificantur prodigioſe. 3. 34
Quid ſint, & cui bono. 9. 216
Magnifice extruuntur. 9. 217
Non ſunt inhonoranda. 9. 218
Sunt aſylum ſacrum non violandum. 9. 219

*Tempus.*

Per peccata perditur. 5. 114
Per pœnitentiam recuperatur. 5. 114
Velociſſime dilabitur. 5. 115
Eſt pretioſiſſimum. 5. 116
Inutiliter impenditur. 5. 117

*Tentationes.*

Prævidendæ, antequam invaleſcant. 6. 443
Etiam leves repellendæ. 6. 444
Vincuntur oratione. 6. 445
Non omnes vincuntur æqualiter. 6. 446
Magis moleſtant fidelem, quam infidelem. 6. 447
Quomodo dignoſcendæ. 6. 448
Generoſe vincuntur a Sanctis. 6. 449
Non nocent, niſi volenti. 6. 450
Non ſunt formidandæ. 6. 451
Afferunt varias utilitates. 6. 452
Quomodo ſuperandæ. 6. 453
Sunt probationes hominis. 6. 454
Non ſunt ſufficiens excuſatio peccatorum. 7. 90

*Tepiditas.*

Quanta mala cauſet. 7. 470
Ejus ſigna & indicia. 7. 471
Invenitur etiam apud litteratos. 7. 472
Punitur a Deo. 7. 473
Perducit ad gravia peccata. 7. 474
Quibus remediis curanda. 7. 475
Prona ad vanitates ſæculi. 7. 476
Fomes hæreſum & Atheiſmi. 7. 477
Unde ortum trahat. 7. 478
Tantum dimidio corde vult ſervire Deo. 7. 479

*Terra.*

Qualis, & quanta ſit? 10. 54
In multis regionibus valde fœcunda. 10. 55
Unde hæc fertilitas. 10. 55
Dividitur in partes ſuppolares. 10. 56
Ob ſuas proprietates mirabilis. 10. 56
Specubus ſubterraneis excavata. 10. 57
Ejus motus eſt ſingulare indicium iræ Dei. 1. 48

*Theologia.*

Unice fundatur in Scriptura. 6. 265
Cauta ſit in ſententiis laxis. 6. 266
Quid ſentire debeat in ſententiis benignis? 6. 267

Timor

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Timor Domini.*

Placat Deum. 6. 108
Adducit ad pœnitentiam. 6. 108
Nunquam ex animo abeſſe debet. 6. 109
Cuſtodit virtutes. 6. 110
Mundat a peccatis. 6. 110
Concipiendus ob varias cauſas. 6. 111
Raro verus apud peccatores. 6. 112
Etiam a Sanctis conſervandus. 6. 113
Operatur ſalutem hominis. 6. 114
Cuſtodit contra peccata. 6. 115
Multa bona præſtat. 6. 116

*Tonitrua.*

Quid, & unde ſint? 10. 53

*Tribulatio.*

Splendeſcere facit virtutem. 6. 3

V

*Valetudo.*

Vide Tit. *Sanitas Corporis.*

*Vana gloria.*

Fugitur a Sanctis. 7. 290
Bonis operibus adimit meritum. 7. 291
Eſt inanis nugacitas. 7. 292
Non aſſequitur honorem quæſitum. 7. 293

*Veneficæ.*

Puniuntur debitis ſuppliciis. 7. 175
Nocere non poſſunt Chriſtianis. 7. 176

*Venti.*

Quæ illorum cauſa & origo. 10. 33
Habent ſtupendam vim. 10. 34
Magnam ferunt utilitatem. 10. 35

*Verbum Dei.*

Efficax ad converſionem peccatorum. 9. 229
Audire neceſſarium ad ſalutem. 9. 230
Valde utile ad ſalutem. 9. 231
Apud peccatores nihil efficit. 9. 232
Debet attente ruminari. 9. 233
Non fiat ad delectationem. 9. 234
Non vileſcat ob vitia Prædicatoris. 9. 235
Quare ſine fructu audiatur. 9. 236
Cauſat repentinas converſiones. 9. 237
Non fructificat propter indignitatem auditoris. 9. 238
Impeditur a diabolo. 9. 239
Leniter propoſitum plus movet, quam auſterum. 9. 240
Non audiri tantum, ſed opere expleri debet. 9. 241
A variis varie excipitur. 9. 242
Ejus defectus quantum noceat. 9. 243

*Veſtes corporis.*

Non ſint ad pompam. 5. 83
Sed ad neceſſitatum. 5. 85

*SS. Viaticum.*

Ad ægros portatum Chriſtiani comitentur. 8. 81
Ardenter deſiderandum. 8. 82
Devote adoretur. 8. 83
Miniſtratur mirabiliter. 8. 84

*Viduæ.*

Expeditiſſime poſſunt ſervire Deo. 5. 407
Perſecutionibus obnoxiæ. 5. 408
Sunt vel maxime Deo curæ. 5. 409
Non facile tranſeant ad ſecunda vota. 5. 410

*Vinum.*

Moderatum eſt utile. 7. 440
Immoderatum depravat hominem. 7. 441
Abundans, & generoſum, ubi? 7. 442

*Virginitas.*

Vide *Caſtitas.*

*Virgines Sacræ.*

Vide Tit. *Moniales.*

*Virtus.*

Ut acquiratur ſola voluntate opus eſt. 6. 1
Rara inter proſperitates. 6. 2
Magis lucet per tribulationes. 6. 3
Gaudet pace bonæ conſcientiæ. 6. 4
Habet impedimenta & inimicos. 6. 5
Conſiſtit in medio. 6. 6
Vera non depravatur. 6. 7
Acquirenda eſt ſucceſſive. 6. 8
Eſt ſummum bonum in mundo. 6. 9
Gaudet ſocietate bonorum. 6. 10
Debet horrere peccatum. 6. 11
Attenta ad curam minimorum. 6. 14
Tendit ad perfectionem Chriſtianam. 6. 18

*Viſitationes cæleſtes.*

Quantæ ſint deliciæ. 1. 96
Majores, quam mundi gaudia. 1. 96
Non dantur, niſi animo a mundanis vacuo. 1. 97
Cur Sanctis ſubtrahantur. 1. 98
Dantur in principio converſionis. 1. 99
Et poſt victoriam tentationum. 1. 100

*Vita hominis.*

Valde amatur ab homine. 5. 103
Eſt perpetua militia contra paſſiones. 5. 104
Brevis & fragilis. 5. 105
Debetur Dei ſervitio. 5. 106
Eſt tempus merendi. 5. 107
Tempus triſtandi, non lætandi. 5. 108
Perperam impenditur. 5. 109
Decurtatur propter peccata. 5. 110
Prolongatur per virtutem. 5. 111
Interdum mirabiliter longæva. 5. 112
Cur alicui proſperas, alteri infortunata. 5. 113

*Vitia.*

Plene dominantur in mundo. 7. 95
Pallantur ſpecie virtutum. 7. 96

*Vocatio Dei.*

Audita fert ſalutem. 1. 134
Vocat variis modis. 1. 135
Dat gratiam confortantem in ſuo munere. 1. 136
Quomodo agnoſcenda ſit. 1. 137
Non vocat ſecundum perfectiorem ſtatum. 1. 138
Sed ſecundum aptitudinem. 1. 138
Neglecta poſt ſe trahit mala. 1. 139
Non audita cauſat periculum interitus. 1. 140
Vocat ſecundum aptitudinem naturæ. 1. 141
Efficaciter trahit homines. 1. 142
Obedientiam promptam requirit. 1. 143
Mirabiliter vocat ad perfectionem. 1. 144

Vo-



*Voluntas animæ.*

Proclivis ad malum. 5. 59
Ejus affectus habetur pro opere. 5. 60

*Voluntas propria.*

Fons & origo omnis mali. 7. 277
Inimica Deo. 7. 278
Nocentiſſimus hominis hoſtis. 7. 279
Vitiat bona opera. 7. 280
Sibi ipſi contraria. 7. 281
Eſt inſtrumentum dæmonis ad nos decipiendos. 7. 282

*Volucres.*

Miræ magnitudinis. 10. 41
Habent varias proprietates. 10. 42

*Voluptas.*

Vide Tit. *Mundana Voluptates.*

*Urbes.*

Magnæ & celebres. 10. 63
Earum excidia pœna peccati. 1. 44
Præmonentur per ſigna prævia. 1. 44

*SS. Vulnera.*

Recipiuntur a Chriſto amore noſtri. 2. 79
Intercedunt apud Deum pro nobis. 2. 80
Sunt refugium in tribulatione. 2. 81
Tam corporis, quam animæ. 2. 81
Sunt fontes gratiarum. 2. 82
Pie adoranda. 2. 83
Sunt medicina curans vitia. 2. 84
Profunt contra tentationes. 2. 85
Eorum cultus promovet ad ſanctitatem. 2. 86
Et ad æternam ſalutem. 2. 86

*SS. Vulnus lateris.*

Semper apertum peccatori. 2. 87
Demonſtrat Deum reconciliatum. 2. 88
Refugium & ſpes ſalutis. 2. 89
Refugium in omnibus neceſſitatibus. 2. 90

*Uxores.*

Nocent familiæ propter luxum. 5. 364
Inſtillant filiis ſua vitia. 5. 365
Quibus dotibus præditæ ſint. 5. 366
Non ſint litigioſæ, mendaces &c. 5. 367
Sint virtuoſæ, pudicæ. 5. 368

Z

*Zelotypia.*

FUgienda conjugibus. 5. 361

*Zelus animarum.*

Docetur exemplo Sanctorum. 6. 167
Eſt gratiſſimus Deo. 6. 168
Odio habetur a mundo. 6. 169

F I N I S.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BX1757
C5
v.3
1768 4506[2]

AUTOR
CLAUS, Josephi Ignatii

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UAN
DAD AUTÓNOMA DE NUE
CIÓN GENERAL DE BIBLIOT